
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





# THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARUM ITALIAE.

*TOMI NONI PARS SEXTA,*

QUAE

PRIORVM TOMORVM SVPPLEMENTI VICEM PRAESTANS,

PRAETERITOS, ET POSTEA DEMVM ACCEPTOS SCRIPTORES SECVNDVM ORDINEM REGIONVM ITALIAE DISPOSITOS CONTINET.



# THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE.

*Quo continentur*
Optimi quique Scriptores reliqui,
*Qui*
CISALPINAE ITALIAE, ET LONGOBARDIAE
res memoriae prodiderunt;
*Quique*
PRIORVM TOMORVM SVPPLEMENTI VICEM PRAESTARE POSSVNT,
Secundum ordinem Regionum Italiae in illis dispositi;
*Digeri olim coeptus Cura & Studio*
JOANNIS GEORGII GRAEVII.
*Accesserunt*
Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae,
ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:
CVM PRAEFATIONIBVS
PETRI BVRMANNI,
*J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.*

TOMI NONI PARS SEXTA.
*Voluminis hujus, ut & duorum sequentium, Auctorum Series Praefationi est subjecta.*






*LVGDVNI BATAVORVM,*
Excudit PETRVS VANDER AA,
*Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXIII.*
Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

# PRAEFATIO
## IN TOMI NONI
# THESAVRI ITALIAE
## PARTES VI. VII. ET VIII.

---

## AEQVO ET BENEVOLO LECTORI
## S. D.
## PETRVS BVRMANNVS.

DEfunctum jam ſe omni opere & labore, in congerendo & edendo ampliſſimo hoc & pretioſo *Italiae Theſauro*, credebat ſedulus & diligentiſſimus editor, *Petrus vander Aa*, & ego praefandi moleſtiſſimo munere levatum me ad alias curas tranſire poſſe ſperabam; cum Virorum in *Italia* & *Sicilia* doctiſſimorum ſtudia & officia novam utrique curam injecerunt. Tanto enim favore & cupiditate acceptus fuit in *Italia* Theſaurus hic, ut nemo non ſibi partes impoſitas eſſe putaret deſpiciendi & undique conquirendi, quod ad ejus ornatum facere poſſet videri. Inter alios vero duorum, & eruditionis fama florentium, & animo erga Editorem Theſauri ſingulari, *Apoſtoli Zeni*, & *Ant. Muratorii*, ſtudia & officia ſunt praedicanda, qui non contenti libellos rariſſimos conquirere & huc transmittere, ex Bibliothecis & muſeis Italicis inedita quaedam monimenta ſubmiſere. Quare, licet jam ſuprema manus huic ſumptuoſo & grandi operi impoſita eſſet, & totum ſe ad *Siciliæ Theſaurum* colligendum compoſuiſſet editor, noluit tamen, tam excellentium virorum munera rejicere; ſed non ingratum eruditis fore judicavit, ſi Tomo IX. qui ultimus Italici Theſauri fuerat, hanc quaſi appendicem adjiceret. Quae eo gratior futura eſt, quia tota fere non ex grandibus & obviis, ſed exiguis & rariſſimis ſimul, & eruditione commendandis libellis eſt confecta, quos vel nemo, vel pauci ante hanc diem viderunt. Quorum ut pretium & utilitas plenius cognoſci poſſet, breviter de ſingulis diſſeremus, & ſi quid, ut fieri ſolet, aberraſſe mihi viſi ſunt auctores, more noſtro adnotabimus; ita tamen, ut omnibus ſua exiſtimatio & laus conſtet.

Prima fere, ſi ex Gallia iter terrâ inſtituas, Italiae pars, ipſis Alpibus undique ſepta, eſt Taurinorum, ut veteres vocabant, regio, quae hodie Pedemontii Principatus titulo celebratur. Horum caput eſt *Auguſta Taurinorum*, cujus originem & antiquitates egregie deſcripſit Vir Illuſtris PHILIBERTUS PINGONIUS, cujus elogium ex *Ghilino* ab editore adjectum lectorem de ejus dotibus edocere poterit: ſi vero quis de hoc ipſo opere pleniorem notitiam deſiderat, præfationem inſpiciat, quae brevi in tabella omnia, quae ſcriptor toto ſuo libro comprehenderit, deſcribit. Nos eruditionem & patrias antiquitates indagandi ſtudium laude omni digna eſſe judicamus; non diſſimulare tamen poſſumus, maluiſſe nos, ut in primis gentis & urbis incunabulis a fabuloſis & commentitiis vulgi narrationibus potuiſſet abſtinere. Sed, ut in multis jam Italicarum gentium & urbium Hiſtoricis animadvertimus, An-

Annianae illae nugae nimium ſaepe transverſos egerunt viros, etiam eruditos, ita ut pauci ſint, qui in originibus referendis, non maluerint ad aniles fabulas adſcendere, quam aliis urbibus natalium antiquitate cedere. Præterea in primordiis religionis Chriſtianae tradendis, & Epiſcoporum ab ipſis incunabulis Chriſtianiſmi ſerie contexenda, nemo popularibus ſuis ſacra illa ſerius recepiſſe videri voluit, ſed omnes Praeſulum ſuorum titulos & ordinem ab Apoſtolis, vel eorum diſcipulis arceſſere ſtuduerunt. Sic *Pingonius* ab Eridano vel Phaetonte, & filio ejus Genuino; a quo *Genua* condita, repetit Taurinorum origines, quos ita dictos vult, vel quia Cecrops taurum primum Jovi immolare conſtituit, vel quia Iö in taurum verſa, vel quod Italia Taurina ſit dicta, vel denique quia omnia magna tauros vocare ſolerent. quae partim a vero aliena, partim nihil huc pertinentia hîc refutare non vacat: Quid vero juvat ad fabulas recurrere, cum ne illae ipſae quidquam ſuppeditent, quo antiquitatem Urbis adſtruat, & ſtatim ſaltum facere cogatur, monumentorum veterum defectu, ad ea tempora, quibus Romani victricibus armis totam Italiam pacaverunt: nec primis imperii Romani ſeculis multa de Taurinis praedicari videamus, & de ipſa Urbe Auguſta nihil fere ante Julii Caeſaris tempora proferre poſſit. Ab hoc Taurinos jus civitatis accepiſſe & Coloniam Juliam vocatam urbem, probare nititur ex nummo Taurini invento, in quo COL. JVL. legitur: ſed cum plures fuerint Coloniae Juliae, certius debuiſſet argumentum adducere, neque omnes nummos, in quibus Taurus conſpicitur, ad patriam ſuam referre; quod eruditioribus numquam perſuaderi poterit. Cerimoniarum Chriſtianarum initia a Barnaba, quem primum Epiſcopum facit, repetit, auctorem laudans Nicephorum, apud quem nihil tale reperire potui: nullos vero ejus ſucceſſores, neque ulla expreſſa Chriſtianiſmi veſtigia deprehendere potuit, ante A.Ch.CCCVI. quo *Thebea* illa Legio in Allobrogibus a *Maximiano* crudeliſſime mactata, ex dubiis & incertis monumentis traditur. Ex martyrum vero ingenti illa turba, quorum nomina etiam ſaepe fraudem produnt, ut aliae multae urbes, ita & Taurinenſes ſibi Divos adoptarunt. Sed mittamus fabulas & incertas narrationes. Verior lux huic regioni apparet poſt Ottonum imperia, a quorum & ſequentium Imperatorum temporibus Sabaudiae Comites, deinde Duces, & Principes Pedemontii e certiore ſtemmate genus ſuum deducere poſſunt, quod praeclare illuſtrat ſcriptor noſter, & ad ſua uſque tempora res in ea parte orbis geſtas diligentiſſime deducit. Hiſtoriae ſive annalibus ſubjecit inſcriptiones Auguſtae inventas, quas excutere hîc nihil attinet, cum omnes fere in Gruteriano corpore conſpiciantur, ad cujus exemplar harum deliciarum ſtudioſus eas excutere poterit. Unicum eſt quod mirer, cum hic Pingonii liber prodierit A. 1577. nullam ejus, quod ſciam, mentionem feciſſe *Lambertum vander Burchium*, popularem meum, qui Sabaudorum Ducum Hiſtoriam gentilitiam inſigni induſtria conſcripſit, & edidit A. 1599. qui *Paradinum*, *Julianum Taboetum*, *Nic. Vignierum* & alios quoſdam rerum Burgundicarum ſcriptores advocat. Cautius vero ille, fabulis omiſſis, a Beraldo Mauriennae Comite Hiſtoriam ſuam inchoat, & ad ſua tempora deducit: an Pingonii opus ſe legiſſe diſſimulaverit, & cum ſaepe ſine nomine auctores laudet, eum indicet, otii penuria nunc exigere accuratius non vacat.

Si quis vero litus legens, egrediatur Galliae fines, trans fluvium Varum prima occurrit Italiae urbs *Nicaea*, & antiquitate ac nobilitate a longiſſimo tempore inſignis. Quam etſi quidam Galliae adſcribant, rectius tamen Italiae eam plures, ipſo noſtro fatente *Joffredo*, attribuunt. Hujus Originem & Fata urbis doctiſſimus PETRUS JOFFREDUS amore patriae ductus ſeculo

culo proximo diligentissime descripserat, & A. 1658. Augustae Taurinorum emiserat. Fuisse eum Abbatem S. Pontis Cemelii, & obiisse A. 1692. tradit *Longius* in Biblioth. Historic. Franciae n. 3002. ex quo praeterea didici n. 15335. eum scripsisse *Historiam Alpium Maritimarum*, (quas in prolegomenis Cap. VII. & VIII. etiam breviter describit.) qua res gestas in Provincia, quae olim quarta Viennensis dicta, descripsit, & quae manu exarata apud Gentilem ejus *Joffredum* servatur. Studiosissimum antiquitatis & priscae supellectilis fuisse patet ex iis, quae narrat cap. X. prolegom. in fine, de museo suo. Laudat idem *Longius* dictionem & elegantiam Latini sermonis, quo has *Nicaeae* antiquitates exornavit, qua tamen dote nos supra mediocritatem commendari eum posse vix credimus, cum ex vitae instituto & studiorum ratione, scholastici quid, & sacerdotibus usitati scribendi generis elucere mihi videatur, &, ut ipse fatetur, magis *piae propensionis* & *credulitatis, quam judicii & discussionis*, vestigia apparere in hoc scripto voluerit. Diligentiam tamen ejus prædicandam esse censemus, qui noluit Patriae suae res & fata ab exteris ignorari. Ipsi operi prolegomena praemittit, quibus urbis Nicaeae & dioeceseos notitiam exhibet. Opus ipsum in duas divisit partes, quarum prima viros sanctos, altera Episcopos recenset, quorum historiae, saepe dubiae & incertae, cum magis placere iis soleant, qui numero sanctorum illustrari patrios annales amant, nos magis detinuisse urbis Origines & antiquitates nolumus diffiteri, in quibus indagandis Annianas Fabulas longe removisse, & ex certioribus monimentis nominis, situs, originis & antiquitatis vestigia persecutum esse, gaudemus, & laudamus. Massilienses fuisse tradit conditores, qui victis Liguribus, a victoria urbi nomen dederunt, & eam per *Episcopum* (ita recte explicat lapidem p. 7. & eum secutus *Ruffius* in Historia Massiliensi lib. 1. cap. 4.) rexisse. Vicinam ipsi fuisse *Cemenelionem*, vel *Cemelium*, urbem ostendit; non tamen ex ejus ruinis crevisse Nicæam, sed utramque urbem aequales sibi natales habuisse docet, sed Cemenelionem fuisse dirutam. Inscriptiones etiam quasdam, quae in *Gruteri* corpore non conspiciuntur, profert, sed quarum aliquas *Fabrettus* suis addidit. Lapidem de Atiliis cap. VI. conferre licet cum edito a *Grutero* DCCCLIX. ubi versu secundo noster habet VEAMONAE; *Gruterus* VAEMONAE. Versu tertio rectius, ut puto noster L. ATILIO, quam *Gruterus* ATILIAE, exhibet: sequitur enim cognomen CVPITO. Nusquam nisi hîc repperi inscriptionem, quæ pag. 16. legitur, sed ut puto, male exscriptam & corruptam. nomina enim singularia & fere inaudita. Nec quid velit ORDINATVS EX EQVO capio. Sed suspicor fuisse in lapide, *Ornatus equo publico*, ut apud *Gruter.* CCLXIII. 7. Inscriptio cap. VII. quam ex *Merula* profert, plenior est apud *Spon:* Miscel. Antiq. pag. 161. aliam pag. 20. in qua *C. Julius Flavianus*, se legisse ait, ultra Varum prope fluvium Lupum, quam *Gruterus* Moguntiaci exstare pag. DXL. 5. refert. Sed *Joffredo* potius credam. Uxorem, quam *Occejam Gruterus*, *Joffredus Cocciam* vocat, ego *Coccejam* legerem, & ita *Scaligerum* in indicem conjecisse, licet paginae nota desit, credam. In fine capitis octavi, notas lapidis COL. LEG. III. QVIB. EX SCC. P. EST. male interpretatur, *quibus ex Senatus Consulto Cemelenensi potestas est*, cum significent, *quibus ex SCto coire permissum est*. Similes enim formulae apud *Gruter.* CCCCXXXVII. 2. CCCXCI. & alibi passim occurrunt. Egregia vero & docta sunt, quæ de *Cemeleone* urbe, fluviis *Varo*, *Paulo* & toto Agro Nicæensi & antiquitatis monumentis & hodierna scientia profert: cap. XIV. promittit etiam vernaculo sermone patriae Historiam. Cap. X. late agit de Tropaeis Augusti in Alpibus, unde loco hodie corruptum nomen adhaeret *Turbia*, a Tropaeis, quae sententia ita

profertur ab Auctore, quasi a se primum prodita, cum tamen & *Cluverius* in Italia Antiq. lib. 1. cap. 19. & *Stunica* in Itinerario apud *Schottum* T. III. Biblioth. Hispanicae pag. 634. jam ita censuerint, quorum nulla a *Joffredo* fit mentio, cum *Cluverium* legisse aliis locis saepe ostendat: & hîc etiam, Inscriptionem illam spuriam censentem, refellat. Quod dum facit ingentem errorem committit, cum Tropaea illa ad septingentesimum annum, quo continua pax fuerit, & Janum clauserit Augustus, referat, quod ad annum 752. vulgo (nam nunc controversiam de natali J. Christi anno non excutimus) referunt. Atque haec ex prolegomenis excerpere libuit, unde eruditio scriptoris egregii omnibus apparet, & quibus nos contenti facile essemus, sed popularibus suis & sacrorum suorum consortibus longum Martyrum & deinde Episcoporum catalogum subjecit, quos qui perlustrare velit quaedam etiam ad temporum doctrinam & alios Historicos illustrandos reperiet.

Et olim & adhuc hodie magnis animis contendere solent viri eruditi de praestantia & excellentia virorum, artibus tam togae, quam sagi, illustrium, & an veteres praestiterint virtute, pietate & eruditione recentioribus, acerrime disceptarunt. In hanc contentionis arenam descendit quoque vir, seculi sui singulare ornamentum, BENEDICTVS ACCOLTVS ARETINVS; Scripto *dialogo de præstantia virorum sui ævi*, non solum hoc agens, ut seculum suum minime effoetum, aut inferius prioribus ostendat, sed praecipue, ut Italos suos non antiquis modo, quos Graecia & Roma protulit, viris longe esse superiores, sed inter illos etiam Florentinos artibus bellicis & eruditione & pietate eminere probet, nulla fere aliarum gentium habita ratione. De ipso scriptore nihil est quod praeter alios doceamus; cum & vita ejus ante dialogum legatur, & de ipso argumento disserendi otium nobis fecerint eruditissimi Lipsienses, qui in Actis suis A. MDCXC. pag. 510. id sedulo egerunt, & ex quibus copias suas instruxit *Baelius* in Lexico Critico Historico in *Francisco Aretino*. videri etiam potest Bibliothecae Univers. & Historicae Auctor A. 1690. pag. 573. scripsit *Accoltus* praeterea *Historiam Belli Sacri*, sive expeditionis in Terram sanctam, quam cum commentario suo edidit *Thomas Dempsterus* Florentiae A. 1623. de qua operae pretium est audire verba *Michaelis Bruti* ex libro II. de Instauratione Italiae, Operum ejus Berolin. 1098. editorum pag. 1028. *Piget referre quae de Boemondo atque origine Normannorum* a Benedicto Accolto *traduntur, qui belli Sacri historiam conscripsit. Nihil illi convenit cum Gallis Scriptoribus, nihil cum nostris. Non de Normandorum adventu in Italiam; non de Viscardo, non de Rogegerio, non de Boemundo filio: ut cum diversa penitus ab aliis tradat, nisi quis unius auctoritate stare adversus tantum Scriptorum consensum malit, non possit satis mirari, hominem gravem præsertim, & non ineruditum, cum ea ab aliis mutuatus esset, quibus illi minus cum cæteris conveniret (id quod declarandae illius fidei videri satis posset) authoris nomen, quem sequeretur, tradere neglexisse.* Notandum praeterea *Franciscum Arisium*, qui A. 1702. edidit *Cremonam Literatam*. Tom. II. pag. 63. auctorem hujus historiae facere *Benedictum Accoltum* Cardinalem, hujus *Benedicti* ex *Michaele* nepotem, quem natum dicit A. 1492. sed *Morerius* 29. Octob. 1497.; Certe post mortem Avi *Benedicti*, qui obiit 1466. ætatis Anno LI. (nam in vita ejus vitio operarum II. legitur) Tribuerat eidem Cardinali *Arisius* hunc dialogum de praestantia Virorum sui ævi, sed in praefatione a *Magliabequio* monitus, *Benedicto* ejus avo adsignat: mirum certe *Magliabequium* non monuisse idem de Historia; sed hinc apparet quantum Bibliothecarum & Historiae literariae consarcinatoribus fidere liceat, ubi de libris, a se non inspectis, agunt, ut plerique solent.

PE-

PETRUS AZARIUS quis fuerit non aliunde, nisi ex hoc *Chronico rerum gestarum in Lombardia*, novi: quod ad hunc usque diem delitescens ex tenebris productum, viro eruditissimo *Apostolo Zeni*, qui id ad Thesauri hujus editorem transmisit, debemus. Notarium se vocat Novariensem, & ea se scripsisse, quae maximam partem vidit, sollemniter testatur. Novariam patriam suam describit p. 52. ubi apparet ejus eruditio: pro judice Victualium *Antonino Torniello* Placentiae fuit A. 1364. judex Dertonae ad Bancos aeris comunis tuendi, & cancellarius *Joannis de Pirovano* Potestatis Dertonae: nec in patria tantum notarii munus obiit, sed & Bononiae per menses quatuor & quadraginta dicit se *stetisse pro notario ad bancum stipendiariorum* pag. 16. & 36. privatus munere a *Joanne de Olegio* p. 38. abit Maynerium p. 51. Familiaris, & domesticus fuit *Joannoli Mondellae de Ferro*, ex quo multa gesta audivit, & in ejus convictu vidit pag. 33. Bellum Canapicianum edidisse, quod polivit *Ambrosius de Roccacontrata*, didici ex *De Ameno* commentario in *Dom. Macanei* Chorographiam Lacus Verbani lib. I. c. 2. p. 12. qui addit, legi hoc in *Minervae Propyleo* Venetiis edito, qui etiam pag. 13. Chronicorum ejus MSS. in Bibliotheca Ambrosiana reconditum Codicem memorat, & ex iis refert, quae nunc leguntur de Novaria pag. 52. in hujus Thesauri tomo IX. part. 6. & alia passim. Descripsit vero *Vicecomitum*, a *Matthaeo* sive *Maffaeo*, ut ab aliis vocatur, res gestas, & familiae istius incrementa, & quid in Langobardia per eos & alios Regulos gestum fuit. Plurima vero singularia, & quae apud alios Historicos vix repperias in commentarios hos retulit. Jungi debuerat, si maturius eum consecutus fuisset Editor, *Joanni de Cermenate*, qui Tomo quarto hujus Thesauri est insertus, & qui ejusdem fere temporis Historiam prodidit. denique cum *Trist. Calcho* & *Ripamontio*, ab illis, qui penitus horum temporum res gestas perscrutari volunt, conferri meretur, quia illi res publice gestas referre contenti, hic *Azarius* saepe domesticas exsequitur, & familiarum & hominum interiorem vitam & mores depingit. Stilus vero *Azarii* horridior, & fere barbarus, ex aevi vitio, in quo tamen hîc illîc eruditionis quaedam singularis vestigia conspiciuntur. certe vocabula plurima & locutiones ex illo colligi possent, quibus mediae Latinitatis lexica instrui & locupletari possent. A *Matthaeo* vero Auctore potentiae Vicecomitum perpetua serie dominationem deducit, per *Galeacium*, *Azonem*, *Luchinum*, *Joannem*, *Matthaeum* II. *Galeacium* II. *Barnabam*, sive *Barnabovem*, ad *Joannem Galeacium*, qui primus Ducis titulo est insignitus. De *Matthaei* vicecomitis natalibus agens, dicit eum *Mapheolum* fuisse dictum, quia cum natus esset, omnia animalia domestica mugirent, quod vix percipio; neque ejus prodigii significationem nomine illo exprimi scio. narrat hoc prodigium quoque *Trist. Calchus* lib. XVI. Histor. pag. 357. sed inde nomen traxisse non addit. pagina 11. referens mortem *Stephani*, minimi ex filiis *Matthaei*, dicit eum quodam die in jentaculo, quod *Ludovicus Bavarus* Imperator exhibebat, *taliter potasse, quod ea nocte diem clausit extremum*. *Ripamontius* vero lib. II. p. 537. tradit, cum ab Imperatore Pincerna esset factus, & imperatori scyphum obtulisset, a Germanis, ad id subornatis, injectum fuisse venenum, & Imperatorem reddidisse *Stephano*, & hortatum fuisse, ut malum rumorem, quo Caesari venenum parasse differebatur, dilueret & scyphum illum ebiberet; qui cum nullius sibi criminis conscius eum exhausisset, praesentissimi vi veneni eodem die obiit, & hinc omnes Vicecomites fuisse in vincla conjectos. sed *Ripamontius* perpetuo erga Imperatores Germanos odio saepe suspectas narrationes prudentibus lectoribus facit. sed haec latius hîc excutere non vacat. de *Francisci Pusterulae* con-

conjuratione in Vicecomites, quam *Ripamontius* p. 545. narrat, noster non dissimilia prodit, nisi quod caussam aperit, ex libidine *Luchini* datam, qui *Franciscoli de Pusterla* (ita vocat noster) uxorem corrumpere voluerat, hunc vero *Franciscolum* tanta libidine fuisse addit, ut a *prandio saepe levaret, & haberet coitum cum uxore, & sic faceret equitando, si debuisset de equo descendere, & invadere publicas meretrices,* Pag. 24. narrat Bononiensis Academiae tantam fuisse celebritatem, ut tredecim millia scholarium ibi morarentur, & urbi praeessent *Jacobus de Pepulis*, juris peritus, & frater ejus *Joannes*, qui urbem *Joanni* Vicecomiti vendiderunt. vid. & Panciroi. de claris legum interpretibus lib. II. cap. LXXVI. reliqua non recensemus, sed plurima ad temporis ejus certiorem notitiam reperiet lector, & quae ipse se vidisse saepe testatur auctor.

*Azarium* ordine suo excipit ANDREAS BILIUS, sive DE BILIIS, Mediolanensis, ordinis Eremitarum Augustini, qui res patriae suae ab excessu *Joannis Galeacii* Vicecomitis, primi Mediolanensis ducis, qui incidit in annum MCCCCIV. libris novem est prosecutus. Hic etiam liber, egregiae erga literas & hunc Thesaurum ornandum voluntatis Viro Eruditissimo, *Apostolo Zeni*, debetur, qui eum cum Editore communicavit. Notior hic *Azario*, quia aliis ingenii foetibus famam suam ad posteros propagavit. Familiam *Biliam* nobilitate & divitiis potentem lib. II. p. 14. & propinquos suos p. 45. memorat, quos Guelfos fuisse, & suos solos in patria & omni Italia metallicum artificium componere dicit? quod de tormentis forte capiendum puto. Ipse puer in aerario versatus pag. 17. deinde Bononiae diu vixisse se dicit & Senis, ubi scripsisse se hanc Historiam, certe partem, Lib. IX. p. 118. profitetur. Fuit vero Philosophus, Historicus & Theologus celeberrimus, probitate & morum gravitate admirabilis, qui etiam A. 1434. interfuisse fertur concilio Florentino, ubi primas obtinuit contra Graecos & Armenios; Latinae, Graecae & Hebraeae linguae scientissimus, & adeo felicis memoriae, ut quod bis vel ter legerat, statim teneret: & dicitur fuisse in arte oratoria alter Cicero, in Philosophia secundus Aristoteles, in Theologia perfectus Augustini Pedisequus, ut eum laudibus his celebrant *Thom. Gratianus* in Anastasi Augustiniana pag. 27. & *Philip. Elsius* in Encomiastico Augustiniano pag. 51. qui & operum editorum indicem exhibent, inter quos *Historiae Langobardicae* sive *Mediolanensium* liber unus refertur, ut & in *Gesneri* Epitome legitur. Quae, si prodierit, diversa ab hac historia esse debet, quæ novem libris absolvitur. Quo anno Senis, urbe Etruriae, senio confectus obierit, non addunt. Errasse etiam puto Elogiorum horum scriptores, quod eum scribant A. 1434. Florentino concilio interfuisse, cum eo anno nullum fuerit, durante adhuc Basileensi ab A. 1431. quod A. 1438, translatum per Eugenium Ferrariam, unde A. 1439. Florentiam migravit. Stilus hujus scriptoris aliquantulum politior est *Azarii*, & inspersis elegantioris dictionis flosculis, eruditionis majoris speciem praebet, sed tamen in quibusdam aevi scabiem adhuc redolet. Infinitis praeterea mendis hic liber, sive ab auctoris negligentia & ignorantia meliorum, sive a librariorum lapsibus foedatus. Res vero gestas, partim quas ipse vidit, partim quas a senioribus audivit, narrat. quae comparari possunt cum *Ripamontio*, qui lib. IV. res Mediolanenses post excessum *Jo. Galeacii.* commemorat. Noster filiorum *Joannis Mariae*, & *Philippi* praecipue *Mariae* prosequitur, usque ad Annum fere, ut videtur 1432. quo *Sigismundus* in Italiam venit: nam in fine novum opus pollicetur de rebus gestis post adventum Sigismundi in Italiam.

GEORGIVS FLORUS quis fuerit nondum plene rescìscere potui; Medio-

diolanensem JCtum fuisse, & circa A. 1512. floruisse narrat *Longius* in Biblioth. Hist. Franciae n. 7579. non alio, credo, indicio, quam quod editor hujus libri *Hugo Picardetus* librum manu exaratum ante annos centum scriptum in suas manus incidisse A. 1613. cum ederet, profitetur; *Picardetum* vero in parlamento Divionensi munus, ut vocant, Procuratoris Generalis sustinuisse, eumque admodum laborioso & invidioso, ut vocat, officio sex & viginti annos fungentem missionem flagitasse, patet ex dedicatione. an vero voti compos factus sit nescio, sed obiisse A. 1641. testatur idem *Longius* n. 11323. Quisquis fuerit hic *Florus*, descripsit res in Italia a *Carolo* VIII. gestas, qui a *Ludovico Sfortia*, *Joanni Galeacio* interitum meditante, in Italiam vocatus Neapolitanum regnum invasit, perducit vero Historiam ad *Caroli* ingressum in Urbem Neapolim, post quem reliqua desunt. Alterum deinde *Bellum* sive *expeditionem Bononiensem* narrat, qua *Julius* II. auxiliis a *Ludovico* Rege Galliae impetratis, *Joannem Bentivolum* expulit Bononia, & ad obsequium Pontificis Bononienses reduxit. Tertia parte *Bellum Genuense* exponit, quo *Ludovicus* Galliarum rex Urbem Genuam sibi subjecit, & in servitutem redegit. Sed cum hinc timerent sibi Veneti, illi *Maximilianum* ex Germania evocarunt, qui cum expeditionem suscepisset, hoc quoque *Bellum*, *Germanicum* ab auctore dictum, scribere aggressus est. Sed cum *Carolum de Ambasia* ad Mediolanenses, Rege in Galliam profecto, orationem, qua eos bonum animum habere juberet, habuisse narrasset, & parasse omnia ad *Maximilianum* aditu in Mediolanensem Ducatum prohibendum, abrumpitur subito reliqui belli descriptio; an Auctoris morte vel cessatione, an alio casu nescio, quare supplenda reliqua ex aliis eorum temporum scriptoribus, si quis res gestas in hac orbis parte cognoscere velit.

Inter instructissimas totius orbis Christiani Bibliothecas, licet vetustate plurimis cedat, excellit *Ambrosiana*, quae Mediolani instituta est, auspiciis & impensis *Federici Borromaei* Cardinalis; quem PETRUS PAULUS BOSCHA meritis elogiis decoravit, & originem & statum Bibliothecae ab A. 1608. ad 1671. eleganti & nitida satis dictione descripsit. Ipse *Boscha* fuit alumnus seminarii (pag. 54.) deinde adscriptus collegio Ambrosiano (p. 44.) & inter praefectos Academiae Hermathenaicorum, (p. 44.) deinde praefectus Bibliothecae Ambrosianae (pag. 80. & 87.) Cum vero studiosus admodum fuerit eloquentiae Ciceronianae, ut in praefatione testatur, egregie partes sibi mandatas est exsecutus. Scripsisse etiam Martyrologium Mediolanense didici ex praefatione ad *Dominici Macanei* descriptionem Lacus Verbani, quae Cl. *Muratorio* est inscripta; & passim in commentario *Stazii Trugi Catalauni de Ameno* adducitur. Instituerat primum Cardinalis ad exemplum Camaldulensis Coenobii simile prope Mediolanum condere, sed deinde pro receptaculo, plurimam partem, otiosorum monachorum, mutata sententia, in ipsa Urbe, hoc sapientiae & eruditionis sacrarium condere decrevit: & hinc statim communicato cum viris in Italia, Gallia & alibi consilio, eorum opera ad conquirendos libros uti coepit, & viatico uberrimo instructos *Antonium Olgiatum* in Germaniam Belgium & Franciam, *Jo. Bern. Ferrarium* in Hispaniam, *Antonium Salmatium* in Graeciam, *Gratium Mariam Gratium*, & *Guidonem Cavalcantium* in diveras Italiae partes dimisit, qui omnes vel integras Bibliothecas, vel immensam vim manu exaratorum & typis descriptorum codicum retulere, quibus deinde aliae opes accessere, ita ut Auctor noster ipsi Vaticanae eam non cedere judicet. Se auctore hoc consilium cepisse Cardinalem jactasse *Erycium Puteanum* scribit Gronovio Nic. Heinsius Epist. CXXXII. quam cum aliis hoc ipso tempore in publicum emittimus. Quia vero,

 ut

ut recte monuerat Cardinalem *Lipsius* v. Cent. Misc. Ep. 88. egregia instituta saepe post mortem auctoris retro non modo labi, sed aliquando corrumpi & interverti solent, omnem adhibuit curam, ut tutela hujus Bibliothecae perpetua esset, & novis semper incrementis floreret. Quare Curam Bibliothecae commisit Collegio Ambrosiano, in quod octo viri, eruditione varia & diversa inter se illustres, abscriberentur, quos ex Seminario Clericorum Mediolanensi (a *Carolo Borromaeo* instituto) legit, & praecepit, ut hi libris conscribendis vacarent, & Bibliothecam ingenii sui foetibus locupletarent. Regio deinde apparatu aedificium, cujus hîc formam aere expressam videmus, peregit, in quo & libri & supellex literaria, imagines, statuae, tabulae pictae & alia ornamenta reponerentur, & collegae statis & certis diebus coire possent. Inaugurato hoc sapientiae templo, &, indulgentia Papae, reditibus annuis ditato, conservatores Bibliothecae, qui curarent ut leges praescriptae Collegis custodirentur, creavit viros, dignitatibus Ecclesiasticis apud Mediolanenses conspicuos, qui provincias inter se sortirentur, & quinquennali honore defuncti aliis locum darent. Postea vero institutum, ut inter illos semper *Borromaeae* gentis aliquis adsciseretur. Leges praeterea latae, secundum quas cura ageretur Bibliothecae, quae omnes egregiae & in commune literarum utilissimae. Sed hoc praecipuum hujus Academiae decus & commodum, quod quotidie omnibus, duabus horis ante & totidem post meridiem, patere voluerit, nullo civium aut peregrinorum discrimine, qui vel scriptos vel editos codices evolvere velint. unde toties hanc obviam & humanam comitatem celebraverunt viri doctissimi, qui cum Italiam studiorum causa peterent, hinc egregia subsidia retulerunt. Vide *Vossii* ad Heins Epist. XI. & XV. Et ex aliis, quae nunc prodeunt, epistolis videbimus, *Gronovium*, *Heinsium*, & *Vossium*, querentes de morositate & invidia Italicorum Bibliothecariorum, comitatem tamen & officia Mediolanensium summis laudibus efferentes. Quibus addere licet *Pauli Bombini* testimonium, quod exhibet *Leo Allat.* in Apibus Urbanis in vita *Antonii Bruni*, ubi postquam Bibliothecam hanc praedicasset, addit; *Custodes ac* βιβλιοφύλακας *habet multos, modestos, comes, plane quibus libenter illud Horatianum* (Ovidianum potius) *sedeat, super omnia vultus accessere boni* &c. Unicum, quod nos advertit, est, quod *Boscha* in auctorem Itinerarii Italici Gallum, cujus nomen ignorat, invehitur, qui Bibliothecam *Pinellianam* non integram, sed tantum quae supererant, ejus reliquias, postquam à Turcis capta & projecta fuerat, Ambrosianae illatas narrat. cum auctor lib. I. cap. 15. & 18. ostendat eam 3400. Aureis per *Gratium* Neapoli ab Heredibus *Vincentii Pinelli* emptam, & septuaginta capsis inclusam & translatam Mediolanum. Quæ mirabitur lector, qui in vita *Pinelli* per *Paullum Gualdum* conscripta, discere poterit, revera Bibliothecam hanc post mortem *Pinelli* Venetiis navibus tribus impositam, & unam, quae tres & triginta continebat capsas, a Piratis fuisse captam, qui libros plurimos abjecere, quos simul cum ipsa navi deinde in litus ejecta, diripuere Firmani; nisi quod multis laceratis, reliquias quasdam conquisitas redemerit Episcopus Firmanus. de quo naufragio nihil noster *Boscha*. *Heinsius* quoque ad Gronov. Epist. CLVII. scribit, libros a naufragio reliquos a Cardinali *Borromaeo* redemtos fuisse. Potuerunt ergo duae reliquae naves evasisse, sed certum est ex tertia reliquias tantum 33. capsarum fuisse servatas. Si vero integra fuisset Bibliotheca, pretium certe majus credo debuisse statui: nondum vero fuisse hanc emptionem Bibliothecae perfectam, cum *Gualdus* vitam *Pinelli* scriberet, inde apparet, quod ominetur reliquos a piratis libros heredum discordia perituros.

Tituli adfinitate, credo, ductus Editor hujus Thesauri, *Bibliothecae A-*

*le-*

*lexandrinae Icones Symbolicas* CHRISTOFORI GIARDAE subjecit, quem, licet ipse Auctor Abortum vocat, quia ne nonum quidem in mensem, quo conceptus erat, dilata fuit ejus editio, urgentibus comitiis congregationis Clericorum Regularium, cui Auctor adscriptus erat, habitis Mediolani, ut videtur A. 1626. abjicere tamen noluit, quia rarior & multis ignotus hic liber, ab eruditis celebrari noverat. Bibliothecam Urbis Alexandriae in ducatu Mediolanensi, incendio perditam, sed munere *Caroli Bossii* redintegratam, & simul picturis & Iconibus ornatam fuisse, ex præfatione Auctoris colligere licet. has icones, quae disciplinas varias & artes referebant, Auctor noster explicatione & elogiis illustrat, quibus symbolica arcana exponit. quas enarrare nostri nunc instituti minime esse reor.

DOMINICUS MACANEUS in Academia Taurina Professor *Lacus Verbani*, qui hodie *Lago Maggiore* appellatur, *Chorographiam* ediderat A. 1490. quae cum rarissima inventu esset, & singularia multa & cognitu dignissima contineret, recudenda missa fuit ad virum, cui plus intra paucos annos debuit Italia, quam integro ante hoc seculo aliis, *Lud. Ant. Muratorium*, cujus cura iterum prodiit A. 1699. Ejus munere cum accepisset editor Thesauri hujus, etiam cum nostri orbis eruditis rarissimum hunc libellum communicare voluit. Quis fuerit *Macaneus*, & quae ediderit & scripserit, docebit praefatio ad *Muratorium*, quae reliquos quoque Auctores, ex quibus de Lacu hoc plenius cognosci possit, enumeravit. Ipsa descriptio est accuratissima, & ab ipso initio lacum usque ad finem & adjacentia loca, flumina in eum decidentia, & quaecumque circa lacum conspiciuntur, primo libro enarrans. Altera vero parte opes naturae memorandas, quae in visceribus terrae reconditae ibi latent, lapides & marmora, valles, per quas lacus distenditur, alias adjacentes lacum, arbores, hominum mores & reliqua exsequitur diligentissime. Cum vero brevi oratione defungatur *Macaneus*, commentario satis magno illustravit praecipua loca, a Macaneo memorata, STAZIUS TRVGVS CATALAVNVS DE AMENO, qui hodie vivens, insignem rerum Italicarum peritiam & Historiae literariae miram cognitionem in doctissimo hoc commentario probat. insignes etiam virorum doctorum libros, qui adhuc intra Bibliothecas, tam publicas, quam privatas, in Italia latent, recenset, & eorum contenta saepe in compendium exhibet, ut pag. 8. *Joannis Francisci Saxi Carmeni* JC. historiam Canobii pag. 13. *Joannis Baptistae Blanchini* Historiam Pallantiae, & alia. in indice quoque & appendice diligenter recenset viros doctos, quorum quibusdam elogia & singularia quaedam, de eorum vita & honoribus, addit. Video vero multis e commentarii locis adduci ab eruditissimo auctore *Musaeum Novariense*, quo virorum doctorum vitae & scripta recensentur, quod an jam prodierit, an brevi sperare liceat, colligere ex ejus verbis non satis potui, nec an idem sit, quod *Lazarus Augustinus Cotta* dicitur elaborasse in Actis Lipsiens. A. MDCCVI. Mens. Febr. pag. 68. dijudico. Unicum adhuc, antequam ad alios transeam, ex ipsius *Macanei* observatione adnotare libet, quod in Flori lib. III. cap. 3. ubi de Cimbris agitur, pro *Atesi* fluvio rescribi jubeat *Athosonem*, qui juxta Oscelam labitur, & hodie *Tonsa* vocatur, & huc Cimbros iter fecisse, cum in Italiam perrumperent, ostendat, & non in Veronensi agro, sed Novariensi a Mario esse caesos contendat: quod argumentum plenius illustrandum suscepisse virum doctissimum, & ad antiquitates Italiae a fabulis & fictis commentis vindicandas, natum, *Lud. Ant. Muratorium* ex hoc commentario laetus disco, & summo desiderio, ut omnia, quae eruditis promisit, totius reipublicae literariae antistites exspectare confido.

Celebris etiam, & olim & adhuc famae magnae *Bergomum* civitas, varios nacta scriptores fuit, qui ejus originem & fata tradiderunt, ex quibus Editor noster quatuor elegit, quos Thesauro huic insereret. Agmen ducunt FRANCISCUS BELLAFINUS & MARCUS ANTONIUS MICHAEL, qui simul olim editi hîc quoque conjuncti iterantur. De eorum vero vitis & scriptis præter ea, quae ex *Vossio* producit editor, nihil repperi apud Historiae literariae scriptores: Ex ipso opere patet, *Bellafinum* circa initia seculi sexti decimi, cum Galli Bergomum occupassent, cum multis civibus fuisse in carcerem conjectum, ex quo post menses fere novem, cum in Venetorum ditionem rediisset urbs, fuit liberatus; ipse etiam a Gallorum praefecto jussus formulam pactionum & conditionum, quibus arcem dederet Venetis, conscribere. Brevis autem haec & succincta est fatorum & vicissitudinum, quas urbs subiit, narratio, quae non, ut plerasque vidimus, a fabulis incipit, sed urbis originem repetit a Gallis, qui duce Brenno Alpes superarunt; quae licet non plane certa quoque habeantur ab eruditis, multo tamen tolerabiliora, quam quod *Farina* a Cydno Phaëtontis filio deducat, Annianas nugas secutus. Inter vocis *Bergami* Etymologias, verior mihi illa videtur, quae a *Galeoto* Narniensi prolata fuit, ut a *Berg*, voce Teutonica, quae montem notat, deducatur, & hanc *Rhenani* fuisse sententiam *Farina* etiam refert pag. 3. qui tamen fabulosis opinionibus addictus, errare eum putat: sed Celtas sive Germanos & Teutonos Alpes transiisse, & varias in Italiam colonias duxisse constat, & nos in Umbriae & Etruriae antiquitatibus saepe vidimus, & multa etiam vestigia sermonis Celtici, ut olim in linguis populorum, ita & adhuc in Italia superesse, viri docti saepe ostenderunt. Immo in vallibus circa lacum Verbanum adhuc superesse multos incolas, qui sermone Teutonico, licet aliquantum depravato, utuntur, docuit nos *Stazius Trugus Catalaunus* in commentario ad *Macaneum*, pag. 38. & 45. Et ipse noster *Bellafinus* ignoratione linguae Teutonicae perperam vocem *Nap*, quae adhuc hodie vas potorium ex silvestri ligno notat, deducit a Graeco νάπη & νάπος, cum a Teutonico *Nappe* sit deducenda, quod vas ligneum notat. Historiam vero patriae suae deducit per varias urbis & civium conversiones, quae per Gothorum & Langobardorum irruptiones eadem, quae reliquae civitates, fata subiit; deinde vero factionibus Gibellinorum & Guelforum jactata, saepe dominos mutavit, & magistratuum diversas dominationes sensit, donec tandem in Venetorum ditionem venerit, sub quorum, licet a Gallis etiam occupata, imperio mansit. *Michaël* vero totus est in Agri & urbis Bergomatis descriptione, & singulos pagos, valles, flumina & loca recenset, in moribus vero Bergomatibus describendis desinit.

Post *Bellafinum* & alios recentiores scriptores, Bergomatium res illustrantes, nostra tempora duos dederunt VINCENTIUM CORONELLUM, Reipubl. Venetae cosmographum, & BARTHOLOMAEUM FARINAM, quorum ille praecipue res ecclesiasticas & Episcopos Bergomates recenset, in antiquioris aevi rebus secutus fere *Bellafinum*, & exordia episcopatus a *Barnaba* repetens, qui constituto *Narno* episcopo fundamenta Christianae religionis jecit. Sed cum post duos successores *Viatorem* & *Romulum* dissipata esset ecclesia, recepit iterum spiritum sub *Alexandro* Thebaeae legionis primo signifero, Episcopus vero denuo impositus ab Ambrosio circa A. C. 400. *Dominator*, unde jam perpetuam seriem deducit. Haec vero omnia ejusdem esse fidei & auctoritatis credimus, qua in reliquis civitatibus initia Episcopatuum in Italia & Sicilia saepe jam nimis alte repetita vidimus. *Farina* vero rerum civilium initia, ad ductum falsi

falsi Berosi persequens a Cydno Phaëtontis filio, ex recentioris ævi titulis & scriptoribus auctoritatem quaerit, & ubi Bergomi ipsius res gestae silentio sunt suppressae, supplet temporum defectum ex gentium & urbium vicinarum fortunis, quas communes fuisse Bergomensibus credit; in multis *Bellafini* & priorum scriptorum fidem sequitur, & Annales urbis & Reipublicae, variis mutationibus agitatae, ad annum fere a Christo nato CIↃ IↃ C XXX. deducit, & subjecta urbis, suburbiorum, agri, & fluviorum descriptione finem operi non longo imponit.

Cum vero Bergomum maxime illustraverit vir, rei militaris scientia & laude illustrissimus, *Bartholomeus Coleus*, ejus vitam & res gestas silentio involvere religio fuit. quare ut Civis tam egregii laudes aeternae essent, facta & omnem vitae ordinem memoriae prodidit ANTONIVS CORNAZZANVS, Vates, ut se vocat, Placentinus; licet alii Ferrariensem faciant, ut ex *Vossii* & *Baruffaldi* elogiis lector videre poterit. Ferrariae eum vindicat *Cynth. Jo. Bapt. Gyraldus* de Ferraria pag. 38. in tomo VII. hujus Thesauri, qui eum lepidissimum & doctissimum vocat. nomen vero ejus *Cornacianus* ibi scriptum legitur. *Magius* etiam lib. 1. Miscellan. cap. 1. laudat ejus opus de re militari, quod elegantius, quam quod a suae aetatis hominibus legendum videatur, censet. Nihil praeterea de *Cornazzano* illo Poëta mihi constat, nisi quod ex hoc opere, nobili genere fuisse natum pateat: nam ex Familia *Terciorum* fuisse se scribit, ex qua aliquoties memorat *Otthonem* gentilem suum virum, quo, nullum ea tempestate habiliorem fuisse dicit pag. 4. hunc perperam pag. 38. & in Indice, *Otthonem Tertium* pro *Tercio* vocari puto. Familiarem etiam *Coleo* se fuisse Auctor noster profitetur, cum post obitum *Francisci Sfortiae* ex patria sua ob malignam temporum mutationem ad Venetos per mille difficultates evasisset; diuque apud *Coleum* fuit, locum meritis & virtuti suae superiorem consecutus, pag. 26. Et senem jam *Coleum*, pernicitatis & roboris adhuc super Juvenes insignem, se comitatum esse scribit pag. 30. *Colei* vero vitam a natalibus & Patre ejus *Paulo* exorditur, & quam laboriosam & exercitam pueritiam & juventutem habuerit, docet. Prima stipendia sub *Philippo Arcellate* fecit, inde sub *Braccio*, & *Jacobo Caudola*, & *Carmagnola*, ducibus egregiis, militavit, & famam apud omnes sibi summam paravit. Deinde cum ad *Franciscum Sfortiam* se contulisset, ab eo majoribus rebus praefectus fuit. Cum vero, mortuo *Philippo Maria*, ultimo ex Vicecomitibus, Duce Mediolanensi, *Sfortia* occupasset imperium, *Coleus*, qui in stipendia *Philippi Mariae* transierat, & calumniis multis apud *Sfortiam* accusatus in carcerem erat conjectus, audita morte ducis, ex custodia elapsus ad milites evasit, qui ipsi detulere imperium. Hinc pro Mediolanensibus bellum contra Allobrogas gessit, & deinde, cum ad Venetorum se contulisset exercitum, postea etiam ipsi *Sfortiae* egregiam operam navavit, a quo tamen iterum ad Venetos se contulit, a quibus magnifice acceptus, & pace inter eos & *Sfortiam* facta, summo in milites imperio per quinque & viginti annos praefuit, & multa praeclara gessit. Videtur autem *Cornazzanus*, vivente adhuc *Coleo*, hunc commentarium scripsisse; de morte enim ejus nihil memorat, sed ultimis duobus libris cum vitam ejus privatam & mores enarrasset, in quibus multa memoranda & exempli egregii Ducis hujus dicta factaque commemorat, addit hanc fuisse vitam & mores in Imperio glorioso senescentis, & septuagesimum annum agentis. Ceterum vidi a *Francisco Bellafino* pag. 17. honorificam etiam hujus *Colei*, quem *Coleonum* vocat, & patris ejus, ut appellat, *Poli*, mentionem fieri: qui & pag. 31. aram & monimentum *Barth. Colleonis*, ut ibi vocatur, in templo Ma-

riae Bergomi celebrat, quod ex Marmore Lunensi, & sculptura *Jo. Ant. Amadei* Papiensis, sibi vivus dicavit, & cui super imposita est statua equestris. *Coronellus* etiam pag. 5. a *Barth.Colleono* (ita ille nomen ejus effert) Bergomi institutum locum, *Pietatem* dictum, ad puellas inopes dotandas prodit. Ceterum miror vehementer, Ducis hujus, tam celebris olim in Italia, nullam fieri mentionem a Lexicorum Historicorum consarcinatoribus Morerio, aut Bailio, quibus ignotus fuisse videtur.

Inter Civitates Galliae Cisalpinae, quae vetustate & nobilitate se jactant, nulli fere cedit *Brixia*, quae etiam plures e sinu suo produxit viros literarum & eruditionis laude illustres, qui res patriae posteris prodere contenderunt. Inter quos fere familiam duxit *Octavius Rubeus*, cujus monumenta Brixiana jam Tomo IV. hujus Thesauri sunt inserta. Sed ne legerentur ibi quoque HELIAE CAPREOLI res Brixianorum, licet editor eum ibi collocare destinasset, effecit summa hujus libri raritas, quem nunc demum consequi licuit, quamvis immenso pretio coactus fuerit desiderium hoc explere. De scriptore, & quo in pretio habeantur haec *Chronica de rebus Brixianorum*, docebunt lectores & praefatio Editoris, & *Octavii Rubei* & *Vossii* testimonia. Memoranda vero iterum viri optimi, & ad literas adjuvandas nati, *Apostoli Zeni* sedulitas & officium, qui ad editorem transmisit libros duos posteriores, e manu exarato codice Bibliothecae Ottobonianae descriptos, & cum alio Brixiano collatos, quos etiam exstitisse in *Octavii Rubei*, & deinde *Dominici Molini*, bibliothecis *Vossius* memorat. Scripsisse post *Cornazzanum* apparet, quod pag. 116. eum *Bartholomei Colei* res gestas consignasse scripto, memoret. De ipso hoc opere, quod ab initio urbis, obscuro admodum & fabuloso, ut in omnibus fere Italicarum urbium scriptoribus vidimus, ad sua tempora deducit, multa excerpere non constitui, quia & temporis penuria aliis districtum curis prohibet, & taedio lectoris occurrere par erit. Guelforum partibus addictum fuisse facile patebit. edidisse vero *Capreolum*, praeter haec Chronica, *defensionem statuti Brixiensium de ambitione, & sumptibus funerum minuendis*, item *dialogum de confirmatione fidei* Brixiae in 4. testatur *Aub. Miraeus* in scriptoribus seculi XVI. p. 123. Edit. Fabricianae. in *Gesneri* vero epitome prior liber, accusantibus fratribus sancti Dominici, scriptus esse dicitur, secundus vero ad auctorem nostrum, non nisi conjectura, refertur.

Nec diu morabitur nos ALEXANDRI SQUADRONI *Regiensis JCti. Fasciculus laudum Regii Lepidi*, qui non Historiae formam (ut ipse autor fatetur p. 12.) sed orationis, vel ad advenas adlocutionis speciem praefert, qua urbis patriae laudes celebrat, breviter omnia delibans & perstringens, & de origine urbis, antequam colonia a Lepido ducta fuit, sollemni Italis more ad fabulas decurrens, & Christianismi initia & primum Episcopum ab Apostolis repetens. Academiae etiam, sive ut vocant, studii generalis originem Carolo Magno adscribit, & Jurisconsultorum, qui in ea floruerunt, indicem nobis prodit. inter quos ideo non praetereundus *Vidus* sive *Guido Pancirolus*, quia & ille *Chronicam* Historiam Regii Lepidi conscripsit, quam nondum editam *Squadronus* laudat pag. 1. 25. & alibi. Academiae, quae olim solis JCtis videtur floruisse, postea beneficentia Maximiliani II. accessit Collegium Medicorum & Philosophorum, cui facultas data Doctoris titulos conferendi. Ex quo collegio, notiora nobis prae aliis nomina recenset *Sebastianum Corradum*, commentariis in Ciceronem & aliis scriptis nobilem, & *Vincentium Chartarium*, qui libro suo de imaginibus deorum nomen sibi extra patriam peperit. Ipse Auctor se quoque nuper (scripsit vero An. 1619.) in Collegium Docto-

ctorum juris receptum esse gloriatur pag. 11. ex illo vero collegio, sive Universitate eligi refert priores civitatis, qui anno circumagente civilia patriae munera praestant, syndicos, judices & alios magistratus: denique a Carolo v. accepisse omnia jura & privilegia, quibus Patavini, Bononienses, Parisini & alii fruuntur. Verum autem splendorem & laudem patriae suae ab A. 1596. initium capere jactat, cum Beatam sibi Virginem civitas Advocatam delegit, in cujus laudes, potentiam, beneficia, & miracula peroratio tota insumitur.

Merebatur etiam urbs nobilissima, & proventu magnorum virorum superba, *Verona*, ut ex multis, qui ejus fata & historias conscripsere, aliquis, qui rarior & minus obvius haberetur, hujus Thesauri commendatiorem faceret usum. Elegit itaque Editor ex omnibus TORELLUM SARAYNAM, qui patriae suae urbis & agri originem, amplitudinem, viros illustres, dominium, ut vocat, & monumenta egregie illustravit; neque tamen ardor ille antiquas patriae origines ab alto repetendi hunc virum doctissimum a fabulis Annianis plane deducere potuit, sed cum vulgo scriptorum de *Noachi* in Italiam adventu, de *Comero* & *Camese* in Umbria & Etruria regnantibus nugari coëgit: neque certiora mihi argumenta videntur, quibus Theatri & Amphitheatri Veronensis conditorem *Augustum* fuisse probet, licet & suspicionem injiciat Amphitheatrum ab ipsa civitate Veronensi, jam ante Augusti tempora fuisse constructum: neque firmiori talo nititur suspicio *Saraynae*, qua Gentem Flaviam, quam *Vespasianus* illustravit, Verona ortam credit, quia *Suetonius* quosdam Transpadanam illi originem attribuere scribit, nulla tamen certa urbe adsignata: vel quia lapides ibi hominum quorumdam obscurorum & libertinorum, qui *Flavii* dicti, memoriam conservant; cum per totum imperium *Flaviorum* tituli reperiantur, neque illi Veronenses ullas notas certas & indubitatas exhibeant, unde Vespasianorum Familia illustrari possit. *Vitruvium* quoque Veronae ortum, quia in Arcu *Vitruvius Cerdo* memoratur, qui titulus in Gruteri corpore CLXXXVI. 4. legitur, ex vulgi Veronensis opinione adfirmat. de quo vide *Onuphrii* Antiquit. Veronens. lib. VI. p. 146. sed scriptor, quem habemus, *M. Vitruvius Pollio*, ille vero Architectus *L. Vitruvius Cerdo* vocatur. & inepta *Alciati* lib. VIII. Parerg. cap. 5. est opinio, non *Pollionem* sed *Pellionem* esse vocandum, eamdemque artificis appellationem esse *Pellionem* & *Cerdonem*. quod si, ut minime est, concederemus, quis umquam audivit eidem homini talia cognomina promiscue fuisse apposita? nam ita & *Pisones*, *Cicerones*, eosdem homines potuisse vocari quis contendere posset; quia utrique a leguminibus nomen traxerunt. praeterea hic *Cerdo* libertus fuit, non vero scriptor, ut recte *Onuphrius* ostendit: reliqua, quae habet *Sarayna* monumenta, hîc excutere non vacat, cum illa postea ab *Onuphrio* emendata etiam & illustrata fuerint. neque etiam alterum opus *Saraynae*, quod ex Italico sermone nunc Latine versum hîc exhibetur, recensere libet, quo gesta urbis ab Othonis I. tempore ad *Scaligerorum* excidium persequitur. propter quae scripta *Onuphrius* censet Veronam tantum debere *Saraynae*, quantum Roma *Livio*, Venetiae *Bembo*, & aliae civitates patriae suae historicis egregiis. Quia vero ex *Saraynae* Historia *Josephus Scaliger* splendorem gentis, unde se ortum ferebat, illustrari posse contendebat, quem obscurare *Sansovinus* fuit annisus, visum fuit Editori celeberrimam *Scaligeri* epistolam ad *Janum Douzam* de vetustate & splendore gentis Scaligerae adjicere. quae cum notissima sit viris doctis, de illa verbum non adjiciemus, sed ad alia transibimus.

Non antiquitatis modo monumentis, & proventu in omni lite-

rarum genere doctorum virorum floruit *Verona*, sed insigne decus ipsi addidit Collegium Medicorum & Philosophorum, quod qui vel scribendo vel publice profitendo illustrarunt, omnium, quantum licuit, collegit nomina, & vitas & scripta commemoravit, sub initium proximi seculi, ANDREAS CHIOCCUS, ejusdem collegii alumnus: de quo nihil fere nobis constat, nisi quod ex hoc libro discimus eum A. 1593. præside *Victorio Algaroto* in illud fuisse cooptatum, ut narrat pag. 47. quo anno etiam ex *Lindenio* de scriptis medicis vidi edidisse, ut doctrinae specimen, *Quaestionum Philosophicarum* & *Medicarum* libros tres, & duos *de Scabie* carmine conscriptos. pag. 27. etiam libros observationum adducit ipse noster scriptor. Deinde An. 1604. de *Febre* & *morbis epidemicis*, &c. quem librum indicare puto pag. 5. in vita *Alexandri Benedicti*, ubi de venae sectione agit: & A. 1622. Musei Francisci Calceolaris descriptionem, cujus meminit sect. 1. c. 15. p. 22. & tandem A. 1613. hunc de *claris collegii hujus Medicis & Philosophis* librum: quorum plurimos cum sectione prima memoratos *Onuphrius Panvinus* etiam libr. VI. Antiq. Veron. recensuisset, & ex ipso plures transtulisse noster *Chioccus* fateatur, mirari satis nequeo, cur in quorumdam nominibus discrepent inter se. Ita primum a *Chiocco* memoratum *Aventinum Lavagnolum*, *Panvinus Avantium* vocat. plures vero *Chioccus* patriae suae adseruit & praetermissos ab *Panvino*, & qui postea floruerunt sectione secunda celebravit, & plenius eorum merita enarravit. Hoc vero egregium & utilissimum *Chiocci* laudare par est institutum, quo singulis medicorum vitis adjungat singulares eorum dotes, opiniones & apophthegmata, ex quibus ratio, quam in medicina facienda instituerunt, appareat & aliis sit exemplo. Vellem tamen omnibus natalis & mortis tempus adjecisset. Poëtica facultate *Chioccum* excelluisse non tantum ex carmine ejus de scabie constare poterit, sed plenius aestimandi copia foret, si opusculum luculentum, quo *Fracastorii* Poëmata a *Scaligeri* censuris vindicavit, videre licuisset, quod memoratur pag. 13. in Elogio *Fracastorii* a *Franc. Pola* conscripto, & ab ipso *Chiocco* pag. 19. ubi a fratre *Bernardo* evulgatum ait. Non vidi librum illum, sed iniquiorem fuisse *Scaligeris* satis probant illa, quae Sect. 1. cap. 14. de utroque prodit. in cujus fine dicit inter *Lipsii* Epistolas unam esse *Scaligeri* ad *Paschasium* (lege *Paschalium*) quam filio moribundus dictavit, qua vitam suam succincte, sed plene complexus videtur. Illa vero legitur inter *Lipsii* Epistolas Centur. II. misc. Epit. 6. sed scripta rogatu *Paschalii* ad *Ferrerium* est, ut ipsam vel non vidisse, vel negligenter ab aliis adductam consuluisse *Chioccus* videatur. haec epistola *Scaligeri* etiam stomachum movit *Lernutio*, ut discere licet ex Epistola ejus ad Lipsium XXIII. a me nunc edita. inter alia, quae praeterea ad auctoris nostri notitiam faciunt, notavi eum inter medicos celebres pag. 31. *Petrum Bonalinum*, matris suae fratrem admodum extollere, & pag. 38. *Joannem Anton. Turcum*, socerum suum, & Praeceptore usum *Capivacceo* pag. 41. scripsisse etiam se duos libros contra consilium exterorum medicorum, qui *Francisco Brognonico*, vertigine & melancholia affecto, usum veneris suadebant, docet sect. III. cap. 19. Atque haec de *Chiocco*, qui egregie de medicis patriae suae meritis exemplum prodidit, quod civitatium singularum eruditi imitari deberent, sed non nisi viros doctrina illustres commemorare, non vero obscurorum & plebejorum nominibus ingentia volumina constipare.

Neminem mirari debere, civitates saepe illustres gloriam & apud posteros famam captasse ex natis apud se viris eruditione illustribus, ostenderunt olim illa de Homeri natalibus certamina inter Graecas urbes celebrata. Nec mi-

minoribus animis in Italia Veronenses & Comenses de *C. Plinii Secundi*, Historici illustris, natalibus concertarunt, & scriptis inter se acerrimis gloriam alteri alteris eripere contenderunt. Veronensem fuisse *Alexander Benedictus*, *Torellus Sarayna*, *Onuphrius Panvinius*, *Jo. Antonius Pantheus*, *Josephus Scaliger* & alii adfirmarunt. Pro Comensibus *Benedictus Jovius* (de quo strictim egimus in praefatione ad Tom. IV. pag. 11.) *Alciatus*, *Porcacchius*, & in primis FRANCISCUS CIGALINUS steterunt, qui edito de *Patria Plinii* libro, magna cum ingenii & doctrinae laude scripto, excitavit POLYCARPUM PALERMUM ut Veronensium caussam vindicaret. Argumenta vero ab utraque parte tam speciosa & exquisita producuntur, ut lectorem saepe incertiorem, quam antea, dimittant. Praecipuum vero Veronensium, quod producitur est, ipsum Plinium in praefatione ad Titum, Catullum, qui sine dubio Veronensis, Sirmione nempe natus, fuit, *conterraneum suum castrensi vocabulo* vocat. Hinc acris de vocabuli hujus, qua nemo ante Plinium apud Latinos legitur usus, significatione, an notet natum in eadem civitate, vel illius, ut vocant hodie, territorio, an vero latius regionem quandam, quae sub uno praeside vel magistratu regitur, indicare posset; cum Veronenses stricte sumendam, Comenses latius, & *Conterraneos* Plinium & Catullum, quia in Gallia Transpadana Verona & Comum non longe inter se distantes sitae sunt, dici posse contendunt. Uterque sane in rem suam profert argumenta minime levia; sed, ut fieri solet aliquando, etiam ridicula, & quae graviora saepe infirmant: ut quando Comenses non contenti ostendisse Transpadanos omnes sub uno olim magistratu sive proconsule, qui Gallis praeerat, fuisse, & ideo recte inter se *conterraneos* posse dici, sed etiam ad sacerdotes & ut hodie loquuntur, Ecclesiasticas provincias confugiunt, & ostendere conantur, non tantum hodie sub Patriarchis, Primatibus & Archiepiscopis, regiones quasdam certis limitibus descriptas esse, sed olim Archiflamines fuisse, qui Flamines & sacerdotes alios, ut hodie Episcopos Archiepiscopi habent, sibi suffragantes & obnoxios habuerint. quod merito ridet *Palermus*, & nos nuper in praefatione ad *Thesauri Siciliae* priores tomos pag. 7. explosimus. Et certe candorem & ingenium *Palermi*, supra Siculorum & aliorum, nimis Hierarchiae impotenti addictorum, servile ingenium, laudare par est, qui lib. I. cap. 4. omnia illa Patriarcharum & Primatum vocabula & dominatus a Justiniani demum aevo invaluisse credit. Infirmius multo argumentum est, quo utraque pars in suam caussam utitur, de lapidibus & titulis in utroque agro repertis, quibus vel *Valerii*, ex qua gente Catullus, vel *Plinii* reperiantur, cum familiarum earumdem homines per omnes provincias Romani imperii sparsi, ibi titulos ab heredibus fuerint consecuti, ubi obierunt; & ita *Valeriorum* tituli aeque in Comensi agro ac Veronensi reperiantur. Inepte tamen quidam *Secundorum* familiam putant fuisse, cum id cognomen non solum *Pliniorum*, sed plurimorum aliorum fuerit. De fragmento quoque, quod Suetonio adscribi solet, & vitam Plinii exhibet brevissimam, acris contentio, & an Suetonius de viris illustribus umquam scripserit. Ibi aperte *Novocomensis Plinius major* vocatur, quare Comenses genuinum id fragmentum esse contendunt, & per illustres viros, Grammaticos, Rhetores & liberalium artium Professores, quorum vitas descripserat Suetonius, intelligi, quorum magna pars intercidit; nec verosimile esse, Suetonium amicissimi & benevolentissimi *Plinii* Avunculum voluisse silentio praeterire. Si tamen Suetonius non sit auctor illius fragmenti, ut non leves ob caussas arbitrantur viri doctissimi, inter quos *Scaliger*, *Casaubonus* & alii, *Cigalinus* tamen antiqui scriptoris esse contendit, sive Taciti, sive Titinnii Capitonis. Nec minor contentio de Eusebii lo-

co, qui cum ſub Trajano meminiſſet *Plinii* minoris, ſtatim iterum *Plinii* Oratoris, & Hiſtorici, qui ad Veſuvium periit, mentionem ſubjicit: vel confundens, ut quidam volunt, utrumque *Plinium*, vel de eodem, bis, nullo interjecto alio, agens, & adſcribens juniori, quae & ratio temporum & omnis aevi conſenſus ad majorem referre ſolent. Hinc variae natae interpretationes & conjecturae, utraque parte vel Euſebium laudante vel culpante: nam qui defendunt, de minore *Plinio* agi contendunt, qui & Orator cauſſas plurimas egit in foro, (cum Major magis in bello, quam in Tribunalibus fuerit conſpectus) & Hiſtoriam de Bello Dacico & Helvidii ultione vel conſcripſit, vel ſcribere voluit: ultimam partem vero de morte ad Veſuvium ab inepto ſcriba poſteriorum temporum eſſe adjectam, cum nec Caſſiodorus, Beda nec alii Euſebium deſcribentes, nec MSS. codices aliquot eam appendicem exhibeant. *Cigalinus* vero abſurdum credens *Plinii* minoris, qui minime famam avunculi aequarit, non ſemel, ſed bis fieri mentionem, & nullam majoris, totum hoc membrum, quod nunc ſub Trajani temporibus legitur, credit olim ad annum primum Titi, quo periit *Plinius*, fuiſſe poſitum, inde vero per inſcitum & rudem Librarium loco motum huc migraſſe. Aliud praeterea Comenſes producunt argumentum, quod *Plinius* numquam Veronam patriam ſuam vocaverit, & in deſcribenda ea urbe admodum parce & ſicce verſatus fuerit, cum in Comi deſcriptione pluribus verbis utens videatur urbis iſtius, ut patriae, laudibus plus indulſiſſe. Sed reſpondent Veronenſes, nec umquam eum Comum patriae titulo inſigniſſe, ſed & Bergomum, Licinii Forum & alias urbes ampliori oratione illuſtrare, nec ideo tamen illas ſibi *Plinium* vindicare. immo in Hiſtoria naturali ſaepe uti his verbis *apud nos*, quae Veronam ſpectare probare nititur non abſurde *Palermus* lib. II. cap. 4. ſed ne ſingula, quae plura ſunt, enumerem utriuſque partis argumenta, quod mihi maximam pro Comenſibus ſpeciem habere videtur, & a *Cigalino*, cui nec doctrinae nec acuminis laudem negat *Palermus*, maxime urgetur, eſt ex Adoptione *Plinii* deſumtum: Oſtendit enim adoptatum non modo in nomen, ſed & in patriam & tribum adoptantis tranſiiſſe. unde efficere conatur *Plinium* juniorem, qui ex Gente Caecilia, & ſine controverſia Novocomenſis erat, ſi adoptator ejus fuiſſet Veronenſis, etiam debuiſſe illa patria cenſeri, ſaltem debuiſſe tribui Pobliliae vel Publiliae, in qua erant Veronenſes, adſcribi, cum tamen etiam poſt Adoptionem Novocomenſis, & in tribu Ouſentina, in qua Novocomenſes erant, permanſerit. Unde etiam colligit Majorem *Plinium* fuiſſe Novocomenſem, & in tribu Ouſentina, quia filius ejus adoptatus retinuerit patriam & tribum. Si vero fuiſſet *Plinius* major Veronenſis, & in tribu Publilia, debuiſſet *Plinius*, ſi non tribum mutaſſet, in utraque tribu cenſeri, ut exemplo Auguſti & aliorum probare videtur. Quibus reſpondet *Palermus*, de patria contrarium a JCtis adfirmari, quia originis jus per adoptionem mutari nequit, ſed de tribu admittit, dum durat adoptio vivente adoptante, ſed ſoluta per ejus mortem, vel emancipationem, vel per alium modum, adoptione, credit adoptatum iterum priori in tribu cenſeri, quod tamen temere affirmari videtur, cum Auguſtus diu ſoluta adoptione, & jam imperator binos tribules, Fabianos & Scaptienſes, habuiſſe a Suetonio cap. XL. prodatur. Quare ad alias conjecturas, quas hîc memorare non poſſumus, decurrit. neque etiam enumerare vacat alia, quibus utraque pars pugnat, argumenta, ex auctoritate & teſtimoniis recentiorum, ex titulis lapidum, ex ſtatua *Plinio* ab utraque urbe erecta, & alia leviora, quae ut acervus fiat major, congeri ſolent. Hoc unum adjeciſſe ſufficiet, duos hos ſcriptores *Cigalinum* & *Palermum* cauſſam ſuarum civitatium ita egiſſe,

gisse, ut qui singulos seorsim legerit, vix assensum suum negare posset: si vero argumenta utriusque ponderet, incertior saepe sit futurus, quam antea, cui accedat parti. In *Cigalino* tamen majorem doctrinam & acumen, in *Palermo* majorem in caussae veritate fiduciam deprehendere mihi videor. Et si nostram quis sententiam requirat, in Veronensium magis partes inclinarem, licet non omnes, quos Comenses noverunt, scrupulos exemptos adhuc esse putem.

Quicunque legerit præfationem JOANNIS NICOLAI DOGLIONI quam dissertationi suae de *origine & antiquitate Civitatis Belluni* praemisit, mirari minime oportet, quî ille anno MDLXXXVIII. scribere potuerit, *jam inde a tot centenis, immo vel millenis ab urbe hac condita annis, neminem esse inventum hactenus, neque ex civibus neque extraneis, qui peculiari scripto illam illustraverit*, cum *Joannis Pierii Valeriani Bellunensis* Antiquitatum Bellunensium sermones quatuor jam ante ejus aetatem conscripti fuerint: sed hoc ignorare potuit, cum illi in scriniis *Loysii Lollini* Episcopi Bellunensis latuerint, & demum A. 1620. editi fuerint, quos Tom. VI. hujus Thesauri insertos reperire Lector poterit. De origine urbis multum a *Pïerio* discedit, eamque a Belloveso Gallo conditam, & *Bellovensem*, mox *Bellunensem*, vel a Dea Bellona, *Bellonam* & deinde *Bellunum* dictam censet, quae omnia fabulis quam vero propiora esse puto: postea pestilentia desolatam regionem, deinde superstites latrocinia exercuisse, donec a Tiberio subacti fuerint, qui colonos ibi collocavit. Non omittit vero alteram sententiam, quam *Pïerius* secutus est, de apro a *viro uno* occiso, unde *Verunum* dictum oppidum, deinde *Bellunum*, sed quam nos aeque fabulosam esse credimus. reliqui temporis fata & vicissitudines, quibus *Ezzelinorum*, *Scaligerorum*, *Carrariorum*, & *Vicecomitum* dominationem experti fuere, donec Venetorum in ditionem venere Bellunenses, carptim perstringit, neque nobis plura de hoc libello commentari par est; ne ipsum auctorem brevissimi libelli vincamus praefatione longiori. Inscriptiones, quas profert, plerasque *Pïerius Valerianus*, & *Gruterus*, qui eas ab Episcopo *Lollino* acceperat, habet. duas tamen tresve illis ignotas hic deprehendi, propter quas harum deliciarum studiosi in libellum hunc oculos conjicere non dedignabuntur.

Nec diutius nos detinebit LAURENTII MARUCINI *Bassanum*, sive panegyrica, ut videtur, oratio habita ad Bassanenses de laude patriae & illustrium civium; qui origines fabulosas secutus a Trojanis repetit, easque probat ex Inscriptione antiquissima, in domo, olim Titi Livii Historici (aeque incerta & sine ullo argumento credita) ubi *Basanum a Base dictum, & ab Antenore constructum dicitur*. nec minus ridiculum, quod ex sententia *Dominici Bollanii* a *Bassa* deducat, quod honoris vocabulum apud Trojanos aeque atque hodie apud Turcos esse dicit; cum notum sit Turcos id *Pacha* enuntiare solitos: sed ut haereamus in refutandis his somniis vix operae pretium videtur. Melius meretur scriptor hic de patria, cum nobis virorum illustrium indicem texat, licet in gratiam viventium plures huic peplo intexuisse, quam historicae literariae usus requirat, videatur: nam paucos enumerat extra patriam notos. Ipse autem ubi Poëtas patrios laudat, promittit se editurum Poëmata Latinorum Bassanensium, & aliud volumen Rhytmorum Bassanensium, quae an prodierint ignoro.

Patriae etiam suae, Ferrariae, egregium officium praestitit, HIERONYMUS BARUFFALDUS, edita dissertatione de *Poëtis Ferrariensibus*, quae A. 1698. Ferrariae prodiit, & ex ephemeridibus Venetis, Bibliothecae volantis titulo, jam indicata ab eruditis Lipsiensibus A. 1706. pag. 68. qui etiam pag. 70. ejus commentarium in memoriam *Antonii Musae Brasa-*

*voli* editum Ferrariae 1704. recensent. Familiam suam ex oppido Centi originem ducere notat pag. 15. ubi *Bernardini Baruffaldi* J. U. D. meminit. Poëtas omnes non aeque illustres esse facile quivis lector deprehendet, & multos, qui Italica Poësi nomen adepti sunt, extra patriam vix notos esse inveniet. In classe prima, quae illustrissimos & primi nominis Poëtas continet, *Guarinos*, *Calcagninum*, *Dantem Aligerium*, *Trottum*, *Berniam*, *Testium*, *Strozzas*, *Giraldum*, *Ariostum*, *Tassum*, & alios nobis describit. secunda minus illustres Poëtas dat, & quorum scripta vel non in unum collecta prodierunt, vel hîc & illic latuerunt, vel in paucorum manus venerunt: tertia denique eorum nobis, qui adhuc hodie laude divinae hujus artis florent, nec obsolescere studium poëticum patiuntur, Catalogum exhibet. Inter hos reponitur etiam JOSEPHVS LANZONVS, qui licet Poëticae suavitatis minime expers sit, medicae tamen artis peritia tantum sibi nomen acquisivisse dicitur, ut & in Germania Academiae Curiosorum, Patavii Recuperatorum, & Faventiæ Incitatorum sit adscriptus. Hic neque artis suae consortes, quos protulit Ferraria, a posteris ignorari voluit, sed de *Medicis Ferrariensibus Dissertationem* An. 1691. edidit, quam aptissime *Baruffaldo* adjunxit editor industrius. Cum vero ipse auctor brevi trium dierum spatio, & currenti calamo hanc dissertationem effuderit, non mirabitur lector, si praeter catalogum operum, quae Medici Ferrarienses edidere, nihil deprehendat; neque natales, honores, aut vitae, aut mortis tempora hîc reperiat. Ideoque nihil inde excerpere, praeter nuda Auctorum nomina, & indices librorum cum liceat, ad alia progrediendum esse credimus.

Conjecerat Editor hujus Thesauri in tomum septimum scriptores quosdam illustres, qui magnis animis inter se contenderunt de urbis *Caesenae* origine & fatis, quibusdam eam *Senam* veteribus dictam adfirmantibus, aliis *Senogalliam* olim *Senae* nomine insignem fuisse pugnantibus. cum vero à *Francisco Maria Faccini* accepisset CAESARIS BRIXII *Caesenae descriptionem* (prodiisse hanc An. 1598. docet *Dinundas* in notis pag. 95.) ex Italico in Latinum sermonem versam, hanc quoque huic appendici inserendam putavit. quid hoc libro contineatur ex Editoris *Faccini*, & ipsius *Brixii* praefationibus satis lectori constare poterit, ideoque nobis brevi oratione hîc defungi licebit. Controversiae vero illi celebri non multum se immiscet auctor, sed cum breviter Strabonis locum, de quo supra actum est, Caesenae vindicasset, ad varia fata & administrandi vicissitudines, quas sub Romanis, & deinde Barbaris gentibus subiit, & quando in Pontificis Romani ditionem cesserit, delabitur; & descripta forma, qua hodie urbs regitur, priori parti finem imponit. in posteriore religionis Christianae initia, sollemni Italorum jactatione a Timotheo Pauli discipulo arcessit, & loca sacra & templa cum breviter enumerasset, viros literarum studiis insignes commemorat, operique brevi summam manum imponit. cum vero strictim nimis percurrisse res patrias visus sit *Brixius*, operae pretium visum fuit ELCHREO DINVNDAE adnotationibus opusculum hoc locupletare. Vir ille eruditionis laude hodie vivit florentissimus, sed cum sub hoc nomine latere voluerit, ego, licet probe eum ex ipsis literis transpositis agnoscam, invitum tamen non protraham in lucem. In his notis partim dicta a *Brixio* & etiam *Claramontio* confirmare, partim novis augere monumentis sibi proposuit, quod etiam egregie præstitit, & historiam patriae suae multa luce ex omnis aevi scriptoribus perfudit. Insignis praeter caetera ejus est opera, in *Caesaris Borgiae* rebus gestis enarrandis, & quae illius tempore Caesenatibus accidêre. Ante omnia memorabile est, quod inseruit pag. 65. *Dia-*

*Diarium* ſcriptoris illorum temporum, quo ratio, qua *Borgia* dominatum urbis conſecutus eſt, diligentiſſime proditur. Hoc vero diarium cum *Dimunda* communicavit *Hector Buccius*, Patricius Caeſenas, qui laudatur pag. 50. a ſingulari erga Patriam amore.

In eodem fere argumento laboravit BERNARDINUS MANZONIUS de quo frequens & honorifica mentio in notis *Dinundae*, (cujus beneficio & egregiæ erga literas voluntati hos *Brixii* & *Manzonii* libellos debet editor) qui *Chronologiam Caeſenae* deſcripſit, quam idem *Hector Buccius* auxit, adjectis iis, quae poſt ejus aetatem acciderunt. Quatuor vero titulis opus ita diſtinxit; ut primo Epiſcopi, a Timotheo Pauli diſcipulo, ad noſtram usque aetatem deducantur; ſecundo Divi & Sancti; tertio cives Caeſenates, qui honoribus Eccleſiaſticis ornati fuere; quarto qui doctrinae omnigenae laude floruerunt, enumerentur, & ſi qui aut ex ultima claſſe a *Brixio* aut *Manzonio*, aut etiam *Claramontio* praeteriti fuere, horum memoriam celebrat *Dinundas* in notis pag. 92. & ſeq. unicum monendus eſt Lector, *Manzonium* primam tantum edidiſſe partem, nam ſecunda, indagante ſedulo *Dinunda*, ut ait pag. 84. nusquam inveniri potuit. quod & editor monuit. immo *Dinundas*, cum in catalogo Bibliothecae Cardinalis *Imperialis* ita liber hic indicaretur, quaſi duabus partibus conſtaret, per Praefectum Bibliothecae juſſit exquiri; ut res ſe haberet, ſed deprehendit frontem libri, quae primae partis titulum gerit, fallere, nec umquam alteram prodiiſſe, aut a quoquam viſam fuiſſe. Adjutum ſe fatetur *Manzonius*, praeſertim in ſecunda parte operis, gentilis ſui *Chriſtophori Manzonii* opera, qui antiquitates patrios in unum volumen reduxit, pag. 66.

Quam avide acceperint viri eruditi in Italia nuntium Theſauri hujus Italici, proelum exercentis, vel ſola virorum illuſtrium GEORGII MARCHESII & JOANNIS BAPTISTAE MORGAGNI epiſtolae ad editorem *Petrum van der Aa* docere poſſunt. Qui cum accepiſſent omnium fere urbium hiſtorias & antiquitates celebrari hoc opere, patriae ſuae deeſſe noluerunt, ſed urbis *Fori Livii* Senatoribus auctores fuere, ut & ejus notitia inſereretur: maxime vero incitati fuere viri inſignes injuria, qua patriam eorum adfeciſſe *Petrus Maria Kavina* (de quo egimus in praefatione ad Tom. VII. pag. 16.) viſus illis eſt, qui cum ſuae patriae fines latius extenderet, Forolivienſium jura deſtruere conatus eſt. *Kavinae* impetum refutaſſe jam auctorem *veritatis redivivae* (cujus eodem etiam loco meminimus) fatetur *Marcheſius*, non tamen ſatisfeciſſe Forolivienſibus ejus conatum profitetur: quare ipſe humeros huic oneri ſubdidit, & patriae ſuae hiſtoriam, licet opera ſubitanea, pietate tamen erga patriam & obſequio erga ſenatum excitatus, in breve hoc volumen contraxit. in dedicatione enumerat viros toga & ſago, & honoribus civilibus & eccleſiaſticis illuſtres, quos patria ſua protulit; poſtea majori operi, quod adhuc informe eſt, formam & finem daturum in præfatione ſua promittens. Non perſequemur breviſſimi libelli ordinem, quo magis formam futuri operis deſcripſiſſe, quam ipſam patriae hiſtoriam exſecutus videtur auctor, cum facile intra paucas horas lector illud perluſtrare poſſit. neque etiam incertas quasdam, quas de miraculis & divorum praeſentia immiſcet, narrationes excutiemus. Gratias potius viro inſigni de hac opera praeſtita agemus, & ut majus opus omni cura elaboratum cum publico communicare velit, etiam atque etiam contendemus.

Raritate libelli, fugitivi fere propter exiguam formam, inductus etiam fuit Editor recudere ALPHONSI CICCARELLI opuſculum de *Clitumno*, flumine celeberrimo, quod commentarii vicem in Plinii lib. VIII. Epiſt. 8.

praestare potest. miratur vero Editionem Aldi A. 1518. hanc epistolam integram referre, cum in aliis codicibus exhibeatur magna parte mutilata, quod editores nullos deprehendisse miror, aut ejus rei monuisse in notis. In hac vero de *Clitumni* fluminis descriptione crucem semper fixit Plinii locus lib. II. cap. 103. ubi legitur vulgo, *in Falisco Clitumni aqua pota candidos boves facit.* quae lectio profecta ab aliquo geographiae imperito, & qui apud Virgil. II. Georg. 146. legerat Romanos ex agro circa Clitumnum boves albos, ad victimas in Triumpho mactandas, deduxisse. sed viri docti non ferentes hanc in Plinio ignorantiam locorum, emendarunt *in Falisco omnis aqua* &c. vid. *Cluverii* lib. II. Ital. Antiq. cap. 10. atqui vitiosa illa lectio multos in errorem deduxit, qui *Clitumnum* in Faliscis, unde longe abest, collocaverunt. vide Cap. III. hujus opusculi. cum vero alii in Umbria, alii in Hetruria ponant, hos etiam conciliare *Ciccarellus* nititur; & insistens vestigiis *Gabinii Laeti*, duplices Faliscos constituit. primos in Etruria, de quibus Plinius hîc agere non potest, quia ibi nullus est Clitumnus; sed fuisse castrum Phaliscum in Umbria prope Trebiam, apud quod fluit Clitumnus, unde ille ager circa castrum Faliscus dictus. & hunc intelligere Ovidium, ubi de bobus albis Faliscis, in locis notissimis, agit. Sed vellem nobis castrum Phaliscum illud auctoritate antiqui alicujus scriptoris demonstrassent, cujus ego nec volam nec vestigium reperi. Mirari vero subit nullam hujus *Ciccarelli* mentionem fecisse *Cluverium*, cum diu antequam ille Italiam perlustraret, scripserit. *Ciccarellum* vero nostrum, infamem impostorem fuisse, & ex auctoribus suppositititiis, quos pro veris obtrudebat, fucum voluisse facere didici, postquam hoc opusculum legeram, & miratus eram nullam mihi *Gabini Læti*, cujus auctoritate praecipue nititur, notitiam esse. sed cum incidissem in *Lucii Camarrae* Teate Antiquum, quod exhibetur tomo IX. hujus Thesauri, ibi insigni non modo ignominia flagrasse, sed propter falsi crimen turpi supplicio adfectum deprehendi: ita enim *Camarra* lib. I. cap. 2. refutans scriptores, qui fabulosam urbis antiquitatem testimoniis suppositorum auctorum fulciunt, scribit: *qualem ex* Gabinio Laeto, Septimio Florido, Alexio Gelandio, Conrado Essio, Joanne Caramanio, aliisque, *sibi appictis auctoribus*, *civibus meis sub avorum aevum devendere ausus fuit* Alphonsus Ciccarellus. *In cujus ineptiis demonstrandis*, *quia satis probis fecisse videtur eruditissimus* Leo Allatius, *hîc nobis dixisse satis sit*, *quod magnus ille ardelio imposturarum suarum meritas luit poenas: nam detruncata ei prius manu*, *laqueo suffocatus interiit: dignus ut in aëre periret*, *qui aërem venditaret.* in Naudaeanis quoque pag. 73. dicitur fuisse medicus, qui sub Gregorio XIII. Romae patibulo suspensus fuit, falsorum contractuum, quos plurimos fecerat, reus: & in notis pag. 199. legitur, punitum fuisse A. 1580. aetatis suae 48. annorum, & *Allatium* omnes ejus fraudes enarrare & catalogum dedisse omnium operum, tam editorum, quam quae in bibliothecis Italiae adhuc latent; sub finem animadversionum ad Antiquitates Etruscas *Inghirami* Romae 1642. in 8. qua editione cum caream, nec Catalogus ille in editione Parisina A. 1642. in 4. appareat, plura lectorem de ejus operibus docere nequeo. Ex *Königii* Bibliotheca eum de Tuberibus etiam scripsisse video.

Neminem umquam Historiae literariae, & supellectilis librariae intelligentia GABRIELI NAUDAEO parem fuisse inter eruditos constat. Indicant & probant ejus industriam & diligentiam tot libri, quibus Bibliothecas & omnium doctrinarum scirptores illustravit & recensuit. Itineribus etiam in Italiam & alias Europae partes, maxime ut Bibliothecas excuteret, institutis, eam sibi tum editorum, tum exaratorum manu codicum noti-

notitiam paravit, ut ad eum, tanquam ad Oraculum decurrerent viri docti, si rarioris cujusdam libri aut libelli notitiam aut usum sibi fieri vellent. Hac fama impulsus *Joannes Franciscus*, *Cardinalis a Balneo*, & Episcopus Reatinus eum jussit omne Tabularium majoris templi Reatini excutere, & codices, diplomata & chartas, negligentissime habitas & dispersas recensere & digerere; cui labori cum quinque menses impendisset, hunc per armaria dispositi instrumenti & supellectilis edidit catalogum: quo insignia veteris aevi monumenta, & acta publica & privata, quae historiam veterem conscripturis utilitatem maximam adferre possunt, continentur, sed quae hîc iterum recensere putidum esset. Optandum foret per Gallias, Germaniam & alias regiones, eadem cura & diligentia singulorum Templorum & Monasteriorum tabularia a peritissimis Historiae veteris viris perlustrari, & indices fieri, si non omnium, certe eorum actorum & diplomatum, quae historias & res gestas illustrare possent, ut scirent, quo recurrerent, scriptores rerum priscarum; sed pauci *Naudaei* supersunt, qui & tanti laboris taedio non deterrerentur, & ea veteris scripturae & rerum gestarum intelligentia praediti, pervidere possent, quid utilitatis etiam ad seros nepotes, ex hujusmodi laboribus redundare possit.

Optimam Historiae partem, & quae praecipuè vitae Magistra esse possit, efficere vitas Excellentium & Illustrium virorum nemo dubitabit. Quare nec a re alienum visum Thesauri hujus editori, in hanc appendicem conjicere viri apud Florentinos primarii, *Jannoctii Manneti* vitam a NALDO NALDIO conscriptam, quae eo gratior erit eruditis, quia numquam edita, quod sciam, fuit. Elogium hujus viri, ex *Vossio* ab editore praemissum ipsi operi, docere satis potest, quo in pretio fuerit a literatis habitus, & quibus ingenii foetibus meruerit nomen & famam. miror vero a *Vossio* omitti librum, quem de *hominis excellentia* elegantissime scripsisse & Alphonso dedicasse scribit *Naldius* pag. 46. hunc prodiisse Basileae per Cratandrum A. 1532. dicit *Labbaeus* Novae Bibliothecæ MSS. supplemento v. pag. 237. ubi etiam recenset quinque ejus Orationes habitas, Primam in funere *Leonardi Aretini*, de qua *Naldius* pag. 13. secundam ad *Alfonsum* Arragoniae regem in nuptiis filii ducis Calabriae, de qua *Naldius* pag. 19. tertiam ad *Nicolaum* v. quam memorat *Naldius* pag. 24. quartam ad Senenses, quam refert *Naldius* pag. 29. quintam ad Venetos, quae laudatur a *Naldio* pag. 30. Quae omnes, praeter secundam ad Alfonsum, editam a *M. Frehero* cum *Sandæo* de regibus Siciliae & dictis Alfonsi, ex Naudaeana Bibliotheca & codice memorantur a *Labbaeo* p. 46. & 237. plura hujus viri insignis adhuc latere ex *Vossio* & aliis constat. laudat eum *Baptista Poggius* in vita Cardinalis Firmani apud Balus. T. III. Miscell. p. 204. & inter discipulos Chrysolorae tom. x. pag. 392. cum honore meminit.

Inter Italiae civitates, quae varias Fortunae & casuum vicissitudines expertae sunt, eminet *Luca*, Etruriae urbs, quae licet potentia & opibus multis inferior sit, libertatem tamen & leges servavit, & in hunc usque diem, in tenuibus licet opibus, antiquam dignitatem tuetur. Non defuerunt huic rei-

publicae ſcriptores, qui ejus fata & res geſtas memoriae prodiderunt, ſed cum in manus editoris veniſſet MARTINI MANFREDI, qui quis ſit me ignorare fateor, *Compendium Monumentorum Hiſtoricorum Urbis Lucæ*, libris quinque digeſtum, maluit hoc, quia antea editum non fuit, Latine verſum Theſauro ſuo inſerere. Qui liber cum ipſe ſit aliorum compendium, ineptum foret, eum iterum in Epitomen contrahere; neque nobis, ne taedium lectori moveamus, repetere libet, Lucenſium cum aliis Italiae civitatibus communem repetendi ab alto origines ſuas libidinem, qua a Noacho colonias ductas in Etruriam, & antiquae linguae cum Hebraea vel Aramaea affinitatem, & duodecim Lucumones, qui totidem populis praeerant, imaginem quamdam Duodecim tribuum Iſraeliticarum retuliſſe, jactant. Quae licet incerta & obſcura eſſe fateri cogatur ipſe auctor, Roma tamen antiquiorem eſſe Lucam contendit; cujus fata & fortunas per Romanae Reipublicae, in cujus ditione poſtea fuit cum reliqua Etruria, & imperii viciſſitudines deducit: & deinde cum Imperium Romanum Barbaris praeda eſſet facta, Annales Urbis perſequitur, & ad annum uſque ſeculi proximi ſexageſimum quartum produxit, id praecipue agens, ut formam, qua & res civiles per magiſtratus varios, & Eccleſiae per Epiſcopos adminiſtratae fuerint, deſcribat.

Antiquiſſimum Linguae Latinae monimentum eſſe, quod hodie ſupereſt, *Columnam Roſtratam*, in honorem *C. Duillii* erectam, vulgo perſuaſum eſſe novimus. Ejus Baſis, quae titulum continet A. 1560. inter Arcum Septimii & radicem Capitolini montis effoſſa, & magno applauſu doctorum excepta fuit. Vide *Victorii* Epiſt. lib. VII. 13. & 17. poſtea fuit a *Petro Ciacconio* Toletano edita & explicata, quam & Floro ſuo adjecit, & deinde Theſauro Antiq. Roman. tom. IV. & in praefatione ejus tomi produxit celeberrimus *Graevius*, ut notavit doctiſſimus hujus diſſertationis interpres. Non tamen eamdem eſſe, quae ipſi Duillio fuit poſita, ſed reſtitutam & renovatam, immo negligentius ad antiquam ſcribendi rationem effictam & expreſſam, plurimi viri docti recte ex Ciacconii ſententia cenſuiſſe mihi videntur. In deſcribendis vero verbis hujus tituli diſcrepare exemplaria edita cum deprehenderent viri docti, curam ſummam adhibuit *Nicolaus Faber Peireſcius*, ut ſumma fide & exquiſita imitatione confectum Apographum nanciſceretur; quod cum agitaret, oblata ipſi fuit a *Philippo Rubeo*, ſive de *Roſſi* haec inſcriptio, cum Illuſtrationibus GAUGIS GOZZEI, ut narrat in ejus vita *Gaſſendus* ad. A. 1635. pag. 294. *Gozzeus* vero praecipue id egit, ut orthographiae veteris rationem illuſtraret, & ornamenta, quibus haec columna olim ornata fuit, deſcriberet. In quo & eruditionem & antiquitatis notitiam ſingularem exhibuit, licet in quibuſdam, ut fieri ſolet, aberraſſe oſtendere liceret, ſi morari in hujuſmodi ſtricturis liceret. Plura de hac inſcriptione etiam commentatus eſt *Pighius* in Annalibus ad Ann. CCCCXCIII. qui & exemplum, a *Nicolao Florentio* Batavo ſibi tranſmiſſum, nactus eſt, & tria praeterea a *Jo. Sambuco* ſibi oſtenſa memorat, quorum unum fuerat *Joannis Pontani*.

Ultimum, quod appendici huic adjunctum eſt, opuſculum eſt FRANCISCI MA-

MARIAE DE ASTE *in memorabilibus Hydruntinae ecclesiae Epitome*, quam ab eo acceptam publicavit *Joh. Baptista Mongio* Beneventi A. 1700. & *Vincentio Mariae Ursino* Cardinali (qui hodie ad Romanae Ecclesiae Episcopatum evectus, summo in fastigio collocatus eminet) dedicavit. diligenter satis Capite I. Urbis Hydruntis originem & situm describit, sed ubi ad Ecclesiae primordia delabitur Capite II. sollemni more ea a Petro Apostolo deducit: non alio fere, nisi Graecae inscriptionis, quae ipsa jam corrosa legi nequit, argumento. Nullam vero seriem Episcoporum nobis exhibet, sed primum, cujus mentio reperitur, *Benedictum* facit A. 431. deinde non continuato ordine ad Metropolitanam dignitatem evecta ecclesia, *Marcum* Graecum quemdam memorat, cujus successores, sed interrupto ordine, quosdam recenset. Partem secundam impendit martyribus ecclesiae Hydruntinae, in quos A. 1480. cum a Turcis esset oppressa urbs, omnia hostilis saevitiae exempla sunt edita, enumerandis. Quae cum maxime ad venerationem tam Sanctorum manium Italos excitare soleant, nos longa horum opusculorum, licet maxima eorum pars magnam nobis voluptatem attulerint, lectione fessi, hîc summam recensendo huic Italiae Thesauro manum imponimus, & omnes rogatos summo opere volumus, ut incredibilem editoris industriam, & studium ornandi literas non laudare modo, sed etiam adjuvare velint. certi enim esse possunt, tot non tantum raritate, sed & ingenio & eruditione insignes Scriptores a nullo ante hunc, in unum conjectos fuisse corpus, & tam exigua, si ad eorum pretium, quo singuli vendi solent, exigatur, pecunia posse parari, ut aliquot millium nummorum in hoc solo libro comparando, compendium fieri possit. Vale Lector, & fave honestis & ingenuis conatibus.

*Leidae a. d.* XV. *Octobris* CIↃIↃCCXXIV.

FINIS.



# S E R I E S SCRIPTORUM

## Qui in Nono Tomo Part. VI. VII. & VIII. Thesauri Antiquitatum & Historiarum Italiæ inveniuntur.

### *PARS SEXTA.*


Hiliberti Pingonii, *Sabaudi, Cusiacensium Baronis, Primæcellæque Domini ab intimis consiliis, & libellis supplicibus Serenissimi Sabaudiæ Ducis*, Augustæ Taurinorum Chronica & Antiquitatum Inscriptiones. *In quibus* Urbis ejusdem Origo, Antiquitas, varii Eventus, rerumque Vicissitudines, tam Secularium, quam Ecclesiasticarum recensentur.

R. D. Petri Jofredi, *Sacerdotis Niciensis*, Nicæa Civitas Sacris Monumentis illustrata, *ubi*, *præter* Antiquitatum notitiam, Niciensis Urbis, Dioecesis, Comitatus, Sanctorum, & Pietate Illustrium, qui inibi sunt nati, mortui, aut tumulati, *Gesta describuntur, Notationibus illustrantur*; Episcoporum Cemelio-Niciensium; nec non Abbatum Monasterii *S. Pontii* Successiones, *Aliaque Ecclesiastica Decora recensentur.*

Benedicti Accolti, *Aretini, J. C. & Historiographi Celeberrimi*, de Præstantia Virorum Sui Ævi Dialogus. Ex Bibliotheca *Illustrissimi ac Eruditissimi Viri* D. Antonii Magliabequii, *Florentini*, Serenissimi Magni Etruriæ Ducis *Bibliothecarii.*

Petri Azarii, *Notarii Novariensis*, Chronicon Gestorum in Lombardia, *Scriptum anno* MCCCLXII. *Ubi* Varia Notatu Digna, & Singularia, quæ ibi, ac specialiter auctoris tempore, acciderunt, brevissime enarrantur. *Ad Illustrissimum* D. D. Franciscum de Advocatis, *Comitem ac Dynastam* Casalegiati, *Decurionem* Novariæ, *e Collegio J. PP. Judicum*, *Comitum*, *& Equitum Patritiorum* Novariensium. Nunc primùm ex Manuscripto editum.

Fr. Andreæ Bilii, *Mediolanensis*, *Ordinis Eremitarum D. Augustini*, Historiæ Patriæ Libri Novem; *Quibus* Joannis Galeaz & Philippi Mariæ, *Illustrissim. Mediolani Ducum*, *res gestæ commemorantur*: Nunc primum publici juris facti, Indiceque donati.

Georgii Flori, *Mediolanensis J. C.* de Bello Italico & Rebus Gallorum præclare Gestis Libri Sex, *Ex Bibliotheca Hug. Picardeti*, *Sacri Regii Consistor. Consiliar. & in supremo Burgundionum Senatu Procuratoris generalis*, ante hac publici juris facti.

Petri Pauli Boschæ, *Bibliothecarii*, *ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum*, de Origine & Statu Bibliothecæ Ambrosianæ *Libri Quinque.* In quibus de Bibliothecæ Conditore, Conservatoribus, & Collegii Ambrosiani Doctoribus, *ut & de* Illustribus Pictoribus, aliisque Artificibus *& denique* de Reditibus ejusdemque Bibliothecæ amplis agitur.

P. D. Christofori Giardæ, *Congregationis Cler. Reg. S. Pauli*, Liberalium Disciplinarum Icones Symbolicæ Bibliothecæ Alexandrinæ, *Elogiis &*

*Ex-*

*Explicationibus* illustratæ. *Quibus Facultatum istarum, Iconibus, Coloribus pictis, & variis insignibus adornatis adumbratarum, vim & splendorem, earundemque Majestatem exprimit exhibetque.*

## *PARS SEPTIMA.*

Dominici Macanei, *Morum, Musarumque Professoris*, Verbani Lacus Locorumque adjacentium Chronographica Descriptio: *Notis & Commentariis* Stazii Trugi Catalauni de Ameno in Riparia S. Julii, Diœcesis Novariensis, *illustrata & aucta.*

Francisci Bellafini de Origine & Temporibus Urbis Bergomi Liber.

Marci Antonii Michaëlis, *Patritii Veneti*, Agri & Urbis Bergomatis Descriptio. *Quibus Conditores, Rectores, Fata & Gesta; nec non Situs & Facies tam Agri quam urbis Bergomatis exponuntur.*

Vincentii Coronelli, M. C. *Patris, Magistri, & Serenissimæ Venetorum Reipublicæ Cosmographi*, Rerum ac Temporum Bergomensis Ecclesiæ Synopsis, *ab ejus exordio usque ad Annum* MDCXCVI. Antiquitatem, Conditores & Dominatus Urbis Bergomi; ut & Ecclesiæ Bergomensis Episcoporum Seriem exhibens.

Bartholomæi Farinæ, *Nobilis Civis, & Cancellarii*, de Bergomi Origine, & Fatis Commentarius, succincte ex gravibus Auctoribus, Historiis, ejusdemque Urbis Actis publicis collectus. Dedicatus Illustrissimæ Urbis Reipublicæ *ab Auctoris Hæredibus.* Ex Italico Latine vertit Abrahamus Preigerus, suasque Notulas & Indicem Auctorum Rerumque adjecit.

Antonii Cornazzani, *Vatis Placentini*, de Vita & Gestis Bartholomæi Colei, *Principis Bello Invictissimi*, Commentariorum *Libri Sex*; Quibus, *quomodo is domo & patria nudus ejectus, & quamcunque in partem errans, ad suos Imperator reversus sit, exponitur.* Nunc primum ex MS. editi, & Indice locupletati.

Heliæ Capreoli, *Brixiensis, Jurisconsulti*, Chronicorum de Rebus Brixianorum Libri Quatuordecim. In quibus Naturalis Urbis & Agri Indoles, ejusdemque primi Conditores, ac Res tam Sacræ, quam Civiles, a primo Urbis exordio usque ad Auctoris tempora exponuntur. *Editio Novissima, duorum postremorum librorum, ex Codicibus M. SS. Bibliothecæ Othobonianæ, & Brixiensi nunc primum editorum, accessione auctior.*

Alexandri Squadroni, *Regiensis J. U. D.* Fasciculus Laudum Regii Lepidi, ubi Urbis hujus Antiquitas, Incolæ, variæ in ea rerum Mutationes, ejusque Ornamenta & Viri Illustres succincte ac nervose enarrantur.

Laurentii Schraderi, *Halberstadiensis*, Descriptio & Monumenta, ejusdem Inclytæ Urbis, Regii Lepidi, variarum Illustrium Personarum & Rerum memorias servantia.

Torelli Saraynæ, *Veronensis Legum Doctoris*, de Civitatis Veronæ Origine, Amplitudine, Viris Illustribus, Dominio, Monumentis antiquis Urbis, & Agri Veronensis, & Interpretatione Literarum antiquarum, Li-

Libri VI. Editio Noviſſima, ſedulo recognita, & additionibus *Joſephi Scaligeri* in oris adaucta.

Torelli Saraynæ, *Veronenſis*, *Juris Utriuſque Doctoris*, Hiſtoriarum & Geſtorum Veronenſium, Temporibus Populi, & Dominorum Scaligerorum, Libri Tres. Ex *Italicis* nunc primum *Latine* verſi.

Joſephi Juſti Scaligeri, *Julii Cæſaris a Burden filii*, Epiſtola de Vetuſtate & Splendore Gentis Scaligeræ, ad Nobiliſſimum Janum Douſam, *Dominum a Nordwyck*, *&c.*

## *PARS OCTAVA.*

Andreæ Chiocci, *Medici*, *&* *Philoſophi*, *Sapientiſſimi Collegii Veronenſis Alumni*, de Collegii Veronenſis Illuſtribus Medicis & Philoſophis, *qui vel ſcribendo*, *vel publicè profitendo Collegium*, *Patriam*, *&* *bonas literas illuſtrarunt*, ex quorum moribus & inſtitutis, præceptiſve perfecta optimi Medici Idea colligi poteſt, Commentariorum Sectiones Tres.

Pauli Cigalini, *Patricii Novocomenſis*, *Publici &* *Primarii in Almo Ticinenſi Gymnaſio Medicinæ Profeſſoris*, de C. Plinii Secundi, *Natur. Hiſtor. Scriptoris*, vera Patria, ejuſdemque Fide & Auctoritate, Prælectiones, ab Antiquitatum Studioſis diu expetitæ.

Polycarpi Palermi, *Juriſconſulti Veronenſis*, *Academici Philarmonici*, de vera C. Plinii Secundi Superioris Patria, atque ea Verona, Libri tres, quibus Pauli Cigalini, *Medici Novocomenſis*, & aliorum, contraria ſententia confutatur.

Joannis Nicolai Doglioni, *Bellunenſis*, Diſſertatio de Origine & Antiquitate Civitatis Belluni, ejuſque variis Fatis maximeque Memorabilibus. Sigebertus Havercampus *Latine vertit*, *Præfationem &* *Indices adjecit.*

Laurentii Marucini Baſſanum, *ſive* Diſſertatio de Urbis Antiquitate & de Viris ejuſdem Illuſtribus. *Latine vertit*, *Præfationem &* *Indicem adjecit* Sigebertus Havercampus.

Hieronymi Baruffaldi, *Ferrarienſis*, *Intrepidorum Ferrariæ*, *ac Incitatorum Faventiæ Academiæ Collegæ*, de Poëtis Ferrarienſibus Diſſertatio, in tres Claſſes partita.

Joſephi Lanzoni, *Medici Ferrarienſis*, *&* *Academiæ Curioſorum Germaniæ*, *Recuperatorum Patavii*, *Incitatorum Faventiæ*, *&c. Collegæ*, de Iatrophyſicis Ferrarienſibus Diſſertatio.

Cæſaris Brixii ad Clementem VIII. Pontificem Maximum, Urbis Cæſenæ Deſcriptio, a Franciſco Maria Faccino, *Cæſenate*, nunc primum ex Italico in Latinum Sermonem verſa, & Elchrei Dinundæ *Adnotationibus illuſtrata ac locupletata.*

Fr. Bernardini Manzonii, *Ordin. Min. Conv. S. Franciſci*, *Artium &* *Sacr. Theol. Doctoris*, *Inquiſitoris Generalis Senarum*, Cæſenæ Chronologia, ab Hectore Bucci, *Cæſenate*, aucta iis, quæ poſt Manzonii ætatem ſunt conſecuta, & huic editioni immixta; *In qua* Eccleſiæ Cæſenatis Antiſti-

ſtites ex vetuſtatis tenebris excerpti memorantur; Civeſque Cæſenates, *Sanctimonia*, *Dignitate*, *Doctrinis & Virtutibus illuſtres alphabetico ordine ab oblivione vindicantur.*

Georgii Marcheſii, *Equitis*, Foro Livii, Civitatis celeberrimæ, Compendium Hiſtoricum. *In quo* Conditores, Reſtauratores, Vices Bellorum & Temporum, Fines, Incolarum Indoles, Situs, Ager, Fluvii, Ædificia Sacra & Profana atque ejuſdem Civitatis Epiſcopi proponuntur.

Alphonſi Ciccarelli, *Phyſici Mævanatis*, de Clitumno, Umbriæ Flumine *celeberrimo*, Opuſculum.

Gabrielis Naudæi, *Pariſini*, Tabularii Majoris Templi Reatini Inſtauratio, facta juſſu, & auſpiciis Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Joannis Franciſci Cardinalis a Balneo, Epiſcopi Reatini.

Naldi Naldii, *Florentini*, Vita Jannoctii Manetti, Senatoris Florentini, ex Ordine Equeſtri, atque in omni Literarum genere Doctiſſimi: *ubi* Viri hujus de Patria ſua optime meriti Nativitas, Studia, Munera & Legationes, *quibus egregie perfunctus*, Honores, Dignitates, Adverſitates ac Obitus, eleganter atque nervoſe recenſentur. *Nunc primùm ex MS. edita, & Indice Nominūm ac Rerum inſtructa.*

Martini Manfredi, *Lucenſis*, Monumentorum Hiſtoricorum Urbis Lucæ *Libri Quinque*, *ubi*, quæ Notabiliora circa Mutationes & Converſiones Ditionis ac Regiminis hujus Civitatis ab Origine ejus ad Annum uſque Domini MDCLXI. contigerunt, comprehenduntur. *Nunc primum è MS.* Italico Latine *verſi & publicati*, *Indiceque Nominum & Rerum inſtructi.*

Gauges de Gozze, *Piſaurienſis*, de Inſcriptione Columnæ Roſtratæ, olim in Foro Romano, Diſſertatio: quæ C. Duillio Conſuli, ob victoriam, quam primus a claſſe Carthaginienſi reportavit, aliaque egregie ab eo geſta, erecta, cujus inſcriptio ab noſtro Auctore ſuppleta & illuſtrata. *Ex Italico Latine vertit* Abrahamus Preigerus.

Franciſci Mariæ de Aſte, *ex Clericis Regularibus miſeratione Divina, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Hydruntini, ac Salentinorum Primatis &c.* in Memorabilibus Hydruntinæ Eccleſiæ Epitome, *in duas Partes partita*; quarum pars poſterior ejuſdem Adnotationibus aucta.



# ADMONITIO AD BIBLIOPEGAM

## de Figuris inſerendis.

### IN TOMI NONI PARTE SEXTA.



### IN TOMI NONI PARTE SEPTIMA.



### IN TOMI NONI PARTE OCTAVA.





PHI-

# PHILIBERTI PINGONII,

*Sabaudi, Cusiacensium Baronis, Primæcellæque D. ab intimis consiliis, & libellis supplicibus Serenissimi Sabaudiæ Ducis,*

# AUGUSTÆ TAURINORUM

## CHRONICA ET ANTIQUITATUM INSCRIPTIONES.

*In quibus*

Urbis ejusdem Origo, Antiquitas, varii Eventus, rerumque Vicissitudines, tam Secularium quam Ecclesiasticarum recensentur.

*Editio Novissima, Auctior & Emendatior.*




*LUGDUNI BATAVORUM,*
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
*Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.*

POTENTISSIMO AUGUSTISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO,

# D. VICTORI AMADEO,

REGI SARDINIÆ, ET CYPRI,
SABAUDIÆ, CHABLASII, AUGUSTÆ SALASSORUM,
GEBENNENSIS ET MONTISFERRATI DUCI,
PEDEMONTII, ACHAJÆ, MOREÆ ET ONELIÆ PRINCIPI,
SALUTIARUM, SECUSIÆ ET IN ITALIA MARCHIONI,
COMITI ASTÆ, GENEVÆ, NICIÆ, TENDARUM ET ROMONTIS,
VAUDI ET FAUCIGNACI BARONI,
DOMINO VERCELLARUM, FRIBURGI, PINEROLII,
TARENTASIÆ, LUMELLINÆ ET VALLIS SICIDÆ,
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI,
ET
ITALIÆ VICARIO PERPETUO
ETC. ETC. ETC.
EDITIONES HAS DE NOVO TYPIS DESCRIPTAS
AUGUSTÆ TAURINORUM
CHRONICORUM ET ANTIQUITATUM
PHILIBERTI PINGONII,
ET
MONUMENTORUM AC ANTIQUITATUM
CIVITATIS NICÆÆ
PETRI JOFREDI,
IN
OBSEQUENTISSIMI AC DEVOTISSIMI ANIMI TESTIFICATIONEM
OFFERT AC DEVOVET
AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS EJUS

HUMILLIMUS SERVUS
PETRUS VAN DER Aa.

# LECTORI ÆQUISSIMO
## TYPOGRAPHUS S. D.



Am nobilissimæ ac antiquissimæ urbis, quæ non modo *Taurinorum Italiæ* populorum, quorum *Sil. Ital.* Lib. III. vs. 645. ita meminit:

*His tandem ignotas transgressus casibus Alpes,*
*Taurinis ductor statuit tentoria campis.*

caput; sed & a tempore *Ottonis* I. Imperatoris, *Henrici Aucupis. Saxonis*, filii, perpetua *Sabaudiæ* Principum sedes, & totius principatus *Pedemontani* conventus juridicus fuit, monumenta nulla producere, piaculum esset. Propterea, culpa hac ut me solvam, PHILIBERTI PINGONII *Augustæ Taurinorum* Chronica & Antiquitatum Inscriptiones, quæ anno MDLXXVII. *Taurini* apud hæredes *Nicolai Bevilaquæ* in folio, cum privilegio & superiorum permissu in lucem prodierunt, typis de novo describi feci. In his non solum Origo, Antiquitas, jus civitatis, *Taurinis* a *Julio Cæsare* ob benemerita datum, ejusdemque incrementum, & rursus incendia, civium neces, palatiorum speciosissime fabricatorum ruinæ, casus varii, rerumque vicissitudines exponuntur, memoranturque; sed etiam Principum *Taurinensium*, ut & Episcoporum, Archiepiscoporumque series proferuntur. Catalogus quoque Familiarum *Taurinensium* & adventitiorum Nobilium & civium exhibetur. Nomenclaturam etiam civitatis portarum, templorum, monasteriorumque tam intra quam extra muros sub finem reperis, & nulla eorum, quæ ab auctore traduntur, omisi. Elogium auctoris ex Ghilini Virorum eruditorum Theatro, ut & Paginas supra memoratæ Editionis ad oras nostræ adjeci. Nomina propria aliaque memoratu digna literis cursivis, ut ajunt, excudi jussi. Figuræ antea ligno incisæ, æri insculperentur, curavi. Errata typographica, in prædicta editione commissa pro viribus sustuli, & in id tandem sedulo incubui, ut meliorem priori editionem producerem. Ad majorem etiam hujus editionis illustrationem tabulam, urbis effigiem præbentem, addidi. His ut diu incorruptaque sanitate fruaris ex intimo pectore precor. Vale, faveque.

---

## E L O G I U M

Ex Theatro Virorum Eruditorum Abbatis Girolami Ghilini.

# FILIBERTO PINGONE.



*A i molti, e principali carichi da Filiberto Pingone sostenuti, si congiettura ch' ei fosse grandissimo per virtu, e per meriti ancora; essendo egli stato Barone di Cusago nella Savoia, Signore di Primisella, Refferendario, Consigliere, Presidente, Maestro delle Suppliche appresso ad Emanuello Filiberto, e Carlo Emanuello suo figlivolo, amendue Duchi di Savoia, nel supremo Conseglio, e Luogotenente del gran Cancelliere; nelle quali dignità si portò con tanta prudenza, e con giustizia tanto retta, accompagnando la dolcezza col rigore, che niuno hebbe giamai occasione di dolersi di lui, ne del suo governo, anzi s'acquistò lo-*

*de immortale con gran fama del suo nome. Cominciò egli nella puerizia ad applicarsi all' esercizio delle più facili discipline, nel quale con altrui grande ammirazione avanzò se stesso, e la poca età, che pareva in un certo modo, non potesse esser capace di tanta riuscita: crescendoli poi con gli anni, la maturezza del giudizio, e l'eccellenza dell' ingegno, si diede alle Lettere Humane, e poi successivamente all' altre più gravi scienze, nelle quali riuscì di maniera, che pareggio quelli, che al suo tempo fiorivano con fama di eccellentissimi Letterati: Essendosi egli dilettato molto di Poesia, e d'Istoria diventò in quella facondissimo Poeta, & in questa gravissimo Istorico: Hebbe per moglie Filiberta Bruel, che fu custoditrice della nobili Damigelle di Margherita Valesia Duchessa di Savoia, e di Berry Provincia di Francia. Si vedono di questo principalissimo Cavaliere alcune Opere, le quali per li meriti della curiosa dottrina loro, e per la bontà dello stile, furono colle stampe divulgate, e contengono questi soggeti,* Liber de Sindone Euangelica, qua involutus D. Iesus in sepulchro fuit: Hymni: Diploma Pontificium: Arbor gentilitia Saxoniæ, Sabaudiæque Principum, &c. Augusta Taurinorum: Una Lettera di Francesco Adorno della Campagnia di Giesù, d'un maraviglioso viaggio: Un Trattato sopre le 12. Tavole; Istoria di Savoia divisa in 30. Libri, *la quale, per esser egli stato prevenuto dalla morte, non potè dare alle stampe, però si conserva manoscritta nella Libreria del Duca di Savoia, Nell' età di cinquantasett' anni, e quattro mesi, morì in Torino alli dieciotto d'Aprile dell' Anno* 1582. *& il suo cadavero hebbe sepoltura nella Chiesa di S. Domenico di essa Città, nella quale fu anco posta Filiberta de Bruel sua moglie; e l'Epitaffio, che sopra di quel se polcro si legge, e ad amendue comune, cioè,*

PHILIBERTO PINGONIO
CUCIACIENSIUM BARONI, PRIMISELLÆ DOMINO,
PRÆSIDI INTEGERR. EM. PHILIB. PATRIS, ET CAR.
EMA. PHIL. SAB. DUCUM LIBELLORUM SUPPLICUM
IN SUPREMO CONSILIO MAGISTRO. MAGNI CANCELLARII
VICES GERENTI, POETÆ FACUNDISSIMO; ET HISTORIOGRAPHO
GRAVISS. ET PHILIBERTÆ DE BRUEL UXORI, MARGARITÆ
VALESIÆ SAB. ET BITUR. DUCIS. ASSE CLARUM
NOBILIUM CUSTODI. VIXIT ILLE ANN. LVII. MENSES
IV. OBIIT TAURINI MDLXXXII. XVIII. APRIL. ISTA VERO
AN. LIV. MENSES IV. OBIIT TAURINI MDXCI. XVI.
NOVEMB. BEROLDUS BARO, LUDO ANG. MILES,
ET CAR. EM. FILII MÆSTISS. P. P.

---

AD SERENISSIMUM PEDEMONTIUM PRINCIPEM,

# CAROLVMEMANVELEM A SABAVDIA,

## EM. PHILIBERTI SAB, D. INVICT. FILIUM

CAROLUS EMANUEL à Pingon SS. Mauritii, & Lazari Miles.

S. D.



UM libros inter liberos pater meus partiretur, (Amplissimè princeps,) hic mihi liber *Augustæ Taurinorum* obvenit, & meo quidem jure, quod in ea civitate natus, in ea educatus fuerim. Quod verò hìc à te nomen in sacris undis sumpserim, & militari sacroque cingulo sim ornatus, ac inter prætextatos tuos asseclas ab ineunte prima ætate admissus, hoc tibi primum munus consecrare debeo, idque potius, vivente parente, quàm hæreditatis tempore expectato. Non probaturus est fortasse pater, qui quod scribit cælare consuevit, nullam satis unquam maturitatem scriptis contingere posse existimans, assidue quidpiam inducit, expungit, obliterat, nunquam extremam apponit manum, dum diem diei magistram, dum nonum annum expectari, cum Flacco, in ore semper habet. Quod si id probes, qui ingeniorum nostri seculi flos, & vertex exsurgis; quidni non probaturus est pater? Immo vero institutum meum probabit, cùm à te probari sentiet, quod unum

unum omnium maxime expetit, & ad alia edenda opera, quæ jam dudum parturit invitabitur. *Astàm*, *Vercellas*, *Niciam*, *Augustam prætoriam*, & suum natale *Camberium* meditatur, hocque sine fuco conciso genere dicendi, quo & mixta varietas tædium levare, & prolata autoritas dubium summovere poterit. Cæterum majus opus & tuæ historiæ, & antiquitatis Allobrogum, & alterius argumenti, stilique est aliquando in lucem emissurus. Ego vero quamdiu ab armis (quibus sum devotus) feriari potero, hæc literarum paterna vestigia, ita sequi conabor, ut utroque tempore & tibi inserviam, & *Taurino* patriæ meæ non inutilis fuisse civis videar, Vale, vive, vince Princeps fortunatissime.

Ex Augusta tua *Taurinorum* Kalen. Aug. MDLXXVII.

---

## AD ILLVSTREM PHILIB. PINGONIUM CVSIACENSIVM BARONEM

## *PRIMÆCELLÆQVE D.*

### *ab intimis consiliis, & libellis supplicibus Serenissimi Sab. Ducis,*

### FRANCISCUS FERRERIUS ANCHISA. I. V. C. Taurinensis.

*NOSTRA urbs anteacti cunctis scriptoribus ævi,*
*Non debet quantum PINGON amice tibi.*
*Famæ ejus parva illorum vestigia libris*
*Extabant, libri verius exciderant.*
*At tua sedulitas, atque anxia cura, laborque*
*Quod non indagat, restituitque decus?*
*Urbis natalem repetis, populique triumphos,*
*Ac genera, & seriem Pontificum, atque Ducum.*
*Marmora quinetiam veterum simulantia vultus,*
*Visendumque fuit quicquid in urbe, notas.*
*Quique unquam authores celebrarunt nomina nostra,*
*Mersos Lethæâ pœne palude refers.*
*O mirum artificem, per quem tot civibus, urbi,*
*Artibus, ingeniis, vita, decusque redit.*

*Aliud ejusdem.*

Debeat ambigimus, plus ne urbs clarissime Pingon,
An tot scriptorum millia censa tibi.
Urbi tu reddis cives, & civibus urbem,
Tu doctis titulos, & monumenta viris.

### PANDULPHUS SFONDRATUS PATRICIUS CREMONENSIS, AUTHORIS NOMINE.

*SAXA solo laceris membris evulsa profundo,*
*Furatura regis nomina prisca virum,*
*Parietibus nostris affixa, intusque forisque,*
*Quæ deceant cives facta, modique docent.*
*Postquam autem scripsi totam radicitus urbem,*
*Utilior saxis nostra papyrus erit.*

Εἰς τὴν ἱςόρειαν τῆς Αυγὺςης τῶν ταυρινῶν. Φιλιβέρτου τοῦ Πιγγωνίου, Βάρονος τοῦ Κυσιακου. Κλαυδίου τοῦ γυιχάρδου σανεραμβερτίου.

Ὄλβιος ὥπερ ἔδοκεν ἔπη δαφναῖος Ἀπόλλων
ἄδειν καὶ μουσῶν ἄξιά θ' ἡγεμόνων.
Ὄλβιος ὧτε δίκαια θέμις, θέσμους τε νοῆσαι,
ὥστε διακρίνειν οἷς παρὰ ἡγεμόσιν.
Ὄλβιος ἡδυεπεῖ δ' αὖ ὧτε χαρίσατο κλείω
κλεινὰς συγγράψαι πρήξιας ἡγεμόνων.
Ἀλλὰ τρισόλβιος ὧγ' ἕκατος, θέμις, ἠδέ τε κλείω
Συνθεῖναι τελέως τά τρία ταῦτ' ἔπορεν.

### AUDIT SEIG. BARON DE CUSI PAR CLAUDE GUICHARD. Sonet.

*LE peintre industrieux toujours sous le pinceau*
*Ne tient des preux guerriers les superbes Trofées.*
*Toujours le fier combat des acrazés Tysées,*
*Ou le protret d'un Dieu n'anoblit son tableau:*
*Il donne quelque fois relache à son cerveau.*
*Et d'une artiste mein, de couleurs de robées*
*A ouvrages plus grands, entretient ses pensées,*
*Trassant ores un champ, ores un cler ruisseau.*
*Ainsi, emblant tes dois d'un tableau plus parfet,*
*Où tu nous peins au vif les haut fets de noz Princes,*
*Et leurs braves éplois es extranges provinces,*
*Tu nous fés de Turin voir le premier protret.*
*Protret qui tes vertus cleres fet apparoitre,*
*Te baillant d'un seul tret comm' Appelle à conoitre.*

### *BEROLDUS PINGONIUS PHILIB. FILIUS*

*Ad Civeis.*

NUdius ornastis quòd tertiùs urbe parentem,
Vester ob id civis dicitur esse novus.
Si verò cives vestros ab origine prima
Suscitat, inter eos qui novus esse potest?

### LUDOVICUS PINGONIUS PHILIB. FILIUS

Ad Lectorem.

*POST incendia, post neces, ruinas,*
*Post casus varios, motusque rerum,*
*Hanc nunc natam iterum esse civitatem,*
*Tantis culminibus Palatiorum,*
*Quæ struxere recens pecuniosi,*
*Quis non dixerit? & stupore clamet,*

Tau-

E L O G I A.

*Taurina speciosius quid urbe est?*
*Sed qui scripta leget mei parentis,*
*Taurina genitus licet sim in urbe.*
*Taurinum mihi dicet esse fratrem,*
*Communemque sibi meum parentem.*

Γ'λέρμου Βιάντου εἰς Ταύρινον τετράστιχον.

Ἦ μεγάλοισι λάεσσι τετυγμένον τεῖχος, ἀείρεις
Ταύρινον, οἱ ἐχθροὶ, μὴ δολεροί σ' ἕλοιεν
Ἡ δ' ὀλίγων σελίδων σύμπηξις μήχεος φαύλων
Σοὶ, καὶ βασκάνων, κῆρά τε ἀπαμυνεῖ.

---

## *MARCI CLAUDII BUTTETI SABAUDI.*

P.

ARtibus ut magicis cœloque, Ereboque potentes,
Pallentes umbras revocant Acherontis ab undis.
Sic quoque Pingonus divino carmine, tanquam
Mercurii virgà, Lethes defossa sepulchris
Ossa urbis, & relliquias caligine mersas,
Effodit, & veteris manes exsuscitat urbis.


---

## F. JO. AMBROSII BARBAVARIÆ

*MOEnibus invictam EMANUEL, Pingonius inde*
*Æternam calamo te dabit esse suo.*
*Vive Philibertis fœlix, AUGUSTA duobus.*
*Non poteras scribi, nobiliusve regi.*

---


VIDIT ET APPROBAVIT
*FR. DIONISIUS CISLAGUS*
ORD. PRÆDIC. INQUISITOR GENERALIS TAUR.




## IN STEMMA PINGONIUM.

*AUrea quid sibi vult moles quadrata? quid infra,*
*Quid supra punctim vis adamantis agit?*
*Aurea sede sua virtus stat semper, & illi.*
*Vis minor, aut major nulla nocere potest.*

Pand. Sfond. Crem.




PHI-



# AUGUSTA TAURINORUM, *Vulgo* TURIN,
## Urbs Metropolis Pedemontani.



9 Berosus Chaldæus. Cato de orig. Jo. Annius. Eusebii chronicon. Plato in Timæo & Marsf. Ficin. in eum. Eustachius in Homer. Strab. libr. 4. Diodorus Sic. lib. 6. c. 8. Polyb. lib. 2. Dionysius Halicar. li. 1. Pausanias libro 1. Plin. libr. 3. cap. 5. & 17. Virg. libr. 1. Georg. Bocatius li. 7. gen. Deorum. Paulus Perusinus. Ingens marmor Isidis. Festus Pompejus. Jaco. Philip. Bergomas. Leander Albertus. Raphaël Volater. lib. 4. Sabellicus. Gaud. Merula. Dominicus Macaneus. Cælius Rhodo. li. 7. & 33. Virg. libr. 4. Georg.

# PHILIBERTI PINGONII,

*Sabaudi*,

# AUGUSTÆ TAURINORUM

## CHRONICA ET ANTIQUITATES.



A

ANNO Ante *Romam* conditam DCCCIX. ante CHRISTUM natum MDXXIX. circa *Mosis* & *Pharaonis* tempora, regnavit *Eridanus*, sive *Phaethon*, qui è *Græcia*, vel (ut alii) ex *Ægypto* in *Italiam* colonias deduxit ad *Ligures*, inque ripis *Padi* fluminis, ex ejus repentino lapsu, suscitatis flammis, erectus demortuo tumulus, flumini nomen *Eridani* datum, qui fluviorum rex dictus, & loco condita civitas, caput gentis, quæ primum *Eridana*, sive *Phaëtontia* vocata. Sicuti mox à *Genuino Phaëtontis* filio, *Genua* fundata denominataque. Denique quod non multo post *Cecrops Diphyes* dictus, primum immolare Taurum Jovi cœpit, seu quod per ea tempora Jupiter *Io Inachi* filiæ mistus est, quæ in Taurum versa, ac sub *Isidis* nomine post mortem culta (sub quibus involucris rerum cognitio priscis latuit) seu quòd *Italia* olim *Apennina*, & *Taurina* dicta, & quod magna omnia *Tauros* nuncuparunt veteres, taurum pro religione imprimis hæc urbs habere voluit, quæ ab Alpibus *Italiæ* primum occurrit; ac ideo *Taurina* dicta Civitas, *Taurini*que Populi, sub quibus *Salassi*. Atque ita longe, ac late ejus protendebatur imperium, ut etiam *Aquenses* Stateliorum *Taurini* cognominarentur, quasi antiqua *Ligurum* stirpe. Alii altius à *Lamisone* uno ex *Noëmi* nepotibus deducunt, qui tractum inter *Padum* & *Ticinum* occuparit, & à se *Lamisonem* appellarit, quà voce gentis lingua *Taurus* significabatur, unde *Taurini*. Alii propinquius à *Massiliensi* Tauro insigni, cujus gentis sit Colonia *Taurinum* denominarunt; vel ab *Eridano* ibi gemina cornua vultu *Taurino* reddente, sic enim Taurorum specie, (cornibus inquam) fluminum simulachra efformabantur.

Goffredus ab Ecclesia Salutianus historicus. Steph. Gran.

ANNO. . . . .

10 Manethon. Metastenes. Jo. Annius. Diodorus Siculus lib. 6. c. 9.

ANNO ante *Romam* conditam CCCLXXXIX. ante CHRISTI adventum MCIX. circa *Æneæ Sylvii* Latinorum regis tempora, *Tyrrheni* sive alio nomine *Thusci*, quorum rex *Pipinus*, tum *Nicius*, atque alii, hunc Alpium tractum, ac proinde *Taurinos* tenuerunt.

Bonaventura Castilio in Insubria

ANNO. . . . .

Livius lib. 5. & Beatus Renanus in eum. Sabellus lib. 5. de vetus Aqui. de hoc Taurino intelligit.

ANNO ab Urbe condita CLXVII. ante CHRISTUM natum DCIX. *Prisco Tarquinio* regnante, *Bellovæsus Celtarum* princeps, ingentibus peditum, & equitum copiis, per *Salios*, *Massilienses*que transgrediens, & saltus Alpis *Juliæ*, (quæ tandem sic à foro *Julii* denominata) in *Italiam* migraturus, ad *Taurinos* descendit, in hacque civitate primum consedit, *Gallorum* nomen plantavit, *Thuscos* acie non procul *Ticinio* flumine fudit, *Mediolanum* inde fundavit, aliasque nobilissimas civitates.

ANNO. . . . .

ANNO ab Urb. cond. DXXI. ante CHRISTUM natum CCXXXIII. *Congolitanus*, & *Aneroëstus Allobrogum* reges, qui trans Alpes ad *Rhodanum* habitabant, *Taurinis* imperarunt, & cum *Gessatis* Romanos superarunt apud *Tholamonem Thusciæ* urbem, *Taurinis* à fronte constitutis, adversus *C. Atilium*, qui temere, & audacter dimicans occiditur, caputque ejus ad ipsos reges defertur, licet postmodum illis infelicius successerit. Polyb. lib. 2.

ANNO. . . . .

B

ANNO ab Urb. cond. DXXV. ante CHRISTUM natum CCXXIX. *Taurinenses* adversus *Insubres* diutinum bellum moverant, neque satis credere fidei *Charthaginensium* videbantur, qui in amicitiam & societatem ipsos *Taurinenses* provocare tentabant. Polybius lib. 3.

ANNO. . . . .

ANNO ab Urbe condita DXXXV. ante CHRISTUM natum CCXIX. secundo bello Punico, *Annibal* postquam *Brancum* Allobrogum regem cum altero fratre de regno diffidentem conciliavit, superatis Alpibus, & rupe aceto aperta, *Taurinum* validissimam civitatem, quia volentis in amicitiam non venerat, obsistentem obsedit, tandemque oculo prius in ea expeditione, in Alpium trajectu amisso, non fine clade maxima expugnavit. Ipse enim *Annibal*, suo ore confessus est, triginta sex millia hominum, ingentemque numerum equorum, & aliorum jumentorum amisisse in *Taurinos*.

C

11 Polybius eod. Livius li. 21. Glareanus in eum. Plin. lib. 12. Strabo li. 4. in fin. Plutarchus in Vit. Am. Marcellinus lib. 15.

Silius Italicus lib. 3. Paul. Orosius lib. 4. cap. 14. Paul. Diaconus lib. 3. Blondus de Longob. Leander Albertus.

ANNO. . . . .

D

ANNO ab urbe condita DCXXXVI. ante CHRISTUM natum CI. *Marcus Æmilius Scaurus*, cum magna intra *Padum* pars paludibus obtineretur, per quas *Annibal* magnis difficultatibus olim iter fecit in *Thusciam*, deductis ex *Pado* fossis, in *Parmensium* usque agrum, paludes *Taurinensibus*, aliisque ripariis urbibus exsiccavit; hinc salubriorem oram, feraciores campos, & commodiores navigationes reddidit. Et alia publica opera præclara construxit. Strabo li. v.

ANNO. . . . .

E

ANNO ab urbe condita DCXCV. ante CHRISTUM natum LII. *Galliæ Cisalpinæ* imperium *Julio Cæsari* decretum est, cum *Illyrico*, ac proinde *Taurinos* obtinuit. Dion. Cassius lib. 38. Plutarchus in vita Paul. Diac. lib. 6.

ANNO. . . . .

ANNO ab urbe condita DCCV. ante CHRISTUM natum XLII. *Julius Cæsar* post initam dictaturam *Taurinis*, quasi de se benemeritis civita- Dion. Cassius lib. 41. Cælius secundus.

Seb. Munsterus correctus. Marmorum inscriptiones.

vitatis jus dedit, ac post inde Romani cives dicti, & colonia Julii vocitata, numismatibus in ejus rei memoriam cusis, quæ *Taurini* inventa sunt. vide TAB. num. 1. & 2.

Amphiteatri reliquiæ. Numismata argentea.

ANNO. . . . .

Dion. lib. 46. in fine.

12 ANNO ab urbe condita DCCXI. ante CHRISTUM natum XXXVI. Triumviratu *Augusti Cæsaris*, *Antonii*, & *Lepidi*, *Gallia* hæc Cisalpina inter cæteras, atque ita *Taurini* populi *Antonio* obvenerunt, qui jam nomen togatæ *Galliæ* acceperant, quod reliquis viderentur pacatiores, quodque urbanum *Romanorum* vestitum usurpassent.

ANNO. . . . .

Messala Corvinus in ora. ad August. Plin. lib. 3. c. 20. Ex inscriptione arcus Secusini, & aliis marmorum inscriptionibus.

ANNO ab urbe condita DCCXIII. ante CHRISTUM natum XXXIV. orto inter *Antonium*, *Fulviam*que conjugem cum *Cæsare* dissidio, *Cæsar* Galliæ Togatæ, ideoque *Taurinorum* gazis etiam ex rebus sacris conflatis, exhaustos eos reliquit, ne ejus regionis tuendæ causa exercitus ali possent, cumque *Antonius* adesse vellet, itinere prohibitus; apud *Perusiam* à *Cæsare* oppugnatur. Perque ea secula ipsi *Cæsari* S.P.Q.R. trophæa, & arcum triumphalem erexit. Quod ejus ductu, auspiciisque gentes Alpinæ omnes, quæ à Mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium populi Romani essent redactæ. Non adjectæ *Cottianæ* civitates XII. quæ non fuerunt hostiles.

ANNO. . . . .

Dion. lib. 51. & 54. Plin. lib. 3. c. 17. Marmorum inscriptiones. Hubertus Gotsius in Augusto. Marcellinus lib. 15. varia numismata, quæ cernere sunt in TAB. num. 3. & 4.

ANNO ab urbe condita DCCXL. ante CHRISTI nativitatem XI. *Cæsar Octavius* post *Augusti* cognomen assumptum, Augustaliaque instituta, hanc civitatem, inter cæteras *Augustæ* titulo insignivit, quæ tunc ex XII. benemeritis civitatibus *Cottii* Allobrogum regis, Romanorumque & *Augusti* recens facti amici, una erat & potissima. Nisi dixeris Augustam etiam dictam quasi potiorem, & metropolim, ut aliarum provinciarum Augustæ dicebantur.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI XVII. *Tiberius Cæsar* in *Taurinæ* civitatis memoriam, & *Cottii* amicitiam, numisma æneum tauro præpingui insignitum cudi jussit, quod in ea civitate inter fodiendum repertum est. vid. TAB. num. 5.

13

ANNO. . . . .

Dion. li. 60.

ANNO CHRISTI XLVI. *Claudius* Imperator à *Julio Cæsare* quartus, *M. Julium Cottium*, *Cottii* filium regem salutavit, paternumque principatum, quem ad Alpes sui nominis, & per *Taurinos* possidebat adauxit.

ANNO. . . . .

Nicephorus Calistus li. 2. c. 19. Carol. Sigon. lib. 1. de regno Ital.

ANNO a CHRISTO nato L. *Barnabas* Christi discipulus, *Mediolanum*, & has cisalpinas regiones, ac proinde *Taurinum*, occidentemque versus peragravit, atque ita eum primum religionis doctorem, & Episcopum nactæ sunt. Postmodum ab Apostolis *Cyprum* missus, illic sive (ut alii vocant) *Salamine* dies clausit.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI LXVI. *Nerone* Imperatore,

A *Taurini* populi, ipsaque civitas adhuc erat sub agro *Ideomii*, & *Cottii* regum Allobrogum, sub quibus etiam *Pollentia*, *Albæ Pompejæ* proxima. Et alia ex parte ad Alpes *Cottii* nominis urbs *Cottia*, vulgo *Coatia* dicta, *Gavio* proxima, nunc pagus humilis, qua Alpium etiam transitio.

Strabo li. 4. Suetonius in Tiberio. Phil. Beroal. in Suet.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI LXVII. defuncto *Cottio* Allobrogum rege, ejus regnum *Nero* in provinciæ formam redegit, & cum tandem duas tantum provincias fecisset, unam pontum Polemoniacum,
B alteram *Cottiarum* alpium esse voluit, quarum *Taurinum* caput. 14

Strab. lib. 4. Eusebius Cæsar. in chron.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI LXXI. *Vitellio* Imperatore inter discordias *Batavorum*, *Romanarumque* legionum, postquam prælium atrox inter eos in ea civitate exarsit, pars etiam ejus civitatis, & coloniæ ignibus ambusta.

Cornelius Tacitus lib. 18.

ANNO eodem *Junius Blæsus* Lugdunensis *Galliæ* rector, cum *Italica* legione, & ala Taurina *Lugdunum* tendebat. Ut hinc pateat eductas mi-
C litares alas *Taurino*, tanquam potentissimis, velocissimisque populis, qui circum legionum totius *Italiæ* latera, alarum instar locarentur.

Cornelius Tacitus lib. 17.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI LXXIV. *Vespasianus* Cæsar in hujus etiam civitatis dignam memoriam numisma argenteum cudi jussit.

Formam istius vide TAB. num. 6.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI XC. *Domitianus* etiam *Tau-*
D *rinam* imaginem numismati æreo insculpsit.

Formam hujus vide TAB. num. 7.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI CLXXXIII. *Commodus* Imperator numisma quoque hoc *Taurini* inventum, in civitatis memoriam, deducta colonia cusit. 15

vid. TAB. num. 8.

AMMO. . . . .

ANNO CHRISTI CCXCI. *Julianus* Imperator postquam *Constantino*, qui apud *Mopsucrenem*, juxta *Tauri* montis radices interierat successit,
E *Taurini* in æstivis agens, taurum immolavit, plerosque præmiis, & illecebris, quasi machinis à vera pietate avertit, numismata, & monetas hac in civitate sub tauri simulacro in memoriam reliquit.

Joan. Bapt. Egnatius in Cæsaribus. Numismatis formam vid. TAB. num. 9.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI CCCVI. XIII. Kal. Februarias *Maximiano* Cæsare sæviente, decima persecutione Christiana à *Nerone*, cum clarissimi milites, ex Thebæa legione *Agauni* Allobrogum, Sedu-
F norumve mactata, *Solutor*, *Adventor*, & *Octavius* evasissent, *Taurinum*que permultis christianis refertissimum confugissent, postremi duo à lictoribus intercepti martyrium subierunt, Primus verò *Eporediæ* ubi confugerat, cecidit & martyr, translatus *Taurinum* à *Juliana* matrona. hæc tribus tumulum, & ædiculam posuit, quam postmodum Divus Victor Taurinensis Antistes ædificiis, & censibus annuis adauxit. Et ad hæc usque tempora, Divorum illa pia celebratur memoria.

Divus Maximus in Homeliis. Ex veteri manuscripto codice Ecclesiæ Taurinensis. Ex historia Maximiani notarii ejus temp.

AN-




a Leide, *Chez* Pierre vander Aa. *Avec Privilege.*


CAESAR IMP
COL IVL
S C
1
L LIVINEIVS
REGVLVS
SACR
2
DIVVS AVGVSTVS
COL AA
PATRENS
3
AVGVSTVS
IMP X
4
TI CAESAR
CA
5
COS V
6
7
L AELIVS COMMODVS AVG PIVS PP
HERO ROM COND
COS VII PP
8
SECVRITAS REIPVB
T CON
9
10
BOSO GRATIA DEI
REX
11
IMPERATOR
12
13
VMBERTVS
SECVSIA
14
AMED COMES SAB
15
PHILIP PRINCEPS
TORINVS CIVIS

Pingonius.

16 ANNO. . . . . .

Gaudentius Merula. Ex panegyricis Latini Pacati qui per ea tempora.

ANNO CHRISTI CCCXVIII. *Constantinus* Imperator in *Maxentium* bella movens, qui *Taurinos* inter cæteras provincias occuparat, eo tandem superato hanc etiam civitatem expugnavit, & fere evertit.

ANNO. . . . . .

Eusebius in chronico.

ANNO CHRISTI CCCXXI. pax Christianis à *Constantino* redditur, hinc *Taurinensibus* liberiora pietatis exercitia.

ANNO. . . . . .

Divus Hieronymus in supplem. Paulus Diac. lib. 11. Ex marmorum eo loci inventorum conjectura.

ANNO CHRISTI CCCXXXV. Edicto *Constantini* Idolorum fana his qui Christo sacra facerent adjudicantur. Hinc Taurinenses commutatis Idolorum nominibus Christo, & ejus sanctis templa dicarunt. Hinc fanum *Isidis* Divo *Solutori*: fanum *Dianæ*, Divo *Sylvestri* sacratur, sicque de cæteris, de quibus non ita constat.

ANNO. . . . . .

Ammian. Marcell. lib. 15.

ANNO CHRISTI CCCLV. mense Decembri, *Julianus* Imperator in uxorem ducta *Helena*, *Constantini* Magni filia, *Lumello Taurinos* rectis itineribus cum uxore pervenit, hic, aliquandiu commorato, de *Agrippina* Colonia apud *Germanias* expugnata, & deleta tristis adfertur *Cæsari* nuncius, inde in *Gallias* profectus est.

ANNO. . . . . .

Tomo primo conciliorum. Onuphrius reponit sub anno 395. Ex notis cujusdam vetustissimi codicis Biblio. templi Divi Petri Genevæ.

ANNO CHRISTI CCCLXXXIX. x. Kal. Octobris, sedente *Syricio* Pontifice Maximo, eoque præsente, & *Ambrosio*, tum *Proculo* Episcopis *Mediolanensibus*, aliisque quam pluribus viris piis, peritissimisque ad postulationem provinciarum *Galliæ*, celebratum concilium *Taurini*, quo inter cætera, Genevensis Ecclesia antiquissima, populorum furoribus paulo ante oppressa in integrum restituta est, sedati populi, designato proprio Episcopo. Idem nunc utinam eveniat.

ANNO. . . . . .

17

Ex libro Notitiæ orientis, & occidentis.

ANNO CHRISTI CCCXCV. circa *Honorii*, & *Arcadii* tempora, *Sarmatæ* huic provinciæ, ac longe lateque dominabantur, & ut per *Gallias*, universamque *Italiam*, sic *Taurini* præfectum *Sarmatarum* constituerunt.

ANNO. . . . . .

Paul. Diac. lib. 13. Orosius li. 7. cap. 37. Aur. Pruden. Jo. Magnus lib. 17. ca. 9. Jordanes rerum Getic. Gaud. Mer. Cœlius secund. Ex fundamentis mœn. & saxorum inscript.

ANNO CHRISTI CCCCX. Paschali die festo, *Stilico* devictis *Gotthis* in Agro Polentino, multas etiam strages *Taurinis* inflixit, urbs expugnata, ejus amplitudo comminuta, denuo instaurata, minore tamen quam prius esset ambitu, & quadrata forma. At *Gotthi Romam* capiunt, & devastant.

ANNO. . . . . .

Divus Ciprianus in epist. Philip. Bergomas. Vicen. li. 19. c. 5. Leand. Albert. Joach. Vad. in Epitome Conr. Lycost. in theatro.

ANNO CHRISTI CCCCXL. sub *Leone* Pontifice Maximo, & *Valentiniano* Imperatore, *Taurini* floruit Divus *Maximus* civitatis Episcopus, qui de sacris rebus homilias, mirandaque scripsit volumina, & cum *Eutyches* hæresim suam spargere cœpisset, validissime occurrit.

A ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI CCCCLIII. *Attila Hunnorum* rex, flagellum Dei cognominatus, post direptam *Aquilejam*, *Mediolanum*, *Ticinum*, & alias *Italiæ* civitates, *Taurini* etiam multas vastitates edidit.

Procopius lib. 3. de bel. Vandal. Matt. Palm. in supplem.

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI CCCCLXXV. *Odoacer* cum fortissima *Herulorum* multitudine *Italiam* ingressus, victoque ad *Ticinum Oroëste* patricio, *Augustulo*-

B que deposito, *Italia* potitur, *Taurinos*que occupat.

Paulus Dia. lib. 16. in supplem. Trogi.

ANNO. . . . . .

Paulus Diaconus li. 16.

18

ANNO CHRISTI CCCCLXXX. *Gundebaldus Burgundionum* rex *Gundiochi* filius, inter *Odoacris*, & *Theodorici* soceri *Gotthorum* regis dissidia cum ingenti exercitu Alpibus superatis, Subalpinos *Taurinam*que civitatem deprædatus est.

Paradinus lib. de antiquo statu Burg. Ex marmoreo sepulchro ad Divum Andream.

ANNO. . . . . .

C ANNO CHRISTI CCCCLXXXV. *Theodoricus Gotthorum* rex occiso *Odoacre*, *Italiæ* regno occupato, *Taurinis* dominatur.

Paul. Diaconus lib. 16. Mat. Palmerius in supplemento.

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI DXXXIX. *Vittiges Gotthorum* rex, inter cæteras *Italiæ* provincias Cismontanam hanc, ac proinde *Taurinum* diu occupavit, pacisque conditionibus à *Justiniano* Cæsare oblatis, ea sola contentus fuerat, nisi *Belisarius* technis prævenisset, captivumque *Constantinopolim* du-

D xisset.

Procopius lib. de bello Gottico, & lib. 2. de bello Persico. Leonardus Aret. li. 2. de bello Italico. Palmerius.

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI DXLIII. post *Vittigem*, subalpinis *Taurinis*que imperat *Ildebaldus*, qui eo anno perimitur.

Paul. Diac. Palmerius.

ANNO CHRISTI DXLIV. *Errarius* rex *Gotthorum* sufficitur. Qui mox occiditur. Tum *Gotthi Totilam* regem creant, qui & *Taurinis* dominatur, perque totam grassatur *Italiam*, tandem à *Narsete* profligatus.

Idem.

ANNO. . . . . .

E ANNO CHRISTI DLII. *Theobaldus Theodeberti* Mentensium regis filius, in *Italiam* penetravit, & usus *Bucellino*, *Amingo Lutherio*que tribunis, ad primum motum tantum trepidationis incussit, ut Taurinam civitatem effusam occuparit, *Astam* denique, *Uraja Gotthorum* duce in fugam verso.

Olaus Mag. lib. 5. Paradinus de antiquo statu Burgundiæ.

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI DLVII. *Sisualdus Brentorum* rex, ex *Herulorum* stirpe, quos *Odoacer* advexerat, *Taurinis* adhuc imperitans, à *Theja Totilæ*

F successore, de regno etiam contendente in angustias redactus, eam civitatem interceptam inter cæteras totam expilavit. *Gotthi* tandem à *Narsete* superati quietiorem eam reliquerant. nisi *Narses* merito indignatus *Longobardorum* gentem è *Pannonia* advocasset.

Diaconus lib. 17. Blondus lib. 7.

19

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI DLXVIII. *Alboïnus Longobardorum* rex Italiam ingressus *Taurinos* occupavit.

Diac. Anastasius. Onuphrius Panvin.

ANNO. . . . .

Diaconus. Anastas. Onuphr.

ANNO CHRISTI DLXXIII. Clephis secundus *Longobardorum* rex *Papiæ* occiditur. dumque interregnum per decem annos fit, *Taurini* Dux *Agilulphus* efficitur, ac triginta sex Duces per *Italiam* constituuntur.

ANNO. . . . .

Ex notis Novaliciæ abbatiæ. Gregorius Turonensis.

ANNO CHRISTI DLXXV. tres *Longobardorum* Duces *Amo*, *Zaban*, & *Rhodanus Italia* egressi, duo quidem primi per *Juniperum* montem (sic hodie dictum) tertius per *Cinisium Allobroges* primum, tum *Gallias* deprædati sunt, & ne quidem templis, & sacris locis pepercerunt. Tunc Novaliciense monasterium eversum, *Arnulphus* vir sanctus mactatus, Monachi qui evadere potuerunt, in *Taurinam* civitatem confugerunt abbate *Boniso*, qui quintus fuit à divo *Benedicto* ordinis authore.

ANNO. . . . .

Diaconus. Anastasius. Onuphr. Volaterranus lib. 7. Nauclerus Gen. 24. Gaud. Merula. Car. Sigonius lib. 1. rerum Ital.

ANNO CHRISTI DLXXXIX. *Flavius Agilulphus Longobardorum* rex Calendis Novembris, in *Lumello* oppido proclamatur, quod à *Theodelinda Garibaldi Baioarum* regis filia, & *Autharis Longobardi* regis vidua in virum electus fuerit, cumque apud *Taurinos*, tunc in stativis essent, regiam in ea civitate stabilierunt. Hunc ex Arriano catholicum Regina pia reddidit, universamque provinciam perniciosâ expurgavit hæresi.

Eo ANNO *Agilulphus* captivos, quos *Childebertus* rex *Francorum* ex Tridentinis abduxerat, anno rependit, & missis ad *Childebertum Agnello* Episcopo Taurinensi, & *Ennio* duce Tridentino pacem ab eo obtinuit.

20 Nauclerus. Gen. 20.

ANNO.

Diaconus. Sigonius eodem.

ANNO CHRISTI DCII. autoribus *Agilulpho*, & *Theodelinda* regibus, Divi Jo. Baptistæ templum *Taurini*, ut aliis in *Longobardicis* civitatibus erigitur, eumque Divum pro tutelari, & patrono invocare cœpit ea gens.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI DCIV. *Flavius Adavaldus Agilulphi* fil. cum *Theodelinda* matre rex *Longobardorum*, *Taurinum* pro regia habent.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI DCLI. *Gundimberga Agilulphi* filia, nupta *Rodoaldo Longobardorum* regi, *Taurini* etiam vitam agit.

ANNO. . . . .

Iidem. Sig. lib. 2.

ANNO CHRISTI DCLVI. *Aribertus Longobardorum* rex *Taurinis* quoque imperat.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI DCLXI. *Pertharitus*, & *Gundebertus Ariberti* filii patri succedunt, *Taurinis* imperant, Duce tamen *Garibaldo* civitati constituto.

Iidem.

Eo ANNO *Gundebertus* de regno cum fratre contendit, *Taurinorum* Ducem *Garibaldum* ad *Grimoaldum Beneventanum* Ducem petitum auxilium mittit, cumque in *Gundeberti* necem *Taurinas* aliquantum indignatus, & grandiori fratri affectus operam dedisset, ab amico cæsi regis in paschate *Garibaldus Taurini* interfectus est, cui 21 *Ragumbertus Gundeberti* regis filius Dux *Taurini*

A succedit. *Pertharitus* vero à *Grimoaldo* expulsus *Taurini* excipitur, inde in *Gallias* ad auxilia, à *Francorum* Rege comparanda tutò transiit.

Vincentius lib. 20. c. 99. paulo aliter.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI DCCIV. *Ragumbertus* ex Duce *Taurinate Longobardorum* Rex salutatur, *Luithberto* exacto.

Iidem. Paulus Diaconus in hist. Longobard. Gaud. Merula. Ex notis vetustissimis, & archivis civitatis. Ex scriptis Julii Cæsaris Scaligeri Ve. Ex commentariis trium statutum patriæ Pedem. Onuphrius in Xisto. 4.

PER EOS ANNOS *Hermundus Ruvereus* patricius Taurinensis floruit, quem & proregem *Ragumbertus* rex constituit. Hic quercum pro insignibus gestabat, quæ ad hæc usque tempora gentilitii nepotes *Ruvereorum Taurini* retinent. A B quibus Pontifices Maximi duo, plerique Antistites, Cardinales octo, *Urbini* & *Soræ* Duces, urbis *Romæ* præfecti, olim Collegii, & Ciriaci, nunc Vicinovi, Rivalbæ, Cinzani domini, Municipiorumque aliorum in Latio, & Liguribus reguli civitatis, & patriæ ornamenta.

ANNO. . . . .

Paulus Dia. Sigon. eod.

ANNO CHRISTI DCCV. *Arupertus* filius *Ragumberti Taurinatis* in regnum succedit. Is *Luitperto* Regi, (quem regno pater expulerat) seditionem redin egravit, & hostis declaratus, cum C *Asprando*, *Rhotarioque* auxiliaribus apud *Papiam* summo prœlio decertavit: victor *Rhotarium* captum in exilium apud *Taurinos* egit.

ANNO. . . . .

Palmer. Annales Nic. Gill. Sig. lib. 3.

ANNO CHRISTI. DCCLIII. *Pipinus Francorum* rex, simul & *Stephanus* Pontifex Max. postquam *Maurianæ* aliquantum resedissent, cum exercitu superatis Alpibus *Taurinum* ingrediuntur, *Astulphum Longobardorum* Regem Francus fugat, *Papiæ* obsidet, & ad pacis justas conditiones adigit: In *Gallias* victor remeat.

D ANNO. . . . .

Gilles.

ANNO CHRISTI DCCLV. iterum *Pipinus* rex Alpes superat, *Taurinum* ingreditur, *Astulphumque* domat, qui mox interiit.

ANNO. . . . .

22 Ex notis ejus seculi Cœnobii Novalesiani.

ANNO CHRISTI DCCLVI. *Abbo* Patricius *Romanus* natione *Gallus*, *Felicis*, & *Rusticæ* filius, *Marronis*, & *Dodinæ* nepos, cis transque alpes potentissimus, Novalesianum cœnobium in situ E jacens, & jamdiu incultum, novis ædificiis restituit, *Valchino* Archiepiscopo Ebrodunensi patruo curante, & *Godonem* abbatem instituit, quem *Abbo* alter sequutus, tum *Joseph*, inde *Guillelmus*, mox *Giraldus*, denique *Asenarius*, & alii. Atque pinguibus proventibus per vallem *Secusiam*, & ad agrum usque Taurinensem locus adauctus est.

ANNO. . . . .

Iidem. Jo Cuspinianus. Eginardus. Caroli scriba. Donatus Acciaiolus in vita. Ex notis Novaliensis cœnobii.

ANNO CHRISTI DCCLXXIV. *Carolus* Magnus *Pipini* filius, precibus *Hadriani* Pontificis evoca- F tus, *Gevevæ* Allobrogum aliquandiu de bello deliberat, mox *Italiam* magnis ingreditur copiis: per Montem Jovis, perque *Cinitium* divisis, ut *Desiderium* Ecclesiæ hostem comprimeret. Ille collectum exercitum, *Augustam* prætoriam & *Taurinum* contendere jubet. Dum *Cinitio* transit, & Novalesiano cœnobio aliquandiu residet, ab *Asenario* abbate exceptus est. Murum erigi quamprimum è contra *Desiderius* in valle Secusina jubet

Vincentius li. 20. c. 59. & li. 24. ca. 169. Nauclerus gen. 26. Paulus Æmilius li. 2. Albertus Crantius li. 2. Sax. c. 1. & in Dania. Platina in Adriano pro Leodio, Lugdunum ait.

bet à monte Prociano ad Caprium, quo inclusus *Carolus*, per montis compendia, & crepidines, arte cujusdam circulatoris in *Gavium* pagum descendit, & à tergo *Desiderium* adoritur, qui elapsus est. At vero *Taurinum Francus* ingreditur, illicque aliquot diebus refecto milite hostem ex agro Vercellensi fugat, *Papiam* usque persequitur, obsidet, expugnat. Mense Majo victum, vinctumque exilio mulctat perpetuo, *Leodium Eburonum* relegatur. Hic *Longobardici* regni finis in *Italia*, postquam per ducentum, & sex annos ipsa sat nimium Barbarorum jugum serva subierat.

Ex eisdem notis Novalesiæ. Jo. Feron. in catalogo Conestabilium Franciæ.

Eo ANNO Idem *Carolus* Magnus de *Longobardicis* oris triumphans, cum in *Gallias* rediens, illis prospicere vellet, earum administrationem, & curam proceribus aliquot *Franci* generis (quibus imprimis confidebat) detulit. *Abboni* jam illic authoritatem nacto, *Secusiæ* tractus ad *Taurinos* usque datus à cujus Sobole *Secusini* tandem marchiones, quasi Italicæ portæ custodes. *Protadus* Gamachiæ stirpis in *Gallia* clarissimæ, Saluziarum marchio effectus, à quo & Marchionum posteritas, ejusdem stemmatis, partiti, inquam scuti cerulei, argenteique.

ANNO. . . . .

23 Ex eodem notis.

ANNO CHRISTI DCCLXXX. cum etiam *Mamfredus* quidam ex Castellæ principibus oriundus, gigantea statura, (ut cujus pes cubitalis esset) *Carolum* magnum in ea expeditione sequutus fuisset, & filios duos haberet, *Frodinum*, & *Theudaldum*: illum *Asenario* abbati sacris instituendum dedit, qui tandem, & ipse abbas sanctitate insignis exstitit, hunc ducta *Honoria* tertia *Abbonis* patricii filia, *Secusiæ* reliquit, & *Secusinus* dictus. Stemma vero turritum (quod ex Castellanis occiduis prodiisset) retinuit.

Ex testamento Abbonis inferius.

ANNO. . . . .

Ex testamento dato anno regi Caroli XXI. tertio nonas Majas per Lydibertum clericum scripto.

ANNO CHRISTI DCCLXXXIX. idem *Abbo* patricius capulo proximus, quod & filium *Riculfum* amisisset, absoluto Novaleciano templo, & ædificiis, accrescente piorum virorum cœtu, testamentum condidit, quo majore patrimonii portione monasterium hæredem instituit. Eorum quæ in valle *Maurigeniæ* (nunc *Mauriana* dicta) & Grationopolitana, Matacense, Ebrodunense, Arelatense, Tolonense, & aliis aliquot regionibus *Gallicis* possidebat, & quorundam etiam in *Italia*. Cætera Vapponicensis, Sigistertii, Regensis agri, dat Virgiliæ filiæ. Secundæ non meminit. Tertiæ vero *Honoriæ*, quæ apud *Secusinos*, & *Taurinenses* erant reliquit, & quæ prius *Riculfo* filio jam olim donarat.

ANNO. . . . .

Ex notis Novalesii, & Secusinis.

ANNO CHRISTI DCCXCV. *Theudalto* defuncto, *Dodus* filius succedit, à *Carolo* magno Marchio confirmatus, qui Taurinenses etiam regit.

ANNO. . . . .

Sig. lib. 4.

ANNO CHRISTI DCCC. *Carolus* Magnus Romanorum Imperator *Romæ* inauguratur, & apud *Taurinos* rediens aliquandiu resedit.

ANNO. . . . .

Idem.

ANNO CHRISTI DCCCXV. *Ludovicus* Imperator.

A ANNO.

ANNO CHRISTI DCCCXXIII. *Lotharius* item Imperator. Idem.

ANNO. . . . .

24 Idem Sig. lib 4. Ex scriptis ipsius Claudii Taurinensis: Verba met Claudii.

ANNO CHRISTI DCCCXXV. *Sarraceni* infestis incursionibus adeo *Italiæ* littora lacerarunt, ut etiam Episcopi ire ad ea defendenda compulsi fuerint, interque cæteros *Claudius* Taurinensis Episcopus ineunte vere ad eos summovendos cum instructa Taurinensium acie accurrit, neque magis calamo, quam gladio studuit.

B

ANNO. . . . .

Ex notis Novalesii.

ANNO CHRISTI DCCCXXXIX. *Herigarius Dodonis* Marchionis, & *Dodæ* filius patri *Secusiæ*, & *Taurinis* succedit. *Venesium* cum locis montanis Cœnobio Novaliensi confert.

ANNO. . . . .

Sig. lib. 5.

ANNO CHRISTI DCCCXLIX. *Ludovicus Pius Lotharii* filius *Italis* imperat cui *Taurinates* paruere.

C

ANNO. . . . .

Ex tabulario Eccl. Taur.

ANNO CHRISTI DCCCLXIII. sedit *Taurini Claudius II.* Episcopus.

ANNO. . . . .

Gilles in Annal. Ex inscriptione, & tabula in Æde Nautuaci Variat Paul. Æmilius.

ANNO CHRISTI DCCCLXXV. *Carolus Calvus* ad imperium electus, qui *Italia* rediens, & uxore, (quæ Maurianæ erat) secum adducta, apud *Brionam* arcem juxta *Nautuacum Sabaudiæ* dies clausit.

D

Ex eisdem notis Novaliensibus.

Eo ANNO defuncto *Herigario* Marchione *Dodonis* filio, successit *Mamfredus*, quem ex *Lea* uxore suscepit. Hic etiam comes Palatii dictus multa prædia Novaliensibus, Abbate *Heirardo* contulit, & *Taurinensia* templa restauravit.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI DCCCLXXVIII. successit *Ludovicus* Balbus Imperator.

ANNO. . . . .

E

Iidem.

ANNO CHRISTI DCCCLXXXI. insequitur *Carolus Crassus* Imperator.

ANNO. . . . .

25 Iidem.

ANNO CHRISTI DCCCLXXXVIII. extincto *Francorum* in *Italia* Imperio, *Berengarius Italus Italis* imperat, moxque *Vido Berengarium* expellit, qui inde ab *Othone Saxoniæ* Duce restituitur, ac *Vidone* mortuo cum *Lamberto* ejus filio decertat.

F ANNO. . . . .

Ex notis Secusinis, & Taurinensibus.

ANNO CHRISTI DCCCXCV. defunctus *Mamfredus* Marchio successorem *Annonem* filium habuit, qui *Taurinis* quoque dominatus est.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI CMI. *Ludovicus Anulphi* Cæsaris filius *Italiam* in *Berengarium* ingreditur, rerum-

rumque potitur, inde à *Berengario* receptum regnum, capto, & excæcato *Ludovico*.

Ex notis Novaliciæ.

ANNO eodem defuncto *Claudio* secundo Episcopo Taurinensi succedit *Vullielmus* vir doctissimus, qui gesta divi *Solutoris*, & aliquot *Thæbeorum* martyrum conscripsit, ossa divi Secundi ejus sacræ legionis strenui militis *Taurinum* transtulit, in templo divi *Joannis* reposita.

ANNO. . . . .

Ex eisdem notis.

ANNO CHRISTI CMVI. grassantibus *Sarracenis*, qui *Fraxineto* egressi fuerant, *Dommontius* abbas Novaliciensis cœnobio egressus, ut alii quotquot, qui in agris minus tuti videbantur, *Taurinum* cum sarcinis ingentibus aufugiunt, octo plaustra onusta è *Novalecio* mittuntur, sex mille sexcentum & sexaginta sex libri illius bibliothecæ numerantur, signa, statuæ aureæ, argenteæ, & Divorum reliquiæ innumeræ. In templo divi *Andreæ*, & *Clementis* cœnobitæ illi excepti sunt, quod templum è regione Arcis portæ *Secusinæ* situm erat. monasterium vero Novaliciense ab impiis hostibus combustum, necati qui illic remanserant.

ANNO. . . . .

Ex eisdem notis.

ANNO CHRISTI CMX. cum *Ardoinus Ardii* sive *Dodi* filius *Taurinum* expulso *Annone* occupasset, & aliquot *Sarracenos* milites bello captos in
26 civitate retineret, hi intempesta nocte monasterium divi *Andreæ* pone castrum combusserunt, vix evaserunt monachi: Bibliotheca vero fere tota flammis consumpta: Quingentos tamen libros *Riculphus* præpositus Ecclesiæ Taurinensis paulo ante retraxerat.

ANNO. . . . .

Iidem. Onuphrius Sig. lib. 6.

ANNO CHRISTI CMXXII. mense Januario *Rodolphus Conradi* filius rex *Burgundiæ*, *Italiæ* etiam proclamatur in *Berengarium*. Denique *Taurinorum* supremo potitur imperio.

ANNO. . . . .

Idem.

ANNO CHRISTI CMXXIV. obiit *Domuntius* abbas, cui *Belegrimus* successit, & ab *Annone* civitati restituto, donatur alio templo divo etiam *Andreæ* sacro ad civitatis mœnia, & portam Comitalem. *Ardoinus* propulsatus apud *Secusiam*, & *Novalitium*, *Rogerius*que frater palantes feruntur.

ANNO. . . . .

Idem.

ANNO CHRISTI CMXXVI. *Hugo* Arelatensium Comes, *Lotharii* comitis Provinciæ filius, fugato *Rodolpho*, *Italiæ* regnum arripit, *Taurinum* adipiscitur.

ANNO. . . . .

Ex notis Novalicien.

ANNO CHRISTI CMXXVIII. post *Vullielmum* Episcopum, succedit *Riculphus*, qui antea præpositus ejus Ecclesiæ.

ANNO. . . . .

Idem.

ANNO CHRISTI CMXXXII. *Lotharius Hugonis* filius ad regnum illud à patre adsciscitur.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI CML. *Berengarius Adelberti* filius, *Anscarii* Marchionum *Eporediæ* nepos, *Lothario*, 27
& *Hugone* deturbatis in *Italia* regnat, una cum *Adelberto* filio, & *Taurinis* potiuntur.

ANNO. . . . .

Iidem. Jo. Cuspinianus. Sig. lib. 7.

ANNO CHRISTI CMLXII. *Otho Henrici* Aucupis *Saxonis* Cæsaris filius *Italiæ* rex, ac Imperator *Romæ* inauguratur. Tuncque primum Eporedicis Marchionibus expulsis, *Saxones Germani*que harum orarum potentes extitere: Et ab hoc Cæsare recta linea nostri *Sabaudiæ* Duces prodiisse videbuntur, ut maternum genus à *Secusinis* heroibus traxerunt. Is primum hac in civitate inter cæteras *Italiæ*, eam reipublicæ rationem instituit, ut tribus administraretur consiliis, quæ speciale, generale, & credentiæ consilia dixere. Conservatorem vero privilegiorum, sive Capitaneum, (ut ajunt) *Taurinenses* habuere eum *Annonem Secusiæ* Marchionem. Idque factum rationibus quibus diximus, quod jam satis ex *Caroli* magni placitis præesset, sive quod is civis *Taurinensis*, & senior potentiorque, sive quod provinciæ alpium *Cottiarum* dominaretur. Cui paulo post successit *Hieronymus* filius, qui & *Magnifredus* vocabatur.

Ex diplomatibus Secusinis & Ecclesiæ Taurin.

ANNO. . . . .

Ex notis Ecclesiæ.

ANNO CHRISTI CMLXVI. mortuo *Riculpho* Episcopo, vocatur *Annuco* vigilantissimus.

Ex tabulis fundationis ejus templi.

EO ANNO *Hugo Marinus Alvernus* vir primæ nobilitatis Montis *Buceri* regulus, cum *Ysengarda* conjuge *Roma* redeuntes (quam pietatis causa petierant) magno sumptu, magnis effusis thesauris templum divo *Michaeli* ad montem *Caprasium* extruxerunt, *Annucone* Episcopo permittente, immunitatemque concedente, cui primum Abbatem *Aduertum* constituerunt, *Joanne* XIV. *Romæ* sedente, & confirmante. Quod templum aliquot post annis, *Sylvestro* secundo jubente ædificiis exornavit *Joannes* ex Archiepiscopo *Ravennate* Heremita factus. Sed paratis tignis & maceria, miraculo insigni, translata omnia in alteram montis partem, ubi olim *Pyrghiriana* civitas, ab Alpibus duodecim millibus distans, idque columbæ ministerio factum veteres ferunt, & in somnis monuisse Angelum, ut eo loci ædificaret, quod *Joannes* fecit, *Annuconem* Episcopum monuit, qui *Avillianam* accedens ad templi consecrationem, trabem flammeam vidit superfulgere, columbamque quasi è cœlo missam sæpius circum ambire. Locus consecratus miraculis diu claruit, & ab *Arduino* rege novissimis suis diebus, tum à *Sabaudis* principibus oppidis auctus, ornatus, ditatusque.

Ex attestationibus Annuconis Episc.

Ex tabulario abbatiæ Secusinæ & Taurinensi.

ANNO CHRISTI CMLXVII. *Hieronymus Magnifredus Annonis* filius patri apud *Secusinos* succedit, & *Taurinos* moderatur. 28

Ex eisdem.

ANNO CHRISTI CMLXXIII. *Otho* secundus, *Othonis* primi filius Imperator Romanorum, post mortem patris *Italiæ* præest.

ANNO.

Ex eisdem.

ANNO CHRISTI CMLXXXIII. successit *Otho* Tertius secundi filius, *Romæ* Imperator, qui in *Italiam* tertio trajecit, rerumqe late potitus est.

ANNO. . . . .

Ex notis Novaliciæ.

ANNO CHRISTI CMLXXXVI. mortuo *Hieronymo* Marchione, succedit *Magnifredus* qui & *Olricus* dictus, Marchio *Secusiæ*. Is ducta *Berta Augberti* Marchionis *Eporediæ* filia, controversias veteres cum *Ardoino* uxoris patruo sedavit, cumque altero *Ardoino Ardoini* filio.

AN-

Ex eisdem notis.

A ANNO CHRISTI CMLXXXVII. *Geson* Novalesiensis abbas, pace sic inter principes viros icta, *Novalesiam* restauravit ædificiis, illucque cum monachis relicto *Taurino* rediit. Atque ita cœnobii dignitate restituta, plurimorum piis legatis cumulantur reditus. extant inter cætera *Odonis*, & *Vindonis Bertæ* fratrum, donationes non modicæ.

ANNO. . . . . .

Jacobus Bergomas.

ANNO CHRISTI CMXCVIII. sedente Pontifice *Silvestro*, & Episcopo *Taurinensi Annuncone*, Episcopatus *Secusinus* suppressus est, quod à *Secusinis* eorum Episcopus dignitate (ut ferunt, mihi non ita certa res est) abutens occisus foret, unitaque ea diœcesis *Taurinensi* Ecclesiæ. B

Raph. Volater. lib. 3. Christoph. Millæus in consi. histor. Renanus li. 2. rerum Ger. Lasius li. 9. & 12. de migrat. gen. Rob. Gouletus in compen. sex 29 ætatum. Pe. Cara orator ad Alexandrum. 6. Valer. Anse. Ber. Peres Vargas, Hisp.

EO ANNO *Annuncone* defuncto Episcopus statuitur *Amiso*.

EO ANNO BEROLDUS Saxo, *Hugonis Saxoniæ* Ducis filius, ab *Othone* tertio patruo (qui tunc ad Italicas expeditiones se parabat, ut *Gregorium V.* Pontificem, gentilem suum sedi restitueret, ac *Crescentium* Tyrannum reprimeret, *Bosoni* Arelatensium, *Rodolpho*que Burgundionum regibus, in Genuenses cis transque Alpes grassantes adesse non poterat.) Is inquam *Saxo* nepos Cæsareus mittitur, qui hostiles conatus dissipavit, *Allobroges Sabaudiæ*que populos recepit, *Magnifredum* Marchionem *Secusinum* post varios motus, ad Alpes *Cottias* vicit, earumque tandem regionum arbitrum, & moderatorem *Humbertum* filium pace contracta (ut videbimus) reliquit: inque suos cum lato imperio approbantibus Cæsaribus feliciter transmisit. Quos *Sabaudiæ* Duces ad hæc usque tempora hinc, illincque florentissimos pervenisse suscipimus. At pulsus marchio *Magnifredus Taurinum* confugit. C

Annales manuscripti. Dom. Macaneus. Jac. Delexius. Symphor. Campejus. Peronerus de Pino. Musingius. Paradi. duo Ex archivis & diplomatibus notisque vetustissimis. Numismat. & monetis. quas vide TAB. pag. 3. num. 10. 11. 12. D

Ex diplomate. dato Pap. Kal. Sep. eo anno ind. 12. reg. 14. imperii. 3.

EO ANNO Kalendis Septembris, idem Imperator *Papiam* venit, ubi inter cætera, *Taurinensi* Episcopo *Amisoni*, qui *Annunconi* successerat, concessit valles duas Varactanam, & Sturianam cum Clusiatico, & adjacentibus. Idque precibus *Anardi* Marchionis, Cæsaris summi consiliarii, & *Heriberti* etiam consiliarii interventu.

ANNO. . . . . .

Ex tabulario Abbatiæ sancti Michaëlis Clusini. Sig. lib. 8. Ex historia veteri manuscripta Fructuar. cœnobii. Ex Archivis Ducal.

ANNO CHRISTI MI. *Amisone* Episcopo defuncto, succesSit Gezo Episcopus pietate clarus. E

ANNO CHRISTI MII. *Ardoinus* Eporediæ Marchio, *Ardoini* filius, *Ardionis*, sive *Dodonis* nepos, *Berengarii* item regis pronepos, *Adelberti* abnepos, rex *Italiæ* ab *Italis Papiæ* salutatur, reclamante *Arnulpho* Mediolanensi Archiepiscopo, accitoque *Henrico Saxone* Cæsare, qui primo congressu ad Alpes in campo Fabricæ ab *Ardoino* repellitur. Huic itaque *Taurini* aliquandiu paruerunt. Is autem profitebatur vivere se lege Salica.

ANNO. . . . . . F

Ex archivo abbatiæ Clusinæ.

ANNO CHRISTI MVII. *Gezo* Episcopus *Taurinensis*, ob bella assidua, quibus universa hæc provincia vexabatur, consilio habito cum suis,
30 etiam civibus contulit abbati sancti *Michaëlis Clusini*, quæ antea possidebat ipse Episcopus apud oppida sancti *Ambrosii*, *Casellas*, *Alpinianum*, *Clusas*, *Novalesiam*, & *Vallem Clusinam*, ut rei Divinæ, majore viciniæ commoditate inservirent.

Ex notis Novalesiæ.

ANNO CHRISTI MVIII. magna dissidia inter *Magnifredum* Marchionem, & *Arduinum* suscitata, ob Bremetensis abbatiæ collationem, quæ à Novalesiensi dependebat, cum *Magnifredus Gotofredum* Abbatem tueretur, *Arduinus Oddonem* alium intruderet, vicit *Gottofredi* causa, *Joanne* etiam Pontifice max. XVIII. authoritatem interponente. Ita ut supplex *Oddo* peccati veniam à *Magnifredo* petierit, & se *Gottofredo* abbati legitimo submiserit, tenuiore sacerdotio contentus.

ANNO. . . . . .

Ex tabulario Clusino.

ANNO CHRISTI MX. defuncto *Gezone* Episcopo *Taurinensi*, succedit *Landulphus*. Qui etiam ob bellorum injurias desolato templo, & prioratu Caburri, istud perpetuo jure confert *Hermengardo* abbati Clusino, ut ad restaurationem commodius promptiusque vacet.

ANNO. . . . . .

Cuspinianus Sigonius. Ex archi. eisdem.

ANNO CHRISTI MXIII. *Henricus Saxo Henrici Hezeli* Bavariæ Ducis filius, in *Ardoinum* secundiore bello pugnat iterum ad Canapitium, astante *Beroldo Saxone* gentili suo, qui victoriarum particeps fuit. *Arduinus* siquidem funditur, loco dejectus, *Secusiam* (quam affinis, & socius *Magnifredus* Marchio receperat, & quietior adhuc incolebat) se se confert: *Henricus* rex *Italiæ Mediolani* sumpta corona ferrea confirmatur, *Taurinis* proinde dominatur, *Magnifredo* aliquandiu deturbato.

Ex archivis, & notis vetustissimis.

ANNO CHRISTI MXIV. *Beroldus Saxo Sabaudiæ Marianæ*que princeps, cum *Humberto* filio, suscitatis novis præliis in *Magnifredum* Marchionem, eum ad pacis conditiones adegerunt, & ducta ab *Humberto Adelasia* Marchionis filia, in successionem is vocatur, atque ita annuente Cæsare Taurinensem agrum tandem post Socerum adipiscitur.

Ex tabulario Clusino.

EO ANNO post obitum *Landulphi* Episcopi *Taurinensis*, assumitur *Maynardus*, qui decessoris gesta in abbatis *Clusini* gratiam confirmat, ut maxime Caburrensem prioratum collapsum restauraret, & perpetuo possideret. 31

Ex archivis & notis vetustis. Ex diplomate fundat. & notis Fructuarensibus. Sig. lib. 8.

ANNO CHRISTI MXV. *Ardoinus Henrici* Cæsaris (qui in *Germaniam* migrarat) absentia erectus, *Eporediam* qua ejectus erat recuperat, atque ea egressus *Vercellas*, *Astam* aliasque civitates occupat. *Alricum Magnifredi* Marchionis Secusini fratrem Astensi donat Episcopatu, inscio spretoque *Arnulpho* Mediolanensi Archiepiscopo, qui armata manu *Astam* expugnat, & ad deditionem *Alricum* Episcopum ejusque fautores cogit.

Ex eodem & ex pontificio diplomate.

ANNO CHRISTI MXVI. *Ardoinus*, rex indignatus quidem, sed ad Superos recurrens, sese regno ultro abdicat, *Henrico* cedit, Fructuarensi cœnobio (quod superioribus annis pro *Vullielmo* filio construxerat) se devovet, cælestique quadam inspiratione monitus, inter cætera templa Virgini *Mariæ* Consolatæ ædem *Taurini* ad pomerium civitatis non multo post erexit. Quibus sacris rite dicatis, *Benedictus* octavus Pontifex privilegia plurima indulsit, *Maynardo* Taurinensi tunc Episcopo, qui Landulphum subsequutus est.

ANNO. . . . . .

Ex notis Fructuar.

ANNO CHRISTI MXVIII. secundo die Martii, *Ardoinus* mortem obiit *Valpergiæ*, sepultus in Fructuariensi cœnobio (etsi alii in Abbatia Grazani Albensis diœcesis asserant) ad Aram divi Jo-

A Jo. Baptistæ, relicto *Guidone*, *Regio*, *Othone*. A quibus Valpergiæ, Sancti Martini, & Castrimontis comites derivati, *Sabaudis* Ducibus parere pergunt.

ANNO. . . . .

Sigonius eod.

ANNO CHRISTI MXXII. *Henricus* Imperator in *Longobardiam* emensis Alpibus descendit, *Taurinum*que ingreditur *Piligrino* Coloniensi, & *Popone* Aquilejensi præsulibus comitantibus.

ANNO. . . . .

Ex notis Novalesiæ.

B ANNO CHRISTI MXXVII. mortuo *Gothofredo* abbate Novalesiensi, qui *Gesoni* successerat, *Odillo* Cluniacensis, *Odillonis* nepos Abbatiam invasit, præter antiquum morem electionis, & à *Conrado* Cæsare *Romæ* confirmatur. Hunc quoque *Magnifredus* marchio, quem *Taurini* residentem adiit, consilio *Alrici* præsulis *Astensis* confirmavit, reclamantibus licet monachis quibus cives Taurinenses favebant, quos tamen Marchio armato milite repressit: at *Odillo* ab Episcopo
32 Mainardo comprehensus non prius dimissus, quam jurejurando clientelari præstito.

Ex archivis Ecclesiæ divi Joannis.

C EO ANNO *Olricus Magnifredus* Marchio *Secusiæ* (professus vivere lege Salica) dies clausit *Taurini*, sepultus in templo divi *Joannis* ad Altare sacelli sanctæ Trinitatis, ubi & *Alricus* Episcopus Astensis *Olrici* frater sanctimonia venerabilis. Sepulta etiam *Berta Olrici* conjux, filia *Augberti* Marchionis *Eporediæ*, *Ardoini* primi fratris. Reliquit *Olricus* filias duas *Immillam* Ducissam vocatam, *Taurinum* incolentem, alteram *Adelasiam*, sive *Adelaim Humberti Saxonis* (ut diximus) conjugem, qui inde Marchio *Secusiæ*, ut Comes *Sabaudiæ* Maurianæque, post Burgundicum sive Arelatense regnum, in *Rodolpho* ultimo extinctum dictus, à qua filios *Petrum*, *Amedeum*, *Aymonem*, *Odonem*, & *Elisabetam* suscepit, jusque supremum *Taurinæ* reipublicæ regendæ, quod Socer à majoribus acceperat nactus est.

Ex monetis, quas vide TAB. pag. 3. num. 13.

ANNO. . . . .

Ex archivis ducal. Robertus Cænalis. perioche 8. In fine paulo variat.

ANNO CHRISTI MXXVII. *Conradus* in *Italiam* cum expedito exercitu transiit, *Romæ*que coronatus, *Taurinis* etiam dominatus est, Administratore *Humberto Beroldi* Saxonis filio, Secusinique successore relicto, quem & *Sabaudiæ* Maurianæque comitalibus sceptris ornavit, ut hæ (inter varias Imperii provincias) à patre receptæ fuerant, tum *Humbertus* se vivere lege Salica, ut socer profiteri cœpit.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI MXXXVI. decedente *Mainardo* Episcopo, consecratur *Vido* habitus vir prudens, & frugi.

ANNO. . . . .

Ex diplomate dato Coloniæ eo anno Kal. Aprilis regni Conradi 14. imperii 12.

ANNO CHRISTI MXXXVIII. *Conradus* Impe-
33 rator *Taurinum* in veneratione habuit, quod in templo civitatis maxilla præcursoris Baptistæ coleretur, & (ut ipsius diplomatis verbis utar) aliorum sanctorum Martyrum videlicet Solutoris, Eventoris, Octavii, & confessorum Martiniani, Juliani, atque Bisutii, ideo dat Cæsar *Vidoni* Episcopo Taurinensi instante *Odolrico* Brixiano Episcopo, Morianensem Episcopatum, & pleraque ejus provinciæ, & vicinarum aliarum municipia, quas curtes vocat. Exprimuntur sancti Andreæ, sancti Michaëlis, Suigueriæ, Vallis quoque aurea, Albusum, Mons rotundus, Alvacum, Camusetum, Villarambertum, Malvardatum, Cuyna, Argentina, Arpinum, Talloria, Conflentia, Mantonum, Armiramum, Ulgina, Thononum, Berguen, Sanctus Julianus, Grandunum, sanctus Remigius, Mons Aginonus, Villagondranum, Rotulafellum, Interaquæ, Madarellum, Cheninum, & pleraque alia diœcesium Grationopolitanæ, Genevensis, Tarentasiensis. Id vero *Humberto Sabaudo* procurante etiam factum fuisse ferunt, *Eberardo* Maurianensi Episcopo defuncto, ut Taurinensem in suas partes traduceret, nec in *Taurino* potiundo adversaretur. Quod quidem per aliquot annos integrum, sed irritum tandem fuit.

ANNO CHRISTI MXXXIX. mense Martio, *Vido* Taurinensis Episcopus apud *Conradum* Cæsarem plurimum authoritate poterat, Mutinensique Ecclesiæ in honorem divi Geminiani dicatæ plurima conferri procuravit.

Ex ipso Cæsareo diplomate dat. Coloniæ. Et Sig. lib. 8.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MXLV. post *Vidonis* Episcopi Taurinensis mortem *Reguimirus* advocatur.

Iidem.

ANNO CHRISTI MXLVI. *Henricus Conradi* filius in *Italiam* descendit. *Romæ* Cæsar inauguratur, ab *Amedæo* Sabaudiæ Pedemontiumque principe *Humberti* filio excipitur, quem & prosequitur: Taurinensis authoritatis privilegia à parentibus accepta, inter cætera confirmari curat. Taurinenses, (ut suam *Sabaudiam*,) ab incursionibus *Normanorum*, *Guilelmo* Montroliensi duce, qui totam lacerabant *Italiam* conservat, & Pedemontensis ideo suo merito cognominatus, isque professus vivere lege Romana, quod omnino Pontificibus addictus esset.

Ex archivis ducal.

Ex moneta argentea Amedei: quam vide TAB. pag. 3. num. 14

D EODEM ANNO, idem *Henricus Roma* rediens, 34
dat *Reguimiro* Episcopo Taurinensi, (qui canonicorum ordinem, in Salvatoris templo recens constituerat) plures aliorum ejus civitatis templorum reditus, exprimuntur diplomate templa divorum *Philippi*, & *Jacobi*, *Simonis*, & *Judæ*, *Stephani*, *Martiniani*, *Eusebii*, *Martini*, Arx etiam ad portam Turrianicam civitatis, cum molendinis, & piscationibus, (hodie porta Palatii dicta) omnes quoque dat decimas, & extra urbem, in hæc verba. Ecclesiam Cardinalem sancti Maximi in Quinto, sancti Stephani in Maliasio, nec non sanctæ Mariæ, & alia pleraque. Addit municipia, (curtes dictas) Alpinianum, Trufa-
E rellum, Lisiniacum, Viliascum, Gruliascum, Saxinascum, Martiriascum, Panatianum, Romanianum, Mitianorum, Panariolum, Andisellum, Patianum, Balbianum, Alinianum, Santenam, Burgarum, Buriades, Medium, Scantaldicum, Carnianum, plebesque plurimas. Id tamen absente Sabaudo factum conjicias, quo præsente vel audito, non hoc suis juribus illatum vulnus fuisset, nisi forte cum Episcopo Sabaudus convenisset.

Ex diplomate dato Mantuæ eo anno Kalen. Maji ind. 15. Ordinationis 18. Regnantis 8. Imperantis 1.

ANNO. . . . .

F ANNO CHRISTI MLXVI. obiit *Taurini* Beatus *Goselinus* abbas Ecclesiæ sancti *Solutoris*, insignibus clarus miraculis.

Eo met ANNO decessit *Taurini* vir etiam sanctimonia plenus *Anastasius*, sepultus è regione beati *Goselini*, in Ecclesia divi *Solutoris*.

Ex notis Georgii de Lulerna Abbatis S. Solut. Idem.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MLXIV. octava Septemb. *Ade-*

Ex archivis Pinerolienſibus.

*Adelaſia* filia *Magnifredi* Marchionis Secuſini, vidua *Humberti Saxonis*, *Sabaudorum*que principum mater, *Oddonis* etiam Marchionis Lucentii vidua *Taurini* moram trahens in arce portæ Secuſinæ, diſertis tabulis fundat dotatque Eccleſiam Beatæ Mariæ Pinerolii, præſentibus *Petro*, & *Amedeo* ejus filiis.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI MLXX. *Reguimiro* extincto, *Combertus* Epiſcopus Taurinenſi Eccleſiæ præficitur.

ANNO. . . . . .

35

Ex arch. Taur. Ex contractu Romagnanæ familiæ, eo anno octavo Kal. Decembris. Verba ſunt contractus. Alb. Cran. li. 5. c. 6. Nauclerus gen. 36. Sabell. lib. 3. 9. Æneid. Blondus. Platina. Hervelden.

ANNO CHRISTI MLXXVI. *Adelaſia* pleraque ad pias cauſas Taurinenſi huic Eccleſiæ legavit, locaque ſacra in civitate extruxit.

EO ANNO Marchiones Romagnani *Magnifredus*, *Arduco*, *Jacobus*, & *Nicolaus* conſules *Taurini*, fœdera inierunt cum Taurinenſibus. Cumque tunc in Charienſes hæc civitas bella moveret, pollicentur ſe ſe mutuo juvare, idque bis in anno per quindecim dies continuos, & contra omnes, excepto Imperatore, comite *Sabaudiæ*, & *Obberto* comite *Blandratæ*.

ANNO CHRISTI MLXXVII. menſe Decembri *Amedeus* Comes *Sabaudiæ* *Henricum* IV. *Henrici* III. filium Alpibus Cinitiis ſuperatis per totam ditionem, atque *Taurini* etiam excepit, & ad *Canoſſum* Rhegienſis Agri oppidum deduxit, cum *Gregorio* ſeptimo Pontifice conciliavit, ſimul & *Matilda Bonifacii* Marchionis *Thuſciæ* filia, *Gotfredique Lotharingii* vidua juvante.

Monac. Bugatus. Sig. variat.

Ex archi. Taurinenſi.

EOMET ANNO, & menſe *Immilla* Duciſſa vocata, filia *Magnifredi* Marchionis *Secuſiæ*, & *Adelaſiæ* ſoror, *Taurini* reſidens in Arce portæ Secuſinæ, fundat monaſterium *S. Petri* Romani apud *Muſinaſcum*.

Ex arch. Taurinenſi, & Pinerolen.

ANNO CHRISTI MLXXVIII. obiit *Taurini Immilla* duciſſa dicta, juxta patris cineres apud Divum *Joannem* condita, cui *Adelaſia* ſoror ſucceſſit, *Taurinum*que menſe Aprili ingreditur, ac plurima Abbatiæ Pinerolianæ confert, & quæ à ſorore donata fuerant confirmat.

ANNO. . . . .

Ex veteri tabula ædi Conſolatæ affixa.

ANNO CHRISTI MLXXX. civitas Taurinenſis, tum bellis diſſidiiſque inteſtinis, tum peſte, tempeſtateque, & fulminibus icta, deſerta diu, & inhabitata fuit. Errabant laborantes populi, pars major *Teſtonam* ſeceſſerunt.

Ex arch. ducal. & notis Fructuarienſis. Ex bulla Gregorii data Romæ Pont. anno primo in dictione 12. & aliis aliquot.

EO ANNO *Humbertus* ſecundus *Amedei* filius *Taurino* in *Sabaudiam* migrat. *Adelaſia* vero in *Valpergiam* ſe recepit, aliquotque poſt annos provectiſſima ætate, & ſpectata triplici generatione, & à Pontificibus filia ſancti Petri nuncupata, è vita exceſſit in oppido *Caniſculi* ſepulta in templo divi Stephani.

ANNO. . . . .

Ex archivis ducal. Ex diplomate abbatiæ Ripaltæ.

ANNO CHRISTI MCIII. menſe Novembri, *Amedeus* ſecundus *Humberti* II. filius, princeps *Sabaudiæ*, & *Pedemontium*, in avita jura *Taurinenſium* ſuccedit, ſeque ſuis titulis, jam tum Dei gratia Comitem *Burgundiæ*, & *Lombardiæ* (ut diplomatis utar verbis) vocabat.

A ANNO. . . . . 36

Ex vetuſtiſſima tabula & notis ejus Eccleſiæ.

ANNO CHRISTI MCIV. XX. Junii, cæperunt Taurinenſes mitiore apparente cœlo, conciliatiſque amicitiis, deſolatam jam ſatis urbem repetere, & incolere, quodam potiſſimum miraculo adducti, quod in virum nobilem, ex *Rauvadiorum* familia multis annis oculis captum claruit. Is enim votum divæ Virgini Conſolatæ voverat, interque rudeta ædiculam ubi ſuapte ſponte invenit, lucem & illico recepit. Mox hominum concurſus, mox loco contiguo templum Divo Andreæ dicatum erigitur, cum aliud ad *Secuſinæ*
B portæ, arcem (ut diximus) olim, everſum fuiſſet. Illi templo *Thomas Silius*, ex divi *Solutoris* cœnobitis, ab Antiſtite Bremetenſi primus prior præficitur.

ANNO. . . . .

Ex ipſo diplomate archivi Taur.

ANNO CHRISTI MCXI. Kalen. April. *Henricus* V. Imperator amplificat Taurinenſium fines ad oppidum uſque divi Ambroſii, qua *Romam* Secuſia itur, & eo toto itinere, euntium, redeuntium, peregrinantium controverſias, vult à Taurinenſibus magiſtratibus cognoſci, & decidi,
C inque præſidium fidei Cæſareæ, ipſos omnes recipit. Confirmat *Henricus* V. anno 1116. & *Lotharius* anno 1136.

ANNO. . . . .

Ex diplomate.

ANNO CHRISTI MCXX. Epiſcopo *Boſone* Taurinenſi, *Calixtus* ſecundus Pontifex ipſi Taurinenſi Eccleſiæ per eam *Adelaſiam* olim donata confirmat.

ANNO. . . . .

Ex archi Pinerolien.

D ANNO CHRISTI MCXXIII. Cal. Martii, idem *Boſo* Epiſcopus Taurinenſis, tunc *Teſtonæ* reſidens, plures confert Eccleſias *Dalmatio* abbati *Pinerolii*, Synodalibus tamen juribus reſervatis.

ANNO. . . . .

Ex notis Eccleſiæ Taur.

ANNO CHRISTI MCXXVIII. ſepulto *Boſone* Epiſcopo Taurinenſi, *Albertus* ad eam dignitatem erigitur.

ANNO. . . . .

Ex Archivis Abbatiæ ſancti Sulpitii Beugeſiani. Ex tabulario Eccl. Taur. Guil. Ventura in notis.

E ANNO CHRISTI MCXXXVIII. *Amedeus* ſecundus *Sabaudiæ* Pedemontiumque princeps, ab *Alberto* Epiſcopo in civitatis juribus avitis turbatur, Arbiter *Petrus* Archiepiſcopus Lugdunenſis eligitur, qui eas controverſias plane ſedare non potuit. poſſeſſioni tamen *Sabaudus* ſemper innititur. *Arbertus* *Teſtonam* ſeceſſit. 37

EO ANNO *Amedeus Sabaudorum*, & Taurinenſium ope, ab Epiſcopo *Aſtenſi* rogatus, *Aſtam* vi cepit, ejectumque cum reſtituit.

ANNO. . . . .

Ex arch. Pinerolii.

F ANNO CHRISTI MCXL. III. Kal. Decemb. Idem *Albertus* Epiſcopus Taurinenſis aliquot Eccleſias contulit Abbati Pinerolienſi, hortante probanteque *Innocentio* ſecundo Pontifice Maximo, reſervatis ſemper juribus Epiſcopalibus.

ANNO. . . . .

Ex eiſdem.

ANNO CHRISTI MCXLIV. Idem *Albertus* Epiſcopus Pinerolium cœnobium aliis auxit Eccleſiis.

*Ph. Pingonius.* B AN-

ANNO. . . . .

Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCXLIX. *Humbertus III. Amedei II.* filius apud *Sabaudos Taurinosque* rerum potitur, vir pietate insignis.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI MCL. CAROLUS Episcopus Taurinensis defuncto *Alberto* successit, *Sabaudo* infestissimus.

ANNO. . . . .

Otto Frisingensis lib. 2. cap. 15. Gaud. Merula. Ex Archivis civitatis.

ANNO CHRISTI MCLV. *Humbertus Sabaudus* princeps *Federicum Ænobertum Italiam* ingressum *Taurini* excipi jussit, ipso autem apud *Sabaudos* degente, cumque tunc *Carolus* civitatis Episcopus ipsi *Federico* (ut ajunt) cum umbella, comitante clero obviam fuisset, Cæsar ideo imperialia jura Episcopo in civitatem, absente nec audito *Sabaudo* contulit. Reclamant populi, obstat *Sabaudus*. Huic *Charienses*, *Astensesque*
38 vocati favent. Hos Cæsar potentior igni dat & direptioni.

ANNO. . . . .

Ex ipso diplomate dato apud castrum Avicianum in territorio Vercell. eo anno 7. Kal. Februarias Indict. 7. Ann. regni 7. Imperii 4.

ANNO CHRISTI MCLIX. Idem *Federicus* Imperator *Carolo* Taurinensi Episcopo, hominem quo sibi in *Adrianum* Pontificem alliceret, (sicuti alios ita aucupabatur Episcopos) dat jura civitatis, & circum quemcumque ad decimum lapidem, sive milliare, *Charium* quoque oppidum, Alivianum, Montem altum, Thessianum, Zavennam, (olim Gavium dictum) Mercuriadem, Santenam, Burgarum, Testonam, Saxenasium Carnianum, Sentalum, Lavaldisium, Pancalerium, Campillionem, Pinerolium, Buriascum, Avillianam, Ripulas, Lanceum, Septimum, Clavasium, San Michelem in monte Pyrghiriano, Decimas vallis Secusinæ, & pleraque alia, alieni liberalis Cæsar.

ANNO. . . . .

Sig. lib. 13.

ANNO CHRISTI MCLXII. *Federicus* Cæsar *Taurinum* accessit, ubi *Pisanos*, & *Genuenses*, novo inter se bello certantes, ad inducias adduxit, *Berengario* secundo Provinciam à *Massilia* ad *Druentiam* flumen, & Alpes latis finibus, beneficiario jure contulit.

Ex notis Ecclesiæ Taurinen.

EO ANNO *Vullielmus* secundus Taurinensis Episcopus, *Carolo* successit.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI MCLXVII. defuncto *Vullielmo*, succedit *Carolus* secundus Episcopus.

ANNO. . . . .

Ex Arch. ducalibus.

ANNO CHRISTI MCLXIX. *Humbertus Sabaudus* se se, civesque sibi restituit, *Carolus* Episcopus *Sabaudum* in jus coram Cæsare vocat, lis diu vertitur, excipientibus cum *Sabaudo* civibus.

Ex eisdem notis.

ANNO CHRISTI MCLXX. *Amiso* Episcopus *Carolo* secundo Taurinensi sedi sufficitur.

Iidem.

39 ANNO CHRISTI MCLXXI. *Milo Cardanejus* extincto *Amisone* pastor Ecclesiæ datus est.

ANNO. . . . .

Platina in Alex.

ANNO CHRISTI MCLXXIV. Martio, *Federicus* Imperator in *Italiam* per *Sabaudiam*, & *Cottias* Alpes rediit, *Secusiam* primam urbem igne, & ruina vastavit, ut cæteris *Italiæ* civitatibus terroris exemplo esset, *Taurino* pepercit *Milonis* Episcopi precibus assiduis lenitus, utque suarum partium esset Episcopus.

Chro. Germaniæ li. 18. Nauclerus gen. 90.

ANNO CHRISTI MCLXXV. *Federicus* idem multis in *Italia* afflictatus incommodis, ope Taurinensium, quibus pepercerat, opportune jam per montem Jovis, in Burgundiam transiit, inde ad suos in *Germaniam* facile transgressus.

Abbas Uspergen. Sig. li. 14. histor.

EODEM ANNO, cum relatum fuisset Taurinensem *Milonem* Episcopum in odium litis cœptæ à *Carolo* decessore suo, incendii Secusini authorem, & prædæ fuisse participem, *Humbertus* princeps *Taurinum* ingreditur, populatur, & quæ maxime Episcopi extarent omnia exportavit, census quoque annuos in publicum addixit, & sectionem damna passis Secusinorum adjudicari voluit (si damni æstimatio dari potuit) hinc lis coram Cæsare acrior, & vehementiores excitatæ tragœdiæ.

Ex diplomate Henrici VI. sub anno 1188. quod suo loco.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCLXXVIII. VI. idus Julii *Federicus* Imperator iterum superatis Alpibus *Taurini* moram traxit, plurimaque privilegia variis contulit, maxime *Rodobiensibus* ob castra *Confluentiæ Palestræ*, & aliorum agri Vercellensis.

Ex archivis Vercellen. & li. 1. Bissoni.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCLXXXV. *Taurini Gothofredus* Imperialis aulæ Cancellarius legatus Cæsaris, sententiam tulit in *Humbertum Sabaudiæ* Comitem, indicta causa, *Milone* Episcopo Taurinensi instante. Qua hic in possessionem mittitur Taurinensis civitatis, oppidorum Avillianæ, Ripæ altæ, medii Carniani, & arcis Turretæ de quibus contendebatur, ille vero spoliatus, & ob damna Ripolis, & Publiciæ injecta, septingentis libris mulctatur, à qua sententia reclamatum est.

Ex ipsa sententia in tabulario Ecclesiæ Taurin.

EODEM ANNO, mense Novembri, postquam *Milo* Episcopus Taurinensis Archiepiscopatui Mediolanensi successit, *Lamberto Cribello* Archiepiscopo, Pontifice maximo creato, & *Urbano III.* vocato: Ardoinus sedi Taurinensi suffectus est. *Cribellæ* autem gentis nunc adhuc extant apud Subalpinos Canelii comites splendidissimi. 40

Onuphrius in vita Pont.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCLXXXVIII. *Ardoino* Episcopo litem prosequente, nec exequutione aliqua subsequuta, *Federicus* Cæsar, & *Henricus* filius sententiam duriorem tulerunt in *Humbertum Sabaudum*, minus litibus intendentem. Qua *Sabaudus* condemnatur civitatem Taurinensem Episcopo cedere, & bannum (ut vocant) Imperiale *Sabaudo* imponitur, omnibus suis ditionibus commissis, & sectorum arbitrio expositis. Qui interea ætate, & mœrore gravis mortem obiit.

Ex diplomate Henrici ejus anni 9. Maii dato Basileæ ex archivis ducal.

ANNO eodem, *Thomas Humberti* filius, patri succedit, sententiam retractari curat, *Henricus Federici* filius causa cognita, judicatum reparat, *Sabaudi* jura integra agnoscit, reclamante tamen semper Episcopo. *Sabaudum* itaque toti ditioni restituit, Sedunensi sola ditione tunc imperio reservata.

Ex archivis, & actis eisdem.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCXCI. mortuo *Federico* Cæsare, *Ardoinus* Taurinensis Episcopus *Sabaudum* Tau-

Ex arch. civitatis. Gaud. Merula.

Taurinenſeſque cives turbat. civitate potitur, at ſeditione ſuſcitata, civitate præſul detruditur. Qui cum clero apud *Teſtonam* oppidum, (cujus ruinis poſtea erectum Moncallerium) ſeceſſit. Tandem reſtituitur Epiſcopus, ea tamen lege ne amplius ultra quam quæ Poli ſunt cognoſcat, publicis, & ſupremis *Sabaudo Thomæ* reſtitutis juribus.

Ex tabulario Eccl. Taur. contractu dato Taurini eo anno XI. Kal. Auguſti Indict. XI. ſignatum Muffus notarius imperialis aulæ.

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI MCXCIII. longa lis atque diſſidia inter Epiſcopum *Arduinum* Taurinenſem, & *Merulum*, ac *Arducium* Pioſaſchi dominos ſopita ſunt, cum hi *Teſtonam* oppidum, ipſamque arcem Epiſcopo remittunt, Epiſcopus vero Pu-
41 bliciarum feudum cedit *Pioſaſchis* fratribus, qui præterea quingentas marchas argenti Epiſcopo numerant, & ſe ejus beneficiarios agnoſcunt.

ANNO. . . . . .

Ex Archivis Pinerolienſibus.

ANNO CHRISTI MCCII. Septembri, *Arduinus* Epiſcopus Taurinenſis *Teſtonæ*, non integre conciliatis adhuc rebus confidens reſidebat, atque abbati *Pinerolienſi Bertramo* nomine apud agrum Muſinaſcum aliquot erogat reditus.

ANNO. . . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI MCCVI. *Jacobus* Epiſcopus *Arduino* ſuccedit.

ANNO. . . . . .

Ex diplomate Ripaltæ.

ANNO CHRISTI MCCX. Junio, *Otho IV.* Imperator *Taurini* aliquot diebus reſedit, plurimaque privilegia Eccleſiis conceſſit, maxime Eccleſiæ *Ripaltæ*. Tunc huic Cæſari adverſabatur *Federicus* ſecundus.

Ex tabulario Cluſino.

EO ANNO, menſis Julii XIII. *Jacobus* Epiſcopus convocato clero, & Taurinenſibus civibus ob labantem vetuſtate ædem divi *Solutoris*, & ipſius abbatiæ contractum grave æs alienum, ipſam contulit *Petro* abbati Cluſino ea lege, ut Epiſcopo Taurinenſi ſacramento diceret, ære alieno liberaret, ædificiis ornaret, & cultui divino ſatisfaceret, quod aliquot alii Epiſcopi confirmarunt quandiu *Cluſini* eam operam navarent, ſed ad ſuos peculiares abbates res ipſa tandem rediit.

ANNO. . . . . .

Ex notis eorum cœnobiorum.

ANNO CHRISTI MCCXIV. Divus *Franciſcus* ex *Aſiſio* Umbriæ Civitate, in *Gallias* iter faciens, *Charii* primum paupertatis Chriſtianæ (quam profitebatur) ſodalitium inſtituit, mox *Taurini*, ædicula ſibi à civibus conceſſa Divo Victori ſacra, quam *Ruverei* patricii olim conſtruxerant, aliud ſtabilivit, quod nunc in templum & cœnobium præclarum abiit. Eo quoque tempore divi Dominici natione *Hiſpani* Prædicatorum ordo in hac civitate ſua accepit incunabula.

Ex Archivis Vercellen.

ANNO CHRISTI MCCXV. menſe Majo. Cum *Thomas Sabaudiæ* Comes, non ſatis adhuc cum Taurinenſibus conveniret, Vercellenſes ſocios habuit, hoc pacto, ne ipſis inſciis & inconſultis quidquam cum Taurinenſibus paciſceretur.

Iidem.

42 ANNO CHRISTI MCCXVII. *Jacobo* Epiſcopo defuncto ſuccedit *Jacobus II.* qui tandem imperialis aulæ Vicarius, & totius *Italiæ* legatus ſua prudentia, & merito conſtitutus.

A ANNO. . . . . .

Ex arch. Taurinen. & libr. viridi.

ANNO CHRISTI MCCXXII. die quinto Julii, fœdera inita inter cives Taurinenſes, ſimulque *Jacobum* Epiſcopum Taurinenſem, tunc adhuc *Teſtonæ* degentem, cum *Mamfredo* Salutiarum Marchione *Bonifacii* filio, *Alexia Delphina Bonifacii* avia conſentiente. *Bonifacius* inter cives Taurinenſes aſcribitur, mutua ſibi invicem auxilia pollicentur, maxime in *Thomam Sabaudiæ* comitem, & ejus liberos, qui poſt diutinas (ut ajunt) ſimultates Taurinenſibus minabantur. Nec cum *Bonifacium* prius excipiunt, quam polliceatur ſe nun-
B quam cum aliqua filiarum ipſius *Thomæ* nuptum iri, niſi Taurinenſibus aſtipulantibus, denique empturum ſe, & ædificaturum in civitate palatium. Quid non in *Sabaudos* tunc molitum eſt?

Ex eiſdem archivis.

ANNO. . . . . .

Ex tabulario Epiſc. contractu acto in gerbolanis inter Caſellas & Ciriacum 6. Januarii eo anno.

ANNO CHRISTI MCCXXVIII. *Jacobus* Epiſcopus *Bonifacium Montisferrati* Marchionem in ſuas partes vocat: Is ut *Taurini* pedem figere queat firmius, ſe clientem ſive vaſſalum Epiſcopi facit, hunc de recto feudo ſuo (ut vocant) inveſtit: non tamen caſtrum ſancti *Raphaëlis* includitur,
C quod violenter ab ipſo Marchione occupatum Epiſcopus proteſtatur, *Jacobo* à *Ruvere* ipſi Epiſcopo aſſiſtente.

Ex archivis, & contractu geſto ad prata Peroſæ eo anno 13. Julii.

EO ANNO *Andreas Hugonis* Burgundiæ ducis, & *Beatricis Delphinæ* ſecundogenitus, *Delphinus* dictus Albonenſiſque Comes fœdera percuſſit cum Taurinenſibus, Pinerolienſibus, ac Teſtonenſibus, & in civem *Taurini* recipitur, ejuſque poſteritas: Palatium emit in civitate quod nunquam vendi queat, prohibetur etiam ſtata lege ne Genuenſes, Aſtenſes, Charienſes, negotiatoresve alii ad Delphinatum accedant, niſi illi prius *Te-*
D *ſtona*, *Taurino*, & *Pinerolio* tranſierint, quod nullos commeatus, annonamque *Sabaudo* comiti, vel ſuis ſuppeditare poterit, niſi pro arbitrio Taurinenſium, quod opem in hoſtes omnes, in *Sabaudum* potiſſimum gnaviter feret. Bis quoque anno Taurinenſibus mittet auxilia, & ea ad minus quinquaginta armatorum equitum, milleque peditum, qui per menſem militabunt. Nec inconſultis Taurinenſibus fœdus aliquod, ſeu ſanguinis vinculum cum *Sabaudo* faciet, liceat Delphino alia fœdera jam cum Marchione *Montisferrati* inita, cumque Mediolanenſibus, Vercellenſibus, Alexandrinis conſervare. Et tueri conſultis ſem- 43
per in omnibus ipſis Taurinenſibus. Idem &
E pollicentur Delphino Taurinenſes: confirmat *Beatrix Bonifacii* Marchionis *Montisferrati* filia, *Andreæ* conjux.

Ex eiſdem.

EO ANNO Kal. Decembris *Federicus* ſecundus imperator jubet Ploſacenſibus, Bagnolis, Caburris, Burgianis, Publiciis, Scalingiis, & vallis Macii, cæteriſque patriæ nobilibus, ut Taurinam civitatem inhabitent, & domos ſinguli ædificent, atque ita pacta cum Taurinenſibus inita vel ineunda confirmat.

ANNO. . . . . .

Ex archivis ejus Abbatiæ Brionæ.

F ANNO CHRISTI MCCXXX. *Bonifacius* Marchio *Montisferrati Taurinum* occupat, Privilegia civibus confirmat, quæ per *Thomam Sabaudiæ* Comitem, & *Humbertum* ejus ſecundo genitum conceſſa fuerant, Abbatiæ ſanctæ *Mariæ Brionæ* Ciſtercienſis ordinis.

Iidem.

ANNO eodem *Hugo* Epiſcopus Taurinenſis, ex *Cagnolorum* nobiliſſima Vercellenſi familia, *Jacobo* defuncto ſuccedit.

ANNO. . . . .

San. Georg. in historia Ferraten. Gaudent. Merula. Coirus. Bugatus. Dom. Macaneus. Annales Sab.

ANNO CHRISTI MCCXXXIII. *Thomas Sabaudiæ* comes fusis paulo ante Mediolanensibus, qui in Pedemontanum agrum grassabantur, Cæsoque Osimo militiæ duce, Taurinensem civitatem, à *Marchione Montisferrati* occupatam obsedit, castrisque trans *Padum* metatis, arcem, & turrim speculatoriam, in colle ad ripam fluminis prominentem extruxit, auxiliares *Astenses* fugavit.

Eo met ANNO *Thoma* defuncto *Amedeus* III. *Sabaudiæ* Comes patri successit.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCXXXV. XIIII. Decemb. Pax icta inter *Amedeum III. Sabaudiæ* Comitem, ac *Thomam* primi *Thomæ* filios, cum *Hugone* Episcopo Taurinensi. Quà pace Taurinenses fidelitatis sacramentum *Sabaudo* præstitere. *Bonifacius* vero *Montisferrati Marchio* (qui prius *Margaritam Amedei III.* filiam in uxorem duxerat, ac proinde dotis, sive alio nomine in *Taurinum*, & alia aliquot oppida aspirabat) juribus cessit. *Sabaudus* vero Collegium castellum in feudum resipiscenti civitati contulit.

Ex archivis.

ANNO. . . . .

44 ANNO CHRISTI MCCXXXVI. eadem pax cum Episcopo *Hugone* confirmatur, Ripolæ ceduntur *Sabaudis*, qui Ecclesiastica Episcopo relinquunt, idque tractante *Roberto* de *Guislardis* potestate Taurinensi nomine ipsorum principum.

In tabulario Episcopat. Ex contractu acto Taurini 14. Kal. Decemb.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCXXXVIII. mense Februario, *Federicus* secundus *Henrici* sexti filius Imperator *Taurinum* ingreditur, ab *Amedeo Sabaudo* aliquot diebus splendidissime excipitur. Ille inter varia multorum populorum privilegia, ea quæ à Cæsaribus, & *Sabaudis* principibus Pinerolienis Ecclesia acceperat fusissime confirmat. Tunc erecti Ducatus Chablasii & Augustæ prætoriæ, comitalibus tamen titulis *Sabaudiæ* semper postpositi.

Ex archivis Abbatiæ Pinerolii.

ANNO. . . . .

Iidem. ANNO CHRISTI MCCXL. *Hugone* mortuo succedit *Hugutio* Episcopus Taurinensis.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCXLII. *Innocentius* quartus Genuensis Pontifex Maximus, *Taurini* à *Thoma Sabaudo Amedei* tertio fratre excipitur. *Thomas* enim Pontificis ex fratre *Thediso Flisco Lavaniæ* comite neptem, *Beatricem* duxerat, & juribus in hanc civitatem ab *Amedeo* donatus fuerat. Pontifex vero, (qui olim Fructuariensis Cœnobii monachus) illud, & alia monasteria perlustrat, pleraque ad pietatem singulis indulget.

Ex notis ejus monasterii.

Iidem. ANNO CHRISTI MCCXLIII. & aliquot annis mortuo *Hugutione* vacat sedes Taurinensis.

ANNO CHRISTI MCCXLIV. Taurinenses fidelitatis jam præstitæ memores, uno omnium consensu sese *Amedeo* tertio *Sabaudiæ* Pedemontiumque Principi supposuerunt.

Ex archivis ducal. Guil. Ventura Asten.

ANNO CHRISTI MCCXLV. *Amedeus* tertius Sab. Comes *Taurino* potitus, ipsum simul, & Pedemontanam ditionem *Thomæ* fratri iterum cedit, suprema retenta authoritate, is porro *Thomas* primum jure uxorio comes *Flandriæ* vocatus est, à

Ex archivis ducal. Contractu ejus anni 16 Julii.

A quo ad hæc usque tempora *Sabaudiæ* principum ducumque linea feliciter propagata est.

ANNO CHRISTI eodem *Joannes* Episcopus *Ecclesiæ* Taurinensi, diu viduæ feliciter adjungitur.

ANNO CHRISTI MCCXLVI. *Federicus II.* Imperator, postquam anno superiore ab *Innocentio* quarto Pontifice diris Ecclesiasticis damnatus foret, cum jam neptem Pontifex *Thomæ Sabaudo* collocasset, is Cæsar *Taurinum* ingreditur, togatos tot secum educens ad causam suam coram Pontifice (qui illuc accesserat) dicendam, ut togatorum agmen, par exercitui videretur. *Thomam*que in B odium Pontificis, opinionum numero potius, quam certo jure ea civitate spoliare nititur. Sed ad Parmensem obsidionem, quam *Henrico* filio reliquerat redire coactus est. Licet alii scripserint *Taurinum* tunc à Parmensibus exulibus occupatum, neque Cæsarem ingredi civitatem potuisse. 45

Blond. lib. 7. secund. decad. Thomas Fazellus lib 8 post. decad. Jo. Cuspinianus in Federico secundo.

Eo ANNO *Federicus Cæsar Cremonæ* pacem init cum *Sabaudo*, Matrimonium *Manfredi Lanceæ* Cæsaris filii, cum *Beatrice Amedei* comitis filia tractatur, dies *Taurini* indicitur.

Contractu celebrato Cremonæ 8 Martii. indic. 8.

Eo met ANNO inter tot de civitate controversias, exsurgunt aliquot nebulones incogniti, illi *Taurinum* incenderunt penitus, cujus factionis C inquiritur à *Joanne* Episcopo, nihil certi dicitur, vertitur suspicio in tenuiores plebis, qui potentioribus inviderent. Tandem cum in turbas agendum esset, mitius processum: Promulgato *Innocentii* quarti diplomate absoluti incendiarii, ita tamen ut damna passis satisfieret: sic clam exsolutis culpis, effectum est, ut mox reparata ædificiis fuerit civitas, cum Dei potius quam hominum judicium apud se formidarent sceleris conscii.

Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCCXLVII. *Amedæus* tertius *Thomæ* filius comes *Sabaudiæ*, Duxque *Chablasii*, & *Augustæ Prætoriæ*, Taurinensium etiam possessionem adipiscitur, *Thoma* fratre interveniente, D certis pactorum conventionibus. Hoc inter cætera Ripolanis honorificum, ut si aliqua ex parte in futurum pacta conventa violarentur, ipsi *Amedæus*, *Thomas*, & Taurinenses, haberent Ripolanos arbitros, & perpetuos judices.

Ex privilegio Ripolano ejus anni 3. nonas Sept.

ANNO CHRISTI MCCXLVIII. mense Novembri, cum *Vullielmus VII. Bonifacii* Marchionis *Montisferrati* filius, & *Amedei Sabaudi* ex *Margarita* filia nepos, ob certa dotalicia pacta *Taurino* adhuc potiretur, nec satis *Thomæ* secundo gratum foret, cui Pedemontana ditio obvenerat, is post sedatas *Innocentii* quarti Pontificis, & *Federici* secundi controversias, ab eo Cæsare *Taurinum* ci- E vitatem, & arcem (quæ ad Pontem *Padi* tunc recens extructa erat) certiore dono obtinuit, simulque aliquot circumvicinas urbes, quæ res *Amedæum* fratrem aliquantum commovit, deturbato maxime Ferratensi. Sed compositis rebus *Taurino Thomas* quietius potitus est.

Ex ipso Federici 2. diplomate ejus anni mense Novembri 7. indictione. dato Vercellis.

ANNO CHRISTI MCCXLIX. cum *Thomas* parum emolumenti ex ea nuda donatione retulisset, & cavillis alia aliis inde exciperentur, addidit *Federicus* vectigalia, & portoria Taurinensia, & quæcunque dubium omne summovere possent.

Ex archivis diplomate mensis Junii.

ANNO CHRISTI MCCLII. *Vullielmus* Imperator confirmat ipsi *Thomæ* secundo donationem ci- F vitatis *Taurini* à *Federico* factam, additis omnibus oppidis, quæ erant diœcesis Taurinensis. Tunc autem illi diœcesi subjacebant Salutiæ, Mons Regalis, Charium, Savillianum, Cuneum, Fossanum, ac proinde jam tum etiam Subaudici juris effecta ea oppida, *Innocentio* Pontifice omnia approbante. 46

Ex archivis, diplomate, ejus anni, 11. Kal. Junii.

Eo ANNO cum Casalenses, & Papienses bella in Taurinenses movissent, & in conflictu Jo. Episcopus captus ab illis esset, à *Thoma Sabaudo* multa pe-

Ex tabulario Chariensi & notis Gabrielis Visquæ jureconsulti Chariensis.

pecunia redemptus est, qui quoque castrum *Montisoli* adversus Astensium, & Chariensium insultus sustinuit, & servavit: quod cum Episcopo pertineret, *Sabaudo* cessum est, & justo venditum pretio, ad Ecclesiæ evidentissima commoda. Illud postmodum Chariensibus *Sabaudus* remisit, & tandem pacis conditionibus dirutum.

Ex archivis.

EODEM ANNO v. Kal. Augusti, idem *Thomas* fœdus init cum *Astensibus*, ipsisque auxilia pollicetur, & copiam facere omnium oppidorum Pedemontanæ ditionis pro eorum tutela, excepta (idque disertis verbis) sua civitate Taurinensi. *Astenses* quoque mutua officia *Sabaudo* exhibent. Sed non diu perseveratum.

ANNO. . . . .

Ex archivis, & notis Guliel. & Secun. Venturæ Astensis. Nicolaus Gilles. Goffredus ab Eccl. in histor. Salutiana.

ANNO CHRISTI MCCLIV. atrox prælium inter *Thomam*, junctis secum Taurinensibus, & Astenses gestum ad montem *Brunum*, ubi adverso Marte captus *Thomas*, & in vinculis diu detentus, sed graves pœnas luerunt postmodum *Astenses*, vindicante aliquot post annis injurias, etiam *Ludovico Gallorum* Rege. Tunc *Bonifacius* puer *Amedeo III.* parenti in *Sabaudia* successerat, Dux etiam *Chablasii*, & *Augustæ* patris exemplo dictus.

ANNO. . . . .

Ex tabulario Chariensi & notis Gabr. Visq.

ANNO CHRISTI MCCLVII. mense Februario, Astensibus *Thomam* adhuc in vinculis habentibus, eum ipsi Taurinis sollicitantibus liberarunt, atque eis remiserunt. Ad satis indigna tamen pacta adductus *Thomas* (ut libertati student omnes) civitati Taurinensi cedere cogitur, civibus libertatem donare, Caburretum, Montisolum, Castelletum *Padi*, Collegium, Alpianum, & alia quædam jura remittere, addito etiam quod liberatus à vinculis, mox *Astam* se conferret ad hæc confirmanda in ingressu, & egressu civitatis, ut verba pactorum sonant, ex clausularum subtilitate,
47 majorem dolum, & fraudem detegentia, nec eum annum Astenses inulti præterierunt, sæviente in eos *Gallo*, uti diximus.

Ex archivis Sabaudis & rescripto ipsius Richardi ejus anni 14. Kal. Aprilis.

ANNO CHRISTI MCCLVIII. *Thomas Taurino* exclusus ad *Ricardum* Cæsarem recurrit, qui jure cognito spoliatum in integrum restituit, donationes majorum confirmavit, atque iterum nova liberalitate contulit, pollicetur quoque se ad eam recipiendam civitatem justa auxilia præstiturum.

Ex tabulario Eccl. Taur.

ANNO eodem *Joanne* Episcopo Taurinensi defuncto subsequitur *Gaufredus*.

Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCCLIX. obiit *Thomas* secundus, *Thomæ* primi filius, princeps Pedemontium, relictis *Thoma*, *Amedeo*, & *Ludovico* liberis.

Ex notis Guillielmi Venturæ.

ANNO CHRISTI MCCLX. mense Decembri, heremitarum numerus è speluncis, & ergastulis egressi per civitatem Taurinensem, *Charium*, *Astam*, & alias subalpinas novo exemplo, nudata terga flagellis aculeatis cædunt, ad usque largum cruorem, pœnitentiam exclamantes. Permulti inde à flagitiis revocati, ablata restituere, voluptatibus nuntium remittere, reconciliari mutuo, mutuas amicitias exposcere. Inde flagellatorum in hodiernum diem creverunt pia sodalitia.

ANNO. . . . .

Idem Ventura Astensis.

ANNO CHRISTI MCCLXII. *Carolus* tunc comes Andegavensis *Ludovici VIII. Francorum* regis filius, & divi *Ludovici* frater, ad regnum Neapolitanum aspirans in *Mamfredum* gnatum *Federici II.* Cæsaris, cui *Sabaudus* favebat, suggerente *Urbano* tertio Pontifice, favente etiam

A *Guillielmo* Marchione Ferratensi, *Taurinum* inter contendentes occupat, & alias aliquot *Longobardiæ* urbes. Inde novæ bellorum faces per annos multos suscitatæ.

D. Macaneus. Gaud. Merula. Symphorian. Campejus. Guil. Parad.

ANNO CHRISTI MCCLXIII. *Taurinum* à *Bonifacio Amedei III.* filio adolescente vivacissimo *Sabaudiæ* Comite obsidetur, sed ipse incautior eruptione à *Gallis* Andegavensibus facta, Marchione Ferratensi, & oppidanis, capitur, captus turri includitur: Ibi confectus mœrore dies clausit, Maurianam translatus ad majorum sacros loculos.

Iidem.

ANNO CHRISTI MCCLXIV. *Petrus Sabaudiæ* B comes *Thomæ* primi filius, *Bonifacio* ex fratre nepoti succedens, de ejus interitu gravem vindictam sumpsit: *Taurinum* obsedit, & tandem expugnavit, expilavit. Turrim ad portam Secusinam, qua inclusus nepos interierat diruit. Taurinorum tandem erecta cornua repressit, & aliquantum domavit, mansuetissima aliquando futura.

ANNO. . . . .

Ex archivis Sab. & ex ipsis tabulis.

ANNO CHRISTI MCCLXVI. atrox bellum in 48
Astenses Taurinorum socios gestum pro retinenda civitate Taurinensi, *Petrus* comes, *Philippus*-C que frater, nec non tres *Thomæ* secundi filii intererant, *Thomas* inquam *Amedeus*, *Ludovicus*. Ancipiti marte decertarunt. Hi tres novissimi fratres bello capti ab Astensibus, Astensium potissimis cæsis.

Ex ipsis tabulis x. Kal. Junias.

EO ANNO pax inita, liberati fratres *Sabaudi*, & certis conventionibus, commeatum tutum Astenses per ditionem *Sabaudam* à comite impetrarunt, ea tamen expressa lege, ne armati, nisi gladiolo, neque turmatim solum *Sabaudum* peragrarent.

D ANNO. . . . .

Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCCLXVIII. mense Martio, obiit *Petrus Sabaudiæ* comes Dux Chablasii, & Augustæ sine masculis, cui *Philippus* frater *Burgundiæ* comes successit, Pedemontanis vero *Thomas* tertius *Thomæ* secundi filius præfuit.

ANNO. . . . .

Secundus Ventura. Ex archivis Ducalib.

ANNO CHRISTI MCCLXXIV. *Thomas* tertius Pedemontium princeps *Thomæ* secundi primogenitus *Taurinum* invasit, auxiliaribus Burgundicis E copiis & Gallicis suffultus, *Othone Burgundiæ* comite authore, cujus sororem *Guietam* hic *Thomas* duxerat, *Hugonis* filiam, & *Alexiæ*: quæ *Alexia* secundis nuptiis *Philippo Sabaudo* juncta erat. At Ferratensis Marchio *Guillielmus*, *Bonifacii* filius, Astenses quoque armati adsunt, atrox & cruentum prælium ad *Sangonis* fluminis planiciem non procul à *Taurino*, dubie satis, & ad omnem eventum aliquandiu conflictum, sed *Sabaudis* fortuna infestior, quod *Taurino* Ferratensis potitus sit.

ANNO. . . . .

F

Ex ipso contractu & statutis.

ANNO CHRISTI MCCLXXX. mense Augusti *Thomas* fugato *Guillielmo* Ferratensi *Taurinum* recipit. Cum Taurinensibus certa pacta init, quibus leges, & statuta dictat, & olim à *Thoma* patre condita confirmat.

Ex archivis ducal. in ipsis tabulis ejus anni.

EO ANNO mense Septembri, *Thomas Guillielmum* Ferratensem assiduo bello eo usque fatigat, 49
ut in *Hispaniam* eum confugientem apud Valentinos Allobroges interceperit, captum in arcem *Po-*

*Petrocastream* ad *Rhodanum* traduxerit, ubi diu in vinculis hominem detinuit. Pace tandem inita, *Taurinum* perenni jure *Sabaudo* ceditur, & quæcunque ab ea civitate dependebant, idque ipse Marchio extra vincula confirmat, & numquam in *Sabaudum* bella moturum pollicetur, pœna addita octo millium librarum Turonensium, prædibus ejus rei causa datis.

Sangeorgius. Merula.

ANNO. . . . . .

Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCCLXXXII. idibus Maji, *Thomas* tertius mortem obiit, cui successit *Philippus* primogenitus, adhuc puer, qui inter cæteras Subalpinæ ditionis urbes *Taurinum* adipiscitur, tutore *Amedeo* quarto patruo.

Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCCLXXXIII. mense Septembri, mortuo seniore *Philippo Sabaudiæ*, & *Burgundiæ* comite, successit *Amedeus* quartus ex *Thoma* secundo fratre nepos, eo quod *Thomas* tertius primogenitus mortem obiisset, pupillum *Philippum* reliquisset, & forte *Amedeus* tutor prævaluisset, primogenituræ ordine luxato, hinc rixarum bellorumque seges, sed ea decisa, excisaque tandem: nescio quid tamen semper novi pullulante.

ANNO. . . . . .

Iidem. Formam hujus monetæ argenteæ. vid. TAB. pag. 3. num. 15.

ANNO CHRISTI MCCLXXXVIII. *Philippus* à *Sabaudia* sui juris effectus, *Taurini* monetas in possessionis argumentum cudebat, & se modestiæ gratia, ut apud Turonenses *Gallorum* rex *Turonum* civem, sic se *Philippus* apud Subalpinos *Torinum* civem inscribebat.

ANNO. . . . . .

Ex archivis Sab. Sangeorgius. Petrus Azarius. Coirus.

50 ANNO CHRISTI MCCXC. quarto nonas Junii, *Amedeus* quartus *Sabaudiæ* comes, controversiis cum *Philippo* ex fratre nepote sedatis, ab *Astensibus* in Tutatorem civitatis vocatus, cum magno *Sabaudorum* exercitu Alpes superat, à *Philippo Taurini* excipitur, *Astam* inde ingreditur, idque octavo idus Junii, & Ferratensem Marchionem hostem semel, atque iterum fugat & comprimit.

ANNO. . . . . .

Ex notis Ecclesiæ.

ANNO CHRISTI MCCC. *Gaufredo* Episcopo succedit *Thedissius*.

Ex ipsis tabulis ejus anni 8. idus Decembris.

EODEM ANNO *Philippus Taurinum* moribus reformavit, illam etiam ludi Aleæ perniciosam licentiam abrogavit, quod ab eo ludo blasphemiæ provenirent, rixæ, & cædes suborirentur, & vectigal quod ex eo ludo proveniebat, commutavit in salis vectigal, & quædam alia communi omnium consensu sanxit.

Ex archivis ducal. Georgius Merula. Baptista Egnatius.

ANNO CHRISTI MCCCI. Februario, *Philippus* Pedemontium princeps ab expeditione orientali longaque navigatione triumphans redit, & *Bonifacio* octavo Pontifice auspicante *Isabellam Guillielmi Achajæ*, & *Moreæ* principis (Quem paulo ante *Michaël Paleologus* expulerat) unicam filiam, & hæredem uxorem habet, simulque *Taurinum* advehuntur, proceribus Græcis comitantibus, & magno cum apparatu excipiuntur, principesque *Achajæ* & *Moreæ* salutantur, quæ *Morea* olim Peloponessus appellabatur.

ANNO. . . . . .

Sangeorgius Blond. lib. 9. 2. ducal. Coirus.

ANNO CHRISTI MCCCX. *Philippus Sabaudus* Pedemontium, *Achajæ*, & *Moreæ* princeps. *Taurini* excipit *Henricum VII. Lucemburgensem* & *Mar-*

A *garitam Brabantiam* Augustos, quos *Amedeus Sabaudiæ* comes Cæsaris sororius sive Aelius comitabatur. atque tunc Taurinæ civitatis amplitudo duodecim millibus equitum hospitio suscipiendis capax visa fuit.

Conradus Vecerius in vita Henrici. Jo. Cuspinianus in Henrico.

ANNO. . . . . .

Ex archivis ducal. & ipsa sententia.

ANNO CHRISTI MCCCXII. posteaquam *Henricus* Cæsar *Robertum Siciliæ* Regem *Caroli II. Andegavi* filium non semel debellasset, in judicium etiam vocasset, sententiam tandem in eum tulit, qua perduellis declaratus fuit, ejusque ditiones B prædæ, & direptioni datæ, commissæ, & (ut vocant) banno imperiali expositæ, ac proinde *Taurinum* ab omni Andegavensi occupatione liberatum, si quid amplius in eam civitatem ex *Caroli* primi invasionibus posteritas forsitan aspiraret. 51

ANNO. . . . . .

Ex archivis ducal. lib.

ANNO CHRISTI MCCCXXIII. XVI. Kal. Novembris obiit *Amedeus* quartus *Sabaudiæ* comes, relicto *Edoardo* filio comite, quo cum etiam *Philippus* de jure primogenii contendere nixus est, C sed quietior redditus, sibi adauctis reditibus.

Ex tabulario Ecclesiæ.

ANNO CHRISTI MCCCXXIV. mortuo *Thedissio* Episcopo Taurinensi, suffectus *Guido* Episcopus.

Ex ipso contractu pacis ejus anni celebrato Taurini 9. Kalend. Junias.

ANNO CHRISTI MCCCXXV. *Philippus* cum *Taurinis* aliquot incursiones in Papienses fecit, (ut in eos diutinum bellum arserat) causa videbatur, quod ab *Henrico VII. Philippus* Vicarius imperii in ea civitate constitutus fuisset, ut in permultis aliis, quod ideo ingenti ære cives illi *Philippo* nexi essent, qui nihil ad eorum tutelam non profuderat. Pax tandem *Taurini* actitata, persolutis à Papiensibus ipsi *Philippo* tredecim mille florenis auri puri.

D

ANNO. . . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI MCCCXXIX. Novembri, mortuo *Edoardo* comite *Sabaudiæ* successit *Aymo* frater, probitate admirabilis.

Ex tabulario civitatis, & rescripto ejus anni 15. Kal. Julias.

ANNO CHRISTI MCCCXXX. *Philippus* princeps vectigal salis, & alia quædam tributa Taurinensibus remittit, certo annuo censu reservato.

ANNO. . . . . .

Ex ipso tabulario & actis.

E ANNO CHRISTI MCCCXXXII. Taurinenses à *Roberto* rege, & Marchione Ferratensi allecti defecerunt, sed mox à *Philippo* recepti, authores proditionis proscripti.

Ex archivis ducal.

ANNO CHRISTI MCCCXXXIII. *Philippus* bella gessit in *Robertum* Regem *Siciliæ*, cui adhærebat Marchio Montisferrati: conflictus habitus apud *Tegeronum*, *Hugone* à *Baucio* Senescalco (ut vocant) & totius militiæ duce.

Ex inscriptione sepulchri apud Franciscanos Pinerol.

ANNO CHRISTI MCCCXXXIV. V. Cal. Octobris obiit *Philippus* princeps *Pedemontium*, *Achajæ*, & *Moreæ*, sepultus *Pinerolii*, cui *Jacobus* filius successit, & *Taurinum* ingreditur.

Ex tab. Char. & notis Gabrielis Visquæ jureconsulti. Ex testamento dato Neapoli mense Januario 1343.

F ANNO CHRISTI, MCCCXXXVII. magno Taurinensium incommodo Charienses inter se dissidentes, se sponte *Roberto Calabriæ* regi, illac ad Italicam expeditionem transeunti dediderunt, & annis fere quinque illi oppido dominatus est, quod tandem supremis tabulis libertate donavit, cum *Joannam* ex *Carolo* filio neptem hæredem reliquisset, minus ad tutandos remotos populos idoneam. 52

ANNO

ANNO. . . . .

Ex archivis ducal.

ANNO CHRISTI MCCCXXXIX. mense Martio, *Beatrix* filia *Renaldi* Marchionis *Ferrariæ* uxor *Jacobi* principis *Taurini* maximo cum apparatu excipitur.

ANNO. . . . .

Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCCCXLIII. mense Junio, defuncto *Aymone* Comite *Sabaudiæ* succeſſit *Amedeus* V. Viridis cognomine.

ANNO. . . . .

Ex Eccleſiæ notis.

ANNO CHRISTI MCCCXLV. defuncto *Guidone*, succeſſit *Vullielmus* ejus nominis tertius Epiſcopus Taurinenſis.

Ex archivis ducal.

ANNO CHRISTI MCCCXLVI. ſecundo nonas Auguſti civitas Taurinenſis fidei clientelaris jusjurandum *Jacobo* à *Sabaudia* principi *Pedemontium*, *Achajæ*, & *Moreæ* perſolvit.

Ex tabulario civitatis, & Charienſib.

ANNO CHRISTI MCCCXLVII. menſe Majo, Charienſes magno Taurinenſium commodo ſe ſe ultro *Amedeo* comiti *Sabaudiæ* & *Jacobo* principi *Pedemontium* ſuppoſuerunt, & non multo poſt Monteregalenſes.

EODEM ANNO, XVI. Kal. Septemb. idem *Jacobus* eam ſuam civitatem Taurinorum plerisque donavit privilegiis, quæ ſubinde ſemper confirmari enixe curaverunt.

Ex archivis ducal.

ANNO CHRISTI MCCCXLVIII. menſe Decembri poſt longa prælia inter *Sabaudos Amedeum*, & *Jacobum*, item *Joannem Montisferrati* Marchionem, pax *Taurini* icta *Clementis* VI. Pontificis maximi oratoribus in eam rem miſſis, & ceſſit *Joannes Sabaudo* jus omne quod in ea civitate prætendebat, ita tamen ut Taurinenſibus ignotum eſſet, qui Ferratenſium partium fuiſſent.
53 Tunc *Taurini Nicolaus* à *Ruvere* civis primarius demandatam gladii poteſtatem habuiſſe legitur.

ANNO. . . . .

Ex notis Eccleſiæ.

ANNO CHRISTI MCCCLIII. defuncto *Vullielmo* Epiſcopo, eligitur *Thomas* à *Sabaudia Philippi* Principis Pedemontium filius, *Jacobi* frater.

ANNO. . . . .

Ex tabulario & notis Saviliani. Ex ipſa ſententia lata Ripolis menſe Januario ejus anni.

ANNO CHRISTI MCCCLX. defecit *Jacobus* princeps ab *Amedeo Sabaudiæ* comite, varia diſſidia, & motæ lites, in jus vocatus *Jacobus*, ſententia damnatur, in judicati executionem armatur *Amedeus*, & triplici agmine *Ungarorum*, *Apulorum*, cum ſuis *Sabaudis Subalpinos* premit, *Jacobum* bello capit, in vincula *Ripolis* conjicit, *Savillianum* expugnat, & populatur aliaque renitentia oppida.

Ex tabulario civitatis diplomate dato Montis Calerii eo anno 24. Maji.

EO ANNO, menſe Martio, *Taurinum* ab *Amedeo* in deditionem accipitur, liberantur cives variis oneribus à *Jacobo* impoſitis, auctatur civitas ampliſſimis privilegiis. Adduntur certæ leges, ne unquam civitas alteri quam uni ſupremo *Sabaudo* parere debeat: compenſetur aliis oppidis *Jacobus*, & alia quædam ad mores, & jus reddendum opportuna caventur. Hoc addito, ne proſcripti homines ob tentatam tempore *Philippi* rebellionem, ullo unquam tempore ab exilio revocentur, intromittanturve.

Ex ipſo reſcripto pridie idus Aprilis.

EO ANNO, idem *Amedeus* nobilitatem Pedemontanam privilegiis, & immunitatibus illuſtrat, ſalis quoque vectigal confirmat.

EO ANNO, paciſcuntur principes, *Taurinum Amedeo* comiti ceditur, qui *Jacobo* permutationis jure confert pleraque *Sabaudiæ* remotiora oppida. Qualia ſunt, *Conflentium*, *Turnonum*, *Sallanchia*, *Bellofortenſis* regio, & caſtella aliquot, ad quæ, velut in ultimas terras, *Jacobus* quodammodo relegatur, dum interim *Ludovicus Ravoria Domeſini Gerbaſiique* regulus, Taurinenſis civitatis, & aliarum Subalpinarum urbium pro *Amedeo* poſſeſſionem adipiſcitur, & moderationem ſuſcipit.

Ex reſcripto dato Lancei 11. Maji eo anno.

Ex notis civitatis.

EO ANNO, Pridie nonas Junii, *Amedeus* comes *Taurinum* triumphantis inſtar ingreditur, quicquid à Taurinenſibus rogatur cis liberaliſſimus confert, privilegia amplificat, ſtatutis ornat ſalutaribus.

Ex ipſo reſcripto.

ANNO CHRISTI MCCCLXI. menſe Octobri, 54 *Amedeus* comes *Sabaudiæ*, Taurinenſem iterum libertatem immunitatemque validioribus verbis confirmat.

Ex ipſo contractu.

ANNO CHRISTI MCCCLXII. menſe Julio, *Jacobus* tertius nuptias cum *Margarita* filia *Guichardi* principis Belli joci peragit, defuncta ſecunda *Sibylla* à *Baucio*, perque eas contractas neceſſitudines tandem in gratiam rediit *Jacobus*, & conſentiente *Amedeo* ad Subalpinos revertitur, ac *Taurinum* cum uxore venit, *Amedeum* ut ſalutaret, & exoraret.

Ex notis Eccleſiæ.

EO ANNO, mortuo *Thoma* à *Sabaudia* præſule digniſſimo ſuccedit *Bartholomæus* Epiſcopus Taurinenſis.

Ex diplomate dato Ripolis eo anno 27. Aug.

ANNO CHRISTI MCCCLXIII. menſe Auguſto, *Amedeus* comes humaniſſimus Taurinam civitatem *Jacobo* principi reconciliato confert, beneficiario ſupremo jure retento, atque ipſis mandat civibus parere Principi.

Ex tabulario civitatis.

EO ANNO VI. idus Septembris, *Jacobus* princeps *Taurinum* ingreditur, & conceſſa ab *Amedeo* privilegia confirmat.

ANNO. . . . .

Ex ipſo Cæſareo diplomate.

ANNO CHRISTI MCCCLXV. menſe Majo, Camberii *Carolus* IV. Imperator inter pleraque antiqua *Sabaudorum* privilegia, illud confirmat, ſupremi juris, & authoritatis in Taurinenſem Epiſcopum, prout in omnes alios ditionis *Sabaudæ*, ſive ciſalpini, ſive tranſalpini fuerint.

Ex archivis ducal. & civitatis.

ANNO CHRISTI MCCCLXVI. menſe Majo, defuncto *Jacobo* Pedemontium, Achajæ, & Moreæ principe, relictis *Philippo*, ex ſecundo thoro: & *Amedeo*, ac *Ludovico*, ex tertio filiis: inter primos duos de jure primogenii orta controverſia, cumque *Philippum* pater abdicaſſet, *Amedeum* hunc Taurinenſes exceperunt: in quem *Philippus* bellum movit, & ipſi *Sabaudiæ* comiti, qui *Amedei* tutelam ſuſceperat, & eis aliquandiu reſtitit.

Ex ipſo diplomate ejus anni 13. Julii.

EO ANNO, menſe Julio, *Amedeus Sabaudiæ* comes, cum *Amedeo* pupillo *Taurinum* ingreditur, omni veteri prærogativa, & ſingulari authoritate civitatem exornat: illud inter cætera acceperunt, de prædiis rebuſque immobilibus in civitatis cenſum referendis.

ANNO. . . . .

Ex diplomate ejus anni die 24. Junii.

ANNO CHRISTI MCCCLXVIII. menſe Junio, idem *Amedeus* comes *Taurinum* denuo ingreditur, & ſuo tutorioque nomine *Amedei* pupilli priſca civitatis confirmat privilegia.

Ex notis ejus templis.

ANNO CHRISTI MCCCLXIX. mortem obiit 55 *Philippus* ſine prole, cui *Amedeus* frater tranquillior factus ſucceſſit.

Ex archivis ducal.

EO ANNO menſe Martio, *Amedeus* comes *Taurinum* advenit, quo arbitro acribus bellis datus finis, quæ bella inter *Galeatium* Mediolanen-

nensis Ducis filium comitem Virtutum, & *Othonem Brunsvicensem* Ducem, simul & *Joannem* Marchionem *Montisferrati* intercesserant.

ANNO. . . . .

Ex notis Ecclesiæ.

ANNO CHRISTI MCCCLXXIII. defuncto *Bartholomeo* Episcopo succedit *Joannes* secundus, qui Cardinalis à *Clemente VII. Roberto* Gebennensi factus Avenioni.

ANNO. . . . .

Ex ipsis tabulis 20. Novembris.

ANNO CHRISTI MCCCLXXVII. Novembri, *Amedeus* comes beneficiario jure largitur *Amedeo* principi civitatem Taurinam, montem Callerium, Pinerolium, & aliquot alias, fideique clientelaris sacramentum comiti à Principe exhibetur.

Ex tabulis 15. Februar. & 8. Martii.

ANNO CHRISTI MCCCLXXVIII. mense Februario, & Martio, *Amedeus* princeps à civibus *Taurinensibus* ipsum etiam sacramentum sigillatim exigit, quod supremo domino præstiterat, ille vero civitatis privilegia confirmat.

ANNO. . . . .

Ex ipso contractu 7. Septembris.

ANNO CHRISTI MCCCLXXX. mense Septembri, *Amedeus* princeps *Pedemontium*, Achajæ, & Moreæ uxorem duxit *Catharinam* filiam *Amedei* comitis Gebennensis, quam *Taurinum* magnis populorum plausibus deduxit.

Ex tabulis eo anno 9. Februar.

ANNO CHRISTI MCCCLXXXI. mense Februario, *Ludovicus Francorum* Rex, in Pedemontanam ditionem, & *Caroli Andegavi* prisco jure aspirans, discussis rationibus, juri cessit universo, quod haberet vel habere posset in toto Pedemontano agro, ac proinde *Taurinensi* civitate, idque in gratiam *Amedei Sabaudiæ* comitis, & Sabaudæ posteritatis.

Ex archivis ducal. Blond. Coirus. Justinianus in histor. Genuen.

EO ANNO Kalendis Augusti, Auspiciis *Amedei Sabaudiæ* comitis, idque *Taurini* pax insignis illa inter *Venetam*, & Genuensem respublicas icta est, cum insulam *Tenedon* inter eos
56 controversam, aliquot jam ante annis *Sabaudo* relictam, uno ore confirmarunt.

ANNO. . . . .

Ex archivis ducal.

ANNO CHRISTI MCCCLXXXIII. Kal. Martii, obiit *Amedeus V. Sabaudiæ* comes. Cui *Amedeus VI.* dictus *Ruber* successit.

Ex rescripto dato Ripolis eo anno 15. April.

ANNO CHRISTI MCCCLXXXIV. mense Martio tumultus ingens *Taurini* suscitatus, explicatis etiam vexillis in villam Grasseam apud *Groliascum*, quod quamvis coloni sint finium Taurinensium, parere recusarent, nec à vi & maleficio abstinerent, in eos impetus armata manu factus, exportata magna vis frugum, pecoris, armenti, & alia bellico furore commissa, diruti quoque muri Groliascenses, & jam tecta solo æquabantur, nisi *Ripolas* ad *Amedeum* comitem refugissent, qui clementissimus parcere subjectis voluit.

ANNO. . . . .

Ax archivis ducal. contractu ejus anni 20. Julii.

ANNO CHRISTI MCCCLXXXVII. mense Julio *Taurini Joannes Lascaris* Colosæus Constantinopolitanus, aliquotque alii satrapes beneficiario jure comitatum *Cephaloniæ*, & alia quædam ab *Amedeo Jacobi* filio principe *Achajæ* acceperunt, & *Taurini* sacramentum fidei, observantiæque præstiterunt, polliciti etiam omnem operam atque opem ad eas oras, sive recipiendas, sive retinendas. Sed cum lentiorem se præberet *Amedeus*, *Margarita Duratia*, jamque *Siciliæ* Regina *Achajam* aliquot post annis invadit, tum *Ferdinando* Rhodiensis ordinis magno magistro eas *Achajæ* oras vendit, multum, & frustra *Sabaudo* reclamante. Hæc in *Sabaudum* gesta, tum in Turcicas manus *Aachaja*, & *Morea* decidit.

Ex tabulis ejus anni 10. Maji, & 28. Septembris.

ANNO CHRISTI MCCCLXXXVIII. *Taurini* publica summæ hilaritatis testimonia edita, ob Barcillonenses Alpinos populos, qui se ultro *Amedeo* comiti, & *Amedeo* principi dediderunt, hinc princeps, Dux etiam *Valmontium* dictus. Nec multo post eo anno *Nicienses* maritimi *Amedeum* Comitem supremum dominum advocarunt.

Histo. Salut. Nic. Giles.

ANNO CHRISTI MCCCLXXXIX. *Clemens* Pontifex *Avenione Joannem* Cardinalem *Taurinensem Lutetiam* ad *Carolum* sextum Regem legavit, pro *Siciliæ* rebus lapsis erigendis, idemque Cardinalis regem, *Avinionem* deduxit, ubi de rebus Siculis consultum est, & *Ludovicus* Andegavus *Ludovici* filius rex coronatus.

Iidem.

ANNO CHRISTI MCCCXCI. Kalendis No- 57
vembris, obiit *Amedeus VI. Sabaudiæ* comes non
sine veneni suspicione, quo etiam crimine insimulatus *Achaicus Amedeus*, se manifeste purgavit. *Amedeo* sexto, septimus *Amedeus* successit.

ANNO. . . . .

Ex archivis ducal. Et historia Salutiana.

ANNO CHRISTI MCCCXCV. *Thomas Friderici* filius, Marchio *Salutiarum* bello captus apud *Monasteriolum* oppidum: inde *Savillianum*, mox *Taurinum* traductus, vinculis ibi biennio integro mancipatur ab *Amedeo* principe *Jacobi* filio, quod sacramentum clientelare *Sabaudo* denegaret. Tandemque tractante Inguerra quodam Conciaci regulo, qui *Astæ* pro Aurelianensi duce præsidebat liberatus est, persolutis prius viginti duobus millibus, & quingentis ducatis Genuensis notæ, sacramento denique principi solenniter dicto.

Ex ipso contractu ejus anni 1. Septembris.

ANNO CHRISTI MCCCXCVI. *Azo* Salutianus *Thomæ* patruus aliisque Salutianæ gentis factum *Thomæ* approbant.

ANNO. . . . .

Ex contractu dato Papiæ eo anno 30. Januarii.

ANNO CHRISTI MCCCXCIX. dissidiis subortis in *Amedeum Achaicum*, & *Theodorum Joannis* filium Marchionem *Montisferrati* pluribus de rebus, & oppidis, Arbiter *Joannes Galeatius* dux *Mediolani* utrinque electus, qui super omnibus cognosceret, excepta civitate Taurinensi, quæ sine dubio supremi juris *Sabaudi* censebatur.

Litteris datis Clavasii 22. Novemb.

ANNO CHRISTI MCCCC. super eisdem dissidiis arbitrium datum *Amedeo VII.* comiti *Sabaudiæ*.

ANNO. . . . .

Ex inscriptione tumuli Pinerolii apud Franciscanos ejus anni 7. Maji Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCCCCII. mense Majo post *Amedei Achaici* mortem nullis masculis relictis, succedit in Subalpinis, & Taurinis *Ludovicus* frater, qui etiam dictus *Achajæ*, & *Moreæ* princeps: *Taurinum* ingreditur, & civitatis privilegia confirmat.

Ex contractu dotis eo anno Camberii 24. Julii.

ANNO CHRISTI MCCCCIII. mense Augusto, *Ludovicus* ducta uxore *Bonna* à *Sabaudia*, sorore *Amedei VII.* Comitis *Sabaudiæ*, eam *Taurinum* deduxit, obviis, & plaudentibus populis.

Ex Histo. Salutiana.

ANNO CHRISTI MCCCCIV. Septembri *Ame*- 58
*deus* Comes *Sabaudiæ* superatis Alpibus *Taurinum* ingreditur, à sororio *Ludovico* splendidissime excipitur. Illicque cum *Theodoro* marchione Feraten-

ratensi fœdera ineuntur, cui Marchioni *Margarita* filia *Ludovici* principis desponderetur.

Ex ipsis tabulis 15. Febr.

ANNO CHRISTI MCCCCV. Februario *Ludovicus* princeps privilegia à majoribus concessa Taurinensibus confirmat, illud maxime de vectigalibus per cives ad decennium.

Ex diplomate dato Massiliæ eo anno 11. Kal. Novemb. anno Pont. XI. Hierony. Cagnolus in Prœmio ff. Jacobinus de S. Georgio in tractatu feudorum.

EO ANNO, Octobri *Benedictus XIII.* Pontifex maximus instante *Ludovico* principe, Academiam sive omnium scientiarum universitatem *Taurini* instituit, quæ prius in Vercellensi civitate multis retroactis seculis viguerat, sed jam senescebat, jacebatque ob bella flagrantia, & civium factiones, ut aliæ fere omnes Italicæ, hac excepta Taurinensi, quæ sub ditione Sabauda pace fruebatur. Et hanc civitatem tunc ipse Pontifex omnium antiquissimam jure optimo pronunciavit, civitatis Episcopo Academiæ Cancellario declarato.

ANNO. . . . . .

Ex historia Salutiana.

ANNO CHRISTI MCCCCVII. mense Februario, *Taurini* post longa dissidia, pax icta inter *Ludovicum* principem, & *Theodorum* Marchionem Ferratensem: *Amedeo Sabaudiæ* comite tractante, qui Comes non multo post sororem *Joannam* uxorem dedit *Joanni Jacobo*, filio *Theodori* Ferratensis.

ANNO. . . . .

Iidem.

ANNO CHRISTI MCCCCX. mortuo *Joanne II.* Episcopo, & Cardinali, succedit *Aymo* à *Romagnano*.

Ex tabulis ejus anni 8. Aprilis.

ANNO CHRISTI MCCCCXI. pax perennis inita inter *Amedeum* Comitem, *Ludovicum* principem, & *Theodorum* Marchionem *Genuensibus* comprehensis.

Et diplomate dato Budæ ejus anni Kal. Julii.

ANNO CHRISTI MCCCCXII. mense Julio *Sigismundus* Imperator Pontificis summi exemplo privilegium concessit *Ludovico* principi erigendæ Academiæ, & universitatis *Taurinorum*, ad instar Parisiensis, Aurelianensis, Bononiensis Montispessulani, & hujusmodi aliarum universitatum.

Ex ipso diplomate & monetis.

EO ANNO, idem Cæsar jus cudendæ monetæ *Taurini* ipsi *Ludovico* concedit, *Amedeo* adstipulante.

59

Ex archivis ducal.

ANNO CHRISTI MCCCCXIII. *Joannes XIV.* Pontifex maximus erectionem Academiæ confirmat, ac de integro elargitur.

EO ANNO, mense Junio *Amedeus* comes superatis Alpibus, cum ingenti exercitu *Ludovico* jungitur *Taurini*, inque *Thomam III.* Salutianum *Federici* secundi Marchionis filium, clientelaria officia denegantem, & certis emendicatis apud *Gallias* sententiis res novas suscitantem, indignati duo principes feruntur, *Carmagnolam*, *Bovinum*, *Tarnavasium*, atque *Salutias* expugnant, *Thomas* tandem culpam agnovit, ad officium rediit, & jusjurandum summis patronis Sabaudis, de more majorum præstitit, idque mense Julio, & Sabauda stemmata oppidorum summis portis affixa.

Ex Salutiana historia.

Ex tabulis 28. Septembris & 6. & 14. Octob.

ANNO CHRISTI MCCCCXIV. in Marchiones *Cevæ*, iidem principes *Sabaudi* properant, qui Salutiano adstitissent, eos jam prælio & precio clientes reddunt. *Bonifacius*, & *Otho* frater, nec non *Garsclascus*, *Lucas*, *Agamemnon*, *Guillelmus*, *Oddetus*, *Henrietus*, *Manfredus* Marchiones *Cevæ* sensim omnes ad æquas conditiones descendunt, & Estensem Marchionem, quem in vinculis detinebant *Sabaudis* innitentibus dimittere sunt coacti: quod *Thomas Mocenigus* Dux *Venetus* suo ad *Sabaudos* rescripto celebravit.

Ex rescripto Veneto ejus anni 18. Octob.

ANNO CHRISTI MCCCCXV. *Ludovicus* Princeps pleraque privilegia largitur *Cevæ* Marchionibus, & populis receptis, qui Sabaudas partes in Aurelianensem Ducem *Astæ* comitem tuebantur.

Ex diplomate 14. Maji.

ANNO CHRISTI MCCCCXVI. postquam *Amedeus* mense Februario *Camberii* Ducalibus titulis *Sabaudiæ* à *Sigismundo* Cæsare auctus fuisset, præter antiquissimos ducatus *Chablasii*, & *Augustæ*, Alpibus trajectis *Taurinum* venit, à *Ludovico* principe regalibus ceremoniis excipitur, nec multo post ipse Dux arcem in civitate ad *Padi* portam turribus quatuor conspicuam à fundamentis ædificat.

Ex ipsis diplomatib. Cæsaris ejus anni die 4. & 10. Februarii. Ex notis civitatis.

Anno CHRISTI MCCCCXVII. mense Septembri, *Martinus V.* Pontifex *Valentia* rediens, peragrata *Sabaudia*, & transgressis Alpibus *Taurinum* ingreditur, à *Ludovico* principe divinis prope honoribus afficitur. Ille vero ad pietatem maxima privilegia civitati indulget, & potissimum liberalitate singulari utitur Pontifex ad *Padi* pontem lapideum reficiendum.

Platina in ejus vita. Ex bulla data Taurini 17. Kal. Octobris.

ANNO CHRISTI MCCCCXVIII. quarto nonas Decembris obiit *Ludovicus* princeps *Pedemontium*, *Achajæ*, & *Moreæ*, nullis relictis ex uxore masculis, hærede instituto *Amedeo* duce, qui inde Subalpinis, & Taurinis solus dominatus est, Achaici juris successor: Et primogenii veteres controversiæ in hoc *Ludovico* extinctæ, *Taurinum Amedeus* ingreditur, qui populorum fidem, & sacramentum excepit.

Ex Inscriptione tumuli Pinerolii. Ex tabulis ejus anni 6. Septembris, dat. Taurini.

ANNO CHRISTI, MCCCCXIX. mense Februario *Amedeus* dux *Sabaudiæ* denuo *Taurinum* adit, & majorum prisca privilegia civibus benemeritis confirmat.

60 Ex tabulario 8. Febru.

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCXXI. mense Junio, *Amedeus* Dux iterum ipsis privilegiis subscribit, & ampliora in decennium ex Taurinensium animi sententia elargitur.

Ex tabulis 5. Junii.

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI, MCCCCXXIV. Augusto *Amedeus* Dux *Amedeo* filio primogenito titulos Pedemontium, & Taurinorum principis tribuit, qui tituli post inde Ducum primogenitis ad successionem vocatis semper dati sunt, ut secundogenitis *Baugiaci Brixiæ* comitatus concessus, vel etiam *Gebennensis*, quæ tamen à Geneva separata regio, Focuatibus sive Falciniaco intermedio.

Ex ipso rescripto ejus anni 15. Augusti.

EO ANNO mense Septembri, *Amedeus* dux universitati & Academiæ Taurinensi, quam almam filiam suam vocat, pleraque confert privilegia.

Ex rescripto ipso, pen. Septembris.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCXXVII, postquam pace, & fœderibus cum *Philippo Maria Anglo* Duce *Mediolani* ictis civitas *Vercellarum* clarissima *Amedeo Sabaudiæ* duci obvenisset, idem *Philippus Maria*, *Mariam* filiam ipsius *Amedei*, renovata veteri necessitudine *Taurini* in uxorem duxit.

Ex tabulis pacis ejus anni 6 Aprilis & ex contractu 11. Decemb.

ANNO CHRISTI MCCCCXXVIII. pestis acerbissima *Taurinum* invasit, ob id translata Academia Taurinensis in Charium proximum oppidum, ubi per octo fere annos resedit.

Ex tabulario universitatis.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCXXXI. mense Augusto obiit *Amedeus* primogenitus *Amedei* Ducis princeps *Pedemontium*, magno omnium mœrore.

Ex archivis.

ANNO. . . . .

61 ANNO CHRISTI MCCCCXXXIV. *Amedeus* Dux, *Ludovicum* filium *Pedemontium*, & *Taurinorum* principem salutari jubet.

Ex rescripto ejus anni 7. Novembris.

ANNO CHRISTI MCCCCXXXV. posteaquam *Jo. Jacobus* Montisferrati Marchio in laqueos *Philippi* Mediolanensium Ducis, ita incidisset, ut tota fere sua ditione spoliaretur, quam *Sabaudi* ope, opera, & consilio, *Venetorum* etiam implorata fide recepisset, sumptus tamen in eam rem impensos contra quam pactum fuerat re adepta denegasset, *Ludovicum* filium *Sabaudus* in illusorem cum exercitu contendere imperat, Alpes conscendit, *Taurinum* venit, *Joannem Jacobi* Ferratensis filium bello capit, ad poscendam pacem patrem cum filio adigit: qua pace *Taurini* icta, Cispadanas urbes & municipia in sumptuum justam æstimationem *Sabaudo* cedit, qui demum liberaliter hæc *Joanni* largitus est, & masculis Paleologis, Clientelari sola fide *Sabaudo* reservata, quam Ferratensis, & suorum aliquot persolverunt: masculi *Poleologi* defecerunt, & *Sabaudo* jus commissi liquido obvenit, & aliis de causis uberioribus, lis quamvis sit adhuc sub judice.

Ex tabulis datis Taurini, eo anno 27. Januarii.

EO ANNO, *Ludovicus Taurini* vetera confirmat civitatis privilegia, & per viginti annos novum illud de imponendis vectigalibus largitur, & de non vexandis ob crimina civibus, nisi certis ex bono, & æquo præscriptis modis, & conceptis formulis.

Ex rescripto ejus anni 8. Febru.

EO ANNO, peste etiam *Charium* invadente, Academia Savillianum translata, idque biennio.

Ex notis collegii.

EO ANNO, *Amedeus* Dux humanarum rerum tædio, æternæ saluti consulens, positis imperii fascibus, Eremitæ vestitu, & una secum senioribus septem accitis, quos Mauritianos equites dici voluit, Ripalianam Eremum ad Lemani lacus ripas ingreditur, *Ludovicum* principem Ducem salutari jubet, qui tamen modestiore producis sive (ut se vocavit) locum tenentis generalis titulo contentus, rempublicam consultissime tractavit.

Ex notis ejus seculi & archivis ducal. Æneas Silvius, Pius Papa in epistola 101.

ANNO CHRISTI MCCCCXXXVI. *Ludovicus* princeps Taurinensibus Academiam *Saviliani* residentem restituit, pluribus additis privilegiis, ne potissimum unquam divelli Academia possit ab ea sede, nec etiam supremi consilii Cisalpini semel fixum tribunal.

Ex rescripto Ripaliæ. eo anno 6. Octobris.

ANNO CHRISTI MCCCCXXXVII. purgata, & liberata tandem omni lue civitate, bellorum etiam obstaculis sublatis, *Taurinum* tandem florens Academia *Saviliano* rediit, in ejus diplomatis executionem.

Ex notis collegii.

EO ANNO, *Ludovicus* princeps edictum perpetuum in fœneratores promulgari jubet, ut duplo male ablata restituant, ut simulatæ venditiones luendi pacto palliatæ nonnisi ratione sexti

62 pro centenario annui canonis in commodum referant.

Ex edicto dato Taurini 3. Februarii.

ANNO CHRISTI MCCCCXXXVIII. *Eugenius IV.* pontifex Max. eam universitatis, & Academiæ restitutionem Taurinensibus confirmat, uberioribus additis privilegiis, eo imprimis de fructibus sacerdotiorum studii causa percipiendis, ac si beneficiarii in suis sacerdotiis residerent.

Ex bulla Eugenii data Ferrariæ eo anno XI. Kal. Julii Anno pontif. octavo.

EO ANNO mortuo *Aymone* à *Romagnano* Episcopo sufficitur *Ludovicus*, ejus Romagnanæ gentis Marchionum titulis clarissimæ.

Ex notis Ecclesiæ.

Is Annus insignis siccitate in Subalpinis, nam ab exitu *Julii* ad VII. Idus Decemb. nullus, ne minimus quidem imber terras siti laborantes irrigavit, & non modo torrentes sed etiam fontes exaruerunt.

Ex notis Gaudentii Merulæ.

ANNO CHRISTI MCCCCXXXIX. Postquam in

A concilio Basiliensi omnium votis *Amedeus* Pontifex Max. electus, & quamvis recusans, *Felix V.* dictus, Ducem, ex in se dici *Ludovicus* filius permisit & subalpinos *Taurinos* invisit.

Ex archivis.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCXLI. ob immensos sumptus ad Academiam sustinendam, *Ludovicus* dux approbante *Felice V.* parente Vectigal salis fora nei florenorum duorum millium annui reditus Taurinensibus non recusantibus imposuit. Illud post modum Vectigal extinxit quinquaginta mil-

B libus florenis à civitate numeratis: Quod omne æs, & eo amplius in publica commoda impensum.

Rescripto dato Genevæ eo anno IX. Augusti.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCXLVII. mense Augusto *Ludovicus* dux *Taurino* movens cum armata manu *Valentiam*, & *Confluentiam* invadit, mortuo tunc sine liberis *Philippo* Mediolanensium duce sororio, cujus ditionem varii varie dilaniabant, *Francisco* tamen *Sfortia* prævalente, qui *Blancam Mariam Philippi* spuriam duxerat, Dux inde *Mediolani*

C *Sfortia* dictus.

Æneas Silvius in Europa.

ANNO CHRISTI MCCCCXLVIII. sententia lata per supremum consilium *Ludovici* Ducis, qua privilegia civitatis comprobantur, jus vectigalium imponendorum tribuitur quocunque sublato impedimento.

Ex ipsa sententia 17 Julii.

ANNO CHRISTI MCCCCXLIX. *Ludovicus* Dux *Taurini* in solio sedens magno cum apparatu Magistratibus circumstantibus *Jacobum* à monte Majori clarissimi stemmatis virum, ob sua in rempublicam benemerita, res præclare, & fortiter gestas, quod cum *Amedeo* parente & Avo orientalia peragrasset, innumeras lustrasset provincias, quæ 63

D referuntur, eum Comitatus titulis affecit.

Ex diplomate 2. Februarii.

ANNO CHRISTI MCCCCL. Octobri, *Amedeus* olim Dux, inde Pontifex Maximus, post ubi sua sponte pacis & quietis appetens, ambitionis supraquam osor, se summa illa dignitate abdicasset, solis Cardinalis Sabinensis, Legatique retentis titulis, *Nicolaum* quintum successorem habere voluit, qui pontificatum suum, & in eo gesta omnia approbavit: Ille vero quamvis senex Alpes transcendit, a Taurinensibus, Pontificiis honoribus excipitur, *Taurini* de pace patriæ actum, & bella in *Franciscum Sforciam* Ducem *Mediolani* paulo ante creatum à *Ludovico* suscitata pru-

E denter extinguit.

Ex Tabulario Taur. & notis 27. Octobr ejus anni.

ANNO CHRISTI MCCCCLI. Idibus Januarii vir ille sanctissimus *Amedeus* obiit *Genevæ*, Ripaliam in suam Heremum translatus, ubi miraculis claruit: tandem violato ab impiis sacro sepulchro *Taurinum* nostro seculo transvectus, ut suo loco videbitur.

Ex notis ejus seculi.

ANNO CHRISTI MCCCCLII. *Ludovicus Sabaudiæ* dux Taurinensium privilegia confirmat, & cum Jureconsultorum collegium statuta quædam edidisset, illa pronis auribus exaudivit & approbavit.

Ex ipso rescripto. 7. Septemb. eo anno & notis collegii.

F EO ANNO mense Octobri *Ludovicus* dux cum aliquot ante annis *Annam Jani Cypri* Regis filiam in uxorem duxisset, simul cum uxore *Taurinum* ingrediuntur regio splendore à splendidissimis civibus excepti.

Ex notis ejus seculi.

ANNO CHRISTI MCCCCLIII. Pridie nonas Julii, hora vigesima, cum expugnato Sabaudicis præliis *Isiliæ* vico, *Delphinatium* finium, signa vasaque aliquot argentea è vici templo, à profanis quibusdam rapta *Taurinum* usque advecta fuissent, interque cætera sacrosanctum Eucharistiæ ter-

Ex Historia eorum temporum.

Ex notis Joannis Galesii civis Taur. Ex civitatis archivo & inquisitione testificatione que publica signis & sigillis obfirmata.

ferculum in fascem inclusum esset: En vectitius Mulus in via publica e regione templi Divi *Silvestri* iterum, atque iterum hæsitans ac cespitans collabitur: dissoluti ruptique fasces, Rei miraculo erumpit, & egreditur argenteus cadurcus in aëra sponte sua resiliens, & stans, donec advenit Antistes *Ludovicus Romagnanus*, cum clero ac populo frequenti, quo præsente, & supplice, secundo miraculo vas illud argenteum humi decidit, Corpus vero CHRISTI in candenti illa orbicularis panis specie splendidissimum & quasi radiis perfusum per aëra subsistit, donec supposito calice in eum ipsum & Pontificis manus tertio miraculo decidit, tum in Templum divi *Joannis* reverenter relatum: Tandemque in marmoreo sacello eo loci à civibus devoto & erecto (ubi tanta tamque multa edita miracula) illud repositum, & in hodiernum diem sanctissimum Eucharistiæ sacramentum jugiter asservatur, piaque totius populi devotione colitur, & adoratione. Porro ejus miraculi celebritas Dominica quarta Augusti, agi instituta. Hoc vel uno exemplo errones ad fidem Catholicam redeant.

Ex cæremoniali libro ecclesiæ Taur.

64 ANNO CHRISTI MCCCCLIV. *Ludovicus* dux Taurinensibus privilegia amplificat, & de vini introitu, de causarum remissione, de notariorum erigendo collegio, de sportularum interdictione, & aliquot aliis non modicæ frugis & emolumenti providet.

Et rescripto dato Genevæ 20. Aprilis eo anno.

Eo ANNO, idem dux præbet facultatem civitati duos alveos extrahendi ex flumine *Duriæ*, unum qui per civitatem, alterum qui extra defluat, & antiquum alveum e *Sturia* flumine a *Druento* pago resumere queat, idque ad civitatis mundiciem, agrorumque opportunas irrigationes.

Alio rescripto 24. Aprilis.

Eo ANNO, idem *Ludovicus* non satis eam civitatem beneficiis complecti posse sibi videtur, cum etiam ærario suo & fisco detrahens, interdicit mulctarum omnem exactionem, si intra biennium non exactæ fuerint.

Rescripto dato Anneciaci, penult. Maji.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCLVI. post fœdera illa perpetua inter *Ludovicum Francorum* regem & *Ludovicum* ducem, *Burgi* inita, Regiis astantibus oratoribus, Taurinensium consensus definitè exoptatus est, qui jubente duce fœderibus subscripserunt.

Tabulis datis Burgi 10. Augusti.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI, MCCCCLVIII. mense Majo *Taurini* obiit *Maria* filia *Amedei VII. Sabaudiæ* ducis, & *Philippi Mariæ* Mediolanensium ducis olim conjux, sed virgo relicta. Hæc paternum animum imitata amplissimis ad pias causas legatis factis, Phonascos Basilicæ majoris instituit, inter moniales Divæ *Claræ* se se devovit, & eo in templo humiliter, uti jusserat sepulta, annos nata LVI.

Ex notis, & Historia Dominici Machanei

Eo ANNO, mensis Julii initio, *Bernardus Badensis* marchio sanctimonia vitæ ut natalibus clarus, *Taurinum* ingreditur qui postmodum suscepto Romano ad pietatem itinere, *Moncalerii* morbo intercipitur, & morte præveniтur. obiit XV. Julii, & ob toties repetita varia miracula, inter Divos est habitus. Is *Caroli* frater, *Jacobi* filius, *Bernardi* marchionum Badensium nepos.

Ex notis templi divæ Mariæ Montis calerii & publicis attestationibus. Franciscus rericus lib. 3. ca. 106. Germaniæ exegeos Mompelier pro Moncalier vocat.

ANNO CHRISTI MCCCCLIX. *Taurini* comitia fiunt, quæ trium statuum vocant, & commeatus ingentes ex publico liberaliter irrogantur *Ludovico Sabaudo*, *Antiochiæ* Principi Gebennensiumque comiti, Ducis filio, in regnum *Cypri* proficiscenti, uxore prius ducta *Charlota Joannis* regis *Cypri* filia, & regni hærede, Rex ideo futurus. Atque ob id denuo Taurinensia, totiusque patriæ Subalpinæ antiquissima à duce confirmantur privilegia.

Ex rescripto dato Taurini. 5. Januar.

65 Eo ANNO, *Ludovicus* dux Taurinensibus Academiam quæ *Moncalerium* certas ob causas translata fuerat restituit, atque iterum civitatem ornari vult ea perpetua Academia, & supremi consilii prærogativa, quod consilium authoritate Præfecti prætorio præfulgeat, & ad quod omnes magistratus refluant, litesque in eo terminentur.

Rescripto ejus anni 15. Martii.

Eo ANNO, Dux idem Taurinensibus primum concessit jus pistrinorum & artificiorum, magni quidem reditus, quæ in *Duria* flumine multis sunt elaborata sumptibus, ac certæ justæ appositæ conditiones.

Rescripto Taurini 19 Martii.

ANNO CHRISTI MCCCCLX. *Pius II.* Pontifex maximus Taurinensibus salutarem legem dixit de ædificiis, aut feudis non ideo Ecclesiæ commissis ob canonis annui cessationem, nisi trina monitione intra quinquennium facta.

Bullis datis Senis eo anno 4. Kal. Aug.

ANNO CHRISTI MCCCCLXI. *Ludovicus* Dux indies erga Taurinenses propensior immensa privilegia à majoribus, & recens accepta confirmat, necnon etiam universæ Subalpinæ ditioni.

Ex rescrito ejus anni 21. Maji.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCLXV. Kal. Februarii defuncto *Lugduni Ludovico* Duce Sab. succedit *Amedeus* ejus nominis VIII. qui *Burgi* tunc agens *Sabaudorum* clientelas excepit. *Taurini* vero per delegatos à civibus, & Subalpinis populis sacramenta præstita.

Ex archivis.

Eo ANNO, idem *Amedeus* Taurinensibus privilegia confirmat, & singulis rebus, quæ ad Academiam conferrent providet.

Rescripto dato Camberiaci. 29. Martii.

ANNO CHRISTI MCCCCLXVI. *Amedeus* Alpes transcendit, & universa Subalpinæ ditionis privilegia, ut *Taurinensium*, indulgentissime comprobat.

Rescri. dato Pineroli 8. Octobris.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCLXVIII. idem *Amedeus*, cum *Taurino* consilii tribunal aliquandiu abscessisset, suspensione prius facta, illud restituit, & majorum placita, ac institutiones approbavit.

Rescripto dato Avelianæ 22. Aug.

ANNO CHRISTI MCCCCLXIX. defuncto *Ludovico* à *Romagnano* Episcopo Taurinensi, *Joannes* à *Compesio Sabaudus* designatur, ab ipsis Taurinensibus, cum veneratione susceptus, *Francisco* à *Pres* Episcopo Augustensi cæremonias peragente.

Ex adeptione possessionis ejus anni 10. Decemb.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCLXXI. *Franciscus* à *Ruvere Leonardi* fil. Cardinalis S. Petri ad Vincula, origine *Taurinas*, è familia *Ruverea Savonæ* propagata, Pont. max. creatus, *Sixtus* quartus nominatur. 66

Ex notis ejus familiæ. Onuphrius in vita Sixti 4.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXII. penultima Martii, quæ dies Lunæ à Paschate, cum *Taurini Compesius* Episcopus supplicationes publice decrevisset, ad exposcendam à Deo salutem pro *Amedeo* optimo duce, qui tunc *Vercellis* lethali morbo afficiebatur, populo nudis pedibus gradiente, & linteis amicto, cum multis lachrymis, ipse *Amedeus* omnium oculis visus est, quasi super Solem assidens: ob quod tantum, & inauditum miraculum, postquam de ejus obitu allatus

Attestatio publica multorum signaculis firmata.

fuit nuntius, eadem hora, & momento, quo sic visus fuerat, coli cœpit ab omnibus, crescentibus maxime aliis plurimis sanctimoniæ testimoniis.

Ex notis ejus temporis.

Eo ANNO, *Philibertus* Divi *Amedei* filius Dux, patri successit, *Iolanda* à *Francia* matre, & curatrice vigilantissima, quæ *Taurinos* amplissimis ornavit beneficiis.

Ex notis Georgii à Lucerna ejus seculi abbatis S. Solutoris.

Eo ipso ANNO, mense Junio, *Taurini* suscitata memoria Beati *Goselini* Abbatis, qui quatercentum & undecim annis ante obdormiverat, innumeris authore Deo elucescentibus miraculis. Nec procul inventum corpus Beati *Anastasii*, Taurinensi Episcopo *Compesio* inquirente, de quibus Divis superius diximus.

ANNO. . . . .

Ex archivis ducal. Et oratione Petri Caræ senatoris ejus temporis.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXIV. mense Februario, *Philibertus* Dux, *Taurini* duxit *Mariam* primogenitam *Galeacii* Ducis *Mediolani* ingenti cum dote, & publica maxima lætitia.

ANNO. . . . .

Ex notis ejus ævi.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXVII. *Christophorus* à *Ruvere* civis & summus Jureconsultus *Taurinensis* S. R. E. a *Sixto IV.* Pontifice gentili suo Cardinalis, & Tarentasiensis Archiepiscopus eligitur.

ANNO. . . . .

Ex diplomate ejus anni idib. Augusti.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXXI. *Sixtus* Pontifex maximus instante *Ludovico Salutiarum* Marchione *Salutias* Taurinensi Episcopo suppositas civitatis nomine ornat, Episcopo primo creato *Federico Ludovici* fratre electo Carpentoratensi.

Ex ipsius litteris sive brevi 23. Martii.

67 ANNO CHRISTI MCCCCLXXXII. *Sixtus* Pontifex rescribit civibus Taurinensibus, cum ab ea civitate majores suos prodiisse agnoscat, se decrevisse civitatem eam non paucis ornare privilegiis, & collegium studiosorum erigere, ac proventibus dotare, & pleraque alia ad urbis publica commoda, quæ morte, anno octuagesimo quarto mense Augusti præstare nequivit.

Ex notis ejus seculi.

Eo ANNO, *Dominicus* à *Ruvere*, civis Taurinensis post ejus civitatis, & Montisflasconensis Episcopus, ad Cardinalitium apicem suo merito conscendit.

Ex notis ejus seculi.

Eo ANNO, x. Kal. Majas, immatura morte sublato *Philiberto* Duce sine sobole, *Carolo* fratri adhuc puero sceptra obveniunt, tutelam assumente *Iolanda* à *Francia* matre prudentissima.

Rescripto dato Vercellis 18. Aprilis.

EODEM ANNO, *Iolanda* tutorio nomine *Caroli* Ducis, Taurinensibus Academiam, & cætera confirmat privilegia.

Ex notis ejus seculi.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXXIII. Kal. Novemb. idem *Carolus* Dux *Taurinum*, cum matre ingreditur, munificentissime à civibus exceptus.

Rescripto dato Taurini 13. Novembris.

Eo ANNO, idem *Carolus* tutela solvitur, & solus indulgens Taurinensibus privilegia abunde confirmat, illud potissimum unionis perpetuæ consilii, atque universitatis.

Ex notis Ecclesiæ Taurinensis.

Eo ANNO, IV. idus Decembris, *Dominicus* à *Ruvere* tituli Sancti Clementis S. R. E. Cardinalis (*Joanne* à *Compesio* ad Archiepiscopatum *Tarentasiensem* translato) in possessionem hujus Episcopatus mittitur, *Taurini* piissime excipitur: Cui obviam fuerunt *Carolus*, Dux, simulque *Ludovicus* à *Sabaudia* ducis patruus Auxitanensis Archiepiscopatus.

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCLXXXV. pridie Kal.

A Sextiles, obiit *Taurini Jacobus Ludovicus* à *Sabaudia*, divi *Amedei* filius, & *Caroli* Ducis frater, magnæ expectationis adolescens, in templo divi Joannis sepultus.

Petrus Cara senator in epistola consolatoria ad Carolum ducem.

Ex archivis.

Eo ANNO, mense Aprili, *Carolus* Dux uxorem duxit *Blancham* filiam *Guillelmi* Marchionis *Montisferrati*, quam *Taurinum* magna pompa deduxit.

ANNO. . . . .

Ex archivis.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXXVII. octavo Kal. Junias *Taurini* conveniunt trium ordinum delecti, B & ob indicta bella in *Ludovicum Ludovici* filium Marchionem *Salutiarum*, & asseclas, conferunt populi duci viginti millia nummum florenorum.

Ex notis ejus seculi.

Eo ANNO, quarto idus Julii *Taurini* nata *Ludovica Iolanda Caroli* ducis, & *Blanchæ* Ferratensis filia. 68

ANNO. . . . .

Ex notis & Diario Joan. Petri Gastaldi ejus seculi.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXXIX. VII. Kal. Junii, Divi *Jo. Baptistæ* die festo *Taurini*, natus *Carolus Joannes Amedeus Caroli* ducis, & *Blanchæ* filius, baptismate tinctus *Taurini* quarto nonas Augusti: Dux & ipse futurus. C

Ex tabulario civitatis.

Eo ANNO XII. Octobri, *Taurini* convocatio fuit trium statuum: Qui *Carolo* duci, ducentum millia florenorum conferunt, ad sumptus bellicos in *Ludovicum* Marchionem *Salutiarum* ferendos, & rebelles alios aliquot, & ad viaticum in *Gallias* sustinendum, quod regem *Carolum* pars utraque pacis arbitrum elegisset.

Ex eisdem notis Gastaldi.

ANNO CHRISTI MCCCCXC. II. idus Martii, obiit *Carolus* Dux, relicto sceptri successore *Carolo Jo. Amedeo* infantulo, sub tutela *Blanchæ* Ferratensis, non sine maxima ob eam tutelam inter proceres contentione suborta, elevati per D Taurinensia compita factiosi, Armatur civitas, vicatim confligitur, plures utrinque læsi, necati aliquot: nec sine negotio tumultus sedatus.

Iidem.

ANNO CHRISTI MCCCCXCI. mense Martio, obiit *Taurini Franciscus* à *Sabaudia* Episcopus Auxitanensis Genevensisque, qui patriæ gubernacula tenebat.

Ex eisdem notis.

Eo ANNO *Blancha* tutorio nomine, supremo jure (quod patronatus vocant) usa, sede Genevensi vacante *Antonium Campionem* Cancellarium Montis regalis præsulem, Genevensem etiam Episcopum nominat, & de more Pontifici maximo præsentat, similem nominationem alteri exposcenti constanter denegat, instante quamvis E pro affine suo, *Ludovico Cameræ* comite, & magnatibus aliquot. Cameranus ob repulsam sibi factam indignatus *Genevam* festinare contendit, & quâ transit armata manu omnia populatur, & gentilem suum vi introducit.

Ex sententia lata 20. Septembris eo anno.

Eo ANNO, *Taurini* in jus vocatur Cameranus, illatum crimen, & capitalis quæstio proponitur, vadimonii diem obire protelat, eremodicii damnatur, inclamatus, proscriptus declaratur, commissa prædia clientelaria, sed tandem exorante *Francorum* Rege, ad quem se contulerat, in integrum restituitur.

Ex eisdem notis.

F Eo ANNO, mense Julio *Magdalenes* festo die, labante vetustissimo divi Joannis templo, æquatur solo, & elegantiori forma à fundamentis longe amplissimum erigitur, impensa, atque opera Cardinalis, & Episcopi *Dominici Ruverei*, jacto primo lapide simul, & aureo numismate à *Blancha* principe piissima. 69

ANNO. . . . .

ANNO CHRISTI MCCCCXCIV. VIII. Idus Septem-

Ex notis ejus seculi, & commentariis Martini à Ruvere Viconovi reguli. Philippus Comineus ab Argenton.

ptembris, *Carolus VIII. Francorum* rex, superatis alpibus in *Italiam* descendens, *Taurini* inaudita magnificentia excipitur, Dux quamvis infans Regi obviam fuit, phalerato, & generoso equo insidens, eleganti oratione se & solum suum regiis placitis obtulit: per civitatis compita *Caroli magni* gesta apposite repræsentata, nihil ornatius excogitari potuit: ad quod spectaculum ipse Rex *Carolus* præ gaudio illachrymasse visus est, *Blancha* vero mater Regem re ipsa, id est auro, armis, viris ad expeditionem Italicam juvit liberalitate incredibili.

Petrus Cara in histor.

ANNO CHRISTI MCCCCXCV. Præfectis militiæ & regiis copiis ex Neapolitana expeditione redeuntibus, eos una cum Rege *Taurini Blancha* suscepit, ac recreavit. Rex inde *Taurino* movens, ut Novarensibus obsessis faveret, in *Mediolanenses* & *Venetos* properat, Pax inde *Vercellis*, *Blancha* etiam tractante icitur.

Ex tabulis pacis 10. Octobris.

Ex orat. Petri Caræ.

ANNO CHRISTI MCCCCXCVI. XVI. Kal. Majas, immaturam mortem oppetiit *Carolus Jo. Amedeus* Dux, vix septimum attingens, cui *Philippus* magnus patruus successit.

Ex tabulis 20. Maji ejus anni.

EO ANNO, *Philippus* dux *Iolandam Ludovicam* infantis Ducis sororem superstitem collocari *Philiberto* primogenito curavit, ad patriæ tranquillitatem conservandam. Nuptiæ *Taurini* celebratæ, sed non diuturnum matrimonium pervenientε uxoris interitu.

Petrus Cara in oratione tunc habita.

EO ANNO, VII. idus Julii *Philippus* dux victoriarum annorumque plenus, ubicunque terrarum celeberrimus, *Taurinum* solemniter ingreditur, civium ora & animos admirabili sua præsentia redintegrat.

Ex literis ipsius ducis ad Pontificem.

EO ANNO, *Philippo* duce hortante *Alexander XI.* Pontifex max. legati à latere suprema dignitate *Dominicum* à *Ruvere* Cardinalem ornat, hic vero protector *Sabaudi* nominis apud Pontificem vocatus.

Ex notis ejus seculi.

ANNO CHRISTI MCCCCXCVII. mense Octobri, Dux *Philippus Taurini* lethali morbo corripitur, *Camberium* (ubi natus & educatus sub suo salubriore sibi cœlo) transportari curat, ubi mense sequenti naturæ cedere eum oportuit, relicto *Philiberto* fortunarum successore, & numerosa prole.

Ex inscriptione marmorea templi.

ANNO CHRISTI MCCCCXCVIII. *Dominicus* à *Ruvere Taurinorum* Episcopus, & Cardinalis, octavo anno vix integro, magna sua impensa, majore diligentia, pietate vero maxima, divi Joannis
70 templum opus insigne, a fundamentis augustiore ornatu construxit & absolvit.

Petrus Cara in oratione habita.

EO ANNO, quarto nonas Decembris *Philibertus* ejus nominis secundus, pulcher cognomine ob formæ præstantiam dictus, *Taurinum* regali cætu & ornatu applicuit, applauserunt populi, & supremos honores reddiderunt.

Ex diplomate ejus anni 29. Julii.

ANNO CHRISTI, MCCCCXCIX, *Ludovicus XII. Francorum* rex cessit *Philiberto* Duci quicquid ipse, & futuri reges aspirare unquam possent in eis omnibus ditionibus, quas tunc temporis dux possidebat, & tunc imprimis *Taurino* dux potiebatur.

EO ANNO, defuncto *Dominico* à *Ruvere* Cardinali, *Jo. Ludovicus* à *Ruvere* Episcopus Taurinensis vir optimus sufficitur.

Ex codicillis regiis ejus anni 3. octobris & 28. ejusdem.

ANNO CHRISTI MD. post expugnatum à *Ludovico* Rege *Mediolanum*, *Ludovico Sfortia* expulso, ipse rex *Philibertum* Ducem benemerentem donat reditu annuo viginti millium coronatorum, ex ærario Mediolanensi, *Taurini* persolvendorum.

Ex contractu 26. Septembris ejus anni.

ANNO CHRISTI MDI. defuncta prima uxore *Iolanda Ludovica*, *Philibertus* dux *Margaritam* duxit Austriacam *Maximiliani* Cæsaris, & *Margaritæ Burgundicæ* filiam. In qua *Maria Caroli* *Burgundiæ* Ducis filia unica, desierunt Burgundiæ duces, & cœpta inter Francos & Austriacos de ea ditione acerba contentio.

Nicol. Vignerius in chron. Burgundiæ.

ANNO CHRISTI MDII. *Ludovicus Francorum* Rex superatis Alpibus caterva grandi *Salutias* venit quarto Julii: quinto vero die *Carmaniolam*, & alia subalpina oppida peragrat, expeditionem Neapolitanam tentaturus, paulo ante *Neapoli Hispanis* viribus occupata.

Ex notis ejus seculi.

EO ANNO. XI. Kal. Januarias, *Philibertus* dux *Taurinum* venit, *Margaritam* conjugem excepturus.

Ex notis civitatis.

ANNO CHRISTI MDIII. mense Februario *Margarita Taurinum* ingreditur, digno tanta principe apparatu, cui nihil desiderari ad augustum splendorem potuit. A patria vero hic habitis comitiis ob jucundum adventum, quinque millium florenorum munere donatur.

Ex eisdem.

EO ANNO. kalend. Novembris, *Julianus* à *Ruvere* Cardinalis, *Raphaelis*, *Sixti* quarti Pontificis fratris filius, Natalibus Savonensis, origine *Taurinas*, Pontifex max. creatus, *Julius* secundus dictus.

Ex notis, & Onuphrio in pontificibus.

ANNO CHRISTI MDIV. quarto idus Septembris, *Philibertus* secundus dux dies clausit in arce pontis Indici, eomet cubili quo natus fuerat, nullis relictis liberis, *Carolo* fratre *Philippi* ex secundis nuptiis filio, fascium ducalium successore, qui ut cæteros populos, Taurinenses in fidem clientelariam benignissime suscepit.

Ex notis Ludovici à Pingon patris.

ANNO. . . . . .

71 ANNO CHRISTI MDVI. mense Martio, *Carolus* dux superatis Alpibus *Taurinum* cum apparatu pro dignitate ingreditur, civitas hilaritatis omnem præbuit significationem.

EO mense, *Carolus* dux *Taurino* oratores ad *Julium* secundum *Romam* misit, officii sacrosanctæ Ecclesiæ persolvendi gratia.

Rescripto dato Taurini 15. Martii.

EO ANNO, obiit *Taurini Jo. Ludovicus* à *Ruvere* Episcopus, cui *Joannes Franciscus* à *Ruvere Antonii* Episcopi Agennensis frater ipse doctissimus, & doctorum fautor ac *Mæcenas* feliciter successit.

EO ANNO pridie nonas Septembris, *Erasmus Rotherodamus* tunc catholicus, ordinis sancti Augustini monasterii vulgo dicti *Steyen Trajectensis* in *Hollandia*, *Taurini* post assidua studia lauream suscepit in summis Theologiæ facultatibus licentiosius eruditione (ut judicarunt summi religionis Antistites) postmodum usus.

Ex tabulario & notis civitatis & collegii.

EO ANNO mense octobri, *Carolus* dux *Taurinum* iterum venit: civitatis privilegia confirmat, leges & edicta statuit, illud potissimum de non alienandis, quacunque ex causa patrimonii rebus, quod jampridem *Ludovicus*, *Carolus*, & *Philibertus* sanciverant.

Diplomate dato Taurini 18. Octob.

ANNO CHRISTI MDVII. mense Aprili, *Ludovicus Francorum* rex cum magno exercitu Alpes transcendit, in Genuam contendens. Dux *Carolus Taurino* egressus obviam illi fuit XVI. Kal. Majas, & ad montem *Callerium* deduxit, sexto vero idus Maji *Genuam* quæ paulo ante defecerat recipit.

Ex notis paternis.

EO ANNO, mense Novembri, idem rex dat *Carolo* duci benemerito viginti millia librarum Turonensium, quæ quot annis *Taurini* ex ærario Mediolanensi penderentur.

Rescripto dato Mediolani, eo anno primo Junii. sig. Robertet.

ANNO. . . . . .

ANNO CHRISTI MDIX. *Maximilianus* Cæsar

Rescripto dato in Luna penulti. Junii.

far cum privilegia aliquot *Guillielmo Joanni* Marchioni Ferratensi in subalpinis concessisset, declarat, non voluisse quidpiam juri *Sabaudo* detrahere.

Ex notis paternis & delegatione patri commissa eo anno 18. Septembris. Ex rescripto Ludovici regis Francorum dato Blasii 17. Januarii, & rescripto Maximiliani Cæsaris 3. Febr. eo. anno.

ANNO CHRISTI MDX. detectæ cujusdam *Joannis Furnei* variæ fraudes, qui à secretis aliquot *Sabaudiæ* Ducibus inservierat, & accepta quadam injuria indignatus, quod minus in offensorem animadversum fuisset, malo vindictæ animo, malis artibus, falsisque syngraphis ditionem fere totam *Helvetiis* & aliis principibus oppignerarat, nec *Taurino* prætertito, quibus magna difficultate & impedimento occursum est Cæsaris, etiam Regis, & principum virorum (quorum fidem Dux imploravit) interposita authoritate.

72 ANNO. . . . .

Onuphrius in chron.

ANNO CHRISTI MDXIII. IX. Kalen. Martii, *Julius* secundus à *Ruvere* pontifex mortem obiit, cui *Leo X.* Pontifex succedit.

Rescripto dato Taurini XIX. Decemb.

Eo ANNO, quo tempore *Ludovicus Francorum* rex *Ravennam* expugnabat, *Carolus* dux Alpes superat, *Taurinum* præsidiis munit, & civitatis atque universitatis privilegia amplissime confirmat.

Ex contractu dotis Taurini X. Maji.

ANNO CHRISTI MDXIV. *Taurini Julianus Medices Laurentii* filius & *Leonis X.* frater, uxorem duxit *Philibertam* à *Sabaudia Philippi* ducis filiam, & *Caroli III.* sororem.

Onuphrius in vita Leonis X. Ex diplomate Pontificio.

ANNO CHRISTI MDXV. *Leo X. Florentinus* hanc civitatem jam à *Sixto IV.* exemptam a Mediolanensi Metropoli sejunxit, & ipsam in Metropolim erexit, Archiepiscopo primo instituto *Joanne Francisco Ruvereo*, cui Eporediensem, ac Monte Regalensem Episcopos comprovinciales subjecit.

Franciscus Purpuratus in ff de offic. assessoris. Ex commentariis Petri Lamberti Cruciani rationalis Præsidis. Ex notis paternis.

Eo ANNO, mense Septembri *Franciscus Francorum* rex *Caroli* ducis *Sabaudiæ* ex sorore *Ludovica* nepos, qui mortuo *Ludovico XII*, paulo ante inauguratus fuerat, superatis Alpibus *Taurinum* cum exercitu venit, à duce avunculo exceptus, ejus opem ad expeditionem *Mediolanensem* implorat. Nec tunc *Mommorantio* instante dux quamvis valetudinarius, sui etiam copiam recusare potuit, ac proinde Regi adhærens *Helvetiorum* partem optimam, *Bernenses* inquam, Friburgenses ac Solodurenses, adversariarum partium ab acriore pugna avertit, secum traxit, & Marignanam victoriam Mediolanensemque deditionem causatus est. Neque ideo *Maximilianus* Cæsar auditis *Caroli* justis rationibus, & quod necesse tunc sic fuerat, factum improbare potuit.

Ex eisdem notis.

Eo ANNO, *Carolus* dux *Taurino* movens cum exercitu *Cævam*, & adjacentia oppida quæ defecerant expugnat, & ad officium revocat.

Eo ANNO, mortuo *Joanne Francisco* à *Ruvere* primo Archiepiscopo, sedem quidem impetrat *Innocentius Cibo* Cardinalis, sed interpositis certis pactionibus succedit *Claudius III.* à *Seycello* Massiliensium tunc Episcopus, natione Sabaudus Aquensis, qui Jureconsultorum eloquentissimus, & eloquentium Jureconsultissimus sui seculi dici potest, tot in jure & veteri historia libris attestantibus.

Ex notis Petri Gagaldi.

ANNO CHRISTI MDXVI. *Julianus Medices* & *Philiberta Sabauda* conjuges *Taurinum* magnificentissimis, & exquisitis apparatibus ingrediuntur: carmina varia, & inscriptiones in portis & compitis, aureis literis in conjugum laudem affixæ; *Leo* Pontifex *Juliani* frater innumeris civitatem privilegiis exornat, *Camberium* apud *Sabaudos*, & *Burgum* civitates appellat, illa Archiepiscopali, hac Episcopali sede insignitis. *Maximilianus* Cæsar jus civitatum confirmat: *Francisco* tamen rege repugnante: & ad hanc diem res quodammodo neglecta est, quod quæ essent religionis magis, quam quæ ambitus spectata fuerint.

ANNO CHRISTI MDXVII. prodigia magna, phalanges armatorum numerosæ in aëre confligere sunt visæ. 73

Roverus Pontanus lib. rerum memorabilium. Literis Maximiliani eo anno 20. Septemb.

Eo ANNO, *Franciscus* Rex occasione nacta ejus erectionis geminarum in *Sabaudia* civitatum, in Ducem primas bellorum flammas concipit. Quas dum Cæsar extinguere literis & legatis conatur, accendit vehementius.

Ex pactis actis Taurini 10. Martii 21. Maji. 9 & 27. & 29 Novemb. eo anno.

ANNO CHRISTI MDXVIII. *Taurini* conveniunt aliquot Coconati & *Radicatæ* comites, qui *Carolo* Duci jus ipsorum comitatuum cedunt, *Bernardus* inquam in *Brosolum*, *Joanninus* filius *Dominici*, *Alemanus*, & *Vullielmus* filius *Conradi*, *Raphaël* filius *Vullielmi*, atque alii Coconates: in quam ditionem Pedemontio contiguam, & permixtam *Philibertus* dux aliique duces jam aspirarant.

Ex notis ejus seculi.

ANNO CHRISTI MDXIX. mense Januario post *Maximiliani* Cæsaris mortem, *Carolus V. Philippi Hispaniarum* Principis filius absens, in *Germania* Cæsar eligitur, ob cujus fausta auspicia *Taurini* hilaritatis publica significatio secuta.

Ex sepulchri inscriptione Cariniani apud Augustinianos. Ex testamento 12. Febr. eo anno.

Eo ANNO, pridie Cal. Aprilis, obiit *Blancha Guillielmi* Marchionis Ferratensis filia, & *Caroli* primi vidua, hærede instituto *Carolo* tertio duce in Ferratensis successionis juribus, præter ea quæ jam *Sabaudo* amplissima competebant, & Pedemontanæ hypothecæ, quibus etiam in Taurinensi agro *Blancha* fruebatur, ad *Carolum* redierunt.

Ex notis Ecclesiæ & inscriptione sepulchri in templi sacrario.

ANNO CHRISTI MDXX. mortuo *Claudio* à *Seyssello* Archiepiscopo, succedit *Innocentius Cibo* Cardinalis, jam tum Archiepiscopus à *Leone X.* designatus, cum *Ruvereus* diem obiisset: sed instante *Carolo* Duce *Claudio* cesserat, reservato sibi (ut dicunt) regressu.

Ex eisdem notis. Historia Antonii Doriæ & aliorum.

ANNO CHRISTI MDXXI. exacuuntur bella inter Cæsarem & Francum ob Mediolanensem ditionem, quam Cæsar Franco eripere nititur: cohortatus ab utrisque dux *Carolus* ne adversario faveat, neve commeatum vel iter præbeat. Difficilis & periculosa *Sabaudi* futura inter tot turbines, ac tot tantosque scopulos, & validissimos ventos ex Adverso reflantes navigatio.

Ex contractu dato Ulysipone. 20. Martii.

Eo ANNO, *Carolus* Dux uxorem duxit *Beatricem* filiam Emanuelis *Lusitanorum* Regis.

Ex notis Ludovici patris. Onuphrius.

Eo ANNO, mense Decembri obiit *Leo X.* cui *Adrianus VI.* Cæsaris olim institutor, sufficitur.

Ex eisdem notis paternis.

ANNO CHRISTI MDXXII. mense Martio, *Beatrix Lusitana Taurinum* ingreditur, supra quam dici potest sumptuose excepta, & a populis qui *Vigoni* convenerant quinquaginta millia florenorum liberaliter ob felicem adventum collata sunt. Peste tandem sæviente *Taurino* discessum, Dux ipse pedibus, trajectis alpibus *Camberium* ad sanctam venerandam Syndonem ex voto venit, assumptis secum duodecim peregrinationis sacræ comitibus, inter quos *Lælius Ruvereus* Viconovanus, Taurinensis patricius allectus.

Nevisanus in summario statutorum.

74

Ex notis Ruverels ultimo die Martii. Ex notis paternis.

Eo ANNO mense Decembri, natus *Adrianus Jo. Emmanuel* trinominus, *Caroli* ducis primogenitus, sic ab *Adriano* Pontifice denominari jussus, qui infans obiit.

ANNO

Ex diplomate dato Lugduni. 10. Septembris eo anno. ANNO CHRISTI MDXXIII. *Franciscus Francorum* rex cedit omni juri quod prætendere unquam posset in ditionem Sabaudam, Niciensem, & Pedemontanam, cujus caput (ut sæpius dictum) *Taurina* hæc civitas.

Onuphrius. EO ANNO mense Septembri, obiit *Adrianus* Pontifex quem *Clemens* septimus Mediceæ gentis sequutus.

Nicol. Giles. EO ANNO nata *Francisco Francorum* Regi *Margarita* filia, Dei providentia dux *Sabaudiæ* destinata.

Ex notis paternis. EO ANNO, mense Decembri natus *Carolo* Duci *Ludovicus* Princeps Pedemontium.

Ex rescriptis tribus datis in abbatia S. Francisci ante Papiam. xi. Novemb. ANNO CHRISTI MDXXIV. *Carolo Borbonio* Duce à *Franco* deficiente, & *Massilia* expulso, cum in *Italiam* venisset, Rex fugientem armata manu prosequitur, Dux regem *Taurini* excipit, auxiliaribus copiis juvat, *Mediolanum* à Rege mox recipitur, obsidetur *Papia*, Dux à Rege ingentibus donatur muneribus, confirmatis & pensitatis eisdem quæ olim *Philiberto* Duci annuis honorariis debebantur.

Ex notis paternis 18. Januarii. 25. Februarii. Gallica supputatio verus a resurrectione. 1524. numerat. ANNO CHRISTI MDXXV. (quo in lucem prodii) *Franciscus* Rex in Papiensi conflictu à Cæsarianis capitur in *Hispaniam* abducitur, ingenti ære redimitur. Taurinensis ager diripitur, *Carolo* Duce nulla unquam necessitudinis erga Regem adversus ejus temporibus prætermittente officia.

Contractu apud sanctum Germanum 7. Aprilis. ANNO CHRISTI MDXXVI. postquam obsidibus datis ipsius regis liberis, Rex in *Galliam* rediisset, tractatum matrimonium *Ludovici* principis Pedemontium, & *Margaritæ Francisci* Regis filiæ, quum primum per amborum ætatem liceret.

Ex tabulario civitatis. ANNO CHRISTI MDXXVII. mense Septembri, *Lautrecus* dux exercitus Gallici, transmissis Alpibus per Taurinatem agrum jubente *Carolo* duce deducitur, qui ad *Papiam* expugnandam feliciter, sed ad expeditionem Neapolitanam infeliciter profectus, *Taurinenses* quoque & Subalpini à *Borbonio*, & Cæsarianis vastati. *Roma* capta, direpta, ipse etiam *Clemens* vinctus grandi pecunia liberatur, at *Borbonius* murum primus ascendens ictu globuli oppetiit.

Ex notis paternis. ANNO CHRISTI MDXXVIII. famem sævissimam per subalpinos, & fere universam *Italiam*

Ex eisdem. grassantem, pestis immanis, vitam simul miseris mortalibus suppressit.

75 Ex notis paternis. EO ANNO, VIII. idus Julii extremis malis ingens bonum *Camberii* intercessit, nativitate *Emanuelis Philiberti Sabaudiæ* ducis principisque Pedemontium, *Caroli* & *Beatricis* filii, qui *Taurinorum* restaurator, patriæ parens, & sui seculi gloria futurus erat.

Ex eisdem. ANNO CHRISTI MDXXIX. VII. Calen. Decembris, qui divæ Catharinæ sacer erat, nata *Taurini Catherina*, *Em. Philiberti* soror.

Ex diplomate Cæsareo dato Bononiæ eo anno 8. Maji. ANNO CHRISTI MDXXX. mense Februario, *Carolus* Dux posteaquam *Taurini* convocatis populis donatus munere fuisset sexaginta millium florenorum, *Taurino* movens cum instructissima procerum torquatorum caterva *Bononiam* proficiscitur, ad *Caroli V.* inaugurationem accersitus, ubi inter imperii principes, principem, & honorificentissimum locum obtinuit, quippe qui in solenni pompa pomum sive mundi globum, quo summum imperii decus significatur, ipse gestaverit, atque præstita beneficiaria fide, maximis à Cæsare privilegiis auctus domum dimittitur.

EO ANNO, mense Julio, nata *Taurini Maria*, *Em. Philiberti* soror, quæ infans *Taurini* quoque decessit, sepulta in æde Angelorum extra urbem. Ex notis eisdem.

ANNO CHRISTI MDXXXI. *Ferdinandus Caroli* quinti frater, cum nonis Januarii rex Romanorum *Coloniæ* salutatus à fratre, & electoribus fuisset, de ea re *Carolum* ducem certiorem per legatos fecit, qui *Taurini*, ubi agebat, publicæ lætitiæ testimonium dedit amplissimum. Ex eisdem notis.

EO ANNO, *Carolus* imperator, qui *Isabellam Lusitanam Emanuelis* Regis filiam, & *Beatricis* sororem duxerat, ipsi *Beatrici* Sabaudæ, & masculis liberis primogenitis *Astam* civitatem, antiquo jure jam *Sabaudis* debitam contulit. Ex rescripto 3. Aprilis possessione 19. Maji & fidelitate 22. Maji.

ANNO CHRISTI MDXXXII. *Ludovicus* Pedemontium princeps *Caroli* ducis primogenitus, vix decimum attingens annum in *Hispaniam* à patre mittitur, non sine *Franci* indignatione, quæ in *Sabaudum* odia acriora concitavit. Ex eisdem notis.

ANNO CHRISTI MDXXXIII. prodigiorum variæ species, monstra terris, non tam corporum quam sectarum enata, cœlo phasmata, & torres visi, sacellum illud insigne *Camberii*, in quo sancta Syndon asservabatur, flammis exustum Decembri mense Barbaræ festo die, ipsa quidem Syndon illæsa, per medias flammas exportata. Sed illa omnia proximarum calamitatum (si dicere licet) infausta præsagia. Ex eisdem & vidi, & memini.

ANNO CHRISTI MDXXXIV. postquam *Massiliæ Clemens* Pontifex cum *Francisco* Rege convenisset, & de nuptiis *Catherinæ* ex patruelis filio neptis cum *Henrico* Regis secundo genito conclusum esset, morsque *Philippi Sabaudi* Nemorosi Ducis *Caroli* fratris, eo loci subsequuta, & de *Sabaudia* tanquam *Italiæ* porta occupanda consilium Regi datum, si *Italiam* tuto ingredi cuperet, Dux *Carolus Taurinum*, quasi in patriæ arcem secessit, ut quoque Genevenses tumultus de religione compesceret, qui Episcopum *Petrum* à *Balma* expulerant: *Taurini* pacis conditiones à *Bernensibus*, & aliquot aliis ejus sectæ propositæ, quibus Dux in antiquum *Genevæ* dominium retinebatur, modo Episcopo civitate interdictum esset, & civibus impune liceret à Romana fide discedere, & *Luteri* sive *Zuinglii* novis placitis adhærere; quod detestatus Dux piissimus, *Geneva* frustrari maluit: & legati pacis re infecta dimissi: non admodum æquo ipso *Clemente*, cujus opem Dux frustra imploravit, quòd is animo aliud cum *Franco* versaret, & in Ducem moliretur. 76 Ex notis Petri Lamberti præsidis. Et paternis.

EO ANNO, mense Septembri, *Clemens* septimus obiit, cui successit *Paulus III.* Farnesiorum Romana familia clarissima ortus. Onuphrius.

EO ANNO, mense Majo natus *Taurini Emanuel II. Caroli* filius, lactans obiit, juxta fratrem sepultus. Ex notis paternis

ANNO CHRISTI MDXXXV. *Carolus* imperator ex Aphricana victoria *Romam* triumphans ingreditur, eoque temporis Dux *Taurini Genevam* defecisse, sacerdotes expulisse, divorum confregisse statuas, & imagines conculcasse, templa profanasse accepit. Ex notis eisdem 10. Augusti.

ANNO CHRISTI MDXXXVI. nuntiatum quoque Duci *Bernenses Friburgensesque Vantuatum* agrum invasisse, & junctis Sedunensibus Veragrorum sive Chablasii Ducatum occupasse, nec procul *Francum* sibi, & fortunis reliquis imminere. Ex eisdem notis 16. Januarii.

EO ANNO, *Carolus* Dux *Taurino*, populis rescribit, quando *Gallorum* Regi efflagitatum iter, & commeatus per suam ditionem concessisset, Rex præterea destinasset urbes armata manu invadere, & occupare, debeant ipsi, uti poterunt resistere, Ex rescripto dato Taurini 25. Februarii.

re, sique succumbant, protestari saltem se non nisi coactos parere, ut nec ipsi Duci propositum ab antiquissima possessione modo aliquo discedere. Et per id tempus *Sabaudia* ab equitibus *Gallis* occupatur.

Ex notis eisdem. Et Jo. Petri Calcagni. Et Jo. Bapt. Guignonii regii secretarii. Et Petri Gastaldi.

Eo ANNO, v. idus Martii adventantibus *Gallis* in *Italiam*, *Carolus* dux *Taurini* se minus tutum fore existimans, per posticum arcis nocte intempesta Marchionem Mussium, sexcentos simul pedites Cæsarianos rubra cruce insignitos ad sui præsidium introduxit. Postridie *Taurinum* Dux mille sexcentos, pedites auxilio accersivit, quibus præerant viri fortissimi, *Philippus Torniellus*, *Joannes Baptista Gastaldus*, *Cæsar Majus* Neapolitanus, qui ad sextum Calendas Aprilis perstiterunt, quo die urbe egredi Ducem oportuit, &
77 *Vercellas* cum tota familia se se recipere, pro duce *Taurini* relicto *Ludovico* à *Sabaudia* comite Pancalerii.

Eo ipso publico instrumento dato Taurini 3. Aprilis.

Eo ANNO, *Taurini* adsunt Regii feciales, qui civibus ignem, ac sanguinem minitantur, jam parato, & vicino exercitu, nisi illico ablatis Ducis insigniis lilia in portis locisque publicis exciperent: Illi cum dilationibus contenderent, nec *Franciscus Salutianus* Marchio (qui Gallicarum partium simul advenerat) quicquam concederet, quin potius acrius instaret, tandem intrepide coram protestati sunt Taurinenses, se nolle, nec intendere aliquem per actum derogare juribus Ducis *Sabaudiæ*, ac successorum Ducum, & eorum privilegiis, atque ita accepto etiam à *Sabaudo* Duce nuntio, ut fortunæ, & tempori cederent, nec urbis excidium expectarent, inviti paruerunt. Advenientibus cum *Salutiano*, mox *Philippo Chabodo Brioni* regulo, Admirallo *Franciæ*, *Guillielmo* comite *Frustambergio*, & immenso exercitu, cujus non tam terrore quam ducis imperio ad deditionem impulsa civitas. Hæc mox propugnaculis jam à Duce cœptis permunita est, & pene inexpugnabilis à *Gallis* reddita. Intus tamen direpta, dissipati cives, per colles & vicina castella vagantur. Hos *Galli*, persequuntur, & nisi redeant perduelles declarant, sectioni datis prædiis: qui redierunt, suspecti semper habiti misere vitam egerunt aliqui extremo damnati supplicio.

Ex Ducis litteris datis apud sanct. Germanum.

Ex eisdem notis.

Eo ANNO, Salutianus, & Brionus *Taurino* moverunt, civitatis rectore relicto *Stephano Columna*. Illi per agrum Vercellensem palantes & sata populantes, tuncque Salutianus, qui proregis sperato honore frustratum se cognovit, à *Gallo* ad Cæsarem paulatim defecit, tractante *Antonio* à *Leva*, qui cunctando rem restituere conabatur, dum Cæsaris adventum expectaret. Sed ante Salutianus *Taurinum* rediens turres quatuor (quæ in civitatis angulis eminebant) everti curavit, Mœnia etiam turribus contigua decurtari, ut Cæsarianis facilior pateret aditus, ad quos statim conversus, in obsidione *Carmagnolæ* Bombardæ ictu cecidit.

Ex eisdem notis.

Eo ANNO, suburbia quatuor amplissima solo æquata sunt, unum portæ Secusinæ, in quo fuerat cœnobium divi *Rolandini*, templum sepulchri Hierosolymitani, quod cruce rubra insigniti incolebant, templum Divi *Bernardi*, monasterium divi Augustini, cœnobium Divi *Solutoris*, legionis Thebeæ ordinis sancti Benedicti, & Beati Valeriani Abbatis. Secundum suburbium ad portam Marmoream, ubi cænobium humiliatorum, amphiteatrum, cum orchestra, & area in orbem, qua comœdi, & tragœdi olim dabant spectacula, & edebantur ludi: Lacus colliculis cinctus, fragmenta Romanarum inscriptionum innumera. Tertium suburbium ad portam Ca-

A stri (ubi templum erat sancti Salvatoris) ad pontem usque *Padi* miro artificio fornicatum protendebatur. qui pons ab ipsis *Gallis* ad majorem 78 sui, civitatisque tutelam semirutus. Quartum vero suburbium ad portam Palatinam sive Doraneam, quo in suburbio Franciscanorum (qui Angeli dicebantur) templum aliud sancti Lazari, Monasterium Virginum divæ Margaritæ, cœnobium sancti Secundi (corpus tamen ipsius Martyris in majori Ecclesia urbis reconditum) ædes divi Rochi. Quæ omnia simul juncta civitatem alteram efficere potuissent, nunc arva prataque aratro, & falci subjacent.

Ex eisdem notis mense Majo.

B Eo ANNO, *Chabodus Brionus*, *Taurini* pro rege *Franco* constituitur, qui relictis maximis præsidiis, & civitatis rectore *Claudio Anebaldo* in *Gallias* properavit, at quanto citius *Carolus* Dux cum *Antonio* à *Leva*, & triginta millibus bellatorum *Taurinum* obsident: Cæsar *Astam* venit, *Fossanum* expugnavit.

Ex oculatis testibus.

Eo ANNO, postquam *Carolus* Cæsar icto cum Italicis fere omnibus civitatibus fœdere, quæ sexcentum coronatorum millia in militum Cæsarianorum stipendia pendebant, si extra *Italiam* bella traduceret, ipse clam à Melphitano principe allectus, dum in *Massiliam*, & *Provinciam* progreditur, C nihilominus tamen Taurinensem obsidionem non sine *Italiæ* querelis prosequi jubet. Militiæ duces relicti *Gotterius Loppes*, *Padilianus*, *Jacobus Mediceus* Marignanensis sive *Mussius* Marchio, *Jacobus Fozarus* Scalingius Pedemontanus, *Ludovicus Vistarinus* Laudensis, qui Bastidam turrem colli cuidam superpositam *Pado* pontique imminente, montemque *Callerium* occuparant, dum excursionibus *Galli* dabant operam: sed contineri cœperunt ea obsidione, qui secus absente Cæsare, populationibus finem non fecissent, atque mœnibus inclusi, gravi inedia unà cum civibus conflictabantur: solutum obsi- D dione *Taurinum*, *Guidonis Rangonii* à Rege destinati opera, qui *Taurinorum* prorex efficitur.

Ex rescripto Francisci eo anno mense Februario. Ex rescripto anni 1549. Julio.

ANNO CHRISTI MDXXXVII. *Franciscus* Rex ut Taurinenses, & Pedemontanos populos sibi devinctos alliceret, eos omnes jure *Galliæ* donat: & perinde ac nati, & orti in ipso regno essent, nulla inde caducitas in *Gallia* decedentibus objici hæredibus possit, idque perpetuis temporibus: quod confirmavit postea *Henricus II. Francisci* filius.

Ex eisdem notis.

Eo ANNO, *Joannes Humerius Taurinum* pro rex mittitur, validissimo cum exercitu *Astam* E usque progressus, sed mox in *Gallias* rediit, cui *Guido Rangonius Taurini* sufficitur.

Ex eisdem notis 26. Julii Divæ Annæ festo die. Et Lucas Contilius in vita Cæsaris Maji.

Eo ANNO, *Cæsar Majus* Neapolitanus Cæsarianarum partium *Taurinum* civitatem ad San. Georgii propugnaculum admotis scalis repente invasit, & jam ad ostium per quod in urbem ab ipso propugnaculo erat aditus Cæsariani pervenerant, ac jam ingressuri videbantur, nisi illud, dum vehementius insistunt firmius occludunt, cum hostium ad se trahere, & advorsum aperire, non introrsum propellere deberent. Quæ res, ut eorum conatum elusit, ita 79 civitati bono fuit, tum quod Cæsariana auxi- F lia (quæ *Donastus Vasti* Marchio militiæ dux, ipsi Neapolitano pollicitus fuerat) nondum advenerant. Nisi potius in superos eam tam præsentaneam opem civitas referre debeat, quod tunc in mœnibus tres armati, augustiore quam humano aspectu, qui hostes terruerint, & fugaverint, sunt visi. Neque hi alii quam tres *Thebæi* martyres crediti, qui in proxima æde repositi paulo ante fuerant, ipsius civitatis divi tutelares.

Ex eisdem notis, & relatione plurium.

Eo

Jo. Tilius in supplemento Historiæ Gallicæ.

Eo ANNO, mense Octobri, prementibus usque Cæsarianis, ita ut neque portas egredi liceret, *Henricus Delphinus Francisci* Regis filius, superatis Alpibus *Taurinum* omnibus angustiis liberat, indeque *Franciscus* rex *Italiam* cum numeroso exercitu ingreditur: *Javenni* (quod *Gavium* olim) pernoctans *Taurinum* petit. Pactæ trimestres induciæ, & ad octavum mensem protractæ.

Ex notis ejusdem 29. Octobr. & mense Novembri.

ANNO CHRISTI MDXXXVII. induciæ decennales *Niciæ* agitatæ sunt, ubi cum *Paulo* Pontifice *Carolus* Cæsar convenit, & hæ per Subalpinos, magno Ducis *Sabaudi* incommodo, populis significatæ.

Ex notis Baptistæ Glygnonii secretarii Regii.

Eo ANNO, *Carolus* à *Coussi Buriæ* regulus, *Taurino* regendo præficitur, quem paulo post *Renatus* à monte Jano castrorum præfectus, sive (ut vocant) Marescallus, Prorex subsequitur.

Ex eisdem.

Ex eisdem.

ANNO CHRISTI MDXXXIX. *Taurini* Rex supremam curiam sive parlamentum juri reddundo constituit, Proregem vero *Claudium* Baronem *Annebaldum* Marescallum *Franciæ*, *Guillielmo Bellajo* Langæi Regulo urbis gubernatore addito.

Vidi Lutetiæ Kal. Januarii ejus anni 1540.

ANNO CHRISTI, MDXL. *Carolus* Cæsar ex *Hispaniis* per medias *Gallias* magna fiducia ad *Gandavos* penetravit, nihil interim de *Carolo* Duce restituendo actum.

Ex eisdem notis.

ANNO CHRISTI MDXLI. *Claudius Annebaldus* iterum summam rerum apud *Taurinos* gerit, quo tempore *Cæsar Fregosus* & *Antonius Rangonius* legati regii ad *Padum* intercepti, & necati, unde ruptis fœderibus bella recruduerunt.

Ex ipso rescripto. 8. Augusti.

ANNO CHRISTI MDXLII. *Guillielmus Bellajus*, & *Guido Guiffredus Boterianus Taurinum*, ac totam ditionem utrique Proreges obtinent. Et quamvis silentibus inter arma legibus, ipsa tamen Academia Taurinensis reviviscit, & ad id conventus publici ab eisdem Proregibus permittuntur.

Ex notis eisdem & testibus oculatis.

Eo ANNO mense Septembri, tanta Locustarum *Taurinum* cœlum invasit, ut obscurato aëre nox atra interdiu videretur.

Ex notis 12. Februarii.

ANNO CHRISTI MDXLIII. mense Februario, *Cæsaris Maji* Neapolitani stratagemate, *Taurinum* carris sex fæno exterius apparente onustis, intus vero selectis militibus artificiose latentibus,
80 parum absfuit quin serio caperetur, Palatinæ portæ jam duobus carris insidentibus: At auxiliariorum tarditate solis relictis carris, & funibus qui clatros suspendebant a quodam cive maxima celeritate abscissis, unde ad imum demissi clatri portam præcluserunt, milites reliqui aditu prohibiti sunt, qui vero jam intra portam pervaserant, intercepti, fortiter tamen, & strenue dimicantes ceciderunt: sic denuo volentibus superis intacta civitate.

Ex historia Lucæ Contilii. Ex oculatis testibus. Et notis plurimorum.

Ex historia Nic. Gillei.

Eo ANNO, *Franciscus Erraldus Alsoneus Taurinorum* præses, mortuo *Francisco Montelloneo* procancellario *Franciæ*, in ejus locum vocatur, cui præses succedit *Renatus Biragus*, vir non minus armorum quam literarum peritia clarus.

Ex notis mense Novemb. Et testibus oculatis.

Eo ANNO, post *Niciam* à *Turcis*, & *Gallis* obsessam mense Junio, obsidione soluta, *Franciscus Borbonius* comes *Anguiani* cum exercitu alpes superat, *Taurino* & aliis subalpinis oppidis prospecturus, *Carinianum* Cæsarianorum præsidio firmatum oppugnat.

Ex notis XIV. Aprilis.

ANNO CHRISTI MDXLIV. mense Aprili, ab eisdem *Gallis* apud *Cerisolas* cum Cæsarianis acie dimicatum est. ipsum paulo post *Carinianum* receptum, *Pyrrho Columna* qui extrema omnia sustinuerat, dedente. Pax inde inter Cæsarem, & Regem contracta.

Ex notis XVI. Maji. & XXII. Julii.

ANNO CHRISTI MDXLV. mense Majo, *Emanuel Philibertus* Pedemontium princeps *Vercel-*
A *ls* movens *Vormatiam* proficiscitur a *Carolo V.* Cæsare avunculo honorifice exceptus.

Eo ANNO, *Paulus Thermarum* Regulus adest, apud *Taurinos* regis vices gerens.

Ex eisdem notis.

ANNO MDXLVI. dum Cæsar Germanicis, & Saxonicis bellis occupatur, apud *Taurinos Joannes Caracciolus Melphiæ* princeps proregis munere fungitur.

Ex notis ultimo die Martii.

ANNO CHRISTI MDXLVII. mense Martio, obiit *Franciscus Francorum* rex, cui *Henricus* filius rex successit, & *Taurini* in æde majori, exequiæ solenniter peractæ.

Ex marmorea inscriptione villæ Purpurateæ. XIII. Augusti.

ANNO CHRISTI MDXLVIII. mense Augusto
B *Henricus* Rex *Francorum* superatis Alpibus cum apparatu ingenti *Taurinum* ingreditur, *Renato Birago* Præside ornata oratione eum in ingressu celebrante: ibique decem diebus continuis permansit.

ANNO CHRISTI MDXLIX. dum *Taurini* populi pace fruuntur, *Romæ Paulus* tertius diem obiit.

Ex notis VII. Aprilis.

ANNO CHRISTI MDL. *Julius* tertius Pont. max. creatur. *Taurini* vero pax inter summos reges jam icta, ad continendos populos confirmata iterum propalam declaratur, præcone tubis
C comitato.

Ex notis Ecclesiæ.

Eo ANNO, defuncto *Innocentio Cibo* Cardinale Archiepiscopo, succedit *Taurinensi* sedi *Cæsar Cibo* ex fratre nepos.

Eo ANNO, mense Augusti, *Joannes Caracciolus* 81
*Melpharum* princeps, Prorex *Taurinorum Secusiæ* mortem obiit, dum in *Gallias* properaret, *Taurini* sepultus apud Dominicanos, cui *Carolus Cosseus Brissacus* jam designatus prorex succedit: ad quem dux *Carolus* meus, ex Academia Patavina redeuntem, gravissimis de rebus legatum *Taurinum* misit.

Ex inscriptione sepulchri apud S. Dominicum.

Ex literis Caroli ducis datis Vercellis XI. Augusti. 1550. signatis Vullier. cum sigillo.

Eo ANNO *Artus Caroli* frater *Gonorri* Regulus
D vices proregis agit.

ANNO CHRISTI MDLI. mense Septembri, ruptis pacis fœderibus, *Brissacus* Prorex *Charium* oppidum *Taurino* proximum occupat, in deditionem accepto *Georgio Lampugnano* Cæsariano, & Parmensis belli suscitata utrinque expeditio.

Ex notis tertio, & 5. die Septembris. Et rescripto Cæsaris dato Augustæ Vindel. ultim. Septemb. 1551.


ANNO CHRISTI MDLII. *Emanuel Philibertus* Princeps, ad Taurinates, & ditionem recipiendam per Subalpinos armatur, *Braidæ* arcem recens à *Franco* extructam expugnat, quotquot Sabaudos aut Pedemontanos offendit, qui sub *Franco* mererent, laqueo strangulari tanquam perduelles jubet. Ad *Metensem* inde obsidionem con-
E vertitur.

ANNO CHRISTI MDLIII. mense Majo dux *Carolus Cævæ* arcem à fundamentis extruit, ad Gallicos impetus coërcendos.

Ex oculatis testibus & scriptoribus eorum temporum.

Eo ANNO XVI. Kal. Septembris, obiit *Vercellis Carolus* dux *Sabaudiæ*, relicto *Em. Philiberto* filio, qui tunc exercitui Cæsaris in Belgica, sive *Flandria* præerat, ac demum *Teroannam*, & *Hedinum* validissima *Galliæ* propugnacula expugnavit.

Ex notis Jo. Francisci. Roffier, tunc secretarii ducis.



Eo ANNO, mense Novembri, *Carolus Cosseus Brissacus Taurino* movens, *Vercellas* ex insperato advenit, proditam civitatem populatur, Ducis
F preciosam supellectilem exportat, & geminas immensi pretii, atque inter cætera monocerotis cornu prodigiosæ magnitudinis: biduo post adventantibus Cæsarianorum auxiliis egressi *Galli*, præda onusti *Taurinum*, non sine periculo sese receperunt.

Ex recenti memoria.

Ex notis 16. Junii, & 2. Julii.

ANNO CHRISTI MDLIV. *Petro Ossuneo Taurini* proregis vices gerente, Gallicus miles quidam *Bascus* natione, cum Cæsarianis de civitate prodenda convenerat: tres speculatoriæ turres liberæ intra mœnia expediebantur, quarum una sancti

Ex oculatis testibus.

ſancti Michaëlis, alia Diaboli, alia Fornaſerii vocata, dies dictus pridie idus Auguſti, hora noctis intempeſta. Eo die militis pediſſequus rem *Oſſuneo* detegit, qui cunctos equites pedeſtri armatura muniri juſſit, & hoſtem ſine ſtrepitu remorari: Sed de ea re hoſtis monitus, eam opinionem ut averteret, ad Givoleti proximam arcem ſe convertit, & ea nocte facile arcem occupavit. *Galli Taurino* egreſſi *Givoletum* recipiunt, & ſolo arcem æquant.

82 ANNO CHRISTI MDLV. menſe Majo, *Emanuel Philibertus* dux, ab aula Cæſaris *Vercellas* tranſvolat, patriæ gubernacula ſuſcepturus. Ex notis 17. Maji.

Eo ANNO menſe Septembri, *Taurinum* egreſſus *Briſſacus* cum copiis omnibus, *Ulpianum* Cæſarianorum obſidet, & actis cuniculis arcem ſuffodit, oppidum occupat, & diripit. *Taurinum* interea Birago Præſide, arma ſecum togatis ſumentibus, vigilantiſſime aſſervatur. Ex notis 17. & 21. Septembris.

ANNO CHRISTI MDLVI. Induciæ inter duos reges pactæ ſunt in quinquennium. Ex notis. 5. Febr. 3. Martii. & 2. Apr.

Eo ANNO, menſe Decembri *Franciſcus Lotharingus Guiſiæ* dux coacto exercitu Alpes ſuperat, ad *Pauli IV.* Pontificis maxim. ulciſcendas injurias, ejuſque ditionem atque authoritatem, quas à duce *Albæ* invadi conquerebatur, profecturus, *Taurini* à *Briſſaco* ſplendidiſſime exceptus. Ex notis.

ANNO CHRISTI MDLVII, Kalendis Januarii, cum *Guiſio* duce, & *Briſſaco* dux Nemoroſus *Jacobus* à *Sabaudia*, dux *Aumalius*, *Guiſiani* frater, *Ludovicus Biragus*, *Franciſcus Bernardinus* Vicomercatus. Aliique magni nominis heroes in divi Joannis Baſilica magna pompa conveniunt, & rei divinæ interſunt, nec multo poſt ruptis fœderibus ad res novas hinc inde converſum eſt. *Valentia* Subalpinorum à *Gallis* capta, expugnata *Valſinera*, *Claraſcum* obſeſſum, fruſtra quoque *Cuneum*: Dum ſerio *Emanuel Philibertus* per *Gallias* vim vi, metum metu excutit, & apud *Veromanduos* inſignem illam Sanquintineam victoriam Laurentii feſto die adipiſcitur, fuſo Gallico exercitu, capto *Anna Mommoratio* magiſtro equitum, ſive Conteſtabili, Duce Mompenſerio, Santandreano Mareſcallo, & ejus notæ clariſſimis viris. Ex oculatis teſtibus. Ex notis 15. Julii.

ANNO CHRISTI MDLVIII. idem *Emanuel Philibertus* Dux, & Prorex à *Philippo Hiſpaniarum* rege conſtitutus ad *Gravelingam Gallos* iterum prœlio fudit, eorum parte maxima captiva ducta, inter quos *Thermeus* ipſe dux exercitus, *Villarbonus*, *Senerpontius*, *Hanebaldus*, *Morvillerus*, & alii *Galliæ* primates in manum venerunt: *Don querca* expugnata. Fauſta omnia Cæſarianis fuerant, niſi de morte *Caroli quinti* Cæſaris menſe Decembri triſtis adveniſſet nuncius. Ex notis 15. Julii. Ex notis 21. Septembris.

ANNO CHRISTI MDLIX. menſe Aprili, pax *Cambriſii* inter ſummos reges duos inita promulgatur *Taurini*, ſupplicationes habitæ civibus omnibus lætitia exultantibus, qui ſpem optimam redituri Ducis ſemper animo continuerant. Ex contractu pacis. 3. Aprilis, & propalatione. 20. Aprilis.

Eo ANNO, menſe Auguſto, poſt contractum ex pacis legibus matrimonium inter *Hiſpaniarum* Regem *Philippum*, & *Iſabellam Henrici Francorum* Regis filiam, necnon *Sabaudiæ* Ducem, & 83 *Margaritam Franciſci* Regis filiam, *Henrici* ſororem, poſt ipſius *Henrici* acerbum inter haſtiludia interitum, cui *Franciſcus* rex filius ſucceſſit, Ditio *Sabaudiæ*, & Subalpina, Duci *Emanueli* reſtituta: *Taurino* inter quinque præſidia reſervato, & millibus paſſuum circumjacentis agri unicuique præſidio additis. Curiæ inde, ſive parlamenti tribunal ſuppreſſum, Conſilii ſupremi nomine mutato. Ex contractu 15. Auguſti. Ex notis 29. April. 1560.

Eo ANNO, *Emanuel Philibertus* Dux reſtitutus,
A *Niciam* hyemare perrexit, quo Taurinenſes, licet ſub *Gallorum* ditione detenti, cum ad eum gratulabundi oratorem occultò miſiſſent, reſcripſit civibus acceptos eorum habere animos, & fidem ſervatam agnoſcere, eam aliquando beneficentia penſaturum. Ex literis datis Niciæ 20. Novemb.

ANNO CHRISTI MDLX. annonæ caritas ob præterita bella, & aſſiduas ſterilitates in eum modum *Taurini* crevit, ut ad florenos novem, & ultra in ſingulas minimas menſuras (eminas vocant) pervenerit: frumenti ſaccus quinquaginta ſex florenorum pretio venierit: tandem cum
B pace paulo laxior ipſa annona rediit. Ex notis civitatis 15. Junii.

Eo ANNO, tertio nonas Novembris *Emanuel Philibertus* dux, & *Margarita* conjuges *Nicia*, ubi hyemem tranſegerant, Subalpinam hanc ditionem adeuntes *Padum* navigio ad *Montemcalerium* oppidum conſcenderunt, ad *Valentinas* ædes Taurinatis agri appulerunt, ab *Imberto Pellatterio Bordillioneo* Prorege lautiſſime excepti, inde Taurinenſem pontem prætervecti Principes, ut *Vercellas* peterent, incredibili, licet tacito, deſiderio ſunt à Taurinenſibus civibus ſpectati. Vidi.

Eo ANNO, menſe Decembri defuncto aliquot
C ante diebus *Franciſco* ſecundo ejus nominis Rege, apud civitatem *Aureliam*, juſta *Taurini* a *Bordillioneo* (ut decuit) in templo majori perſoluta, cui Regi *Carolus* frater in regno ſucceſſit, *Taurina* adhuc civitate retenta. Ex not. 16. Decemb.

ANNO CHRISTI MDLXI. Bello inteſtino ſub ficta religionis ſpecie adeo per *Galliam* univerſam laboratum eſt; ut ad nos tantarum flammarum ſcintillæ pervaſerint: Angronianis populis in Ducem concitatis, quibus tacite factioſi quique, tum ex *Gallia*, tum ex *Germania* conſilio, pecu-
D nia, milite, opitulabantur: quæ tamen omnia poſt unum aut alterum conflictum, dux prudenter reſtinguere, & ſupplices juſtis conditionibus in deditionem recipere ſatis habuit. Vidi.

ANNO CHRISTI MDLXII. pridie Idus Januarii, Natalis dies fauſtus & fœlix *Caroli Emanuelis* unici filii *Emanuelis*, & *Margaritæ* Ducum, *Ripolis* Deo benefavente in lucem editi, cives Taurinenſes quamvis adhuc Regi parerent, varia emiſerunt publicæ lætitiæ teſtimonia, accenſis ignibus, & machinarum bellicarum comploſis tormentis. Ego in *Sabaudiam* equis diſpoſitis, & ad *Nemoroſum* ducem ejus rei nuncius à duce
E deſtinatus tranſvolavi. 48 Vidi.

Eo ANNO, Kal. Februarii, inſurgit *Taurini* ſeditioſorum Gallica factio, qui *Hugonoti* dicti: jam publicæ iſtius hæreſeos ſuperbi aſſertores in Romanos catholicos ritus, in Euchariſtiam, in divos, & divorum monumenta debacchantes. At contra cives conſtantiſſimi ad *Carolum* regem oratores mittunt, qui (*Hieronymo Ruvereo* Tolonenſi Epiſcopo, tunc ducis apud regem internuntio adlaborante) novas ſectas non intromitti, ſed potius ſummoveri, atque extirpari enixe efflagitarent, præter id unum omnia ſe perpeſſuros, ad id propellendum omnia profuſuros profitentur.
F Atque ita ea pernicie liberati ſunt. Quamobrem literas ſingularis elogii, & immortalis gloriæ plenas a *Pio IV.* Pont. max. accipiunt. Ex ipſo legationis mandato, & Brevi Pontificio.

Eo ANNO, menſe Auguſto, *Carolus* rex, & dux *Em. Philibertus*, juxta pacis ante ictæ leges, *Lugdunum* primarios viros miſerunt, ut utriuſque jura diſcuterent, quæ etiam Regi a ducis miniſtris coram expoſita ſunt, Rex ut pacis conditionibus ſatisfaceret, æquitate nixus, atque etiam ob ſingularia à Duce proximis regni tumultibus ac- Reſcripto regio dato Bleſis 15. Auguſ. eo anno.

accepta beneficia, *Taurinum* reſtitui mandavit, necnon *Charium*, *Clavaſium*, Villamque novam. Et id iterum atque iterum inſtante Tolonenſi Epiſcopo *Hieronymo Ruverco* Ducis oratore exequi jubet, retento ſibi *Pinerolio*, & *Savilliano* a duce recepto.

Vidi. Eo ANNO, tertio Kalend. Octobris, *Joannes Morvillerius* Aurelianenſium Antiſtes Regius legatus, (ad quem jubente duce, *Foſſano* obviam trans Alpes miſſus fueram,) *Taurinum* ingreditur, ſimul & *Robertetus Dallujus* ſuper *Taurino* duci reſtituendo, quod *Bordilionus* nimium pertinaciter differebat.

Vidi. Eo ANNO, pridie Idus Decembris, Taurinenſis civitas à *Gallis Emanueli Philiberto* reſtituitur, *Charium* ſimul, *Clavaſium*, *Villa nova*: poſſeſſionem apprehendente *Amedeo Valpergio* Maſini comite: ut etiam priori reſtitutione fecerat Ducis locumtenens meritiſſimus. Biduo poſt, ipſe dux ex inſperato paucis comitantibus *Taurinum* ingreditur, & convocatis ad ſe decurionibus, & civitatis primariis ſacramentum fidei ab eis accipit.

85 Vidi. ANNO CHRISTI MDLXIII. XV. Cal. Febr. Senatus *Pedemontanus*, qui *Cariniani* pro tempore ſederat, *Taurinum* inſigni purpuræ majeſtate ingreditur, & jus populis reddere feliciter auſpicatur.

Vidi. Eo ANNO, VII. idus Februarii, Dux *Emanuel*, atque *Margarita* conjuges *Taurinum* magnificentius quam dici queat ingrediuntur, & majore populorum applauſu. Hanc denique civitatem deinceps incolere ſtatuerunt principes, quam olim *Longobardorum* regiam fuiſſe, Subalpinorum metropolim, & *Auguſtam* ideo vocitatam diximus.

Literis Margaritæ ducis ad me 7. Auguſti. Eo ANNO, menſe Auguſto, poſteaquam fere de ſalute Ducis graviſſimo morbo affecti *Ripolis* deſperatum eſſet, Princeps infans *Taurinum* à *Margarita* matre mittitur, & fidei procerum aliquot intimi conſilii committitur, quæ ad me etiam literas eam ob rem dare dignata eſt. Dux tandem ſoſpes *Taurinis* redditus, Octobri *Niciam* ad hyberna mitiora proficiſcitur, relictis *Hieronymo Ruvereo* Tolonenſi tum Epiſcopo, *Jo. Thoma Languſco* Stropianæ, *Jo. Franciſco Coſta* Ariniani comitibus, qui eo abſente Principis infantiam tuerentur, patriamque regerent.

Vidi. Eo ANNO, Archipræſule Taurinenſi *Cæſare Cibo* defuncto *Indicus Avalos* ab *Aragonia* Cardinalis ſedi præfuit.

ANNO CHRISTI MDLXIV. menſe Majo, eodem *Aragonio* Cardinale ſeſe ab Archiepiſcopatu abdicante, ſucceſſorem illi expetivere principes noſtri, totaque patria *Hieronymum* à *Ruvere Lælii* filium Taurinenſem civem, Tolonenſem prius Epiſcopum, noſtri ſæculi decus, ſive pietatem, ſive eruditionem, ſive facundiam requiras.

Eo ANNO, Dux in editiore parte civitatis, in ipſis templi Divi Solutoris ruinis Acropolim ædificare cœpit, Citadellam vulgo dicunt.

Ex notis menſis Septemb. ANNO CHRISTI MDLXV. menſe Junio, Dux *Emanuel*, obſeſſa à *Turcis Melita*, *Andream Provannam Leniacum* cum triremibus quatuor inſtructiſſimis mittit, qui una cum Pontificiis, Hiſpanis & aliis triremibus ſuppetias inſulæ afferret. Prior *Leniacus* applicuit, difficultates exploravit, alios poſtea advexit, & ſoluta tandem faventibus ſuperis obſidione, Hieroſolymitanorum militum ſacer, & ſtrenuus ordo liberatus, *Joanne Valleta Gallo* ſummum magiſterium gubernante. Quam ob victoriam *Taurini* immenſæ lætitiæ publica ſignificatio reddita, & devotæ ſuperis gratiarum actiones.

Vidi. Eo ANNO, menſe Decembri, Dux *Taurini* cum aulicos innumeros, qui à menſis aut poculis eſſent circumſpiceret, in centum levis armaturæ equites commutavit, ſtatuitque ut hi ſuo ordine ſibi præſto eſſent, tum menſæ accumbenti inſervirent: Modum quoque adhibuit intimorum conſiliariorum numero, qui vel per gratiam, vel ambitum adcreverant.

ANNO CHRISTI MDLXVI. idibus Martiis, 86
Vidi. abſoluta paucis menſibus Taurinenſi acropoli, quinis propugnaculis admiranda, ſervata omni rei militaris, & architectonicæ artis ratione eam religioſa ac pia benedictione communiri curat, Archiepiſcopo *Ruvereo* ſacris præeunte: mox præſidiis firmat, eique præficit *Joſephum Careſanam* Vercellenſem de ſe benemeritum, ac rei militaris peritiſſimum. Ipſius fabricæ, inter cætera viſendus eſt puteus altiſſimus, aqua perenni abundans, in quem leniter acclivi deſcenſu, & aſcenſu aquatum eunt, & redeunt jumenta, nec ſibi invicem occurrere, minuſque ſe intueri queunt.

Vidi. Eo ANNO, menſe Majo, Dux ad *Maximilianum* Cæſarem ad comitia *Auguſtæ Vindelicorum* belli Turcici ſuſcipiendi cauſa celebrata acceſſit, lectiſſimis comitatus proceribus, à Cæſare cumulatis affectus honoribus. Ubi dux rediit auxilia ad id bellum non exigua comparavit, ductore equitum *Bernardino* à *Sabaudia Caburri* regulo clariſſimo.

Vidi. Eo ANNO, IV. idus Junii, hora XV. viſus *Taurini* cometes & circum ſolem circulus varii coloris, nunc ignei nunc ſanguinei (Halos vocant aſtrologi) Mox ſequuta peſtis per circumvicina fere omnia oppida, & per *Italiam*, & *Galliam* graſſatur: *Taurino*, fere unico quaſi ſole, volentibus ſuperis, intacto, & illæſo.

Ex edicto Ducis dato Taurini 24. Januarii 1556. Eo ANNO, Dux *Emanuel* militiæ diſciplinam aliquot ante annis animo conceptam inſtituit, ipſoſque milites armatos, velites, peltatos, qui decuriones primipilos, centuriones, tribunos haberent, ad cohortes & legiones juſtas conficiendas, quibus præfecit Maſini, Arignani, Camerani, Sinfredi Comites, *Leonardum* quoque *Ruvereum Lælii* filium, *Careſanam*, *Scalingum*, *Piovenam*, *Caſtrocarum*: eos milites ampliſſimis donavit privilegiis, & ad arma comparanda juvit, iiſque diſciplinæ militaris exercendæ rationem præſcripſit, ut in omnem belli occaſionem parati perpetuo forent. Ex libello Jo. Anto. Levi Placentini.

Ex ſenatus ſententia 22. Octobris. Eo ANNO, Kal. Novembris Dux utrique tempori bellorum, & pacis conſulens, Academiam *Taurini* olim inſtitutam, patriæ temporibus varie jactatam, Monteregalenſibus, penes quos noviſſime fuerat, renitentibus, ex Senatus ſententia reſtitui civitati juſſit, ejus nihilominus quibuſdam veſtigiis Montiregali relictis.

Et ex libello Auguſtini Bucii philoſophi & oratoris. ANNO CHRISTI MDLXVII. VII. idus Martii, Pedemontium Princeps ſexenni proximus, dum ſummorum Chriſtianorum principum, qui ejus baptiſmatis ſponſores futuri erant, tempus commodum expectatur, tandem *Taurini* in æde majore divi Joannis ad ſacroſanctum baptiſmatis fontem ſiſtitur, exquiſito ſingularique apparatu: Penſili via à primo aulæ cœnaculo in templum ducta, ac nihil omiſſum quod ad ornatum faceret, miſſilia numiſmatum ex auro, & argento profuſa, à binis Fecialibus in populos diviſa. Propatres per vicarios oratores, fuerunt *Pius V.* Pon- 87
tifex maximus, *Carolus IX. Francorum* Rex, Reſpublica Veneta, Princeps, & magiſter Melitanæ militiæ: Promatres vero per vicarias *Catherina Medicea Francorum* Regina, *Iſabella* à *Francia Hiſpaniarum* Regina. *Ruvereus* vero ſacrorum prin-

princeps baptiſmum perfecit, ac nomen à parentibus editum, atque auſpicatiſſimum fortunato puero indidit, CAROLUS EMANUEL.

Vidi. Eo ANNO, menſe Septembri, compoſitis *Bernenſibus* controverſiis, Dux *Taurino* ad Ducatus *Chablaſii*, *Gaji*, & *Terniaci* Toparchatuum capiendam poſſeſſionem proficiſcitur, cætera ampliſſima olim ab ipſis occupata ex conventione dimiſit.

Vidi. Eo ANNO, menſe Novembri, Dux decem & novem levis armaturæ equitum ſelectiſſimas alas ductore *Alfonſo Eſtenſe* in auxilium Regis *Gallorum* in rebelles, & factioſos liberaliter, & officioſè ſubminiſtravit.

Vidi. ANNO CHRISTI MDLXVIII. XIX. Kal. Septemb. *Taurini* Dux *Emanuel* equeſtre ſodalitium Torquatorum Annuntiationis Virgineæ (vulgo Annunciatæ dictum) omnium antiquiſſimum à majoribus ſuis uſque ab anno MCCCXLIV. inceptum, nullis omiſſis ad magnificentiam cæremoniis inſtaurvait. Atque ipſo torque prius *Carolo Emanueli* filio, principi Subalpinorum ritè tradito, ſelectis aliquot proceribus contulit, *Philippo* inquam & *Claudio* à *Sabaudia* fratribus, *Racconiſii* & *Pancalerii* regulis, *Andreæ Provannæ* Leniaco Fruſſaci, *Jo. Franciſco Coſte*, *Arignani*, *Thomæ Valpergeo*, Maſini comitibus, denique aliis, alio tempore ad unius & viginti numerum auxit, ipſo Duce ac Principe filio exceptis. Inde defuncto *Gaſpare Capris Aſtenſi* Epiſcopo, *Hieronymum Ruvereum* Taurinenſem Archiepiſcopum ejus ordinis Cancellarium creavit.

Vidi. ANNO CHRISTI MDLXIX. Dux *Taurino* in *Sabaudiam* profectus, duas acropoles (vulgo Citadellas) à fundamentis cœpit, Taurinenſi ſimillimas, unam apud Sebuſianos in Burgi oppidi eminentiori parte, ſub Divi Mauritii titulo, cui *Philibertum Monioventium* præfecit, aliam ad Romuliacum oppidum in agro Gebennenſi, quam Annuntiatæ, alludente equitibus ſuis cognomine inſigniri voluit, & huic *Petrum Maliardum Turnoni* comitem præpoſuit, adhibita utriſque tanta contentione, arte, & ſumptibus, ut nova illa facies in corpus integrum abſoluta, prius quam ſatis comprehenſa videretur. Hæc cum vicina bella arderent, & ſuis parietibus cavendum imprimis foret. Tunc ferè Matiſcon proxima intercepta civitas, tunc *Ludovicus Borbonius Condeus* in acie apud Xantones cæſus. *Volfangus* Bavarus *Dupontius* jam ad Lemovices penetrans febri extinguitur, conflictus ad *Monconturneum* cruentiſſimus, ab exercitu regio, cui Dux Andegavenſis frater præerat, parta victoria.

88 Vidi. ANNO CHRISTI, MDLXX. Dux non minus ad pietatem quam ad arma proclivis, Jeſuitarum collegia duo, *Camberii* unum, alterum *Taurini* inſtitui curavit: *Cartuſianis* quoque heremitis Conſuerii nomine in Monteregalenſium *Pedemontanorum* finibus templi, ac monaſterii conſtructionem promovit: Quorum hi contemplatione, illi ſimul actione Chriſtianos ritus foverent & augerent.

Vidi. Eo ANNO, Dux vigilantiſſimus equeſtrem militiam, ut ante pedeſtrem abſolvere voluit, quæ apud *Sabaudos* tercentum equitum levis armaturæ conſtaret, quater centum, & quinquaginta apud Subalpinos, quibus turmis, quinquagenis equitibus ſingulis ductoribus attributis, dati ex *Sabaudis* quidem ſex, *Ludovicus* à Camera *Joannis* Marchionis filius, *Petrus Malliardus* comes Turnoni, *Laurentius Gorrevodus*, *Pontisvallis* comes, *Philippus Monjoventius*, *Jo. Monſepetius Beotus*, *Philippus Cletanus*: ex Subalpinis vero novem, e quibus ſeptem hi præerant velitibus, *Jo. Franciſcus Ruvereus Lælii* filius Cinſanus, *Nevilius*, *Piovena*, *Meneconus*, *Capinus*, *Salinas*, at Sclopetariis hi duo Vagnonus, & Beccaria: omnibus vero quaſi magiſtrum equitum præfecit *Philippum* Eſtenſem Sancti Martini, & Burgimanerii marchionem, quem matrimonio collocata *Maria* naturali filia ornatiſſima omnium adoloſcentula, jam ſibi generum adſciverat.

ANNO CHRISTI MDLXXI. *Emanuel* Dux *Taurini* agens, confœderatione inita in Turcam *Cypri* vaſtatorem, inter *Pium* quintum Pontificem, *Hiſpaniarum* Regem, & *Venetam* Rempublicam, qui claſſi præeſſet ab omnibus expoſcitur: ſed ob imminentia à vicinis diſcordiis patriæ diſcrimina, excuſatus habetur. *Joannes* verò Auſtriacus *Caroli* quinti Cæſaris ſoboles, magni animi, & expectationis juvenis præficitur. At Dux *Andream Provanam* Leniacum tribus cum triremibus in eam expeditionem adjungit. Apud *Naupactum* Achaicum concurſum, & decertatum. Chriſtianorum vix ducentum triremes: Turcarum vero pluſquam trecentum: Mars diu anceps, tandem Deo maximo favente, & quodam potius miraculo ad Chriſtianos inclinavit victoria. *Leniacus* ex triremi Prætoriana fortiter dimicans ſclopeto ictus in capite vix galeæ præſidio evaſit: triremium una Margaris nomine diſſipata, merſaque penitus, Pedemontana ſemel atque iterum ab hoſtibus recepta. Ob eam victoriam, *Taurini* ſupplicationes ſuperis, feriæ mortalibus indictæ. Ex notis ſocietatiſ. 20 Maji. Cypr. capta 7. Auguſti Stragis editæ 7. Septemb.

ANNO CHRISTI MDLXXII. menſe Martio, *Emanuel* Dux *Taurini* theatrum omnium diſciplinarum miro ordine, nec minimis ſumptibus inſtituit, curantibus *Hieronymo Ruvereo* Archiepiſcopo, & *Ludovico Demolino Rochefortio* Philoſopho, viris in omni doctrinæ genere abſolutiſſimis. Vidi.

Eo ANNO, menſe Julio, Dux Academiæ Taurinenſi favens, omnibus, qui ſuo parent Dominio prohibet, ne aliò ad ſtudia capeſcenda, aut doctoris Lauream ſumendam, quàm in eam Academiam ſe conferant: ſiquidem viris eruditiſſimis refertam, & omnium diſciplinarum, ſive *Theologiæ*, ſive Juris prudentiæ, ſive Medicinæ, ac Philoſophiæ, aut humanarum literarum doctoribus hanc ornatiſſimam reddidiſſet, mulcta quingentorum aureorum infligitur, aditus præterea ad publica munera & dignitates, huic legi fraudem facientibus interdicitur. 89 Vidi.

Eo ANNO, *Taurini* Dux extrinſecus aucta Acropoli ſubterraneis ad foſſas præſidiis, & aliis quibuſdam quaſi forcipibus admirandis, eam ſuomet ingenio inexpugnabilem omnium judicio reddidit. Vidi.

Eo ANNO, ex *Sturæ* flumine alveum aquæductu lateritio cœmentato, & continuatis per milliare unum arcubus in civitatem ad Palatinos hortos deduxit, atque ex ea aqua ſcaturientem fontem, ſtatuis, marmoribus, & variis incruſtationibus inſigniter ornavit, ſalientibus undequaque lympharum fiſtulis, ſuave murmur edentibus, ac prætereà rivulis diſcurrentibus, quibus innatantes piſces cernentium adaugent voluptates. Vidi.

ANNO CHRISTI MDLXXIII. Dux *Emanuel Philibertus* vetuſtiſſimæ militiæ regularis Divi Lazari magnum magiſterium ſibi ac poſteris perpetuum futurum à *Gregorio XIII.* Pont. Max. delatum ſuſcepit, erecto antea à majoribus, nuncque ſimul juncto Divi Mauritii militari ſodalitio. Quem divum *Sabaudiæ* domus antiquo, & pio Saxonicæ gentis inſtituto tutelarem ſemper habuit, ac propterea ejus nomine Dux militiam eam vocavit, atque amplius XV. millium aureorum proventibus annuis donavit, unde militum ſanctorum Mauritii & Lazari numerus in dies fit auctior & illuſtrior, ad omnes Chriſtianas expeditiones, & Pontificia juſſa promptiſſimus.

Eo

Vidi. Eo ANNO, *Taurini* fontem trans *Duriam* juxta piſtrina publica, loco aliquanto civitate inferiore, in ipſam civitatem & hortos Palatinos, ubi alium fontem ampliſſimum efficiat, mirabili artificio in edita turre prope eum fontem conſtructo, derivavit.

Ex pacis contractu 3. Aprilis. Eo ANNO, menſe Aprili, Pax tractante *Gallo* inita inter *Venetos* & *Turcam*, quod is majoribus viribus diceretur in *Italiam* ingruere: ejuſque rei cauſa Dux *Emanuel* triremes Mauritianis & Lazareis militibus completas jam adornaverat, atque ut eis commodius proſpiceret *Niciam* profectus erat, ubi de pace percuſſa à *Venetis* certior eſt factus.

Vidi. Eo ANNO, pridie Non. Junii, Dux *Emanuel* ob *Henricum Caroli* Regis *Francorum* fratrem, à *Polonis* ultro Regem electum, *Sigiſmundo* Auguſto ultimo Rege anno ſuperiore defuncto, *Taurini* omnem hilaritatis edidit ſignificationem.

Vidi. 90 Eo ANNO, Dux *Ferrandum Vitellium* architectum ad ordiendam Montisregalis Acropolim mittit, eique ac toti civitati, *Joſephum Careſanam* menſe Novembri præficit, hujus vero loco Taurinenſi acropoli *Ludovicum Capinum*.

Vidi. ANNO CHRISTI MDLXXIV. pridie idus Februarii, *Ferdinandus Alvares* à *Toleto* Dux *Alvæ* è Flandricis oris, in quibus Proregem agebat, in *Hiſpaniam* rediens *Taurino* pertranſiit, ubi à Duce ſplendidiſſime exceptus, nec minus antea per totam regionem Sabaudam, & Subalpinam Ducis impenſa deductus eſt. Qua liberalitate erga Principes omnes Dux uti conſuevit.

Vidi. Eo ANNO, menſe Martio, Jeſuitarum Collegio magnus acceſſit proventus, adepta hæreditate *Aledrami Becuti* nobiliſſimi & ditiſſimi civis, à quo hæredes inſtituti ſunt, qui tum Duci, ut ſuburbio amœno inter graviſſimas curas recrearetur, Lucentis prædio ceſſere, quod Dux licet ex feudi natura caducum, majore cenſu annuo penſare voluit.

Vidi. Eo ANNO, menſe Majo, *Jacobus* à *Sabaudia* Gebennenſium, & Nemoroſii Dux, *Anna* ſimul *Eſtenſis* conjux, & *Carolus* filius *Taurinum* ingrediuntur, Ducis viſendi gratia. Hi Duces duorum fratrum filii cum ſint unius & præalti animi, ita perpetuam concordiam ad domeſticam jucunditatem atque ad externa incrementa fovent.

Vidi. Eo ANNO, tertio Kal. Junias, obiit *Carolus Francorum* Rex, *Henrico* fratre *Poloniæ* Rege ſucceſſore relicto, quem Dux *Polonia* redeuntem, cum obviam *Venetias* uſque iviſſet, *Taurini* regio ſplendore excepit, *Lugdunum* uſque, cum inſtructiſſimo tum peditatu, tum equitatu proſecutus, ſuis ſumptibus menſem integrum omnem aulam Regiam per Sabaudam ditionem ac Subalpinam hilariter deduxit. Nec multò poſt Rex liberaliſſimus *Pinerolium* & *Savillianum* Duci benemerenti reſtituit, miſſo in eam rem *Henrico Engoliſmenſi Henrici* genito, magno *Franciæ* Hieroſolymitanorum Priore.

Vidi. Eo ANNO, XVII. Kal. Octobris, *Taurini Margarita* à *Francia Sabaudiæ* & *Biturigum* Dux dies clauſit, nobis (& cui non?) nunquam ſatis deflenda, *Carolo Emanuele* unico filio relicto.

Vidi. Eo ANNO, menſe Decembri, Dux mœſtiſſimus, conjugi optimæ, atque incomparabili, omni ſtudio & pietate parentavit, ſacra facientibus tribus Archiepiſcopis, Epiſcopis IX. ac aliis Abbatibus, & prælatis digniſſimis, univerſa lugente patria, orante vero in defunctæ laudes Angelo *Juſtiniano* Genevenſi Antiſtite diſertiſſimo, Regum principumque aſtantibus legatis.

Vidi. ANNO CHRISTI MDLXXV. XIV. Kal. Februarias, corpora ſanctorum Solutoris, Adventoris, Octavii Martyrum, Julianæ matronæ Gonſilini abbatis Taurinenſis, ab æde divi Andreæ (in qua pro tempore collocata fuerant, cum ad urbis præſidia *Galli* templum Divi Solutoris ever- 91 tiſſent) in Jeſuitarum oratorium, quod in *Becuti* ædibus excitarunt, dum templum auguſtiore ornatu conſtruant, tranſlata ſunt, ſupplicationi (qua ſanctorum corpora religioſiſſime ſunt deducta) Dux publice interfuit, *Carolus* item Princeps, & equitum Mauritianorum ordo, palliis (quæ manta vocant) rubris, geminata cruce ad pectus inſignitis: elatæ capſæ quatuor, auro veliſque ſericis ornatiſſimæ, aſtantibus Archiepiſcopis & abbatibus aliquot. Oravit poſtridie in martyrum laudes inter ſacra Archiepiſcopus *Ruvereus* facundia ſolita: ad eas reliquias frequentes populi in dies concurrunt.

Eo ANNO, menſe Martio, cum Dux *Niciam* Vidi. ad maritima proſpicienda proficiſceretur, *Carolo Emanueli* Pedemontium Principi *Taurinorum* & patriæ gubernacula reliquit. Is vero vix decimumquartum agens annum, in gerendis rebus, negociis explicandis, demandandis, & imperandis neceſſariis, nihil non maturo viro, imo & ſene rerum peritiſſimo dignum omnibus admirantibus exhibuit.

Eo ANNO, dum menſe Majo Dux *Nicia* rediiſ- Vidi. ſet, *Joanne Thoma Languſco* Stropianæ Comite magno Cancellario integerrimo vita functo, aliquanto poſt *Octavianum Oſaſcum Rochæ Arazii* Comitem, Senatus Præſidem, ſummo illo magiſtratu, ſive potius magiſtratum tanto viro omnibus abſoluto numeris ornavit.

Eo ANNO, quarto nonas Junii, defuncto *Lu-* Vidi. *dovico Capino* Taurinenſis Acropolis præfecto, tanti momenti munus Dux *Guidoni Piovenæ* Vincentino, qui *Savilliano* præerat ſtatim detulit, qui multo rerum militarium uſu præditus, arcem præſidiorum commoditate, & ornamentorum varietate illuſtrandam curavit.

Eo ANNO, V. Kal. Julias Taurinenſes cives Vidi. aſſentiente Duce, per Decuriones fidei clientelaris ſacramentum *Carolo Emanueli* principi dixerunt. Idem quoque apud *Vercellas*, *Aſtam*, *Charium*, *Pinerolium*, *Savillianum*, *Foſſanum*, *Monteregalem*, *Cuneum*, & alia Subalpina loca luſtrante principe, additis etiam muneribus, præſtitum eſt.

Eo ANNO, menſe Septembri cives turri vetu- Vidi. ſtiſſimæ, qua nulla ferè tota *Italia* editior, in civitatis meditullio eminenti, acuminato tecto, *Tauro*que veteri labante, Taurum recens inauratum, globo aureo inargentatæ pyramidi ſuperinjecto inſidentem, magna cum cæremonia, ac pulcro opere inſtauratum impoſuerunt.

Eo ANNO, menſe Novembri, Dux *Marrum* Ex contractu dato Taurini 16. Novemb. municipium ampliſſimum in maritimis alpibus, cum arce, ſimul & *Prællam* proximam, ac *Tendarum* jus à *Renata* à *Sabaudia Claudii Tendarum* comitis filia adeptus eſt permutationis jure, repenſo ei *Baugiaco* Sebuſianorum, & Subalpinis *Ripolis*.

Eo ANNO, pridie idus Decembris, *Octavius* Vidi. *Farneſius* Dux Parmenſis, à principibus noſtris quos *Taurini* inviſit, omni ea qua decuit lautitia, ſed uberiore lætitia exceptus eſt.

ANNO CHRISTI MDLXXVI. pridie non. Ja- 92 nuarias, Dux ob jucundum nuncium *Rodolphi* Vidi. filii Cæſaris *Maximiliani*, aſſentiente patre *Ratiſbonæ* in Regem Romanorum electi ſuperiore Octobri, ſupplicationes *Taurini* Deo publice decrevit, nullis omiſſis ad piam gratulationem teſtimoniis.

Eo ANNO, menſe Februario, & Martio, Dux Vidi.

Equitum (quos Annunciatæ vocant) numerum solito ritu adauxit: Siquidem post *Carolum* à *Sabaudia* Gebennensem principem, ad quem *Annecii* cum patre *Nemorosi* Duce agentem, jam transmissa fuerat torquis, & *Bernardinum* a *Sabaudia Caburri*, *Prosperum* à *Geneva* Lullini regulos & *Jo. Federicum Madrucium* Avium, *Surianæ* marchionem, & *Philippum Estensem* Marchionem antea creatos equites: adscripti *Amedeus* naturalis Ducis filius, *Federicus Ferrerius* Casavallonus Marchio Romagnani, *Ludovicus* à *Balma* Perei, & sancti Amoris Baro, deinde *Robertus Rotarius Sanseverinus*, *Thomas Isnardus* Sinfredi comes, paulo post *Bessus Ferrerius* Messerani Marchio, *Honoratus Grimaldus* Bolei Baro, denique *Franciscus Martinengus* comes, & *Æneas Pius* à *Sabaudia* Sassoli regulus.

Vidi. Eo ANNO, x. Kal. Aprilis, ossa *Catharinæ* à *Sabaudia Emanuelis* ducis sororis, *Mediolano* huc translata, quæ ad templum divi Joannis solemni pompa Dux ipse, & Pontificis Nuntius cum legatis principum, alii quoque magnates prosequuti sunt.

Vidi. Eo ANNO, mense Majo, Dux *Oneliam* ad littus maris Lygustici oppidum, *Marrò* & *Prellæ* contiguum, à *Hieronymo Doria* comite permutationis nomine adipiscitur, datis *Cyriaco*, & *Caballamajore* oppidis, qua permutatione maritimarum viarum compendia & remotioris commercii commoditates Subalpinis populis compararentur.

Ex diplomate 26. Augusti. Vidi. Eo ANNO, mense Augusto, Dux post honestam missionem à *Philiberto Monioventio* ob adversam valetudinem retroactis aliquot mensibus impetratam, Taurinensis civitatis gubernacula *Leonardo Ruvereo* Viconovano demandavit, qui simul ut antea *Clavasio* præesset. Is Archiepiscopi *Hieronymi* frater legionariorum ductor, & totius militiæ recognitor inter veteranos primarius.

Vidi. Eo ANNO, mense Septembri, Dux cum Principe *Taurino Sabaudiam* petunt, singulas percurrunt provincias, jusjurandum Principi à populis jubente patre persolvitur, Principem populi quibus possunt muneribus donant, ludos publicos, choreas, festos dies agitant, Sabaudo generi, nomini, familiæ, intensis vocibus magna voluntate bene precantur.

Vidi. Eo ANNO, mense Novembri, ut *Taurinum* Dux & princeps redierunt, *Carolus* à *Sabaudia* Gebennensium princeps advenit, moram facturus cum *Carolo Emanuele* principe, ut Ducis magni *Emanuelis* consuetudine, & exemplis ad omnem virtutem à teneris, ipsaque Principis indole accendatur.

93 Vidi. Eo ANNO, Dux *Taurini* accepto Nuncio à *Rodulpho* Cæsare de interitu MAXIMILIANI parentis *Ratisponæ*, quarto Idus Octobris, ejusque in Imperio successione, *Sinfredum* comitem mense sequenti, ut duplici condolendi, ac gratulandi officio fungatur ad Cæsarem destinavit.

Vidi. Eo ANNO, VII. Idus Decembris, Dux recuperatis sacris ossibus divi *Amedei* septimi ejus nominis, qui olim *Sabaudiæ* Dux, postea *Felix Quintus* pontifex dictus, quæ ossa, violato apud *Ripaliam* ab Hæreticis sepulchro conservata à viro nobili Aquianensi Veragrorum fuerant, ea demum arcæ inclusa, *Taurinum* advehi curavit, & ipse cum Nuncio Apostolico, Archiepiscopo, Legatis principum, aliisque proceribus obviam feretro fuit extra Palatinam portam, & magna cleri, ac populi frequentia in templum divi Joannis illata, & pie reposita.

Vidi. Eo ANNO, & mense, quatuor municipiorum A *Lombardolii*, *Montanarii*, *Sambenigni*, *Feleti* dominium quod Eporediensi Episcopo Pontifices olim contulerant, Pontifex consentiente Episcopo, duci elargitus est, digna facta in Ecclesiæ commoda pensatione, quibus adjunctis municipiis, quotidianæ discordiæ vicinorum agrorum Taurinensis, Eporediensis, & Vercellensis pacatæ sunt.

Eo ANNO extremo, dux cum Principe *Taurino Oneliam*, deinde *Niciam* proficiscitur, ubi mitiori cœlo hyemem facilius toleret, & gnatum navigationi assuefaciat. Adfuerunt simul *Carolus* Gebennensium princeps, *Franciscus Lotharingius* Chaussini Marchio, atque *Amedeus Sabaudus*, B omnes tenellis hisce in annis præcelso animo, summa omnibus, & mirifica ingeniorum indole, quæ florentissimum seculum secuturum pollicentur. Vidi.

ANNO CHRISTI MDLXXVII. Kal. Aprilis, *Taurinum* Dux simul, & Princeps incolumes, & læti redierunt, civibus gaudio exultantibus. Vidi.

Eo ANNO, ix. Kal. Majas, Dux primum lapidem *Taurini* Jesuitarum cæpto à fundamentis templo, & ædificiis, votis ac precibus pio ritu ad superos à *Ruverio* Archiepiscopo emissis imposuit. Vidi.

Eo ANNO, vi. nonas Maji, Dux in ipsa Tau- C rinensi acropoli, templum Deo, & Divo Laurentio victoriarum authori dicavit, post sacra ritè persoluta, jacto primo lapide, & in ejus memoriam aureo numismate. Vidi.

Eo ANNO, mense Junio, post Flandricos motus certis pacis conditionibus sopitos, hac inter cæteras apposita, ut *Hispanorum* præsidia inde summoverentur, viginti & amplius millia hominum *Hispanæ* gentis ductore *Petro* Comite *Mansfeltio Saxone* per *Sabaudiam*, Subalpinos & agrum Taurinensem transierunt, in *Hispaniam* (ut ajunt) trajecturi. Sabaudia quidem frugibus tunc pendentibus ægrius habita; cum *Supalpini*, Ducis 94 D præsentia, atque authoritate magis sublevarentur, & quod ipse reticere nequeo, *Ludovici Putei* collegæ mei ad id munus à Duce delecti prudentiâ, atque industriâ. Vidi.

Eo ANNO, mense Septembri, tumultuantibus iterum *Flandriæ* populis, complanata ab ipsis *Antuerpiensi* acropoli, quam *Hispani* construxerant, *Joanne Austriaco*, qui illis præerat exploso, & *Luxemburgum* secesso, accersitos *Hispanos* redire oportuit, & commeatu iterum à Duce *Emanuele* impetrato, pars per Taurinensem agrum, & *Cinitium* montem, pars per *Salassos Augustanos*, & *Bernardeas* alpes, non turmatim, sed divisis cen- E turiis proficiscuntur, in *Flandriæ* cervices, & *Philippi* Regis ultionem. Deus bene vertat omnia. Vidi.

Eo ANNO, mense Octobri, *Leonardus* à *Ruvere* civitatis *Taurini*, & *Clavassii* gubernator, *Guidoni Piovenæ* Vincentino, in *Acropoli* regenda, quamvis adhuc adversa valetudine sufficitur. Vidi.

Ad hunc usque annum *Taurinum*, & *Subalpina* ditio duobus locis exceptis, à funesta peste, cujus venenato telo *Venetiis*, *Patavio*, *Vicentiæ*, *Mantuæ*, *Brixiæ*, *Mediolano*, *Papiæ*, *Lugduni*, & aliquot aliis, circa oppidis malè, ac infeliciter cecidit, incolumes servatæ sunt, faventibus imprimis superis, & exaudito statis, ac solennibus unaquaque F hebdomada supplicationibus Archipræsule, & toto clero: & supremi à Duce instituti Sanitatis Magistratus vigilantia. Ergo salubrem semper, ac beatam servet, & auctet Deus Optimus maximus suam hanc *Taurinorum Augustam*, omnemque ditionem, atque eos, qui una mecum illi bene precabuntur.

F I N I S.

95 # ANTIQUITATUM AUGUSTÆ TAURINORUM INSCRIPTIONES.

## *In Ædibus nostris.*

*Lapis marmoreus, columnis structura dorica distinctus, in epistylii medio Elephas, extra epistylium, Delphini duo, literæ elegantissimæ, in extremo fractus. Sed Taurini & Eporediæ mentio, antequam Augusta diceretur.*

D. M
P. ARRII
SECVNDINI
... CVRIAL. TAVR. ET
... A R... EPORED.

*In angulo palatii civitatis, Marmore in summitate fracto, inferius tridens inter duos Delphinos sculptus.*

IIII VIR. A . . . .
ET. VIC. ORDO. AGVSTAE
TAVRINOR. PATROCINIO
COLONIAE DECREVIT. ET
PER LEGATOS DETVLIT
D. D.

*In ædibus Antonini Thesauri Præsidis, inferius fracto lapide, corrosis literis.*

TI. AVL. VITALIS. . : .
L. TETTIENVS VITTALIS. NATVS AQVILEIAE.
EDOCATVS. IVLIA EMONA, TITVLVM POSIT
ANTE AETERNAM DOMVM IVLIA
AVGVSTA TAVRINORVM DICIT
QVERERE CESSAVI NVNQVAM
NEC PERDERE DESI. MORS INTERVENIT
NVNC AB VTROQVE VACO
CREDITE MORTALES ASTRO NATO
NIHIL EST SPERABILE DATVM.
*Cætera desunt.*

96 *In facie ædium nostrarum, ingens marmor, quo sculpta effigies Dei imberbis scutum tenentis cum fulmine, duobus hinc inde ad montium radices sedentibus. Hæc inscriptio.*

IVPPITER CVSTOS AVGVSTAE TAVRINORVM

*In vinea Alexandri Serræ pictoris, extra urbem marmore fracto.*

C AL.
SEXTI LUCR.
APOLLINI
IB. AVG. TAVR
VI. VIR. EPOR.
V. T. F. I.

*In domo Mainorum in Basi turris.*

P. RVTILIVS
AVG. TAVRINORVM
PROCONSVL

*In ædibus nostris, marmore quo stella crinita in medio cuiusdam quadri, extra vero quadrum, sed in extremo fractum, hæc inscriptio.*

C. IVL. CAESAR. C. F.
DE GALLEIS
ET ALLOBROGIB
........ PHAVIT

A *In facie ædium nostrarum, marmore prægandi quo hyppocentaurus sculptus, sed dimidiato lapide, hoc inscriptum.*

CHIRONI. SATVR. F. HYPPOCENT . . . .
T. CLAVD. CAES. LVDIS SECVL . . . .

*In angulo anteriore earum ædium, ingenti marmore, quo vir equitans jubentis ad modum, inferius vero mensura est sive modius duabus manibus apprehensus,* 97 *radio superaddito, hincinde stant columnæ, supra vero inscriptio.*

B

T. VETIVS
POL. AEDILIS
VETIA. T. F. SECVNDA
VXOR FECIT

*Præ foribus ædium alio marmore, cerva fugiens sculpta, quam lupus prosequitur lapide in summitate fracto.*

APONIAE L. L. MODESTAE
MATRI
ACVTO. L. APONI. SER
PATRI . . . . .

C *In angulo domus marmore quodammodo ad circularem fabricam incurvato.*

L. SALVIVS Q. F. CAM . . . . . . .
POENVS. PATER. SIBI. E.T. L. SALVIO
L. F. MEMORI. I. FILIO. ANNOR. XIX
BVSSENIAE. P. F. PRIMAE VXORI
Q. SALVIO Q. F. NOTO. FRATRI
SALVIAE. Q. F. RVFAE. SORORI. RVFO
BVSSENIO. D. F. VERO. IN. F. P. XIX. IN. T. P. XIX.

*In procectrio, sive ædium vestibulo Meleagri fabula marmore candido expressa & subtus ita scriptum* MELEAGER. *Sed recentius ad-*
D *ditum.* Meleagro. Onei Calid. R. F. quod Aetolium aprum collecta manu confoderit. at exusto fatali stipite misellus emoritur.

*Alio ingenti marmore quadrata forma expressum in coronide caput Isidis, hac inscriptione magnis literis.*

ISIDI
T. MINVCONIVS
ALEXANDER
V. S. L. D. D. D.

E *Ibidem, marmore columnis striatis elegantissimo, cui caput Medusæ superimminet Delphini hinc inde,* 98 *& inter florum fasciculos avicula rostro converso.*

V. F.
L. VENNONIVS
> L. ONESIMVS
VI. VIR. AVG. SIBI. ET
. . . . . . .

*desunt cætera fracto marmore.*

*Ibi-*

*Ibidem marmore quadrato effracto.*

PETRONIAE
M. FIL
MARCELLINA
T. F. C

*Ibidem.*

T. AEBVTIVS. T. L
GLAVCVS
L. AEBRVTIVS L. F
SCAVRVS

*In interiori fronte marmoreæ portæ exterius nostris recens sculptis stemmatibus.*

N. APPIO
CENTVRIONI
AEBVTIAE L. F.
Q. APPIVS Q. F.
Q. -H- VIR. PONTIF.
T. F. C.

*In fronte alterius portæ.*

ANNIO
M. F.
SENECAE

99 *In ipsa area ex ordine, hæc nova inscriptio marmore pellucido cupidinibus, & Venere vetustissimis jacentibus.*

HOSPES TEQVIDAVORTIS
ADVORTITO
EN ADELPHI FVERE CVPIDINES
CRESCEBANT. FLAMMIS OMNIA DEVASTAB
M. IN MATREM DVM ET SAEVIVNT S.
VENERIS. AMORVMQ. HEIC FACTA INTERNECIO
HEIC EXTINCTAE FACES. TRIBVSQ. POS. TVMVLVS
AT PRO AMORIBVS. INNATAE HEIC AMICITIAE
QVAS MATER ALIT CASTIMONIA
Ô VOSVRAM OPTVMAM
BENE VTITOR. HOSPES. VIVITO. ET VALETO

*Ibidem, aliud marmor literis antiquissimis inscriptum.*

C. MINNIO
RVFI. F. IIII. VIR
CAENONIA POLLA
MATER. FILIO. V F

*Ibidem ex ordine sub capite adolescentis marmoreo.*

COELIO. A. L. EBONIS T. F.
STEL. NIGRO
PATRI
FADIAE T. L. AVGVSTAE. MATRI
COELIO P. F. NIGRINO. FRATRI
COELIAE. P. F. POLLAE. SORORI
L. COELIVS. P. F. IVSTVS
V. F.

*Ibidem marmore elegantissimo, glandibus, & foliis quercinis ornato, & tympano circulato cui superimminet caput Dei cujusdam.*

100 T. MOMINVS
M. F. POL.
TERTIVS
VETERANVS
T. MONNINO T. F.
POL. MAXIMO
PONTTIAE. Ↄ. L
HOSPITAE. VXSORI
T. F. I
IN F. P. XXX. IN A. P. XX.

A *Alio marmore cui caput juvenis superpositum.*

D. M.
Q. RVBRIVS
CRESCENS
MACTORIAE
PVBLIAE
CONIVGI

*Alio prægrandi marmore elegantissimo, sed literis admodum corrosis, ubi sub arcu quem duæ larvæ, una barbata Satyrum, altera ridentem Bacchum refert, Tauri immolatio expressa tribus astantibus viris, uno*
B *cornua tauri tenente, altero securim ad ictum parante, tertio intermedio: subtus verò columnæ sunt frondeæ cum suis epistyliis elegantissimæ. Hæc ex inscriptione legi possunt.*

T. MARCIO T. L
QVI EAM REI PRIVATAE CVRAM
ADHIBVIT.....

*Cætera vetustate obliterata. A tergo vero marmoris corrosis admodum literis Epigramma hujusmodi.*

TE LAPIS OBTESTOR LEVITER SVPER OSSA RESERVA
NE NOSTRO DOLEAT CONDITVS OFFICIO
C RECEPTA
L

*Alio marmore ex ordine.*

D. M 101
COELIAE SEVE
RINAE. QVAE
VIXIT. ANN
VIII. M. IX. D. VII
FILIAE DVLCISS
L. MINDIVS SVPER
NVS PATER. ET CORNELIA
SOTERIS

D 

*Hæc asciæ forma sculpta.*

*In porticu ædium marmore rupto ubi statua veterani militis, quæ non majusculis literis scripta vides, ea ex ingenio addita sunt.*

E P. ARIMAEI NICCEPHORI t. f. qui
ANNO NON. toto præfuit at
CVM PERMISIT clementissimus
SIC ME SEMPER in honore vivere
ET MIHI VITEM DEDERIT gestandam
VLPIA LEGIONE MISSVS, & ipse
TAM PROBVS PIVSQ. VIXIT vt secum
QVI GAVDEBANT ORDINAT ione mea
HI MEI MISERI PARENTES tumulum simul
QVOT TIBVRTIVS FVERIT mihi tiburtio poss.

*Ibidem, marmore in coronide rosis ornato, mulie-*
F *ris vero caput inclusum.*

D. M.
MESTRIAE
HERMAIDIS
MATRIS. ET
IVNITIAE
MOSCHIDIS
AVIAE.
L. RVTILIA
SEVERINA

*Ibi-*

*Ibidem marmore fracto.*

VICTORIAE AVG. . . .
IMPERIO NERVAE . . . . .
SATVRNINVS. L. . . . .

102 *Subtus verò statua est alatæ mulieris corollam florum manu dextra ostentantis; sinistra vexillo quod simile gerens.*

*Ibidem alio marmore.*

A. CVRTIVS. A. F
PRIMVS
SEX. VIR. IVN.

*Ibidem alio marmore, cui caput Medusæ inter varia florum ornamenta superimminet columnis elegantibus, subtus viri duo sedentes, quibus quatuor stantes ministrant. Epulum videtur. hæc in medio inscriptio.*

D. M.
SAGINTIVS
RVFIAE VERAE
CONIVGI
CARISSIMAE
QVAE VIXIT ANNIS
QVADGINTA
TITVLVM POSVIT

*Alio marmore eleganti.*

D. M.
NICIAE S
DVLCISSI
MI
L. DECIMIVS
CLYTVS
ET MESSIA
FIRMA
POSVERVNT

*Alio marmore dimidiato. in summitate videtur Apollo imberbis, lacertis pellem hominis pro trophæo gerens. Subque Marsias excoriatus, servus cultrum una manu alia caput cadaveris tenens, circum in columnæ formam, simiæ, vasa, cochleæ, maritima monstra, & alia ornamenta exsculpta. hæc vero inscriptio.*

103 ACRONI P. . . .
MEDICO AVG. . . .
CLODIA III. . . .
LAETAE SOR. . . .
C CLODIVS. . . .
AQVILIANVS. . . .

*Alio marmore, rosa prægrandi superimminente.*

. . . DEIOTARA . . .
. . . . IANVARIO VINTIO
. . . . ONIS F. MATER
. . . . ANTE OBITVM
T. C.

A *Alio marmore, cui ascia superposita.*

D. M



TI. CLAVD
PROCES
B THYRSA. VX
AQVILINA
CONIVGI
INCOMPARA
BILI

*Alio marmore semirupto cui subest thorus tabellæ innixus, & recumbans adolescens.*

. . . TERRAS NEC MINVS ET MARIA
. . . IMPVRI AQVAE PADI NEC MINVS ETSAEVI
. . . IRA QVOD OPTAVI MIHI TANDEM PERVENIT
. . . PERPETVAM REQVIEM POSCO

C *Alio marmore pectinatis striatisve columnis, Dorica forma ornato.* 104

VALERIAE
M. F. TERTIAE
C. MONIANIVS
C. F. CAMP. VALENS
OPTVMAE. MARTI
Vnanimes posuer.

D *Alio marmore in quo capita viri, & uxoris expressa, sed mutilata.*

L. GLITIO VERO

*Alio marmore, cui caput Medusæ tympano triangulari impagibus distributo oppositum.*

V
C. CORVNCANIVS
C. L. PAL. HILARVS
VI. VIR

E *Alio ingenti lapide rupis impolitæ, cui aquila angues pedibus implicatos devorans, tum duo leones puteo innitentes. Hæc media inscriptio.*

M. OCCVSIVS
A. F. LAGANIVS
SVAE. SVAVISS. F
TESTAMENTO
FIERI JVSSIT

F *In parte inferiori sus est cum capra, globo insultantes, subtus autem vas, cui gemini angues ad potum inflectuntur.*

*In horto pensili ædium plurima fragmenta. Hæc magis integra.*

*Cippus marmoreus, simpullum vna ex parte, quo vase aqua seu vinum minutatim prælibaretur, lanx ex alia sive discus ad sacrificia, locus statuæ basi & flosculis ornatus. Hæc inscriptio.*

105 D. M
C. FOTIDI . . . . .
FOELICISSIMI . . . .
VIX. AN. VIII. DIES XIIX
AVGVSTANVS. ET
AEBVTIA. CHARISS
FILIO. PIISSIM. PAR

*Alio marmore fracto.*

B VALERIVS . . . . . .
VERINAE C. F. . . . . .
KARISSIMAE VIX. AN. XX. . . .
DIES XX. IN CONNVB. A . . . .
MENSEM . . . . . . . OBIIT
CONTRA VOTVM

*Alio marmore crucis signo antiquissimo insigni.*

TITVLVS. PVELLAE. CLAVDIAE. C. F
VIXIT CONIVGIO. ANNIS DVOB
ET MENS. VI. SVBITO VERTVNTVR
C FOELICIA VOTA DVORVM
ET DEFVNCTA EST. ANNORVM XVI
HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS
† † †

*Alio marmore, quo Venus velum manu tenens, Delphino insidens, inter medios fluctus, hinc inde volitantibus cupidinibus. Sub vero.*

VENERI ERYCINAE V. S. L. M

*Alio marmore quadrato.*

D MERCVRIO
T. MATTIVS ATEVRITI. F
MAGIACVS
V. S. L. M

*Alio marmore fracto.*

. . . . . PALLADI . . . .
. . . . . . . ATTICAE . . . . . . . .
. . . . DEDITIS DD . . . .

106 E *Alio fragmento.*

. . . . CIVITAS . . . . . . . . .
. . . . EX PANNONIA . . . .

*Alio marmore dimidiato.*

C. VIBIVS
STELLA
ET. C. FIRMIVS
EX TESTAMEN
F LEIBERTATEM. D

*In facie Januæ Turris editioris civitatis, marmore candidissimo.*

Q. GLITIO. P. F. STEL
ATTILIO. AGRICOLAE. COS. II.
VII. VIRO. EPVLONVM. SODALI

A *In ædibus Hieronymi Agathiæ quondam magni Cancellarii, marmore elegantissimo.*

C. GAVIO. L. F
. . STEL. SILVANO
PRIMIPILARI. LEG. VIII. AVG
TRIBVNO. COH. II. VIGILVM
TRIBVNO COH. XIII. VRBAN
TRIBVNO. COH. XII. PRAETOR
∴ DONIS. DONATO. A DIVO. CLAVD ∴
BELLO. BRITANNICO
TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS
CORONA AVREA
PATRONO COLON
D. D

*Ibidem marmore quadrato.*

T. CVSIO. RVFI. F
STEL. VI. VIR
AVGVSTALI
CVSIA. RVFI. F.
POLLA. SOROR
D. P. S. F

*Ibidem.*

DOMITIO M. F 107
ST. MARCELLO
CACTIA. VXOR
A. F. PASTOR. M. F.
A. F. SECVNDVS
. . . . M. F. DOMITIA
. . . . M. F. PRIMA

*Alio lapide, cui superimminet caput mulieris inter duos dracones, intermedia corona quibusdam ornata tropheis, tum sequitur inscriptio, inferius thori forma, sex fascibus totidem secures alligatæ, scalptæ sunt.*

L. GOSINIO
L. F. ST
HILARIVS
AVG. VESTIA
M. F. VXSOR
P. COSSIVS
MAXVMVS
P. C

*Ibidem lineamentis hinc inde ductis, astragalo Lesbio supereminente.*

A. AEBVTIVS
CORDI. LIB. MAINVS
SIBI. ET MESTRIAE
FORTVNATAE
VXORI. T. F. I.

*In facie domus Alexandri Vignatæ Sangilii domini.*

P. CORNELIO
L. F. STEL
DECVRIONI
A. P. IVDICI
DEC. IV
CORNELIA. P
FIL. PRISCA. T. F. I

*In*

108 *In ædibus Caſsiani Putei primi præſidis ſenatus, marmore eleganti quo ſculpta Lupa gemellos lactans ſub ficu Ruminali, Delphini hinc inde complicati, columnæ Corinthiæ frondibus achanti è calatho prodeuntibus ornatæ. Hæc in medio inſcriptio.*

D. M.
ANTISTITAE
> L. DELPHIDIS
TESSER. LIGNAR
SODALICI
MARMORARIOR

*Alio marmore, vbi ſtatua adoleſcentis, circum delphini.*

V. F
C. PVBLICIVS
PRIMIGEN
SIBI. ET
TVRRANIAE

*Alio marmore, ubi caput Meduſæ, inter duos Delphinos, & roſarum ornamenta literis corroſis.*

V. F
T. LIVIVS T. LIB
ET LIVIAE. LEVINVS
L. F. STEL....
VENONIAE. EXORATAE
P: LIVIAE. FIRMAE. ET
FESTO. FILIO. ET
FIRMIAE. FILIAE

*Ibidem fracto hinc inde marmore.*

.....CAESARI A.....
....IIII. IMPERAT.....
....ARVS PRIMVS......
...PRAEF. FABR. T......

109 *Alio prægrandi marmore, quo aquila faſtigio triangulari includitur, duobus hinc inde pegaſis, ſive gryphis vas altero pede fundentibus, columnæ duæ ſequuntur, quibus alligata haſta, inferius autem frenatis bobus currus trahitur, dolio oblongo onuſtus, quem currum auriga flagellum quaſi movens regit, Boves præit procus: In medio hæc inſcriptio elegans.*

T. ARRIO T. F. ETRO TERTIO
ANN. XXI
MVCIA T. F. MODESTA
MATER V. F
SIBI. ET. T. TARRIO. M. F. VIRO
INVIDA FLORENTEM RAPVERVNT
FATA IVVENTA
NEC LIQVID MISERO ME SVPER-
ESSE MEIS
FLEVIT PRAESENTEM MATER
FLEVERE SODALES
ET MATER TEPIDO CONDEDIT
OSSA ROGO
QVAE PRIVS HOC TITVLO
DEBVIT IPSA LEGI

*Tum in baſi marmoris inciſum*

IN AGRO. P. XX. IN FRONTE. P. XX.

*Alio marmore, roſa tympano triangulari incluſa, Delphinis circum jacentibus, inter vero duas columnas, hæc inſcriptio.*

P. AEBVTIVS
P. LIB. MEMNO
AVG. SIBI. ET
AEBVTIAE MILE
LIBERTAE
DELIC. ATAL
SVAE
T. F. I

*In baſi autem hæ ſingulariæ literæ.*

H. M. H. N. S.

*In ædibus Antonini Theſauri præſidis Aſtenſis, columna marmorea, malis literis.* 110

VIRIATIVS
A. F. TERNI
TAVR. OBOLIO
PVLANIVS
PRISCVS

*Alio marmore dimidiato, prior pars deficit.*

....ONIVS. L. F.
....L. PEREGRINVS
....LEG. XXII. PR. P. F. ID
....LEGAT. A COMMENT
....L. F. OPTIO. CENTVRIO
....ONIS EIVSDEM
....AVS. PILVS. PRIOR
....NOR. XXXIX. STIP. XVI
.... F I

*Alio marmore oblongo.*

P. AEBVTIO P. F. NEPOTI. AED. II. II. VIR. II
SABINA. FRATRI

*Alio marmore quadrato.*

A. TITIO. A. L. BELLICO
VI. VIR. AVGVSTALI
CHORAGIARIO

*Alio prægrandi marmore.*

FVGE. TACE. QVIESCE RVTIL

*Alio fracto marmore, ad formam vaſis.*

Q. GLITIO.... 111
ATILIO A.....
VII. VIRO. ET......
AVGVSTALI. CL......
IMP. NERVAE. CAES...
DACICI. PROVINC...
DONATO. AB EODEM...
DONIS NILITARIBVS...
VALLARI. CLASS...
PVRIS IIII. VESTIB...
PROVING...
...EGLEC...
.....

*In ædibus contiguis Comitis Pancalerii, marmore oblongo effracto.*

Q. GLITIO. P. F
ATILIO. AVGVRI
COS. VII. VIR. EPVL
LEGATO. PROPRAET. AVSP
IMP. NERVAE CAESAR
PROVINCIAE. BE......
LEG. LEG. VI. FERRAT
∴ LEG. CITERIORIS. HIB ∴
PRAETORI. AEDILI. CVR
CIVI. VESPASIA. TRIB. POT
GALLICAE. X. VIROS. OSTI..
....POT. TVB. M....
. . . . . . . . . .

*Cætera desunt.*

*Alio marmore, rosa supereminente.*

D. M
VAECILIAE. AELIANAE. CIVI
POLENTIAE. QVAE VIXIT
ANN. XX. MENS.....

*cætera legi nequeunt fracto marmore.*

112 *Alio marmore.*

C. VRVINVS C. F
SILENVS. SIBI. ET
AMOENAE. VXORI. ET
IRICO. FILIO
T. T
V. F

*Alio marmore.*

Q. AEBVTIVS
CILONIS. F
POMPEJA. VELAC
ENA. Q. F

*In ædibus Francisci Boyvini Baronis Villarii.*

V. F
AEBVTIAE. M. F. TERTVLLIA. SEX
POMPEIO. PASSO. VIRO VINNO
NIAE. SECVNDAE. COCERAE
POMPEIAE. SATVRNINAE. F. ANN. XXV.
SEX. POMPEIO. CLEMENTI. ANN. XXX.
PVPINIAE. FIRMAE. AVCTAE

*In mœnibus civitatis recens inventum, in Palatio translatum, marmore in duos cippos partito.*

C. CVSIO. M. F
CALVISIO
IIII. VIR. AED. P
FILIO

Q. CVSIO
M. F
FRATRI

*Ibidem alio marmore.*

LVCVLLIA. L. F. PRIMA
SIBI. ET
L. AEBVTIO. PALLAEO
VIRO
AEBVTIAE. L. F. OPTATAE
FIL. T. F. I

A *In ædibus Romagnanorum.*

D. M
TRANQVILLI
SECVNDINI
SIBI ET
IVLIAE
CONIVGI
KAR

*Alio marmore* 113

LIBERO PATRI
SACRVM
L. F. SENECIO
V. S. L. L. M

*Alio marmore, quo duo scalpti sunt Delphini, rosam subodorantes.*

B V. F
Q. ANTISTIVS
NIGRINVS
SIBI. ET
V. ANTISTITAE. Q. L
EXPECTATAE
VXORI

*Alio marmore; cui intersunt cupidines, Cherasio advectum*

D. M.
ACVTIAE. Q. F. SABINAE
C FEMINAE. SANCTISSIMAE
Q. VESQVASIVS. FORTVNATVS
F. I. D. P. S

*In ædibus Vagnoniis, translatum nunc apud castrum vetus agri Taurinensis marmore dimidiato.*

CLAVDIO. DRVSI. F. C....
TRIBVNIC. POTEST. V....
LITIVS. T. F. STEL. BARB....
TRIBVNVS. MILITVM. P....

*Alio marmore.*

D DIS. OMNIBVS
HYGINVS
PRIAMI. FRATER
POSVIT

| *Alio.* | *Alio.* | *Alio.* 114 |
|---|---|---|
| CAPITO. ATTIVS<br>ATTONIS. F<br>N. F | T. CASSIO<br>M. FIL. OL | ATILIO. P. F<br>NEPOTI. |

*Alio cui internexi florum fasciculi, subtus vero, in columnis binis totidem hastæ alligatæ, & mediæ* E *tabulæ duæ, superiore quidem, duæ mulieres invicem quasi colloqui videntur, tertia inest mulier infantulum manu regens, inferiore tabula mensa est, cui duo stantes viri velut raptim comessantur, has super tabulas hæc inscriptio.*

ATILIA MV. L. ONESIME
SIBI. ET. AEBVTIO OPT
ATO. AVG. DEC. AVGVR
CONIVGI OPTIMO
V. P

*Alio marmore in cujus tympano caput Medusæ, ad tympani triangulum catuli scandunt, inferius appensæ* F *florum corollæ, infra stat ara media, ad cujus dextram mulier ramum gerens ad lævam laurus arbor, cui anguis involvitur ab arbore descendens: hæc autem inscriptio.*

I. VALERIVS
FRONTO
T. F. I. SIBI
PLACIDA. ET
FIDELIS. LIBERI
FACIENDVM CV
RAVERVNT

*Alio*

| *Alio marmore.* | *Alio marmore.* |
|---|---|
| P. METELLIVS | T. LVCCEIO |
| L. F. DEC. TAVR | T. FIL. STELLAE |
| ET QVAESTOR | PETRONIANO |
| ITEM DECVRIO | EQ. ROM. EQO. II. |
| EPOREDIAE. ET. II. VII. | PETRONIA. M. F |
| IOVI. AVG | MARCELLINA |
| EX. HS. X. | MATER |
| TEST. PONI. CVR | T. F. I |

*In turri templi Antoniani Sancti Dalmatii marmore fracto.*

115 T. AEBVTIVS
SECVNDVS
SIBI. ET
ST. AEBVTIO
OPTATO. PATRON
ST. AEBVTIO. SEC
F. C

| *In vinea Alexandri Serræ pictoris, Taurino translatum.* | *Alio.* |
|---|---|
| GENIO | LIBOTIATVS. SIB. ET |
| M. ISVNI | VENTINIAE. L. F. IRATAE |
| PROCVLI | VXORI T. F. I |
| SODALICI | *Colliso marmore.* |
| IVVENT | DOMITIVS |
| PATRONO | VERVS |

*Variis saxis ingentibus, & literis cubitalibus in muris civitatis.*

DIVVS. AVG. DIVI. FIL

*Alio saxo.*

DIVI. NERVAE

*Alio fragmento.*

DIVI. ANTONINI

*Alio item.*

DIVI. FRAT

*In claustro Cœnobii Divi Andreæ, marmore oblongo.*

L. VIBIVS. C. F. STEL
CENSOR
EXSOMNIAE. L, F. SECVNDAE
VXORI
L. VIBIO. SEVERO. FILIO
C. VIBIO. L. F. PATRI
CATIAE. TERTIAE
SEX. FIL. MATRI
VIBIAE. GRATAE. LIB

*Inferius imagines quædam erant incisæ, quæ corrasæ sunt.*

Alia vero ex parte crux est oblonga in anchoram desinens: hæc duo elementa Græca, Alpha & Omega. Circum vero literis Gotticis hi Leonini versus, belli Burgundici, cujus meminimus, comprobatio.

*Per crucis hoc signum depellitur omne malignum.*
*Hostem quæ pellat. ne te Burgundio lædat.*
*Hunc tu portasti. Christumque sequutus amasti.*
*Cujus ad examen venias securius. Amen.*

Inventus quoque Taurini ad Sanctum Dalmatium ingens lapis, semiruptus, quo Phaethontis casus, non vulgaris sculptoris manu expressus cernitur: Collisæ rotæ, in aere quasi pendentes, labentesque supini equi, Auriga malus ipse Phaeton temeritatis pœnas, sparsis in cœlum pedibus, converso capite luens. Phaethontiadum sororum fragmenta, quæ in frondes, ramos, & cortices populeas, ad ripam fluminis transformari videntur. Hæc civitatis vetustissimam originem, tanquam umbram, & quædam vestigia referunt. Sed nulla adest inscriptio. 116 Ex Ovidio lib. 2. Metam.

Aliis fragmentis marmoreis Taurini inventis, quæ nunc variis in locis dispersa sunt, conspiciuntur psallentes, & exultantes certis quibusdam gestibus homines, frondentibus arcubus mutuò in restim se comprehendentibus: aliqua ex parte quasi topiarium opus repræsentantes. Chorum præeunt tibicines, & centauro similis obequitans: carrus denique, cui erectus insistit juvenis: Hic junctis bobus quantà maximà potest celeritate ab alio impellitur. Repræsentata graphicè prisca illa Oscophoria in ferendis ramis: tonus Lydius, Centaurea, & à boum incitatiore cursu Bosdromia, quæ sacris Herculis Athenis exhibebantur, authore Theseo. Idem mos Romæ, idem etiam Taurini conservatus, neque temere unquam ea in civitate intermissus. Siquidem quotannis mense Iunio, die Joannis Baptistæ præcursoris, Divi Civitatis tutelaris, festo, frequentes conveniunt, frondibus, variisque floribus ornati agrorum, & vinearum coloni: Eosque ritus ingenti quidem lætitia, sed majore retenta, etiam inter ludicra, pietate, templum ejus Divi ingredientes quasi immortali Deo, ac cœlitibus omnibus persolventes imitantur. Porro id genus ludi patrio vocabulo BALLORIAM vocant. Ex Plutarcho in vita Thesei.

Prætereo innumeras statuas, veteres colossos, signa ex ære, argento, marmore, prophyrite, jaspide, veluti Herculem, Martem, Jovem, Venerem, Dianam, & hujusmodi: necnon Satyros, Faunos, Flumina, item multos Cæsares, ac antiquos Heroas miro artificio expressos. His omnibus, nostri Principis celebres horti, atque interiora conclavia ornantur. Vt numismatum quoque myriadas taceam, quorum effossa tellus copiam indies exhibet, & quibus nostrum Taurinum, vel cum ipsa Roma fortasse, jam certare possit. Atque de his nunc satis.

# TAVRINENSIVM PRINCIPVM SERIES. 117

ANNO ANTE CHRISTVM.

MDXXIX. Eridanus sive Phaëton.

MCIX. Pipinus. Nicius & alii Thuscorum reges.

DCIX. Bellovesus Celtarum rex, & alii reges.

CCXXXIII. Congolitanus. Avorestus Allobrogum reges, & alii.

*P. Pingonius.* F CCXIX.

| | |
|---|---|
| CCXIX. | Annibal. |
| CL. | Respublica Romanorum. |
| LII. | C. Julius Cæsar. |
| A CHRISTO NATO | Oct. Augustus. |
| XXX. | Cottius Rex Allobrogum. |
| XLVI. | M. Julius Cottius Rex Allob. |
| LXVI. | Ideomeus Rex Allob. |
| LXVII. | Cottius Rex Allob. |
| LXVIII. | Nero Imperator. |
| LXIX. | Ser. Galba. Imp. |
| LXX. | Otho. Imp. |
| | Et cæteri Romani imperatores, ad Gottorum reges. |
| CCCLIII. | Attila Hunorum rex. |
| CCCCLXXV. | Odoacer rex Herulorum. |
| CCCCLXXX. | Gondebaldus Burgundiorum rex. |
| CCCCLXXXV. | Theodoricus Gottorum rex. |
| DXXXIX. | Vittiges Got. rex. |
| DXLIII. | Ildebaldus Got. rex. |
| DXLIIII. | Errarius Got. rex. |
| DXLV. | Totilas Got. rex. |
| DLII. | Theobaldus Metensis. Sisualdus Brentorum rex. |
| DLXVII. | Alboinus Longobardorum rex. |
| DLXXIII. | Clephis Longobardorum rex. |
| DLXXXIX. | Flavius Agilulphus ex duce Taur. rex Longob. |
| DCIIII. | Flavius Adavaldus rex Longob. |
| DCLI. | Rodoaldus rex Longob. |
| DCLVI. | Aribertus rex Longob. |
| DCLXI. | Pertaritus & Gundebertus fratres regg. Longobard. |
| 118 DCCIII. | Ragumbertus rex Long. |
| DCCV. | Arupertus rex Long. |
| DCCLV. | Astulphus rex Long. |
| DCCLXIII. | Desiderius rex Long. |
| DCCLXXV. | Carolus Magnus Imperator. |
| DCCLXXVI. | Abbo Marchio Secusinus. |
| DCCLXXX. | Theudaldus Manfredi Castellani fil. Marc. Secus. |
| DCCXCV. | Dodus, Marchio Secusinus. |
| DCCCXV. | Ludovicus Imperator. |
| DCCCXXIII. | Lotharius Imperator. |
| DCCCXXXIX. | Herigarius Marchio Secusinus. |
| DCCCXLIX. | Ludovicus Pius Imperator. |
| DCCCLXXV. | Carolus Calvus Imper. & sub eo, |
| | Manfredus Marchio Secusinus. |
| DCCCLXXVIII. | Ludovicus Balbus Imperator. |
| DCCCLXXXI. | Carolus Crassus Imperator. |
| DCCCXXXVIII. | Berengarius rex Italiæ. |
| DCCCXCV. | Anno Marchio Secusinus. |
| CMXXII. | Rodolphus Burgundiæ rex. |
| CMXXVI. | Hugo Italiæ rex. |
| CMXXXII. | Lotharius Italiæ rex. |
| CML. | Berengarius II. Italiæ rex. |
| CMLXII. | Otho primus Imperator. |
| CMLXVII. | Hieronymus Magnifredus Marchio Secusinus. |
| CMLXXII. | Otho II. Imperator. |
| CLLXXXIIII. | Otho III. Imperator. |
| CMXXXVI. | Olricus Magnifredus Marchio Secusinus. |
| MXXIIII. | Humbertus Saxo Beroldi filius comes Sabaudiæ, & Marchio Secusinus. |
| MXLVIII. | Amedeus Comes & Marchio Secusinus. |
| MLXXVI. | Humbertus II. Comes & Marchio Sec. |

| | |
|---|---|
| A MCIII. | Amedeus II. Comes & Marchio. |
| MCXLIX. | Humbertus III. Comes & Marchio. |
| MCLXXXIX. | Thomas Comes & Marchio. |
| MCCXLIIII. | Amedeus III. Com. & Mar. dux Chablasii & Aug. |
| MCCXLVI. | Thomas II. Com. Maurianæ & Flandriæ, Pedemontium Princeps. |
| MCCLXIIII. | Petrus Com. Sabaudiæ & Marchio. |
| MCCLXXX. | Thomas III. Princeps Pedemontium. |
| B MCCLXXXIII. | Philippus Princeps Ped. Achajæ & Moreæ. |
| MCCCXXXIIII. | Jacobus Princeps Ped. Ach. & Mor. |
| MCCCLXVI. | Amedeus Princeps Ped. Ach. & Mor. |
| MCCCCII. | Ludovicus Princeps Ped. Ach. & Mor. 119 |
| MCCCCXVIII. | Amedeus VII. Dux Sabaud. Princeps Ped. |
| C MCCCCXXIIII. | Ludovicus II. Princeps Pedem. tum dux Sab. |
| MCCCCLXV. | Amedeus VIII. Princeps Ped. tum dux. |
| MCCCCLXXI. | Philibertus Princeps Pedem. tum dux. |
| MCCCCLXXXII. | Carolus Princeps, tum dux. |
| MCCCCXC. | Carolus Joan. Amed. Princeps, tum dux. |
| MCCCCXCVI. | Philippus II. dux Sabaudiæ. |
| MCCCCXCVII. | Philibertus II. Princeps, tum dux. |
| MDIIII. | Carolus III. Dux & Princeps. |
| MDXXV. | Ludovicus Princeps Pedem. |
| D MDXXXVII. | Emanuel Philibertus Princ. & Dux. |
| MDLXIII. | Carolus Emanuel Princeps Pedem. |

## TAURINENSIUM EPISCOPORUM SERIES.

| ANNO CHRISTI. | |
|---|---|
| C. | . . . . . . . |
| CC. | . . . . . . . |
| CCCX. | Victor. |
| CCCL. | . . . . . . . |
| E CCCC. | . . . . . . . |
| CCCCXL. | Maximus. |
| CCCCL. | . . . . . . . |
| D. | . . . . . . . |
| DL. | . . . . . . . |
| DLXXXIX. | Agnellus. |
| DC. | . . . . . . . |
| DCV. | . . . . . . . |
| DCC. | . . . . . . . |
| DCCL. | . . . . . . . |
| DCCC. | . . . . . . . |
| DCCCXXXV. | Claudius. |
| DCCCLXXIII. | Claudius II. |
| F CMI. | Vullielmus. |
| CMXXVIII. | Riculphus. |
| CMLXVI. | Annuco. |
| CMXCVIII. | Amiso. |
| MVII. | Gezo. |
| MX. | Landulphus. |
| MXIIII. | Maynardus. |
| MXXXVI. | Vido. 120 |
| MXLV. | Reguimirus. |
| MLXX. | Cunnibertus. |
| MC. | . . . . . . . |

| | |
|---|---|
| MCXX. | Boſo. |
| MCXXVIII. | Arbertus. |
| MCL. | Carolus. |
| MCLXII. | Vullielmus II. |
| MCLXVII. | Carolus II. |
| MCLXX. | Amiſo II. |
| MCLXXI. | Milo Cardanejus. |
| MCLXXXV. | Arduinus. |
| MCCVI. | Jacobus. |
| MCCXVII. | Jacobus II. |
| MCCXXX. | Hugonus Cagnolla. |
| MCCXL. | Hugutio. |
| MCCXLIII. | Capitulum vacante ſede. |
| MCCXLV. | Joannes. |
| MCCLVIII. | Gaufredus. |
| MCCC. | Thediſſius. |
| MCCCXXIII. | Guido. |
| MCCCXLV. | Guilielmus III. |
| MCCCLIIII. | Thomas de Sabaudia. |

A

| | |
|---|---|
| MCCCLXII. | Bartolomeus. |
| MCCCLXXII. | Joannes II. |
| MCCCCX. | Aymo de Romagnano. |
| MCCCCXXXVIII. | Ludovicus de Romagnano. |
| MCCCCLXIX. | Joannes III. de Compeſio. |
| MCCCCLXXXIII. | Dominicus à Ruvere Cardinalis. |
| MCCCCXCIX. | Jo. Ludovicus à Ruvere. |

ARCHIEPISCOPORUM.

B

| | |
|---|---|
| MDVI. | Jo. Franciſcus à Ruvere. |
| MDXV. | Claudius III. à Seyſſello. |
| MDXX. | Innocentius Cibo Cardinalis. |
| MDL. | Cæſar Cibo. |
| MDLXIII. | Indicus Davalos ab Aragonia Cardinalis. |
| MDLXIIII. | Hieronymus â Ruvere. |

---

# 121 TAVRINENSIVM FAMILIARVM CATALOGVS

minus ſervato ordine.

Ex libro viridi Civitatis & tabulis publicis.

AB ANNO CHR. DCC.

De Pedemontio
De Delphinis
De Salutiis
De Romagnanis
De Piozaſco
De Ruvere
De Lucenço
De Blandrata
De Becutis
De Gorſanis
De Provanis
De Montebello
De Carboneriis
De Borgeſiis
De Buruntio
De Balbis
De Vagnonibus
De Strata
De Taurina
De Pado
De Praudis
De Probis
De Cavaliata
De Malcavaleriis
De Tortella
De Bejano
De Caburetis
De Sancto Dalmat.
De Vicane
De Ruca
De Burgaris
De Piola
De Malamena
De Barrachis
De Piſtagnis
De Ferreriis
De Arpinis
De Dacriis.
De Bernetiis
De Pelliſſonibus
De Vaſquis
De Cagnis
De Zatellis
De Pertuſio
De Lavota
De Croveſio
De Vioberielo

De Ademerio
De Imola
De Moſiis
De Dodolis
De Federicis
De Broxulo
De Bialeſiis
De Nicellis
De Craſſis
De Pinerolio
De Alamanis
De Capella
De Ruſinentis
De Caſſano
De Tonandis
De Angeletis
De Solario
De Perdomis
De Sancto Georgio
De Panicia
De Alteſano
De Caburro
De Scalengiis
De la Turre
De Raymundo
De Siliis
De Aſiliis
De Publiciis
De Centalo
De Feliciis
De Auguſta
De Obertis
De Scalia
De Moranda
De Maina
De Molario
De Aynardis
De Darmellis
De Melia
De Alamariis
De Bayris
De Ranuadis
De Vivianis
De Calcagnis
De Corvagiis
De Gaſtaudis
De Arcatoribus

De Capris
De Scaravellis
De Bellacomba
De Colliate
De Porta
De Cornuatis
De Agatia
Purpuratus
Rubeus
Maleti
Cara
Becchius
Bucius
Vialis
De Madis.
De Championibus
De Percatiis
De Naſis
Ferrandus
Flotus
Mantellus
Folqui
Juvatus
Barracus
Mola
Tavanus
Ravoti
Caſtoleri
Carraria
Boardari
Roleti
Vaudagne
Guntii
Zappa
Piagerius
Caloſanus
Teſta
De Cagnatiis
Marentinus
Marini
Brunius
Mozius
Zucca
Mazocus
Capra
Curda
Raviola

Cavaloti
Cerretus
Vota
Mareſcalci
Vecchi
Tinctor
Peliſoni
Diana
Corteſii
Coconi
Jorderie
Parvopaſſu
Cinſator
Vapra
Familia
Pontius
Galeſius
Spana
Antiochia
Parrachia
Bayerius
Dadius 122
Malquerus
De Muris
Calligari
Fangie
Battiani
Berga
De Ravotis
De Trottis
Riquetus
Angeli
Barbarini
Tofangie
Jaqueri
Barberi
Coquoni
Barutelli
Gauſatoris
Belliodi
Perrachivoti
Turctoris
Buffati
Cerva
De Roncolis
Verqueria
Dentis

Cusianus
Farina
Rufinella
Marignanus
Rocheti
De Canibus
Valleri
Vignolia
Leynarda
Messonis
Ansermino.

# ADVENTITII NOBILES ET CIVES.

AB ANNO MD.
De Languscis
De Vignatis
De Valpergia
De Advocatis
De Birago
De Puteo
De Parpalia
Ruscatius
123 De Cambiano
Savius
Braida
Viotus
Ramese
Nomis
Tribu
Sylva
Meschiatis
Galeani
De Paulis
Gunterij
Bolliani
Losa
Brunetus
Corniatus
Pelliceri
Brocardus
Alvisius
Clareta
Castilioneus
Maynardus
Macaneus
De Bellis
De Rossa
Vivalda
Guerilius
Curbius
De Philippa
Roncolus
Miga
Pipinus
Fauzonus
De Claromonte
Boyvinus
Iulinus
Bevetus
Castanea
Cauda
Massolatus
Carantia
Sola
De Cacheranis
De Osasco
Thesaurus
Dragus
De Ponte
De Pomeis
Fabri
De Calusio
Biolatus
De Bessis
Ratus
Gabeti
De Iacomellis
Dentis
De Antoniatio
Bergeria
Capra
Helia
Arma
De Parella
Catia
Verdon
Picus
De Laude
Bovius
Castagneri
Castellerius
Scalion
Surdus
Vialardus
De Riveria
Oddetus
De Olmos
De Cruce
Marmosinus
Guinonius
De Isnardis
Manutius
De Gromis
De Balbis
De Ravoria
De Raconisio
De Pancalerio
De Bellagarda
De Boba
De Pingon.

# PORTARUM CIVITATIS NOMINA.

Porta Phaetontis vulgo Phitelonis, sive Padi.
Pôrta Secusina.
Porta Marmorea, sive memoriæ.
A Porta Palatina, seu Doreana.
Aliæ portæ nunc clausæ.

# TEMPLORUM NOMINA.

Cathedralis Divi Joannis Baptistæ, cum Parochia.
Sancti Sylvestri, ubi & Eucharistiæ sacellum Parochia.
Sanctus Stephanus Parochia, ubi Seminarium.
Sanctus Solutor, ubi Jesuitæ.
Sanctus Andreas & ibi, ∴
Sancta Maria Consolationis.
Sanctus Dalmatius, & Sanctus Antonius.
Sanctus Laurentius.
Sanctus Dominicus.
Sanctus Franciscus.
124 Sanctus Thomas minoritarum.
Sanctus Augustinus, sive Divus Jacobus.
Sancta Maria Carmelitarum.
Sancta Clara.
Sancta Crux.
Sanctus Petrus curte ducis Parochia.
Sanctus Paulus Parochia.
Sanctus Gregorius Parochia. ∴

B Sanctus Simon & Juda Parochia.
Sancta Agnes Parochia.
Sanctus Martirianus Parochia.

Hospitale Civitatis. ∴
Hospitale equitum Mauritianorum.
Hospitale leprosorum sancti Lazari, extra urbem.

Franciscani Eremitæ cuculati, sive vulgo Capucini, extra urbem.

Flagellatorum sodalitia quatuor.
C Nominis JESU.
Sanctæ Crucis.
Sancti Spriritus.
Sanctissimæ TRINITATIS.

Matronarum societas humilitatis.

# INSCRIPTIONES NOSTRÆ ALIQUOT TAURINI. 125

*In arcum laborum Herculis.*
*Ducis adventu.*

ALCIDEM MEMORANT (QVID NON QVEAT INCLYTA VIRTVS?)
MONSTRA DOMASSE, SVIS PVRGASSE LABORIBVS ORBEM,
HINC PENETRASSE POLOS, NVMERO POSITVMQVE DEORVM.

SED

SED BIS SENA QVID HAEC? NOSTER NVM PLVRA PARAVIT
EMANVEL? TOTO INTACTVM QVID IN ORBE RELIQVIT?
ERGO TRIVMPHORVM TESTES, QVOS ERIGIT ARCVS
INGREDERE, AETERNOS VRBS DVM MEDITATVR HONORES.

*In arcum duorum templorum.*

HIC ITERVM STES ROMA. PATENT TVA TEMPLA, COLOSSI,
SVRGITE PYRAMIDES, PROFERT SE AVGVSTVS VT ALTER
IN MEDIVM DVX ILLE: FORES RESERANTVR HONORIS,
PER VIRTVTIS ITER. FANVM LVSTRAVIT VTRVNQVE
MAXIMVS INDIGETVM PHILIBERTVS. AT ORDINE NIXVS
NON ALIO, SIC IBIT AD ASTRA, DEOSQVE SEQVETVR.
ATTAMEN HOC SERVS, PYLIOS VIVATQVE PER ANNOS.

*In facie portæ Padanæ.*

TE DVCE, NOS REDVCES PATRIO FAS DEGERE COELO
EMANVEL: VINDEX QVI LIBERTATIS AVITAE
PRISTINA RESTITVIS. VICTRICES SVRGITE LAVRI.

*In Porta Palatina.*

SVB JOVE TAVRVS, AB HOC EVROPA VEHENDA QVIESCAT,
EN DOCILES HVMEROS, ET CORNVA PROMPTIOR OFFERT,
CVLTORES SVPERVM HVC ADEANT, ABEANTQVE PROFANI.

*In facie Castri.* 126

ERGO TIBI SARTAS SERVAVERAT ADVENA TVRRES:
JAM SERVARE TVVM EST, POPVLI TVA GLORIA PRINCEPS
SIT SERVASSE ANIMOS, INVICTAM EXTRVXERIS ARCEM.

*In Acropoli, vulgo Citadella.*

PERVIGILI HAC, CIVES INTVSQVE FORISQVE QVIESCVNT,
INSIDIANS NEC ADEST HOSTIS, TENTARE NEC AVDET:
NAM IOVIS HIC GLANDES, FVLMEN, TONITRVSQVE CORVSCANT.

*In facie Senatus.*

NON ASTRAEA POLOS PETIIT, NISI DIXERIS IPSOS
HVC VENISSE POLOS, NAMQVE HAEC IVSTISSIMA TELLVS,
CVIQVE SVVM REDDIT, DISCERNENS PRAEMIA POENIS.

*In facie Academiæ.*

NOSSE DEVM, ET MORES HOMINVM, JVRISQVE RECESSVS,
ET RERVM CAVSAS, MORBOS CVRARE REQVIRIS?
HVC ADES, IMMORTALIS ERIS, LABOR OMNIA CONFERT.

*In Padi simulachrum ad fontem Philiberteum.*

SOLIS EQVOS, LAPSASQVE VEHIS PHILIBERTE QVADRIGAS.
HINC PHILIBERTIADES, QVAE PHAETONTIADES.

*In Sturæ statuam.*

ASSECLA STVRA PADI, NVNC FONS DE FLVMINE REDDOR,
FONTEM HABET EMANVEL, QVI MIHI PONTVS ERIT.

*Aliud.*

REGIS AB ERIDANI PHILIBERTEA REGIA, STVRAM
REGINAM THALAMIS REDDERE NONNE POTEST?

*Aliud.* 127

STVRA PADVM, PADVS EQVOR AMAT, PHILIBERTVS VTROSQVE
EXCIPIT, HOC BINIS AEQVORE, VITA DATVR.

*Aliud.*

FOEMINA VT EX VVLTV, SIC NOMINE STVRA PVTARIS,
HIC DVCIS AT VIRTVS TE FACIT ESSE MAREM.

*Aliud.*

FONTF LAVESQVE LEVESQVE SITIM, ZEPHIROSQVE PER VMBRAS
LAVTVS, POTVS HABE. STVRA QVIESCIT, ABI.

*Aliud.*

FONS AMNEM DEDIT, IN FONTEM REDIT AMNIS, ADEMPTVM
VVLT PADVS: HVNC STVRAM VIS PHILIBERTE SEQVI.

*Aliud.*

AERIAE HIC VOLVCRES, NON LIMAX, FOEDAVE CAMPE,
NON COENVM, COELVM HOC QVID NISI VELLE DEOS?

*Aliud.*

SALVE STVRA NITENS, LATICES SALVETE VENVSTI:
NVNC FONS ES GEMMIS, PISCIBVS AMNIS ERAS.

*Aliud Anguininum.*

STVRA, PADVS, PHILIBERTVS: ALIT, PRAEMONSTRAT, ADORNAT:
HORTOS, VIM, PATRIAM: RORE, TRIDENTE, VIRIS.

*Aliud.*

JAM NE STVRA FLEAS QVOD AMNIS ESSES
FONS EFFECTVS, HABERIS INDE MAJOR,
128 NI PRAE LAETITIA FLVANT SVBORTAE
HINC ILLINC, LACHRIMAE TVIS OCELLIS.
SOLENTVR LACHRIMAS SED HAS CACHINI,
ET DVLCES RESONENT AQVAE SVSVRROS.
FOELIX TERQVE, QVATERQVE, CENTIESQVE,
FOELIX STVRA, NIVES PERICVLOSAS
MONTANVMVE GELV FVRENTE BRVMA,
LATRANTEMVE CANEM, FLAGRANTIS AESTVS;
LONGVM, LENE FLVENS NIHIL TIMEBIS.
NAJAS, NVNCQVE NAPEA, NVNC DRIASQVE
SERTIS VERSICOLORIBVS REVINCTAE,
HORTOS TE INCOLVMEM PER HOS FOVEBVNT'
MAGNIS AMNIBVS HOC PAREM SVB ANTRO.

*Aliud.*

INDIGETVM HIC SEDES, SOLIVM PHOEBIQVE, CAMOENIS
ESTQVE THORVS, VATES HOS CELEBRATE CHOROS.
DVX OPVS HOC ILLIS, TITVLOS SVPERADDITE DIGNOS,
NEC LEGAT, AVT HABEAT DIGNIVS ORBIS OPVS.

*Aliud de Stura Europa, & Taurino.*

JVPPITER IN TAVRVM EVROPAM, SE TAVRVS IN IPSVM
STVRAM HABET. ILLI INFANS, FONS DATVS HVICQVE SVVS
INFANTIS VIOLATA PARENS, FIT AT INTEGRA FONTIS.
CRESSA MINOR STVRA, PLVS JOVE, TAVRVS ERIT.

*Aliud retrogradum.*

FEBRES ITE, FVGAT FONS ALMVS PERNICIOSA,
PERNICIOSA ALMVS FONS FVGAT, ITE FEBRES.

*Ad Ducem retrogradum, alterius formæ.*

INGENII TENER EST CAVDEX, SI PARVVLA DANTEM
MAXIME DVX SPECTAS, SAT MIHI CONTVLERIS.

*In Eremo Taurinensi campestris Virginis.* 129

EMANVEL NOBIS CHRISTVS BONA MITTIT AB ALTO,
EMANUEL TERRIS NOS PHILIBERTVS ALIT.
ERGO O PAVPERTAS DIVESQVE, BEATAQVE, POSTQVAM
AVXILIVM GEMINVM DVXQVE, DEVSQVE FERVNT.

*Aliud.*

VNDIQVE NOS COELVM, NEC IN ORBE REVOLVIMVS ORBEM,
SYDERIBVS, TERRIS VESCIMVR IN MEDIIS.
NON RERVM HIC CVMVLI, MAJOR SED COPIA NVSQVAM.
CVNCTA SINAS, CHRISTVS SIC TIBI CVNCTA DABIT.

*In templum Iesuitarum.*

A FVNDAMENTIS PIA TEMPLA DICANTVR JESV:
QVAE COLET IMMENSO TEMPORE TEMPLA NEPOS.
ERGO QVOT EMANVEL PIETATI PROROGAT ANNOS,
TOT PIETAS VITAE PROROGET ALMA SVAE.

*In Virginis Spinetæ Ædicula Agri Taurinensis.*

HANC PHILIBERTVS HABET CORDI PINGONIVS ARAM.
ET MARIAE NVMEN PECTORE VT ORE COLIT.
HVIC DATE PRIMITIAS SPINETEA RVRA QVOTANNIS,
ET FRVGES LARGO FOENORE DIVA DABIT.



130

# DE PRINCIPE TAURINATI.

*Carolvs. Emmanvel. Tavrinis. debitvs. est. hic*
aC.aLIBI. IPSE. EST. QVA. NON. NOTVS. PARTE? VEL. aLa
r A r A. IOVIS. VEL. AVEM. VINCIT. NON. IMPIVS. ErROr
oCIA.No N. IVVENEM. RETINENT. SVA. GLORIA. Co E L o
lVCIDVl VS. LONGE. ET. LATE. EST. VT. NVBIlA. SI. SOl
vMBRIFv GO. PVRET. RADIO. SPES. SITQvE. RECESSv
sI. REDITVs V A N A. H O C. caP I E M VR. sOLETENEBRIs
eRIPIET. VeN I E N T. V E ro.SVB.APOLLINe. I V N C T A e
mV S A E. IMmO R T A L E S. lus V. QVAE. mENTIBVS.ORBEm
mVLCENT. ADm ISSAE. SVNT. INTER. mYSTICA. DIVVm
aLLICIT. HAS. AMaT. HAS. IVSTA. DONaTQVE. CORONa
nEMO. ERGO TEMnET. M V S A S. S O nAT. AETHERE. PAEAn
vANAE. NON. LAvDES. HIC. DANTvR. DICERIS. ORPHEv
eVRYDICEM. REVOCARe. L Y R A. ReVOCARIS. HOMERe
lA V R O. M O X. A l I I. B E L lI.QVIBVS.ET.CHARIS.ET.MEl
tHESAEVM. LABIIS. tINNIT. tVBA. BELLA. FATIGAt
aVRATAE. prESTO. CITHa R aE. DAN taRTE. PELASGa
vOCIBVS. inF L E X I S. vvLTV.PEDE. PurO. ET AMICTv
rARVM.DVLce . MELOS. TErrENTVR. inERTIA. LIVOr
iNNOCVI. ps ALLVNT. ANiMi. BONITas QVE. NITORi
nATIVO. DATA. PRAEnOSCITn O N. TEMNERE. CARMEn
iNNATVM. INGENViS. TE. QVEiS. PIA. NVMINA. CORDi
sVNT. SICVT. DIVIs. DVCIBVS. sIC. CARMINA. VERIs
dEBITA. VERE. AVdE N T. A V dENTES. FERRE. POLOS. Ad
eMPYREOS. SVeRVNT. VIRTVTI. eT. DVLCIA. CLARAe
bASIA. DANT. AbEAT. CLARIS. QVI. bARBARVS. HIS. Ab
iGNIBVS. EXiLIVM. DemENTIBVS iMMINET. AST. Mi
tAVRINVM. tER.FOELIX.maRS. AC. ILLE. t R I V M P H A t
vRBE. TVA. vIDET. HOC. nuMENQVE.OCCASvS. A B. O R T v
sERVABIs. FOELIX. FOelICEM. AVGEBERIs. V R B E s
eVROPAe VINCES. VENERATA. POTENSQVe. F E R E R e
sCIPIO. sIT. SIC. ANNIBAL. AVGVSTVSVE. sIT. VNVs
tA N tVS. ET. IS. MAIOR. QVIS. IN. TE. PRAELIA. tOLLEt
hOC. hEVS. AVGVSTA. ANGVSTA. ES. SI TE SINIT. Ah A h
iNiICIT. AT. VITAE. SPEM. SIC. VVLT. DENIQVE. DiCi
*Carolvs. Emmanvel. Tavrinis. debitvs. est. hic.*

*Hic quaque versum 36. literæ occurrunt: Carmen primum rectis, & transversis lineis integrum legitur, necnon ipsius Principis nomen in medio quatuor triangulorum.*

## AD LECTOREM.

*Si minus arrident insuetæ carmina formæ,*
*Quattuor horarum non nisi lusus erat.*

In








| | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *I* | *e* | *s* | *v* | *m* | *i* | *r* | *i* | *m* | *a* | *m* | *a* | *m* | *i* | *r* | *i* | *m* | *u* | *s* | *e* | *I* |
| *e* | S | V | M | I | R | I | M | A | M | *a* | M | A | M | I | R | I | M | V | S | *e* |
| *s* | V | M | I | R | I | M | A | M | A | *m* | A | M | A | M | I | R | I | M | V | *s* |
| *v* | M | I | R | I | M | A | M | A | M | *i* | M | A | M | A | M | I | R | I | M | *v* |
| *m* | I | R | I | M | A | M | A | M | I | *r* | I | M | A | M | A | M | I | R | I | *m* |
| *i* | R | I | M | A | M | A | M | I | R | *i* | R | I | M | A | M | A | M | I | R | *i* |
| *r* | I | M | A | M | A | M | I | R | I | *m* | I | R | I | M | A | M | A | M | I | *r* |
| *i* | M | A | M | A | M | I | R | I | M | *u* | M | I | R | I | M | A | M | A | M | *i* |
| *m* | A | M | A | M | I | R | I | M | V | *s* | V | M | I | R | I | M | A | M | A | *m* |
| *a* | M | A | M | I | R | I | M | V | S | *e* | S | V | M | I | R | I | M | A | M | *a* |
| *m* | *a* | *m* | *i* | *r* | *i* | *m* | *v* | *s* | *e* | *I* | *e* | *s* | *v* | *m* | *i* | *r* | *i* | *m* | *a* | *m* |
| *a* | M | A | M | I | R | I | M | V | S | *e* | S | V | M | I | R | I | M | A | M | *a* |
| *m* | A | M | A | M | I | R | I | M | V | *s* | V | M | I | R | I | M | A | M | A | *m* |
| *i* | M | A | M | A | M | I | R | I | M | *v* | M | I | R | I | M | A | M | A | M | *i* |
| *r* | I | M | A | M | A | M | I | R | I | *m* | I | R | I | M | A | M | A | M | I | *r* |
| *i* | R | I | M | A | M | A | M | I | R | *i* | R | I | M | A | M | A | M | I | R | *i* |
| *m* | I | R | I | M | A | M | A | M | I | *r* | I | M | A | M | A | M | I | R | I | *m* |
| *v* | M | I | R | I | M | A | M | A | M | *i* | M | A | M | A | M | I | R | I | M | *v* |
| *s* | V | M | I | R | I | M | A | M | A | *m* | A | M | A | M | I | R | I | M | V | *s* |
| *e* | S | V | M | I | R | I | M | A | M | *a* | M | A | M | I | R | I | M | V | S | *e* |
| *I* | *e* | *s* | *v* | *m* | *i* | *r* | *i* | *m* | *a* | *m* | *a* | *m* | *i* | *r* | *i* | *m* | *v* | *s* | *e* | *I* |

132 *TABVLAE EXPLANATIO.*

NIhil est quod te hic lector cruciet (nisi imitari velis) hæc si pauca legas. Hoc unam & viginti literas carmen continet, quadrangulum efficit, in quam partem convertas sibi ipsi respondet: ab umbilico etiam, quasi puncto, & crucis formam, & angulos rectis lineis distinctos reddit, per obliquum etiam spatiatur. Mysticum vero totum carmen est, è sacro penu GENESEOS IX. cap. desumptum, his verbis. *Dixit Deus ad Noe, Hoc est signum fœderis quod constitui inter me, & omnem carnem super terram.* Irim intelligit: Thaumantias ab aliis dicitur, quod ex admiratione nomen accepit: & recepti prisci piique authores, illud signum, sive arcum, Irimve, JESUM verum mediatorem interpretantur. Cum ergo diximus IESVM IRIM AMA MIRI MVSEI. monetur princeps, qui mirandum, illud Museum sive bibliothecam Taurini construxit, ut maxime potuit, IESVM (quod imprimis facit) amet, observet, quasi IRIM & ornamentum miri illius Musæi. cum (ut ille regius vates ait) initium Sapientiæ, sit timor Domini. Iris ideo depingitur incluso librorum quasi tropheo. Additum est in coronide numisma æneum antiquum quod habeo certam JESV effigiem repræsentans.

Hebraicæ literæ hoc significant.

ALEPH litera capitalis mystica ELOENOV denotat, quod est Deus noster.

tum sequitur nomen illud venerandum JESV. A tergo vero numismatis.

MESSIACH unctus sive CHRISTVS.

MELAC, rex.

BA, venit.

BECHALOM, in pace.

VEAR, & maledictus habitus, sive blasphematus.

ME ADAM, ab hominibus.

HASVI, factus.

HAI, vivus, sive resurrexit.

Quod nesciebas lector, id volebam nescius ne esses.

Vale, & boni consule.

*ANTONII THESAVRI PRAESIDIS.*

VIdi æquilaterum tuum quadrangulum,
Cusiane Baro, & equidem mirabile;
Huic cedat ara, & inæqualis fistula,
Ala & bipennis, & si quid est pulchrius
Præmeditatus inclytus Theocritus.
Multum Taurini debent, & EMANUEL.
Debemus omnes optimo Pingonio.

---

133 Aliud Gallica lingua, quod inter Petri Pingonii proavi mei, consiliarii Amedei vii. Ducis, chartulas, à se compositum inveni, super stemmate Sabaudæ domus: quo innuit (à centro lineis undequaque ductis) Deum Optimum Max. Sabaudi nominis patrocinium perpetuo suscepturum. In hæc verba.

DIEV. VRAYE GVYDE. GVYDERA LA CROYS BLANCHE.




*FINIS.*

IN-

# INDEX RERUM.

D.



E.



F.

Joan-

N.



O.



P.



Pe-

Q.



R.



S.

Tho-

FINIS.



# R. D. PETRI JOFREDI,

*Sacerdotis Niciensis*,

# NICÆA CIVITAS

## SACRIS MONUMENTIS ILLUSTRATA,

ubi, præter

*ANTIQUITATUM NOTITIAM*,

NICIENSIS URBIS, DIOECESIS, COMITATUS,

Sanctorum, & Pietate Illustrium,

Qui inibi sunt nati, mortui, aut tumulati,

*Gesta describuntur, Notationibus illustrantur*;

EPISCOPORUM CEMELIO-NICIENSIUM;


nec non

Abbatum MONASTERII S. PONTII Successiones,

*Aliaque Ecclesiastica Decora recensentur.*

Editio Novissima, Nitidior, & Emendatior.



*LUGDUNI BATAVORUM*,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

*Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.*

# APPROBATIO

*pro impressione prioris editionis.*

EGo infrascriptus Soc. Jesu apud Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum D. Desiderium Palletis Episcopum Niciensem Theologus, de mandato ejusdem Illustriss. & Reverendiss, Domini, librum, cui titulus est, *Nicæa Civitas Sacris Monumentis illustrata*, Auctore admodùm Reverendo D. Petro Jofredo Sacerdote Niciensi, accuratè legi, & cum in eo nihil invenerim Caholicæ Fidei, aut bonis moribus non conforme, habeatque multa, quæ ad Christianam eruditionem, & Patriæ nostræ sacra decora plurimùm conferant, dignum duxi, qui typis publicis mandetur. Niciæ 12. Februar. 1658.

*Claudius Philippus Taonus..*

CUm ego subscriptus Ord. Minorum S. Francisci Conventualium, in Theologicâ facultate Magister, ex commissione Illustriss. & Reverendiss. Domini D. Desiderii Palletis Episcopi Niciensis, legerim librum inscriptum, *Nicæa Civitas Sacris Monumentis illustrata*, *Opus R. D. Petri Jofredi Sacerdotis Niciensis, &c.* nihil in eo deprehendi, quod doctrinæ sanæ, Fidei Catholicæ, aut bonis moribus adversetur; quin immò maximo legentium fructu proditurum, dignissimum censeo, qui publicè imprimatur. Niciæ 19. Februar 1658.

*F. Joseph Textoris min. Conventualis.*

*Imprimatur.*

D DESIDERIUS PALLETIS EPISCOPUS NICIÆ.



Locus Sigilli.

*Imprimatur.*

Stante approbatione Illustriss. & Reverendiss. Domini Desiderii Palletis, & duorum Theologorum àb eo deputatorum.

*Fr. Jo: Baptista de Alexandris Mag. Inquisitor Taurini.*

Visâ approbatione Illustriss. Episcopi Nicien. nec non Patris in hâc Civitate Inquisitoris, imprimatur. Taurini die 15. Martii 1658.

MOROSSUS.

# PRÆFATIO
## HUJUS NOVÆ EDITIONIS.



*Icæa* Civitatis quæ veneranda ſit antiquitas, quæ Loci decora inſignia, & Eccleſiæ imprimis acta memorabilia, ex priſcis monumentis hic oſtenditur fide digniſſimis. Suſcepit hanc Urbis illuſtrandæ provinciam *R. D. Petrus Jofredus*, Sacerdos *Nicienſis*; is inſtituti rationem reddit in Dedicatione & Præfatione; ipſius vero Auctoris præſtantiam, & in hujus generis laboribus dexteritatem ,opus, teſtibus viris Eruditiſſimis, demonſtrat a capite ad calcem uſque ſæpiſſime & clariſſime. Hoc prodiit in folio, *Auguſtæ Taurinorum*, Typis *Jo. Jacobi Ruſtis*, Superiorum Permiſſu, Anno 1658. Quam fuerit orbi literato gratum, exinde patet, quod exemplaribus diſtractis, id per univerſam *Europam* rariſſime videri, numquam vero, niſi inſano pretio, comparari potuerit. hinc etiam Viri Eruditiſſimi, & ſummi nominis, auctores nobis extitere, ut egregias præſentes has tanti Auctoris lucubrationes prælo iterum ſubjiceremus; quibus morem nos gerentes, Liber ut prodiret nitidiſſimus, legem nobis injunximus ſupremam. Nomina propria, citationes, & alia, quæ, ut eo facilius pateant, id exigunt, diverſis a contextu exhibentur literis. Numeri, qui in margine conſpiciuntur, paginas notant prioris editionis; in qua tamen, quod monendum, pagina 53. relicta vacua, ſubſequens, omiſſis 54. & 55. perperam ſignata erat numero 56. & ſic porro ad finem uſque ordo continuatus; ne quis igitur omiſſa quædam ſuſpicetur, ubi in margine hujus noſtræ editionis numerum 52. a 56. videt excipi: iſte enim error potius videbatur ſequendus, quam Lectoris, qui ab aliis ſcriptoribus ex priore editione, allegata voluerit conferre, laborem reddere moleſtum, aut plane irritum. Indicem Rerum huic editioni accommodatum non ſolum reddimus auctiorem, & una cum Indice Auctorum in meliorem redactum ordinem; ſed indici Capitum ac Titulorum paginarum numeros, qui in priori editione deſiderabantur, etiam addidimus. His in Tui, *Benevole Lector*, gratiam ſuſceptis noſtris conatibus felix utere, nobiſque fave, ac Vale.

---

## AUCTORIS DEDICATIO.
### ILLUSTRISSIMIS, AMPLISSIMISQUE DOMINIS,
### DD. DOMINICO CONSTANTINO J.U.D.
*Collegiato, & Aſſeſſori, Caynææ, & Caſtrinovi Condomino,*
*S. Joannis de Aurelia Domino,*
### BARTHOLOMÆO JOFREDO, LUDOVICO ROSSETO, PETRO ANTONIO DONEUDO,
*Conſulibus, & Syndicis Nicienſibus;*
Nec non ejuſdem Urbis Defenſoribus, cœteriſque Conſiliariis univerſis.



*Vi magis, quàm vobis devoverem malè compactum hoc mei in Sanctos Indigetes, ac decus Patriæ, amoris, licèt exiguum argumentum, occurrit nemo. Mari debentur flumina, quibus mare proprias aquas credidit; agerer reus repetundarum, ſi quæ noſtro Deus conceſſit ſolo aliò derivarem. Neque verò, quià vobis offeruntur veſtra,* Hierem.
*erit ingrata oblatio: veſtra ſiquidèm ſunt iſta non re, ſed jure. Liceat mihi ſacri* Threa c. 5.
*Vatis querimonias renovare dicentis:* Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos. *liceat* Diog.
*vocem illam ſapientis* Thucydidis *uſurpare, querentis olim pleroſque* Græcorum *in* Laërt.
Græciæ *ſolo advenas, & extraneos, quod de ſuis* Gallis *dixit nuperus* Gallicæ *ſcriptor hiſtoriæ nimirùm, ut* Diogeni *homines quærere licuit in frequenti* Athenarum *foro, ſic* Nicææ *quærere jam licet* Nicienſes, *quos antiqua ſuorum oblitos decora nullus non doleat æquus Judex.* in Vitâ Diog. Cynic.

*At eſto, quæ Mundi gloriam ſapiunt,* Nicienſium *memoriâ exciderint! quis ferat jugem eorum* Lib. 2.
*occaſum, quos Terra Cœlo, Cœlum donavit æternitati? quos in memoriâ æternâ futuros prædixit* Variar. epiſt. 3.
*Regius Pſaltes:* Quod enim glorioſè geritur, *inquit Caſſiodorus,* fine temporum non tenetur. *Verùm præclara noſtrorum facta ideò fortaſſe nobis viluerunt, quià noſtra ſunt? Pretioſiora ſunt aliena, quià pretio comparantur. Agnovit quondàm hunc ſua faſtidientium pruritum Diaconus ille Andegavenſis, quem, cum ex* Gallii *Niciam adveniſſet, exclamaſſe refert Turonenſis Gregorius:* Quærebam Petrum, quærebam Paulum, Laurentiumque, vel reliquos, qui Romam proprio cruore illuſtrant, hic omnes reperi, hic cunctos inveni. *Inveniunt, inquam extranei, quià nobis ſolertiores inquirunt. Id ipſum conqueſtus D. Valerianus alloquens antiquos Cemenelenſes:* Reſpicite, *in-* D. Greg. Tur. hiſt. Franc. lib. 6. cap. 6. Homil. 16. 2. de bono martyr.

*quit*, ad illorum studia, qui peregrinas aquas bibunt, & fontes longè positos sitientes inquirunt. *Præmiserat*: Si cogitaretis, Dilectissimi, quantùm nobis Civis Martyris virtus præstitit, à laudibus Dei numquam oris cessaret officium.

*Utinam de Sanctorum* Niciensium *rebus gestis id non dolendum nobis esset, quod de* D. Patroclo *Martyre apud* Tricassinòs *olìm tumulato idem doluit Gregorius Turonensis:* Erat, *ait ille*, super eum parvulum Oratorium, in quo unus tantùm Clericus serviebat. Loci nàmque homines parvum exhibebant Martyri famulatum, prò eo, quòd historia Passionis ejus non haberetur in promptu. Post multum verò tempus, ut virtus Martyris non esset occulta, abiit excercitus in Italiam: detulit Passionis hujus historiam. Populus autem ex hoc magis honorare cœpit Martyrem, constructâque super eum Basilicâ, festivitatem ejus per singulos annos devotè concelebrat. *Equidèm nullum dedignantur Heroës illi, qui communis Mundi Cives, ut se ipsum aliquandò vocavit* Socrates, *communi in Cœlo fruuntur Patriâ, præcipuè tamen, teste S. Maximo Taurinensi*, Eorum solemnitas nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt; *id enim, quod de Apostolis* Petro, & Paulo *disserit Magnus* Leo, *æquè omnes decet aliarum Ecclesiarum proprio sanguine primarios Fundatores:* Isti nimirum sunt Viri, per quos tibi Evangelium Christi Roma resplenduit; *atque vel ex eo maximè id præstandum est, quòd sicuti communi solo, & sole fruiti sunt cum nobis, ita communi cum nobis Cœlo frui velle credendi sint, idque potissimùm prò nobis à Deo suis exposcant precibus.*

(Margin: De Glor. Mart. lib. 1. c. 64. — Diog. Laërt. in vitâ Socrat. — Serm. in Natal. SS. Tauric. Marc. — Serm. 1. in Natal. Apost. Petr. & Paul.)

*Nè igitur labis hujusce reos* Nicienses *quis velit inficiari, mihi*, Niciensi *Civi, etsi aliòqui minus idoneo ad hanc Provinciam obeundam, statutum est è tenebrarum latibulis, quibus prisca ruditas diù involverat, Sanctorum* Niciensium, Cemenelensium, & *qui in* Niciensis *Diœcesis, aut Comitatus solo, ortum, obitum, aut tumulum sunt sortiti, gesta eruere. Quod meum consilium, sicuti ab omnibus bonis probatum est, ità vos in primis, suppeditatis ære publico ad operis complementum necessariis sumptibus, acritèr adjuvistis: addidi syllabum chronologicum eorum, qui ad præsens usque tempus*, Cemenelioni, Niciæ*que præfuerunt, Episcoporum, inseruique suis quæque temporibus, quæ* Niciensi *Ecclesiæ evenerunt illustriora, sacram historiam ornatura. Hinc fuit, ut si non undequàque injuriæ temporum est prospectum, quòd plurimarum rerum memoria interciderit, quam (quod sæpè huic Patriæ accidit) hostium incursus, frequentes pestilentiæ, ac custodum negligentia absumpserunt, dissipatis non semel publicis tabulariis, aliquam tamen nostrarum rerum, sacrarum præsertim, notitiam haurire ex opusculi hujus lectione quis possit. Accipite igitur, Consules Illustrissimi, atque amantissimi Cives, quod unicum valeo, & debeo, grati in Patriam meam animi monumentum, ac mementote, me in unico, qui ad manum erit, libello, non unum volumen dare, quoniàm, ut est apud scriptorem non minùs pium, quàm doctum*, Plus unius Sancti exemplum, & vita, quàm congeries numerosa librorum contulit Orbi. *Valete, Concivique vestro ad majora tentanda animos addite.* Nicææ *ad* Varum, *Pridiè Non. februar.* 1657.

(Margin: Thom. à Villa nov. conc. de S. Mart.)

Illustrissimarum Dominationum Vestrarum

*Concivis, ac Servus Addictissimus*
Petrus Jofredus Sacerdos.

# PRÆFATIO.
## LECTORI AUTHOR.



Opus aggredior intentatum, amice Lector; Acta enim Ecclesiæ *Niciensis* nullus ex nostris, litteris umquàm prodidit. inter exteros aliqui aliquid non tacuerunt; adeò ut (quod de Sanctis *Genuensibus* scripsit *Marianus de Grimaldis*), nostris silentibus, ab exteris *Niciensium* Sanctorum gesta petenda sint. Nimirùm priscum illud ævum majore urgebat prurigine, qui tunc florebant mortales, agendi, quàm scripturiendi, ut verbo recentiorum quibusdam vulgato utar, malebantque scribenda facere, quàm facta scribere: Quòd egregiè animadvertisse visus est, S. Paulinus iis verbis, *Nunc verè sapiens, verè disertus, qui Mundo huic stultus, & mutus est.* Cogitarat jam pridèm hoc ipsum animo, hujus Patriæ non minùs, quàm hujus sæculi sydus fulgentissimum *R. P. Theophylus Rainaudus* Soc. Jesu, quod de Sanctis *Lugdunensibus*, nec non *S. Ambrosio* apud *Arelatenses*, *S. Joanne Benedicto* apud *Avenionenses*, aliisque, disertè, & eruditè præstitit: attamen se operi nunquam hactenùs principium fecisse propter veterum monumentorum inopiam, datis litteris, testatus est. Ego verò non idcircò rem attigi, quòd putarim omnes in hoc scribendi genere posse explere partes, nec enim *mihi cuncta complectendi cupido incessit!* nec quòd pusillus homo id me aggredi posse credam, quod summi Viri formidaverunt, sed quòd, *Deteriorum usus hoc præstat, ut meliora inveniamus.* Et quidèm, si Senecam audimus, *Agamus bonum Patrem familiæ, faciamus ampliora quæ accepimus, major ista hæreditas à me ad posteros transeat. Multum adhùc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.* Scilicet nec tempora, aut loca, cæterave ad id necessaria præstò fuerunt adjumenta, multa scio perperàm prætermissa; àt nullus umquàm omnia dixit Author, sufficit augeri à nobis id, quod àb alio, cui plus otii, plus fuerit priscorum monumentorum, accipere poterit complementum: Quod nunc informe, ursino fœtui simile, damùs opus, sivè alius quis, sivè nos ipsi relambentes, atque ad limam iterùm reducentes, auctius, exactiusque aliquandò præstabimus. Hoc sensu accuratus in Galliâ scriptor ductus ajebat: *Ab hâc nostrâ, qualiscumque est, lucubratiunculâ, audaculus quipiam, exurget, laxare quæ angusta sunt, & quæ rudiora censebit, abstergere.*

(Margin: Epist. 27. — Valer. Max. ad Tiber. Cæsar. — D. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 145. — Ad Lucil. epist. 6. — Robert. Gaguin. in præfat. Annal. Franciæ.)

Bifariàm opus totum invenies dispertitum. Prima Pars Sanctorum *Niciensium* & *Cemenelensium* gesta complectitur, eorum nimirùm, qui in Civitatibus *Niceâ* & *Cemenelione*, sivè in *Niciensi* Diœcesi, & Comitatu nati sunt, mortui, aut primitùs tumulati; Quam quidem Sanctorum historiam notis identidèm illustravi, quà Authorum diversa sentientium dictis conciliandis, quà falsis, quò solidiùs potui, revincendis, quà tenebricosæ vetustati lucem affundendâ. Quià verò juxtà Evangelicum axioma, *Omnis scriba doctus similis est Homini Patri familias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera*, non solùm veterum Sanctorum planè vindicatorum, ut quidam vocant, quo-

(Margin: Matth. 13.)

quorum plurimi Ecclesiasticis Fastis Martyrologii *Romani* inscripti sunt, gesta disquiro; puta *SS. Celsi* (quem suo loco inter Sanctos Patriâ *Genuenses* perperàm numeratum ostendam) *Bassi*, *Tryphonis*, & *Respicii*, *Pontii*, *Vincentii*, & *Orontiii*, *Hospitii*, ac aliorum, quorum memoria apud Authores probatos perennat, seù ex antiquâ populi traditione hausta est, videlicèt *SS. Valeriani*, *Valerii*, *Dutherii*, *Syagrii* &c. Verùm etiam novorum, recentioris ævi scilicèt, quorum memoria, licèt non constet Pontificio oraculo in album Sanctorum relatos esse, attamèn in benedictione est: hos inter habes *BB. Joannem de Mattâ*, qui alicubi titulo Sancti cohonestatur, *Antonium Gallum*, *Hieronymum Garibbi*, quibus apud Authores Beati prænomen appositum video. His addidi Viros sanctimoniæ odore illustres, qui ad meam notitiam pervenerunt; præsertimque ex sacris Religiosorum Ordinibus, ex quibus si quis aliquem omissum doleat, id non nobis, sed iis det, qui rogati suppeditare authentica testimonia neglexerunt, quod etiam de cœteris, quæ ex antiquitatis sacrariis, tabulariis scilicèt, atque archivis eruenda, desiderari contingat à quolibet, dictum volo.

Secunda Pars affert syllabum chronologicum Episcoporum *Cemelio-Niciensium*, cujus initium duco à *S. Basso*, non autem à *S. Syagrio*, quem non fuisse Primum *Niciæ* Episcopum luce clariùs ostendam. Ne verò jejuna nimis per se afferre viderer digestis annis nomina Episcoporum, quæ licuit invenire (non enim omnium res gestas, nec omnium nomina adhibitâ licet curâ sum nactus), sub suis quæque annis acta Ecclesiæ *Niciensis* quâ potero brevitate, & sinceritate perstringam, annotans scilicet quo tempore Ecclesiæ, & Cœnobia hujus Urbis fundata sint, quo tempore ex uno ad alium locum translata: Quibus privilegiis Ecclesiam *Niciensem* muniverint Summi Pontifices, Summi Principes: Quandò initium habuerit Ordo Regularis Canonicorum *Niciensium*: Quâ occasione Ecclesia Beatæ *Mariæ*, quæ nunc in summâ Arce est, esse desierit Cathedralis, quorum multa Lectori non ingrata futura ratus sum, ùt non semèl audivi à doctis Viris, cum quibus de his rebus sermonem feci. Hoc ut agerem, non modo veterum Authorum, qui ad manum fuerunt, lectioni, sed etiam archivorum, seù tabulariorum scrutationi, & veterum membranarum vestigandis farraginibus insudavi, nulli parcens labori, ut ex iis Lector aliquam voluptatem utilitate mixtam hauriret. Id esto totius operis argumentum, ac scopus.

Quod ad nos attinet, præmonendus est Lector, nos, omnia, quæ integra uniuscujusque Sancti gesta complectuntur, non semper nactos esse: id dandum est eorum incuriæ, qui Eminentissimo bo. me. Cardinali *Baronio* compilandis Annalibus Ecclesiasticis operam dante, ipsius nomine petenti *R. D. Galetto Niciensi*, Congreg. Oratorii, acta Ecclesiæ *Niciensis*, quæ in publicis promptuariis asservabantur, nullo sibi reservato authentico exemplari, concesserunt, non probandâ facilitate. In iis inter cætera erant Passionis *S. Bassi* acta, qualia *Petrus de Natalibus* in compendium redacta habet, quæ se vidisse ait idem Baronius *in notis Martyrologii Rom.* ad diem quintam Decembris: ea ut recuperarem, aut saltem rescriberem, nullum non movi lapidem, sed frustrà. Reliquum fuit, ut ex paucis, quæ supersunt, monumentis, ac ex antiquis, & recentioribus scriptoribus datâ occasione citandis, quæ potui mutuarem. Quamobrèm, si de aliquo sancto Viro minùs, quàm expectatio tua ferat, dictum inveneris, id à me tibi dictum puta, quod *Magnus Gregorius* ait de S. Stephano Viro Dei: *De quo unum bonum virtutis refero, ut ex hoc uno valeant multa ejus bona pensari:* juxtà antiquum adagium. *Ab ungue leo.* Cæterùm hoc tibi unum præsto, exquisitam modis omnibus veritatem, nec umquàm incerta pro certis, falsa pro veris venditare mens fuit. nihil dico, quod non priùs dictum. *Dialog. lib. 4. cap 19.*

Interim memineris velim cum *Francisco Victôn* in Vitâ sui Protoparentis D. Francisci Paulini, memineris inquam, *In rerum quantumlibèt piarum veritate vestigandâ, & describendâ tantum opus esse judicii, & discussionis, quantum piæ propensionis, & credulitatis.* Sunt enim hoc nostro sæculo prurientia quædam, & malè compacta ingenia, quæ, si sibi ipsis non arrideant, rident omnia, & exsibilant, atque eò provecta est levitas nonnullorum, quibus egregiis disputationibus multi graves Viri reposuerunt, interque cœteros jam laudatus *Theophylus Rainaudus*, ut sacras historias, quas antiquissimi temporis per manus accepta traditio, vel summorum Pontificum diplomata roborarunt, in dubium, immò verò in ludibrium vocare non vereantur. hi dum fortia ingenia dici, ac credulitatis notam vitare satagunt, non modò parum creduli, sed & parum Fideles audiunt, & qui sibi ipsis, quàm cœteris cunctis malentes credere, manus contrà omnes levant, omnium peti manibus, styloque merentur: Nec tamen inficiari velim illud *D. Antonini* Archiepiscopi Florentini dicentis: *Sed & ipsæ historiæ varietatem habent saltem in tempore, ad quarum consonantiam diligentem oportet esse Lectorem*; temporum siquidem calculus, ac ratio, necessariò est Historico, præsertim sacro discutienda, vetus enim ævum id est inquit Alciatus: *In proœm. Antem. hist. S. Jo. Ben. Hercul. Comm. Scapul. Parte- no. caramel. In prolog. P. Part. Histor.*


*De quo quisque suo somniat arbitrio.*

Aliud genus hominum Terra nutrit, de quibus ait *Salvianus* Massiliensis: *Non tàm considerant quid legant, quàm cujus legant!* Quanta sit horum ineptia probandum relinquo homini non inepto: Scilicèt, inquiunt hi: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Librum enim ab Authore, non Authorem à libro probatum volunt, damnantque, antequàm legant non æqui Judices. Alii porrò in scriptionibus suis hebetes, oculatissima capita in alienis, ut eos arguit *Valerianus Castilionæus* in Politicis, multa in hoc opusculo invenient, quæ repræhendant. fateor multa fore; nàm omniscio illi *Justo Lipsio* subscribam, ac, *me labi, & errare non posse solùm fateor, sed debere.* Debeo inquam, siquidèm, *Vel capillus unus habet umbram suam!* attamèn, non idcircò talium Criticorum judiciis hæreo, aut pedem refero, sicuti enim erravisse hominem sapit, ità illos tantùm aliorum errata execrari decet, quorum non est errare: verùm à quocunque amicè, & Christianè non tantùm volo, sed etiam ambio argui, ac moneri, si quid exactiori trutinâ, ac limâ egere comperiatur. Quòd si quis dente canino mordere malit, *Senecæ* assentiar dicenti, *Pusilli Hominis, & miseri esse repetere mordentem*, atque sin minùs id dictum usurpandum sit scilicèt, De Pictore, Fictore, Sculptore non debere nisi Artificem judicare: àt saltèm *Æqua laus est, & à probis probari, & ab improbis improbari*, quià, *Emblem. 196. de scientia. Joan. Lips. in Politic. Lib. 2. de irâ cap. 34.*

*Thyrsigeri multi, pauci sunt re quoque Bacchi.*

# AUCTORIS ADMONITIO.

*Lectorem monitum volo, quòd si fortè in hoc opere inveniat titulum Sancti, aut Beati alicui appositum, quem Sancta* Romana *Ecclesia tali titulo nondùm publicè decoraverit; id non aliâ fide accipiendum esse, quam eâ, quæ Historicis privatis debetur, & quæ tantùm penes Authores est. Juxtà decretum Sanctæ Universalis Inquisitionis sub* Urbano *Papâ* VIII. *die 13. Martii 1625. & die 5. Junii 1634.*



# ELOGIA AUCTORIS.

*Ad illustrissimos DD.*
CONSULES NICIENSES
*PETRUS ANDREAS TRINCHERIUS, J. U. D.*
& Propræfectus Niciensis.

*Eià agite ò Patres, Tyrium queis fulgurat ostrum,*
*Ac mirâ ingenium dexteritate viget.*
*Heù, tabo Ausonidum quamvis serpente laborat*
*Urbs, atque à Jano moenia structa gemunt.*
*Vos tamen immunem servatis labe Nicæam*
*Consilio, votis, ære, rigore, prece.*
*Immò, quo æternum Nicænæ floreat Urbis*
*Gloria, & è fido funere surgat ovans,*
*Vestrâ ope prosiliunt opera hæc, avidèque fruuntur*
*Luce, opera haùd ullis interitura rogis.*
*Hinc nostrum ventura decus mirabitur ætas,*
*Et monumenta, diù qua latuere, colet.*
*Sæcula sic vestram pietatem cana loquentur,*
*Vosque fuisse sibi Patria alumna Patres.*

*Ejusdem ad Illustrem, ac admodùm Reverendum Dom.*
D. PETRUM JOFREDUM,
*Patriam Sacris Monumentis illustrantem.*

Dum Patriam, Jofrede, Sacris Annalibus ornas,
Cælestumque refers inclyta facta Virûm;
Illa triumphato per te capita ardua Olympo
Evehit, ac Superûm nota patrocinio est.
Quàm meritò, quos illa dedit, Divosque recepit
Patria, & abdiderant sæcula cana, canis.

*Ejusdem ad Opus Illust. & Rev. adm.*
D. PETRI JOFREDI.

*I pede inoffenso liber, & decurre per Orbem,*
*Materiæ qui altâ nobilitate nites.*
*Se jactet monimentum egisse perennius ære*
*Flaccus, & evincens culmina Pyramidum,*
*Celsiùs emergis: nec te Ryphæa Trionum*
*Vis tenet, aut longâ sæcula agenda fugâ.*
*Egregios, Heroas habes, Patriæque decora*
*Sydera, quæ Phœbo lucidiore micant.*
*Surge liber, Niciam sic æternare licebit;*
*Cum posthàc nequeant hæc monumenta mori.*

*Ad Auctorem*
JO. BAPTISTA PLANAVIA,
*J. C. & Consul Saurgiensis.*

Cùr agitas priscos juvenum doctissime fastos,
Quo Patriæ educas facta decora tuæ?
Annè ità sollicitè Peruana latibula tentas,
Audaci ut promas fulva metalla manu?
Nùm tua sedulitas Erythræum eviscerat æquor,
Ut rutilum pariat foeta sagena decus?
Haùd equidem, Patriæ vetera ornamenta redonas,
Quæ numquàm absumet temporis ira vorax.

*Idem de Opere ad Lectorem.*

*Quùm peteret gens grata Deo deserta locorum,*
*Atque novercalis terra negaret aquas,*
*Percussit baculo petram Dux: protinùs illinc*
*Irriguus duro è viscere fons saliit.*
*Sic, dum sydereos latices Nicæna sitiret*
*Urbs, tetigit Petrum, ut larga fluenta daret.*
*Hoc igitur Lector liquefactum in Codice Cælum*
*Suge; tibi assiduo hæc Petra liquore fluet.*

*Ad*
NICÆAM
*Urbem novi operis ope è tenebris emergentem,*
ANTONII LUDOVICI AUDIBERTI,
*Medici Niciensis,*
*Distichon.*

Temporis, & calami, tacitæque injuria linguæ;
Nè tua det tenebris lumina; lumen habes.

*In Operis, Auctorisque commendationem,*
Adm. R. D.
*MICHAELIS ANGELI JUGLARIS,*
Sacerdotis Niciensis,
Elogium.

*Æternitati Colossum Pallas erigit, non Chares,*
*Aureo sculptum ingenio, non ferreo stylo.*
*Veritas basis, gloria corona est.*
*Facem, Heroum effuso sanguine fluctuantem gestat:*
*Ac castis Præsulum nivibus illustratis,*
*Candescit in purpurâ,*
*Posteritati virtutis semitas indicatura.*
*Orbis miraculum Nicæa est;*
*Ubi quot Incolæ, tot Duces: quot Cives, tot Heroës.*
*Gothos, Longobardos, Saracenos Hostes habuit:*
*Vicit debellata, penè extincta triumphavit:*
*Quià numero cessit, non ferro.*
*Toc Martyres habuit, quot Milites;*
*Cœlo, & Principi avitam servavit fidem.*
*Flammas licèt agnoverit in tumulo:*
*Parturiente tamen rogo rediviva surrexit Phoenix;*
*Et in nascentis Urbis clarâ luce*
*Genethliacum edidit.*
*Temporis vorandam faucibus genueras Urbem Massilia:*
*Ignes, falcesque tantùm Martyribus,*
*Heroas silentio concesseras:*
*Micantes Antistitum luces oblivionis tenebris obduxeras:*
*Immortalitati moenia erexit Architectus alter*
*Ruitura numquam*
*Nicæno in Capitolio,*
*Patriæ Numen auxit, & Nomen.*
*Triumphos Heroibus, Præsulibus palmas,*
*Hostibus necem paravit.*
*Quid Lupæ alumnos Roma, Didonem Carthago;*
*Dardanum Troja jactas?*
*Flammis vos peperere, non ævo!*
*Erecta Parentibus simulacra evertite:*
*Nicæa concessa pluries, semel occasum novit:*
*Funere illustrior,*
*Dignum Auctore suo monumentum*
*Commendabit æternitati.*

REVERENDVS DOMINVS, DOMINVS PETRVS GIOFREDVS
SACERDOS SECVLARIS, HISTORICVS NICIENSIS.

*Anagramma purum.*

TERRIS CIGNVS, HONOR FIS COELI, ES CARVS VT ARIS
SED DECVS ID. MVNDO ES SIDVS. PRO NVMINE SERVIS.
*Gaspar Barralis Presbyter Niciensis.*

*In laudem Admodum Illustris, & Reverendi D. Petri Jofredi dum librum suum de Nicææ Historiis conscriberet.*
*ELOGIUM.*

Habes hic Lector,
Ubi procul à Permesso coronas legas.
Nullo penè laboris dispendio
Comparare opes tibi fas est;
Quas tibi, alii, Doctarum noctium curis pararunt.
Colliges hic aurum,
Quod non Indorum montium venis, aut fluminum glareis extractum est;
Sed quòd de Sapientiæ Montibus,
Author eruditissimus eruit.
Usque adeò tui boni affectator est!
Habuit natalibus suis obstetrices Musas:
Osculata sæpè est in crepundiis sapientia;
Complexaque sæpè vagientem;
Virtutis maximæ semina in puerum jecit.
Mòx ubi grandior certiora cœpit signare vestigia;
Eloquentiæ sacris altus Deliciis,
A Lauro, sub qua adoleverat, numquam recessit.
Optimè sciens, exceptis, pectoris, & ingenii bonis,
Reliquum in Homine esse mortale.
Ita excolendæ menti deditus est,
Ut optimorum vitæ dierum nullum sine linea effluere permiserit.
Eximiæ sapientiæ Pietatem associans,
Non minùs turpe putavit; illam à Musarum Alumno,
Quàm hanc à Christiano procul esse.
Iis peculiare Prudentiæ accessit ornamentum,
Ut nullum prorsùs ab illo numen abesse videretur.
Sed age jàm emerite scriptor,
Non parva ingentis virtutis præmia cape.
Expers rogi, & cinerum fama
Immortale nomen ultrà anni, solisque vias portabit.
Illa, quam Historiis præstitisti, Æternitatem;
Tibi ab Historiis veniet Æternitas.
Sanè non nisi perennis tibi Gloria futura est:
Quandoquidèm, honos, & Gloria Probis est pretium.
Reliquisti venturæ Ætati, quod numquàm conticescat;
Jamque video parare triumphos virtutibus,
Quas nullo vitiorum confinio læsas habuisti.
Mirabitur Hominum cœtus
Illustria Doctrinæ tuæ Lumina:
Et si solita est.
Tecum Graja Loqui, tecum Romana Vetustas;
Tecum attonita, & de te loquetur
Posteritas.

*Jacobus Jofredus Niciensis*
*Fulminalis Academicus.*

Del Signor Avvocato
PIETRO ANDREA TRINCHERIO.
*SONETTO.*
Al M. Reverendo Sig.
*D. PIETRO GIOFREDO,*
Sacro Historiographo della sua Patria.

*Piero, ch' in sù l' April de' tuoi verd' anni,*
*Canuiti pensier' in senno ascondi,*
*De' quali grave' l Suol patrio fecondi,*
*E' l tempo, Opra divina ergendo, inganni.*
*Spiega sublimi al Ciel' Aquila i Vanni*
*Felicemente occhiuta; onde c' infondi*
*Di Magnanimo ardir sensi profondi,*
*E dell' oblivion ristora i danni.*
*Rouineran le gigantesche Moli,*
*Che staro emole al Ciel; però non mai*
*Fie che tua gloria onda di Lethe involi.*
*De' Sagri Heroi Panegirista, haurai,*
*Trombettieri del tuo nome i duo' Poli;*
*E Posthumo immortal di te farai.*

# INDEX AUCTORUM

Quibus in hoc opere usus est Noster.


Accius *Poëta in Tragoediis.*
Ado *Viennensis in Chronico.*
— *in Martyrologio.*
Æginartus *in vita Caroli Magni.*
Aimoinus *in Historia Francorum.*
Albertus (*Leander*) *in descriptione Italiæ, & Viris Illustribus Ord. Prædic.*
Alciatus (*Andreas*) *in Emblematibus.*
Amasenus (*Strabo*) *in descript. Orbis.*
Amelius (*Petrus*) *in Itinerario Gregor. XI.*
Ammianus Marcellinus *in Historiis.*
Annius Viterbiensis *in Beroso.*
Anonymi *Scriptores.*
S. Antoninus *in Historiis.*
Apollinaris (*S. Sidonius*) *in Carminibus.*
Audibertus (*Antonius Ludovicus*) *in Poëmate de Fonte Sancto.*
S. Augustinus.
Ausonius.
Baronius (*Cæsar*) *in Annalib. Eccles. & in notis Martyrol.*
Barralis (*Vincentius*) *in Chronologia Lerinensi.*
Bartholomæus *Pisanus in Conformitatibus S. Francisci.*
Bellajus (*Guiglielmus*) *in Historiis,*
Bellandus (*Joannes*) *in Actis Sanctorum.*
Bellarminus (*Robertus*) *de Scriptoribus Ecclesiasticis.*
S. Bernardus.
Binius (*Severinus*) *in Tomis Conciliorum.*
Bonaventura (*Joan. a S.*)
Botterus (*Joannes*) *in Vitis Comitum & Ducum Sabaudiæ, & in Relationibus.*
Breviaria *propria Ecclesiarum.*
Breviarium *Romanum.*
Britius (*Paulus*) *in Historia Seraphica Provinciæ S. Ludovici & Progressibus Ecclesiæ occidentalis.*
Budæus (*Guiglielmus*) *de Asse & partibus ejus.*
Bzovius (*Abraham*) *in Annalibus Ecclesiasticis.*
Cabilonensis *Primus Episcopus in Topographia Sanctorum.*
Cæsar (*C. Jul.*) *in Commentariis.*
Cajetanus (*Octavius*) *in Historia Sanctorum Siciliæ.*
Calepinus (*Ambrosius*) *in Dictionario.*
Calixtus (*Nicephorus*) *in Historia Sacra.*
Capella (*Martianus*) *Plinii Epitomator.*
Capitolinus (*Julius*) *in Historia.*
Cascinus (*Jordanus*) *in vita D. Rosaliæ.*
Cassiodorus *in Epistolis.*
Castilionæus (*Valerianus*) *in Politicis.*
Castro (*Alphonsus de*) *adversus Hæreses.*
Cato *in Originibus.*
Cherubinus *à Nicia M. S. in Relatione Cœnobii S. Mariæ Gratiarum, & vita F. Petri Vento.*
Chiffletius (*Joannes Jacobus*) *in Historia Vesontionis.*
D. Chrysostomus.
Ciaconius (*Alphonsus*) *in Historia Pontificum & Cardinalium.*
Cicero *in Epistolis & Nat. Deor.*
Clapiers (*Franciscus de*) *in Historia Comitum Provinciæ.*
Claudianus *Poëta.*
Claudius Mamertinus *in Paneg.*
Cluverius (*Philippus*) *in Geographia.*
Codrettus (*Pascalis*) *in vita Caroli Emanuelis I. Sab. Ducis & alibi.*
Concilia *Galliæ.*
— *Generalia.*
Q. Curtius *in gestis Alexandri Magni.*
Decretalia *Summorum Pontificum.*
Dempsterus (*Thomas*) *in Antiquitatibus Romanis & Historia Scotica.*
Dio *in vitis Cæsarum.*
Diodorus *Siculus.*
Diogenes Laërtius *in Vitis Philosophorum.*
Dionysius *Halycarnassæus.*
Ecclesia (*Franciscus Augustinus ab*) *in Chronologia Episcoporum Dominii Sabaudici & Corona Regia.*
Ecclesia (*Ludovicus ab*) *in Historia Pedemontana.*
Ennodius *Ticinensis in vita S. Epiphanii.*
Esquivel (*Franciscus de*) *in Relatione Hispanica Sanctorum Callari in Sardinia inventorum.*
Evagrius.
S. Eucherius *in Epistola paren. ad Valerianum.*
Eusebius *Cæsariens. in Historia Eccles. & vita Constantini Imp.*
Eutropius *in Hist. Romana.*
Fabricius (*Georgius*) *in descript. Romæ.*
Ferrarius (*Philippus*) *in Catalogo SS. Italiæ, in Topographia Sanctorum, & in Martyrologio.*
Festus (*Sex. Ruffus*) *in Breviario rerum gestarum Populi Romani.*
L. Florus *in Historiæ Romanæ Epitome.*
Fratres *de S. Martha in Historia Genealogica Franciæ.*
Gaguinus (*Robertus*) *in Historia Francorum.*
Gallesinus (*Petrus*) *in Martyrologio.*
— — *in Notationibus ad Severum Sulpicium.*
Genebrardus *in Chronico.*
Glareanus (*Henricus*) *in Cæsaris Commentarios.*
Goltzius (*Hubertus*) *in Thesauro Antiquit.*
Gononus (*Benedictus*) *in Vitis & sententiis Patrum Occidentis.*
S. Gregorius *Papa in Dialogis.*
— — *Turonensis in Historia Francorum & alibi.*
Grimaldis (*Marianus de*) *in Sanctuario Genuensi.*
Gualterus *in Chronolog.*
Guesnay (*Joannes Baptista*) *in Annalibus Massiliensibus.*
Henriquez (*Henricus*) *in Summa Morali Theologica.*
S. Hieronymus.
Horatius Flaccus *Poëta.*
Jacobus Burgensis *in vita B B. Joannis & Felicis.*
Inscriptiones *veteres.*
Jornandes *de Regnorum successione.*
Jovius (*Paulus*) *in Historiis sui ævi.*
Isidorus *Hispalensis in Etymolog.*
Isnardus (*Stephanus*) *in Codice Minimo.*
Itinerarium *sub nomine Antonini.*
— *vetus aliud.*
Juglaris (*Aloysius*) *in Sublim. S. Bassi.*
Justinianus (*Augustinus*) *in Annalibus Genuensibus.*
— (*Vincentius*) *in vita Hugonis Cardinalis.*
Justinus *in Epitome Trogi Pompeji.*
Lætus (*Pomponius*) *in Romanis Antiquitatibus.*
Landuccius (*Ambrosius*) *in Silva Ilicetana.*
Lanovius (*Franciscus.*)
S. Laurentio (*Franciscus a*) *in Vita B B. Joannis & Felicis.*
Lazius (*Volffgangus.*)
Leotardus (*Honoratus*) *in Hymnis.*
Lezana (*Joannes Baptista de*) *in Annalibus Carmeliticis.*
Lipelloo (*Zaccharias*) *in Compendio Surii.*
Litteræ *annuæ Soc. Jesu.*
Livius (*Tit.*) *in Historiis.*
Lucanus *Poëta.*
Luscus (*Alphonsus*) *in Compendiis Historicis.*
Malletus (*Petrus Franciscus*) *in Vita Beati Amedei.*
Mamertinus (*Claudius*) *in Paneg.*
Mannus (*Augustinus*) *in Historiis selectis.*
Manuscripta *Authentica.*
Marcianus *Heracleensis in Carminibus.*
Marlianus (*Joannes Bartholomæus*) *in Epitome Romanarum Antiquitatum.*
— (*Raimundus*) *in Notis ad Cæsaris Commentarios.*
Martelli (*Honoratus,*)
Martinengus (*Franciscus*) *in Catalogo Præsulum Niciensium.*
Martinus Polonus *in Chronico.*
Martyrologia *propria Ecclesiarum.*
Martyrologium *Adonis.*
— *Franciscanum Arturi a Monasterio.*
— *Francisci Maurolyci.*
— *Gallicanum.*
— *Monasticum Arnoldi Wionis.*
— *Novum Philippi Ferrarii.*
— *Petri Gallesini.*
— *Romanum.*
— *Usuardi.*
Maurolycus (*Franciscus*) *in Martyrologio.*
Mela (*Pomponius*) *de Situ Orbis.*
Merula (*Paullus*) *in Geographicis.*
Metaphrastes *in Vitis Sanctorum.*
Molanus (*Joannes*) *in Addit. ad Usuardum.*
Mombritius *in Vitis Sanctorum.*
Monasterio (*Arturus a*) *in Martyrologio Franciscano.*
Morigia (*Paulus*) *de Ordinibus Religiosis.*
Mutius *Justinopolitanus in Tract. Moralibus & Epistolis.*
Natalibus (*Petrus de*) *in Catalogo Sanctorum.*
Nostradamus (*Cæsar*) *in Historia Provinciæ.*
Notitia *provinciarum Galliæ.*
— *utriusque Imperii.*
Numatianus (*Rutilius.*)
Nummi *veteres.*
Obsequens (*Julius*) *de Prodigiis.*
Orosius (*Paulus*) *in Historia adversus Paganos,*
Ovidius *Poëta.*
Panvinius (*Onuphrius*) *in Fastis.*
Pastorellus (*Honoratus*) *in Histor. Monast. S. Claræ Niciensis.*
Paterculus (*Vellejus.*)
S. Paulinus.
Paulus Diaconus *in Histor. Longobardica.*
Petronius Arbiter *Poëta.*
Picus (*Ranuccius*) *in Speculo Principum.*
Pinet (*Antonius du*) *in Plinio.*
Pingonius (*Philibertus*) *in Arbore Genealogica Sabaudiæ.*
Pio (*Joan. Michaël*) *in Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum.*
Plautus *in Comicis.*
C. Plinius Secundus *in Historia Natur.*


Plu-

# INDEX AUCTORUM.



# INDEX CAPITUM
## *ET TITULORUM TOTIUS OPERIS.*

### Prolegomena. Nicienſis Urbis, Diœceſis, Comitatus notitia.



### Pars Primâ De Viris Sanctis, & pietate Illuſtribus Nicienſis Urbis, Diœceſis, Comitatus.



### Pars Secunda De Epiſcopis Nicienſibus.

Prolegomena.





2

S

A.

,

tium
cujus
imus.
, ſed
t ſal-
r de-
dmo-
iemo.

, *il-*
Vi-
*Hic*
uca-

ıs di-
*mam,*
*Ma-*
*dovi-*
r (cu-
ie ad-
*m In-*
ha vi-
*dendo*
*tibus,*
me-
hoc
n uno
*Cæſar*
*aliam*
*egione*
*gros,*
*lacu*
*s per-*
*Alpes,*
*erca-*
De iis
com-
*ixeri-*
*a exi-*
mun-
*mmas*
*eant.*
*cap.*
immi
qua-
*bibus,*
c *Al-*
cen-
quod
; uti
*Sum-*
mob-
. IX.
indi-
lbin-
ſuum
, ubi
tiam
ibi-

Pag. 1

# PROIET DE LA VILLE et FORTERESSE DE NICE.

NICE. *Ville Frontiere d'Italie. Situeé sur la Mer Mediteraneé à 43. Degrez 31 Minutes. de Latitude et 28. Dégrez 48. Minutes de Longitude. sa Forteresse Bastie. sur vn Rochér. est vne des plus Importantes Places d'Italie. qui fut Assiegeé. Innutile ment. par les Turcs sous Barbe Rousse. lan 1541. elle fut prise par les François. sur le Duc de Sauoye lan. 1692.*




NICÆA ad VARUM

# R. D. PETRI JOFREDI,

*Sacerdotis Niciensis*,

# NICÆA CIVITAS
## SACRIS MONUMENTIS ILLUSTRATA.

1 PROLEGOMENA.

## NICIENSIS URBIS, DIOECESIS, COMITATUS NOTITIA.



Ne Lector in ipso impingat limine, antequàm propositum aggrediamur, operæ pretium facturi nobis videmur, si quæ *Nicææ* Urbis, ejusque Diœcesis, & Comitatus, cujus monumenta Sacra exhibenda suscepimus, antiquitatem sapiunt, breviter attigerimus. Non enim loquimur, quibus hæc fortassè paulò notiora, Concivibus nostris solis, sed & externis; cupimus enim Aquilæ nostræ, sin minùs suprà nubes, & inania, at saltem ultrà *Alpium* septa, littorumque, volatum dirigi: nec eruditis tantùm noster desudat labor, verùm etiam minùs peritis. Eòque magis præstandum, quò paucis admodum id aliis Scriptoribus dictum est, ex nostris plene, ac dilucidè complexus est nemo.

### CAP. I.

*Nicææ Urbis situs. Italiæ, & Galliæ divisio.*

1. Nicæa multarum in Orbe Urbium nomen est; præcipuæ, numero octo sunt, quas præter eam, quâ de agimus, in *Asiâ*, seù *Bithyniâ*, apud *Locros*, *Illyrios*, *Indos*, *Thraces*, *Bœotios*, *Corsos* passim recensent *Geographi*; inter quas illa, quæ in *Asiâ* est, primùm ab *Antigono* Philippi Filio Conditore *Antigonia* dicta, postmodùm à *Lysimacho* Rege, de nomine Uxoris *Antipatri* Filiæ, *Nicæa* appellata, celebri illa 318. Episcoporum Synodo, ac nonnullorum *Græciæ* Cæsarum, *Lascarorum* præcipuè diversorio illustris, ab impiis Turcis *Nichia* nunc dicitur, seù, ut aliis placet, *Isnich*. Omnium verò hoc sæculo notissima illa est, quæ non longè à *Varo* fluvio sita, *Nizza di Provenza* Italis, *Nizza del Varo* aliàs, *Nice de Provence* Gallis sonat. ad diferentiam nimirùm ejus, quæ in Monte Ferrato, *Nizza della Paglia*, dicta, *Alexandriæ Insubrum* Incolas agnoscit Conditores. Porrò *Nicæam Provinciæ* hanc Urbem appellat vulgus, non quòd verè in *Galliâ Provinciâ* sit, sed quià *Arelatensium* Regibus, ac deinceps *Provinciæ* Comitibus olim subdita, eidem sit finitima, ab amne *Varo* tantùm discreta. Quamvis enim in *Galliæ* Provinciarum divisione *Niciensis* tractus, ac *Cemenelensium* Civitas *Nicææ* fermè contigua in *Alpibus* Maritimis, *Viennensi* IV. accenseatur, ac initium *Galliæ* ad *Alpem* usque summam, ubi nunc *Augusti* trophæa, aliquæ itinerariæ tabulæ statuant, à Geographis tamen omnibus *Italiæ* adjudicatur, qui *Galliæ*, atque *Italiæ* terminum agnoscunt consensu unani-
2 mi *Varum* fluvium. Sic *Ptolemæus* tab. 3. *Europæ*, post quem *Strabo* lib. IV. ait *Nicæam* in *Italiâ* fuisse, licèt in *Massiliensium* jure esset. Dixerat superiùs: *Austrino lateri adjacet præter dictam figuram Ora maritima, quam Massilienses tenent, ac Salyes usquè ad Liguriam, & Italiæ fines, ac Varum fluvium, quò, ut antè dixi, Narbonensis Gallia terminatur, itemque Italia.* Plinius lib. III. cap. IV. *Narbonensis Provincia appellatur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Braccata antè dicta, Amne Varo ab Italiâ discreta, Alpiumque jugis.* Eadem Martianus Capella Plinii epitomator. Pomponius Mela lib. II. cap. IV. *Varum, quià Italiam finit, aliquantò notius.* Idem cap. V. *Gallia Lemano lacu, & Gebennicis* (melius) *Cemenis Montibus in duo latera divisa, atque altero Thuscum pe-*

A *lagus attingens, altero Oceanum, hinc à Varo, illinc à Rheno ad Pyrenæum usque promittitur.* Vibius Sequester in Catal. fluminum de Varo: *Hic nunc Galliam ab Italiâ dividit.* Addendus Lucanus lib. I.

*Finis & Hesperiæ promoto limite Varus.*

2. Alii non à fluminibus, sed à Montibus dimetiri *Italiam* malentes, ad *Alpem* usquè *Summam*, sic dictam in *Antonini* itinerario, aliàs *Alpem Maritimam*, Galliæ fines producunt; undè *Ludovicus Revellus Niciensis*, non spernendus author (cujus nomen aliena invidia expunxit, suumque adulterinum apposuit) in opere M. S. *de Rerum In-*
B *ventoribus*, *ac Miscellaneis*, cujus authographa videre licuit, v. Varus, inquit: *Nicæa, dividendo Provincias à fluminibus, in Italiâ est, à Montibus, prima Galliæ.* Quando autem *Alpis* summæ meminimus, disquirendum superest, quidnam hoc nomine indicarint scriptores? & quidem non uno loco tantùm id *Alpium* genus fuisse testis est *Cæsar* Comment. *lib.* III. in hæc verba: *Cum in Italiam proficisceretur Cæsar, Ser. Galbam cum Legione XII. & parte equitatus in Antuates, Veragros, Sedunosque misit: qui à finibus Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad summas Alpes per-*
C *tinent. Causa mittendi fuit, quòd iter per Alpes, quò magno cum periculo, magnisque portoriis mercatores ire consueverant, patefieri volebat.* De iis Alpibus Henric. Glarean. in ejusdem Cæs. comment. *Cœterùm, ubi potius summas Alpes dixerimus, quàm ubi in omnes Mundi plagas flumina eximia fluunt, ac originem habent?* Meliùs Raimundus Marlianus: *Aliæ erant Alpes, quas summas Cæsar appellat, quòd inter omnes magis emineant.* Sic Paullus Merula *Cosmograph par.* II. *lib.* IV. *cap.* V. adhæret *Josiæ Simlero* arbitranti nomen summi apud *Cæsarem* non poni, ut aliquæ *Alpes* isto qua-
D si proprio titulo discernantur ab reliquis *Alpibus*, sed esse nomen appellativum, & idem esse, ac *Alpium* cacumina, eâque ratione accipiendam censet Antonini *Alpem Summam* in *Itinere*, quod *Româ* per *Alpes Maritimas* ducit *Arelatum*; uti etiam alibi vocantur *Summus Penninus*, & *Summus Pyrenæus*. hæc suis verbis *Merula* Quamobrem Philipp. Cluverius *Ital. antiq. lib.* I. *cap.* IX. non modò illam, quæ in *Antonini* itinerario indicatur, *Alpem Summam*, seù *Maritimam*, Albintimilium inter, ac Cemenelum, IX. hinc passuum millibus, XVI. indè distantem, ad locum, ubi *Augusti* trophæa, nunc *Turpia*, agnoscit, sed etiam

ibidem cum eodem *Antonino*, posteriori tempore terminum *Italiam* inter, & *Galliam* constitutum fuisse asserit.

3. Hinc *Vellejus Paterculus* lib. II. de *Marabo-duo* Marcomannorum in *Germaniâ* Rege differens, de summis *Alpium* jugis *Italiam*, & *Galliam* terminantibus sic ait: *Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam, quippè cum à Summis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus finium haud multò plus CC. millibus passuum abesset.* Mamertin. in genethliaco Maximiani Augusti: *Tu modò Galliæ oppida illustraveras; jam summas Arces Monœci Herculis præteribas.* Eodem modo Paulus Orosius Histor. lib. I. cap. II. author est, Italiam Alpium obicibus obstrui, *quæ à Gallico mari super Ligusticum sinum exsurgentes, primùm Narbonensium fines, deindè Galliam, Rhœtiamque secludunt.* Quò respexit Auson. eo carmine:

*Excludunt Italos Alpina cacumina fines.*

Inde factum est, ut *Nicæam* citrà *Alpis* summæ jugum sitam, inter *Celticas* gentes nonnulli adscripserint. Stephani Epitomator: *Nicæa opidum Galliæ Massiliensium Colonia.* Martyrolog. Rom. 12. Kal. Jun. *Niciæ in Galliâ S. Hospitii Conf.* eâdem occasione Gregor. Turon. Sigebert. *in chronico an.* DLXXXI. aliique. Similiter Urbem *Cemenelensem* in *Niciensi* viciniâ, atque ab ortu, & occasu æquidistantem *Galliæ* adserunt *Martyrologia*, *Romanum*, ac *Usuardi*, dùm de *S. Pontio* Martyre pridiè Id. Maji: *In Galliis Civitate Cimellâ Natalis S. Pontii, &c.* eadem *Maurolycus.* inibi insupèr Præfectum *Galliarum* in *SS. Nazarium*, & *Celsum* insurrexisse testantur eorum acta, licèt in actis *SS. Vincentii*, & *Orontii*, atque apud *Petrum de Natal. Adonem, Vincentium Beluac.* de iisdem agentes ea Civitas apertè *Italiæ* adscribatur, cui æquè *Nicæam* adscribit in Sanctorum Topographiâ Primus *Cabilonensis.*

4. *Robertus Gaguin.* in descriptione *Galliæ*, utri
3 Provinciarum *Nicæa* addicenda, incertus est: *Quam, inquit, ad Italiam pertinere quidam asseverant, est enim Galliæ, quæ Genuam spectat, limes.* At verò jam non à Montibus, sed à fluminibus, Geographos sectati, consuevimus dimetiri *Italiam*, in quâ, *Liguriam*, quæ minimè in *Galliâ* sita est, tàm veteris, quàm recentioris ævi auctores, à fluvio *Varo* ad *Macram* usque dimetiuntur. Adde quòd *Gallia* arctioribus terminis nunc, quàm olim fuerit, continetur, tàm illa, quæ Cæsari *Belgica*, quàm quæ *Celtica* dicta est. Igitur non malè quis nunc *Nicæam* Italiæ potiùs, quam Galliæ adscripserit; licet enim olim Præfecturæ esset *Massiliensis*, ac postmodùm in spiritualibus subdita Metropoli *Ebredunensi*, tamen verè intrà *Italiæ* terminos claudebatur. Placet *Strabonis* verba referre, qui tractus *Niciensis* situm exactè delineavit. *Varus inter* Antipolim *est, &* Nicæam, *ab alterâ XX. ab alterâ LX. ferè stadiis distans, itaquè secundum nunc monstratum terminum*, Nicæa *Italiæ adscribitur, quamquàm est* Massiliensium. *eam enim contrà Barbaros suprà adjacentes ii condiderunt munitionem, ut mare liberum obtinerent, agros illis tenentibus; est enim regio illa montosa, & natura loci munita, ad* Massiliam *mediocrem habens planitiei latitudinem. indè autem versùs ortum planè ad mare adstringitur. ità ut vix spatium itineri faciendo relinquat. Primam partem habent* Salyes, *ultimam* Ligures *Italiæ contermini, de quibus postea dicetur. Id hoc loco addendum, cum in* Narbonensi *Provinciâ sit* Antipolis, Nicæa *in* Italiâ, Nicæam *tamen sub* Massiliensibus *manere; ejusque præfecturæ esse*, Antipolim *in judicio re disceptatâ à* Massiliensium *jurisdictione liberatam inter* Italicas *Urbes censeri.* Hactenùs Strabo.

5. Philippus Ferrarius *in Topograph. Martyrol.*
A ubi ait *Nicæam* inter Urbes *Gallicas* computari, sic ejus situm exactè describit: *Nicæa altera, quæ* Nicia *in Martyr. appellatur*, Nizza *C. E.* Liguriæ *littoralis in* Galliæ Narbon. *confinio, apud* Varum *flumen, quæ tamen hodiè inter Urbes* Gallicas *computatur, à* Massilien. *condita, pars in plano, pars in colle ad* Alpium *radices, cum Arce firmissimâ, valdèque munitâ in colle: quam* Galli *superiore ætate, accitis* Turcis, *expugnare non potuerunt. Ea Ducis est* Sabaudiæ, *à* Taurino *Ducis Sede ad* LXXX. *M. P. longiora in Meridiem, & Notolibycum distans, media ferè inter* Genuam, *&* Massiliam: *à qua in ortum ad C. M. P. à* Genua *verò in*
B *Occid. hibernum quasi* CXXX. *recedit, à Vintimilio* XII.

## Cap. II.

### *Nicæa undè dicta? ejus varia apud Scriptores nomina.*

1. VARiè hujus Urbis nomen apud priscos scriptores efferri video, *Nicæa, Nicea, Nicia Nica. Nicæa*, Græcis Νίκαια, dicitur *Ptolemæo, Straboni, Plinio, Çatoni, Sempronio, Pomponio Melæ*, nec non *Livii*, *Stephani*que breviatoribus, aliis-
C que recentioribus. *Niceam* vocat absque diphthongo *Ammian. Marcellinus* lib. XV. in recensione Provinciarum Galliæ: *Viennensis Civitatum exultat decore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Arelate, & Valentia: quibus Massilia jungitur, cujus Societate, & viribus, in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His propè Salluvii sunt, & Nicea, & Antipolis.* Undè autem id nomen huic Urbi inditum sit, non ità certum; quià cum non *Latinum*, sed *Græcum* sonet, *Græcam*que originem, ut sequenti capite dicetur, ac teste D. Hieron. *in procem. lib.* II. *comment. in epist.*
D *ad Galat.* agnoscant pleræque *Phocensis* Provinciæ, finitimorumque locorum Urbes, putarunt aliqui, à *Græcis* advenis sic dictam à *Nicea* Asiæ, ac Bithyniæ Urbe: sicuti nunc *Hispani* in *Indiis*, novis Urbibus à se conditis, seù veteribus instauratis nova nomina facturi, *Hispanicarum*, unde discesserant, eis persæpè Civitatum nomina imponunt. At verò cum Asiatica *Bithyniæ* Metropolis *Nicea* dicta sit multo temporis spatio, postquàm in Provinciam *Phocenses* migraverant, nobis id etymon non probatur, licèt in eam sententiam *Gallus* quidam author, quem anonymum vidimus manuscriptum, totus eat, putans omnes fermè *Galliarum*
E Urbes ab *Asiaticis*, & *Græcis* sua nomina mutuasse.

2. *Niciam* alii dixere cum *Antonino* in Itiner.

*A Nicia Antipolim Port. M. P. XVI.*
*Antipoli Niciam Plag. M. P. XVI.*

Id nomen à *Nicio Laërte* Hetruriæ, à quo Colonias missas fuisse scripsit, accepisse asserit *Annius Viterbiensis*, ex quo Leander Albertus *in descript. Ital.* Hoc tamen fabulas inter, ac nugas meritò
enumerat, qualia pleraque apud eundem *Annium*, 4
Paullus Merula *Cosmogr. par.* II. *lib.* IV. *cap.* XXXV. licèt enim, ut ait *Livius* lib. V. *Thuscorum* antè *Ro-*
F *manum* Imperium latè terrâ, marique opes patuerint, mari supero, inferoque, quibus *Italia* Insulæ modo cingitur, nominibus inditis; dixeritque Cato in Origin. *Alpes omnes Italiæ Colonias fuisse Thuscorum incolæ asserunt, & ab ipsis vel Ducibus, vel Capitibus originum nomina gentibus, & locis indita:* attamen teste *C. Sempronio* de divis. *Alpium*, intrà *Liguriæ* fines numquam *Hetrusci* habuere sedes: *Omnibus Alpinis, exceptis Liguribus, notissima origo Hetrusca est;* Ligures autem, ut ait, tàm idem *Sempronius*, quàm alii suo loco adducendi, loca incolebant à *Varo* ad *Macram* sita, non igitur *Niciensibus* origo *Hetrusca*, atque adeò non

proba-

probatur quod de *Nicio Laërte* nominis inditore commentus est *Annius*, præsertim cum ex antiquis scriptoribus nullis id, quod viderim, dixerit.

3. Verissima hujus nominis ratio ea est, quam affert *Cluverius*, cujus ea verba: *Nomen haud dubiè sortita est Nicæa à rei eventu, id est à vincendo, scilicet cum Massilienses, devictis, ejectisque Liguribus ea littora obtinuissent*, id ipsum alii non infimæ notæ authores interpretantur, à victoriâ nimirùm de *Saliis*, ac *Liguribus* partâ, ut sequenti capite dicetur, cum de *Massiliensibus* Nicææ Conditoribus erit sermo. Et quidem post victorias id nominis devictis locis veteres persæpè indidisse, non uno loco meminerunt Historici. Devicto apud Indos *Poro* Rege, *Nicæam* novæ Urbi inibi à se conditæ *Alexander Macedo* nomen fecit teste Curtio *lib.* IX Justino *lib.* XII. aliisque. Civitatem autem, quam diximus *Bithyniæ* Metropolim, à victoriâ nomen traxisse credidit Euseb. *lib.* III *cap.* VI. de vitâ Constant. *Civitas autem Bithyniæ, quæ Nicæa ἀπὸ τῆς νίκης, id est à victoriâ, nomen traxit, Concilio celebrando admodùm idonea designata fuit.* Sozomen. *Hist. Ecclef. lib.* V. *cap.* XX. ait opidum *Emaus* Judææ, post captam sub Tito *Hierosolymam*, & relatam de *Judæis* victoriam deinceps appellatum fuisse à Romanis Nicopolim, *nomine ex eventu belli imposito.* Hinc non unica in Orbe terrarum, ut initio diximus, Urbs *Nicæa*, cum multas à victoriis ibidem obtentis sic dici voluerint victores. Hinc tot nummi apud veteres Victoriati, simulacro scilicet victoriæ insigniti, lege *Clodiâ* teste Plinio *lib* XXXIII. *cap.* III. primùm *Romæ* percussi. Pingebatur autem Victoria virgineo vultu decoro, ac liberali, alatis humeris, capite aliquandò intecto, lauro redimito interdùm, aut pileato, manu dexterâ protensâ lauream porrigens, ut in plerisque numismatibus videre est. Adde non Urbibus solum, sed factionibus etiam nonnumquàm id nomen inditum. Evagr. *Hist Ecclef. lib* IV. *cap* XIII. ex *Procopio* ait sub Justiniano Imperatore *seditionem popularium Constantinopoli esse conflatam, quæ nomen ex tessera Populi accepit: quippè Nica, id est, Vince, fuit propterea appellata, quòd Populus inter se congressus hanc tesseram Nica sibi præscripsisset, quo alter ab altero internosceretur.*

4. *Nicam* etiam aliquandò dictam invenimus nostram Urbem, undè *Nicenus*, *Nicensis*, & *Nicaënsis*. Sic *D. Gregor. Turon.* agens de *S. Hospitio* Hist. Franc. lib. VI. cap. VI. vocat *Urbem Nicensem*, ac de Glor. Confess. cap. XCVII. *Regionem Nicensem.* Arnauldus *in Martyrol. Monastico* scripsit, dum agit de *S. Valerio* 9. Cal. Augusti *Nicæ in Provincia*. Nicensem etiam, ac Nicaënsem dixere præter antiqua diplomata, quæ multa afferemus *par.* 2. S. Hilarus Papa *Epist.* 4. *ad Veranum, & Victurium*, ac nonnullæ ex lapidibus antiquis inscriptiones, de quibus inferiùs suo loco. Atque hinc factum puto, ut nunc *Gallis* audiat *Nice*, ac Italis *Nizza*, quod indè evenisse arbitratur *Cluverius*, quià *Græci* Incolæ *Massiliensium* Coloni accentum ponebant in primâ syllabâ.

5. Undè autem sæculo Caroli Magni *Bellandam* eandem *Nicæam* dictam fuisse legamus, disquirendum supererit infra *cap.* XIII. dùm de excidio ejusdem per Barbaros agemus. An porrò ab eâ nomen sortitus sit *Arnaldus de Bellandâ*, unus ex *Caroli Magni* proceribus, ac in bellicis expeditionibus individuus comes, in *Francicis* annalibus celebris, non disquiro.

## CAP. III.

### *Massilienses Græci Nicienfium Conditores.*

1. MAssilia Urbs, nomine ac vetustate Cæsari *Belli Civilis lib.* II. fortitudine, sapientiâque Valerio Max. *lib.* II. *cap.* I. percelebris, à *Græcis Phocæis*, seù *Phocensibus*, unanimi scriptorum consensu, extructa, *Nicæam* etiam missis Coloniis condidit. *Massiliensium* originem egregiè descripsit Justin. *lib.* XLIII. *Temporibus*, inquit, *Tarquinii Regis, ex Asia* Phocensium *juventus ostio* Tyberis *invecta, amicitiam cum* Romanis *junxit: indè in ultimos* Galliæ *fines navibus profecta*, Massiliam *inter* Ligures, *& feras Gentes* Gallorum *condidit: magnasque res, sivè dum armis se adversùs* Gallicam *feritatem tuentur, sivè dum ultrò lacessunt à quibus fuerant lacessiti, gesserunt. Namquè* Phocenses *exiguitate, ac macie terræ coacti, studiosius mare, quàm terras exercuere, piscando, mercando, plerùmque etiam latrocinio maris (quod illis temporibus gloriæ habebatur) vitam tolerabant. Itaquè in ultimam Oceani oram procedere ausi, & in sinum* Gallicum *ostio* Rhodani *amnis devenere. Cujus loci amœnitate capti, reversi domum, referentes quæ viderant, plures sollicitavere. Duces classis* Simos, *&* Protis *fuere. Itaque Regem Segobrigiorum*, Nannum *nomine, in cujus finibus Urbem condere gestiebant, amicitiam petentes conveniunt. Fortè eo die Rex occupatus in apparatu nuptiarum* Gyptis *filiæ erat: quam more Gentis electo inter Epulas Generò, nuptum tradere illic parabat. Itaquè cùm ad nuptias invitati omnes processissent, rogantur etiam* Græci *hospites ad convivium. Introducta deindè Virgo cum juberetur à Patre aquam porrigere ei, quem Virum eligeret, tunc omissis omnibus, ad* Græcos *conversa, aquam* Proti *porrigit: qui factus ex hospite gener, locum condendæ Urbis à socero accepit. Condita igitur* Massilia *est propè ostia* Rhodani *amnis, in remoto sinu, veluti in angulo maris. Sed* Ligures *incrementis Urbis invidentes*, Græcos *assiduis bellis fatigabant. Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut victis hostibus in captivis* al. *Capertinis agris multas Colonias constituerent.*

2. Has porrò Colonias *Polybius de Massiliensibus* loquens hisce verbis enumerat, *Aphrodisiam, Agatham, Taurentum, Antipolim, Nicæam.* Apertiùs Strabo lib. IV. *Posterioribus tamen temporibus fortitudine sua freti quosdam circumjacentium camporum in suam potestatem redegerunt, quà eadem subnixi Urbes quoque condiderunt, quibus munitionibus uterentur, ut ad* Hispaniam *contrà* Hispanos, *quibus etiam ritus* Dianæ Ephesiæ *avitos tradiderunt, eosque sacrificare* Græco *more docuerunt, ut* Rhoen, *Agatham adversus Barbaros* Rhodanum *accolentes, ut* Taurentium, Olbiam, Antipolim, *&* Nicæam *Salium genti, &* Liguribus *Alpes incolentibus opposuerunt.* Massiliensibus siquidem, ut prosequitur Justin. eodem *lib.* XLIII. *magna cum* Liguribus, *magna cum* Gallis *fuere bella, quæ res, & Urbis gloriam auxit, & virtutem* Græcorum *multiplicata victoria celebrem inter finitimos reddidit.* Hosce *Gallos*, cum quibus decertare consueverant *Massilienses*, Salyes fuisse narrat T. Livius *lib.* V. dum ait *Gallos*, qui sub *Bellovesi* auspiciis in *Italiam* expeditionem meditabantur, religione tentos, *quod allatum est advenas quærentes agrum* [ eos mox Massilienses à Phocide profectos fuisse narrat ] *ab Salyum gente oppugnari.*

3. Devictis *Saliis*, *Liguribus*que, in partæ victoriæ monumentum, *Nicæam*, ut diximus, condiderunt, quam Urbem *Massilia* multis post sæculis suæ jurisdictioni, ac Præfecturæ subditam habuit. Extat in aulâ Episcopii *Nicienfis* vetus lapidea inscriptio, in quâ nomen *C. Memmii Macrini* Quintumviri *Massiliensium*, Præfecti, Agonothetæ, & Episcopi *Nicaënsium* hujusmodi:

C. MEMMIO
MACRINO
Q̄ N̄ VIR. MASSIL.
Q. IIVI. R̄ Q̄ Q̄. ITEM
PRAEFECTO.
PRO. IIVIRO. Q̄ Q̄.
6 AGONOTHETAE.
EPISCOPO
NICAENSIVM.
AMICI.

Episcopum *Nicaënsium* hîc non Præsulem Ecclesiasticum, sed Ethnicum Magistratum intelligas velim, à verbo Græco ἐπὶ, & σκοπὸς, quod est *superintendens*, ut id vocabulum interpretantur præter alios ex recentioribus Alph. de Castro *adv. hæreses lib.* I. *cap.* XIII. & *lib.* VI. *v. Episcopus*, ac Henric. Henriquez *in Summ. Theol. Mor. tom.* I. *lib* X. *cap.* XXXII. qui Episcopum interpretatus *inspicientem*, sivè *considerantem*, ait ad rem nostram, Ethnicos id nomen tribuisse Magistratui Prætorii.

4. Nec verò *Nicienfibus* solùm, sed reliquis Monœcum usque opidis *Massilienses* imperitabant. Ptolem. *Post Vari ostium ad Ligusticum mare Massiliensium sunt Nicæa, Herculis portus, Trophæa Augusti, Monœci portus.* De Monœco portu Strabo hæc addit: *Nomen conjecturam præbet eòusque Massiliensem navigationem pertingere, distat ab Antipoli paulò amplius CC. stadiis. Indè ad Massiliam usquè, atque non nihil ulterius Salyes habitant oræ maritimæ imminentes Alpes, partemque littoris permixti Græcis.* Undè tractus illius *Massilionicienfis*, à *Monœci* statione ad *Varum* usque, Populi olim *Græci* audiverunt. Marcian. Heracleens.

*Post Liguriam autem Pelasgi sunt; qui*
*Primùm Coloni hùc ex Græcia pervenerunt.*

Nec non regio ipsa, licèt in *Italiâ* sita, *Massilia* dicta est. Docent ea Polybii verba lib. II. dicentis: *Apenninum, quà initium ejus est suprà Massiliam, & quà Alpibus jungitur Ligures habent ex utroque latere, & quod Etrusco mari obversum, & quod planitiei supradictæ.* Ubi quià *Apenninus* Strabonis, aliorumque testimonio in *Italiâ*, ac inter *Ligures* Montanos incipit, *Massiliæ* nomine regionem *Massilionicienfem* intelligendam arbitratur *Cluverius*, non Urbem ipsam *Massiliam*, cum suprà eam inter *Salyes* nequaquàm *Apennini* initium sit, ductus maximè *Eustathii*, Dionysii Scholiastis, testimonio ajentis: *Est autem Massilia non regio tantùm, sed & Urbs Ligurum in Galliâ.* Hinc non mirum si in hujus maritimæ oræ ruderibus præter *Romanos* occurrant plerùmque veteres nummi *Massilienses*, tauro in genua procumbente signati, ac ex adverso additâ voce Græca *Massiliam* indicante ΜΑΣΣΑ. nam *Stephano* dicta est promiscuè *Massilia*, & *Massalia*, unde gentilitium *Massaliota*, & *Massaliotis* mulier.

## CAP. IV.

*Nicæa Cemenelioni coæva. Utriusque antiquitas.*

1. URbium illustriorum originem, aut oblivioni, aut tenebris persæpè dedit antiquitas, hinc de *Trojæ*, ac *Romæ* initiis ortæ tot fabulæ, sivè à gemino ovo, sivè à geminis fratribus quis historiam innumeris mixtam nugis, ac fabulis orsus sit. *Nicæam*, cujus initium a *Græcis Massiliensibus* duximus, ex ruinis *Cemenelensibus* ortam vulgus incertum blaterat, sicuti ex ruinis Aquilejensibus *Venetiæ*, ac ex Carthaginiensibus *Tunetum* Urbes anteà ignotæ, imò nondum conditæ emerserunt. Hinc *Leand. Albertus*, *Augustin. Justinianus*, & *Paull. Merula*, esse asserunt qui rudera

A *Cemenelensia*, veteris putant esse *Nicææ.* Id credidit *Vincentius Barralis*, qui in descriptione situs Insulæ *Lerinensis* scripsit, *Galliam bracchatam* initium habere *à Varo flumine propè Nicæam Provinciæ olim Cimelam orientem versus.* Audivi etiam non semel Viros alioqui non indoctos, quibus prodigii loco videbantur ea, quæ de hisce Urbibus synchronis, eodemque tempore florentibus dicturi sumus.

2. At verò si veteres Geographos obitèr legant, coævas *Nicæam*, ac *Cemenelionem* liquidò judicabunt. Id præsertim ex antiquioribus *Ptolemæo*, *Plinio*, & *Antonino* liquet. Horum primus indi-
B catâ *Nicæa* ad mare sitâ, interiora, ac magis mediterranea prosequens ait, *Vediantiorum in maritimis Alpibus Cemeneleon:* Plinius apertissimè: *Igi- 7
tur ab amne Varo Nicæâ opidum à Massiliensibus conditum, fluvius Pado, Alpes, Populique Inalpini multis nominibus, sed maximè Capillati opido Vediantiorum Civitatis Cemenelion.* al. *Cemelio.* Antoninus describit iter maritimum *Nicæa Antipolim*, ac, ab *Alpe Summâ Cemenelum*, mediterraneum. Vides apud eos utriusque Urbis simul ac semel nomen commemorari. Quin immò aliquandò eodem tempore utraque decorata est Sede Episcopa-
C li, ut infrà par. 2. suo loco dicemus, cum exscribemus *S. Hilari* Papæ Epistolam, in quâ juxtà Prædecessoris sui *S. Leonis Magni* decretum, præcipit, ut *custoditis omnibus, quæ super Ecclesiis Cemeliensis Civitatis, vel Castelli*, al. *Castri Nicaënsis Sanctæ memoriæ Decessoris sui definivit authoritas, ad unius Antistitis regimen prædicta loca revertantur, quæ in duos dividi non decuit Sacerdotes.* Ex hujus epistolæ verbis *F. Jo. Jacobus Augustinensis* Gallus, cujus opus posthumum utinam aliquandò prodeat, conjectarat, stante Cemenelione *Nicæam* non Civitatem, sed Castrum, aut Castellum sollummodò extitisse, ductus fortasse *Plinii* testimo-
D nio vocantis Nicæam *opidum.* At licèt Castrum ab *Hilaro* dicatur, à priscis tamen Scriptoribus Civitas dicta est; potuit verò ejusdem *Hilari* sæculo tantus *Cemenelionis* fuisse splendor præ *Romanorum* frequentiâ, ut migrantibus eò loci Incolis, *Nicæa* aliquantispèr exciderit, Castrumque dicta sit illa, quæ olim jure Civitatis gaudebat, atque ante annos 200. à *D. Basso* scilicèt Præsules numeraverat; atque ex eo maximè id nomen ei impertivit *Hilarus*, quià *Cemenelione* tantùm, Urbe ampliùs florente, cathedram Episcopalem sisti volebat.

3. Neque verò hærendum est in eo, quòd à
E Plinio *Nicæa* dicatur opidum, nàm priscis opidum prò Civitate usurpare mos fuit: *Corinthum* totius olim *Græciæ* lumen, *Æginam*, *Megaram*, *Piræum*, opida vocat Sulpicius *in Epist.* ad Cicer. *Famil. ep. lib.* IV. *ep.* IV. quamvis, ut animadvertit *Manucius*, essent Urbes. Idem Cicero *ad Attic. lib.* XVI. *epist.* XVIII. *Antiochiam* Syriæ Metropolim, ac Orat. pro Rabir. *Neapolim* opida appellavit, quod alibi de aliis Urbibus sæpè egit. Sic *Vesontionem* Galliæ Urbem Cæsar Comm. lib. I. *Maximum, & Munitissimum Sequanorum opidum appellat.* Sic Plautus in Persâ, de Eleusipoli, quàm vocaverat Urbem ait: *Eleusipolim Persæ cepere Urbem in Arabia plenam bonarum rerum, anti-*
F *quum opidum.* Sic idem *Plinius* superiùs allatis verbis, *Cemenelioni*, opidi, ac Civitatis nomen simul, ac semel dedit, quibus similia loca sexcenta apud veteres videas, quæ, ne Lectori molestiam facessam, lubens omitto. *Nicæam* verò probant Urbem, non modò ea, quæ superiùs dicta sunt ex plerisque authoribus, sed etiam antiqua *Italicarum* Civitatum recensio, sivè is *Strabo*, aut *Ptolemæus*, aut aliquis alterutrius regestor, aut Scholiastes author sit, in quâ enumeratis illustriori-

ſtrioribus *Italiæ*, & *Corſicæ* Urbibus, *Romæ* Reginæ Urbium proximè poſtponitur *Nicæa* Maſſilienſium. ea talis eſt.

*Roma Regia* — *Ravenna*
*Nicæa Maſſilienſium* — *Aquileja*
*Tarracina* — *Beneventus*
*Neapolis* — *Capua*
*Brunduſium* — *Valeria*
*Ancon* — *Mariana.*

4. Jam verò, ut de *Nicienſis* Urbis antiquitate pauca dicam; ex tempore, quo condita eſt à *Phocenſibus* Græcis *Maſſilia*, licebit conjicere. De eâ ſic *C. Jul. Solynus*, loquens de Italiâ: *At ex alterâ parte per Ligurum oram in Narbonenſem Provinciam pergit, in qua Phocenſes quondàm fugati Perſarum adventu, Maſſiliam Urbem Olympiade quadrageſimâ quintâ condiderunt.* quamobrèm Jo. Bapt. Gueſnay *in hiſt. Maſſilien.* putavit *Maſſiliam* conditam ejuſdem Olympiadis 45. anno 3. id eſt anno creationis Mundi 3405. ab Urbe *Româ* conditâ 154. qui erat juxtà quorundam calculum ante Chriſtum natum circitèr ſexcenteſimus, regnante apud Romanos *Tarquinio Priſco*. Igitùr quandò paulò poſt Maſſiliam, *Nicæam* etiam à *Maſſilienſibus* excitatam probavimus, non longè poſt, ejus antiquitas referenda. quod idem de *Cemenelione*, à *Græcis*, ut nomen indicat, ac ſequenti capite oſtendemus, originem agnoſcente, ſtatuere æquum eſt, quùm de utriuſque initio vix certi quid, quod ad tempus ſpectat, invenire fas ſit. Et quidèm inter Urbes à *Maſſilienſibus* conditas nequaquam ultimum locum vendicat ſibi *Nicæa*, licet à *Strabone* eas enumerante, ultima indicetur, eas enim priore loco enumerat, quæ ſitu regionis,
8 *Maſſiliæ* ipſi ſunt magis finitimæ, atque adeò *Nicæam* cœteris plus diſſitam, poſtremam recenſet, quâ ratione alii ſcriptores in eodem ordine utuntur. De *Antipoli* certè *Deceatium*, quam Tacitus *hiſtor. lib.* 11. Narbonenſis Galliæ Municipium vocat, Epiſcopali Sede olim inclitâ, & quæ ab eiſdem *Maſſilienſibus* condita eſt, licèt teſte *Strabone* ab eorum juriſdictione liberata intèr *Italicas* Urbes cenſeretur, & à *Plinio* opidum *Latinorum* dicatur, ex eo conſtat *Nicæâ* fuiſſe poſteriorem, quòd nomen Græcum *Antipolis*, id eſt contraria, ſeù oppoſita Civitas, ſortita, ex ſitu *Nicææ*, cui LXXX. ſtadiorum ſpatio tantùm opponitur, deſumpſiſſe videatur; ſi enim *Nicææ* ex adverſo à conditoribus poſita eſt, ergò dicendum jam *Nicæam* præextitiſſe.

5. Ubinam, dicet aliquis, antiquitatis notæ? ubi amphitheatra, triumphales Arcus, inſcripti tituli, aquæ ductus, thermæ, aliaque hujuſmodi publica ornamenta priſcam redolentia majeſtatem? Facilis objectioni reſponſio; dicam enim cum *Auſonio* epigramm. 34.

*Miremur periiſſe homines, monumenta fatiſcunt,*
*Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit.*

frequentia ſiquidèm cumprimìs bella, quùm perſæpè ab exterorum armis laceſſita ſit *Nicæa*, antiquitatis veſtigia abſumpſerunt, tùm etiam novæ Arcis ædificationes, quam primò *Aragones*, mox *Andegavenſes*, ac poſtremò Sereniſſimi *Sabaudiæ* Duces inexpugnabilem effecere, antiquarum molium rudera, quarum veſtigia plurima videas novis propugnaculis ſaxa magnitudinis ingentis accommodaſſe, diruerunt omninò. Sciunt qui eandem Arcem luſtravere oculis rei antiquariæ non nihil ſcientiâ præditi. Ibi occurrunt ſiquidèm antiquiſſimi inſcripti Imperatoribus lapides, inter quos *Conſtantino* erectæ columnæ fragmentum hujuſmodi:

A IMP. CAES.
FL. VAL. CON
STANTINO
AVG.
. . . . . .
DIVI
P. ET . . . .

excìſi *Romano* more tumuli circà fores majoris Eccleſiæ, ac clauſtrum, ubi olim Epiſcopus, ac Canonici inhabitabant, Columnæ effoſſæ porfireticæ pluſquàm juſtæ magnitudinis.
B

6. Superſunt Urbis vicis antiquiſſima nomina, inter quæ *Campus Martius*, ſic enim in antiquis monumentis dici video eum, qui nunc à noſtris linguâ vernaculâ dicitur *Camás*, ubi nunc Eccleſia Parochialis *S. Martini*, Cœnobiumque *Auguſtinianorum*. Ibi conjicere licet fuiſſe olim Templum *Marti* Sacrum, atque ex inferiori parte campum, ſeù pratum propè *Paulonem* fluvium, ut *Romæ* propè *Tiberim*, Veſontione, ut ait Chifflet. *par.* 1. *cap.* XXXI. propè *Dubim*, in quo juventus in armis, ac ludicris exercebatur, Virorum inſignium corpora cremabantur, exercitus luſtrabantur, comitia centuriata indicebantur.
C

7. Ei, quam mòx dedimus, *Conſtantino* dicatæ inſcriptionis, aliam affinem in vetere columellâ legimus prò foribus Eccleſiæ ruralis *S. Stephani* hiſce notis inſculptam.

IMP. CAES. FL
AVIO. VALER
IO. CONSTANTI
NO. AV. I. CONSTANTI
NI PII. AVGVSTI. FI
LIO
D

quæ *Conſtantino* Juniori *Conſtantini* Magni Filio vota eſt.

## CAP. V.

*Cemenelion Urbs diruta, Nicææ finitima, cùr ſic dicta? Ejus varia nomina. Quid Cemenæum, Cemeni Montes.* 9

1. NUmerantur aliquæ in Orbe Urbes, de quibus jam tritum illud pronunciare liceat:

*Hic locus eſt ubi Troja fuit.*

veriùs de noſtrâ *Cemenelione* dixerim cum Ovidio:

E *Nunc ſeges eſt ubi Troja fuit.*

inibi ſiquidèm, ut ait Rutil. *itiner. lib.* 1. de *Populoniâ* Hetruriæ olim Urbe ſimili fato obrutâ,

*Agnoſci nequeunt ævi monumenta prioris,*
*Grandia conſumpſit mœnia tempus edax;*
*Sola manent interceptis veſtigia muris,*
*Ruderibus latis tecta ſepulta jacent.*

Agnoſcunt humanarum rerum viciſſitudinem Urbes ipſæ, non homines modò: *Omnes*, inquit Seneca epiſt. 71. *quæ uſquam rerum potiuntur Urbes, quæque alienorum Imperiorum magna ſunt decora, ubi fuerint aliquandò quæretur.* Eadem Ser. Sulpic.
F epiſt. ad Cic. *Hem nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrûm interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, quùm uno loco tot opidorum cadavera projecta jaceant.* Dixerat ſuperiùs: *Ex Aſiâ rediens, cum ab Ægina Megaram verſus navigarem, cœpi regiones, circum circà proſpicere: poſt me erat Ægina, antè Megara, dextrà Piræus, ſiniſtrà Corinthus, quæ opida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata, & diruta antè oculos jacent.* At noſtræ *Cemenelionis*, licèt quamplurimæ antiqui ſplendoris notæ interierint, nomen mortis adhùc immunæ

ne est, collis enim, in quo ea Civitas olim sita, atque ubi, quæ mox dicentur, priscæ majestatis cernuntur rudera, adhùc nomen pristinum retinet, ac vulgo *Niciensium* linguâ vernaculâ audit *Simiés*.

2. Cæterùm ejus nomen variè apud Scriptores non recentiores modò, sed veteres etiam video efformatum. Ptolem. scribit *Cemeneleon*. ejus verba: *Vediantiorum in Maritimis Alpibus Cemeneleon.* Græcè Κεμενέλεον. Plin. *lib.* III. *cap.* V. penultimam tantùm vocalem mutat: *Opidum Vediantiorum Civitatis Cemenelion*, ità enim ex emendatioribus codicibus legit eruditiss. Vir *Philipp. Cluverius*, licèt in aliis *Plinianis* exemplaribus corruptè legatur *Cemelion*, al. *Cemelio*, seù *Gemelio*. Antonino in itiner. dicitur *Cemenelum*, hoc ordine:

| | |
|---|---|
| *Albintimilium* | *M. P. XVI.* |
| *Lumonem* | *M. P. X.* |
| *Alpem Summam* | *M. P. VI.* |
| *Cemenelum* | *M. P. IX.* |
| *Varum flumen.* | *M. P. VI.* |

aliâ itinerariâ tabulâ dissimili locorum nominibus, & dimensione scribitur.

| | |
|---|---|
| *Albentimillo* | *VIIII.* |
| . . . . . | . . . |
| *In Alpe Maritima* | *VIIII.* |
| *Gemenello* | *VI.* |
| *Varum* | . . . |

In notitiâ Civitatum *Galliæ* in *Viennensi IV.* in *Alpibus* Maritimis, Civitas *Cemelevensis* indicatur hoc modo:

| | |
|---|---|
| *Metropolis Civitas Ebrodunensium.* | *Civitas Sollinienſium.* |
| *Civitas Diniensium.* | *Civitas Sanicienſium.* |
| 10 *Civitas Rigomagensium.* | *Civitas Glannatena.* |
| | *Civitas Cemelevensium.* |
| | *Civitas Vencienſium.* |

Epistola S. Hilari Papæ ad Leontium, Veranum, & Victurium vocat Civitatem *Cemelienſium*. Acta S. Pontii Mart. *Chimellam*, sivè *Cimellam*: *A finibus Italiæ transiens. Urbem sub jugo Alpium procùl sitam petiit nomine Chimellam*, al. *Cimellam*. *Cimella* itidèm Usuardo & Maurolyco in Martyrol. Pridiè Idus Maji. *Cumella* Petro de Natal. lib. IV. cap. CLXIX. In SS. Vincentii, & Orontii gestis *Cimêram* legimus penultimâ productâ. Aliquibus de S. Celso Mart. agentibus *Melia* dicitur pro *Cemelia* demptâ *Ce* primâ syllabâ. eâdem occasione Petro de Natal. lib. VI. cap. CXLVIII. *Gimellus Urbs Galliæ*, Jacobo de Vorag. *Gemel*; Vincentio Beluac. *Gimellis*; D. Antonino Archiepiscopo Florentino corruptissimè, *Gebenna*; Breviario Romano antiquo, *Cimello*; Primo Cabilonensi Episcopo in Topograph. Sanctorum, *Gabelliorum Narbonensis Galliæ Colonia*, Antonio Mariæ Speltæ in Episcopis Ticinen. in S. Syro, *Carmelus*. Pingonius in recensione dominii Sabaudici *Semelium* dixit. Posterioribus sæculis non modò *Cemelenum*, sed etiam *Cemelium*, & *Cemelam* dictam fuisse asserit Sirmondus in Valeriano. eodem in argumento variis nominibus dictam Civitatem asserit P. Rainaudus iis verbis: *Sedes itaque Valeriano Cemelii, sivè Cemellæ, aut Cemelini, totidem enim nominibus dictam invenio Civitatem, cujus nunc vix aliqua rudera supersunt propè Nicæam Salyum in colle, cui etiamnùm Cemelii appellatio, & florentis quondàm Civitatis fama, rerum vacua, durat.*

3. Hanc unâ in Urbe nominis detorsionem genuisse videtur, non tam malè emendatorum codicum corruptela quàm ipsiusmet Urbis excidium, quià prorsus deleta, posterioris ævi Scriptoribus plerisque ignota fuit. At verò si legitimam, genuinamque ejus spectes nomenclaturam, *Cemene-*

A *lion*, sivè *Cemeneleon*, quod *Plinio*, *Ptolemæo*, *Antonino* Latinè *Græcum* nomen pronuncianti, ac lapidibus antiquis probatur, arridet magis, quòd à *Cemeno* Monte, seù dicere mavis *Cemenis* Montibus, denominationem ea Urbs sortita fuisse videatur.

4. Quisnam dictus sit *Cemenus* Mons, consulendus Plinius lib. III. cap. IV. Ejus hæc verba: *At in ora opidum Latinum Antipolis, regio Deceatium, amnis Varus ex Alpium Monte Cemeno profusus*, alia exemplaria depravatè. *Monte Cema* al. *Acema*. Verùm non is solum, undè *Varus* fluvius ortum

B trahit, *Cemenus* Mons dictus est, sed quicquid Montium ad *Vari* usque ostium, atque inde ad *Ligustici Apennini* exordium tendit. docet Strabo lib II. *Alpibus circumvexam lineam facientibus, convexum earum latus prædictis* Gallorum *campis, & Cemeno Monti obvertitur, concavum* Liguriæ, & Italiæ. *Gentes multas Mons hic continet* Gallicas *præter* Ligures. *Hi quamquam alius sint generis, tamèn ratione vivendi utuntur eadem. Incolunt partem* Alpium *Apenninis Montibus contiguam, partemque aliquam ipsorum* Apenninorum *Montium tenent.* Animadvertit *lib.* III. *Ital. antiq.* Cluver. qui à *Cemenæo* solo *Cemenelionis* opi-

C di nomen agnoscit, inquiens: *Cemenus autem Mons non id tantùm jugum adpellabatur, ex quo oritur dictus amnis* (Varus), *sed quicquid hinc Montium erigitur ad Cemenæi usque opidi locum: quod à solo suo id nominis traxit.* Cemenæum opidum nostram *Cemenelionem* intelligit: de eo apud eundem meminit vetus lapis *Venciæ*, seù *Vincii Nerusiorum* hujusmodi.

MART. VINCIO. M. RVFINVS. FIL. GAI.
IIIIIVIR. ET. INCOLA. CEMENAEI
EX. VOTO.

D licèt ego *Cemenæi* nominè, non Urbem, sed agrum, aut tractum *Cemenelensem* audire malim. Eundem sensum de *Cemelionis* etymo profert *Ambr. Calepinus* impressus Tridini an. MDXXI. *Cemellio*, inquit, *opidum Liguriæ in Alpibus situm, quod à Ptolemæo Cemeneleon dicitur, quasi à Cemeno Monte videri potest appellatum.* Differt autem *Cemenus* Mons *Alpium* ab eo, qui longè ab *Alpibus* summotus, *Cemmenus* duplici *m*, in *Græco* verò exemplari apud Budæum *lib.* IV. *de Asse*, Straboni *Cimorius*, vel *Cimerius* dicitur, quem ait auri, argentique præstantissimis metallis abundare. Is *Aquitanos* à *Celtis* dividit, loco inter *Arvernos*, &

E *Helvios* sito, quem Cæsar comm. lib. VII. *Gebennam* Montem, Plinius *Cebennam* vocant. De eo plura Joannes Poldus *in Antiq. Nermaus.* pag. 201.

5. At verò potitis rerum *Romanis*, posterioribus sæculis *Cemeneleon*, seù *Cemenelion* Græcum haud dubiè nomen, latinâ inflexione, non tantùm *Cemeneleum* dicta est, ut effert Philippus Ferrarius v. *Cimela*, sed etiam *Cemelion*, & *Cemelium*, undè in *Cemelam*, *Cimellam*, aliasque, quas suprà retulimus, nominis efformationes degeneravit. Nos in hujus decursu operis ut plurimùm vetustiori, quod *Cemenelion* est, nomini insistemus, aliquan-

F dò etiam recentiores imitati, ne minùs perito Lectori obscuritati sit locus, *Cemelium* dicemus, contractiori, ac magis *Latium* redolente vocabulo. 11

6. Undè verò veteres Græci *Cemenelionem* sic appellarint, ne ineptire, ac nugas venditare videamur cum iis, qui Urbium initia ad *Janos*, *Phaëthontes*, ac *Semideos* Heroas trahunt, non gravatè rem incompertam fatebimur, silentibus Scriptoribus priscis; si autem quid divinare fas est, crediderim nomen *Cemenelion* fuisse ejus Urbis Conditoribus *Cemen-ilion*, id est, inter *Cemenos* Montes *Ilion*, sicuti enim *Æneas* ex *Asiâ* aufugit

*Ilium*

*Ilium in Italiam portans, victosque Penates,*

sic *Iones Phocæi* Trojæ Asiaticæ monumentum aliquod in novæ Urbis nomine fortaſſè ſervarunt. Et quidem perſæpè veteris *Cemenelionis* inter rudera, numiſmata inventa ſunt, in quorum parte averſâ ſculptus *Æneas* Anchiſem humero geſtans, dextrâque Palladium, ponè ſequente *Iulo*, additâ græcâ voce *Trojam* indicante ΙΛΙΩΝ, quod tamen ad hanc Urbem notandam effictum fuiſſe, affirmare non auſim.

7. Diſtabat porrò *Nicæâ Cemenelion* uno paulò minus, & dimidio *Italico* milliario, non ad littus maris, ſed in mediterraneis ſita, ut indicant in itinerario *Antoninus*, ac in deſcriptione Italiæ *Ptolem* & *Plinius*, qui propterea *Alpinis* accenſent, Septentrionem verſus in collis leniter aſſurgentis planitie, ubi nunc antiquiſſimum *B. Mariæ* dictæ de *Cimellis* Templum, ac ex inferiori parte prope *Paulonem* fluvium, vetuſta *S. Pontii* Abbatia, nec non alia, de quibus ſuo loco antiquitatis veſtigia. Non autèm ad *Vari* initium in Monte *Salyum* juxtà *Leandrum* in deſcriptione *Liguriæ*, qui non benè diſtinxit inter *Cemenelionem* Pagum ad *Vari* initium, & *Cemelionem* Urbem prope *Nicæam*, ex eo enim errandi anſam ſumpſit, quod *Cemenum* Montem, à quo denominationem cœpiſſe eam Urbem etiam ipſe admittit, in loco tantùm, ex quo *Varus* oritur, ſtatuat, *Plinii* verbis nimis addictus, non autem ad oſtium uſque ejuſdem fluvii. Vitandus hic etiam error *Roberti Cenalis* apud *Merulam*, qui, licet dubitans, *Cemelevenſem* Civitatem in notitiâ Urbium *Galliæ*, eam, quæ nunc *Gallis* eſt, *Cenez*, credidit. Ea alia eſt à noſtrâ *Cemenelione*, ſub eâdem tamen, quâ *Nicæa* olim Metropoli *Ebredunenſi*, dicta vulgò *Senecenſis* Epiſcopatus.

## CAP. VI.

*Cemenelio-nicienſis tractus Populi Vediantii, Capillati, Alpini, Ligures, Salyes olim accolæ.*

1. VEdiantii, dicti Ptolemæo Οὐεσδάντιοι, *Veſdiantii* Paullo Merulæ, potiſſima tractus *Cemenelio-nicienſis* fuere portio; eos *Antonius du Pinet* Plinii *lib.* III. *cap.* V. eoſdem cum *Nicienſibus* facit, meliùs, cum aliquibus Comitatus *Nicienſis* accolis. Eos fuiſſe puto, quorum pars maxima inter *Varum*, ac *Paulonem* fluvios ſita *Nicienſis* nunc Diœceſis eſt membrum; eorum tamen præcipua Sedes *Cemenelion* Civitas, quæ propterea Opidum *Vediantiorum* dicta eſt à *Ptolemæo*, & *Plinio*. Undè ſic fuerint hæ gentes appellatæ, non produnt veteres, ſicuti undè ſua nomina ſint ſortiti *Neruſii*, *Deceates*, *Oxibii* finitimi Populi, res obſcuritatis plena eſt. Extat *Turretis* Diœceſis *Nicienſis* pago vetus lapis inſcriptus Matronis *Vediantiabus* à *Claudio Paterno* Cemenelenſi his verbis:

12 MATRONIS
VEDIANTIABVS
P. ENISTALIVS P. F.
CL. PATERNVS
CEMENELENSIS
OPTIO AD ORDINE.
▲ LEG. XXII.
PRIMIGENIAE
PIAE. FIDELIS. L. M.

2. Capillatos ſtatuit *Plinius* in *Nicienſi* confinio cis *Varum*, unumque id eſſe ait ex multis nominibus, quibus *Alpini* appellabantur. Eorum idem author meminit *lib.* III. *cap.* XX. quod eſt de Gentibus *Alpinis*, ubi ità loquitur: *Caturiges, & ex*

A *Caturigibus orti, Vagienni Ligures, & qui Montani vocantur, Capillatorumque plura genera ad confinium Liguſtici maris.* De iiſdem lib. II. cap. XXXVII. *In capite cunctorum animantium Homini plurimus pilus, jam quidèm promiſcuè maribus, ac fœminis apud intonſas utique Gentes, atque etiam nomina ex eo Capillatis Alpium incolis Galliæ Comatæ.* Capillatorum terminos agnoſcit *Cluverius* ex occidente *Varum* fluvium, ex Septentrione *Tendanum*, ſivè *Cornelianum* Montem, ex Oriente *Intemelios*, qui Regionis tractus haud dubiè nunc *Nicienſis* Comitatus potiſſima pars eſt. Ab alendo autem capillitio, eo nomine à veteribus dicti ſunt. quod
B erat ingenuæ libertatis inſigne, præcipuè *Gallis*, & *Francis*, qui crinitis Regibus tantùm olim parere conſueverant, ſicuti è contrà amiſſâ libertate, detonſis crinibus populi, ac Reges in triumphum deducebantur; undè Ovid. lib. I. Amor. eleg. XIV.

*Jam tibi captivos mittet Germania crines,*
*Culpa triumphatæ munere Gentis eris.*

Sidon. Apollin. lib. VIII. epiſt. IX. de Francis:

*Hic tonſo occipiti ſenex Sicamber,*
*Poſtquàm victus es elicis retrorsùm*
*Cervicem ad veterem novos capillos.*

Idem fortaſſè contigit noſtris *Alpinis Capillatis*, de
C quibus Lucan. Belli Pharſal. lib. I.

*Et nunc tonſe Ligur, quondàm per colla decora*
*Crinibus effuſis toti prælate Comatæ.*

Certè eos ad *Auguſti* uſque Cæſaris tempora & *Capillatos*, & liberos extitiſſe refert Dio *lib.* LIV. in *Aug.* Cæſ. his verbis, *Tunc etiam Alpes Maritimæ, quas Ligures Capillati hactenùs liberi incoluerant, in ſervitutem redactæ ſunt.*

3. Alpes multis nominibus olim diviſæ ab infero ad ſuperum mare in Maritimas, Cottias, Grajas, Penninas, Rhæticas, Noricas, Carnicas, Julias, *tres omninò ſunt*, quæ, ut *lib.* VI. Zozimus author eſt, *in Italiam à Celtis, atque indè ulteriùs ducentia claudunt itinera*, videlicèt *Cottiæ*, *Pœninæ*, *Maritimæ*. Ex his *Nicienſis* tractus agnoſcit Maritimas, quæ à ſitu ipſo traxere nomen, eo quod *Liguſtico* immineant mari. *Alpium* porrò nomine non ſolum continuata Montium juga intelligenda, ſed quotquot minores montes *Alpibus* finitimi hinc indè ſurgunt, unde *Nicæam* tangere *Alpes*, licèt ab earum jugis diſcreta ſit, ſcripſit Pomponius Mela *cap.* V. Ac licèt Strabo *Alpium* initium deſumat ab iiſdem locis, à quibus etiam *Apenninus* Mons, à *Sabbatiis* ſcilicèt vadis; attamen à littoribus *Varo*, & *Pauloni* fluviis adjacentibus ordiuntur. Docet idem Mela cap. IV. *Alpes ipſæ*
E *ab iis littoribus longè, latèque diffuſæ, primò ad Septentrionem magno gradu excurrunt: deindè ubi Germaniam attigerunt, verſo impetu in Orientem abeunt, diremptiſque populis immanibus uſquè in Thraciam penetrant.* Quin immò, ſicuti ex *Polybio* diximus ſuperiùs *cap.* III. ipſius *Apennini* Montis radices *Nicienſibus Alpibus* annectuntur. Addendus Cato in Originib. *Apenninus Mons Italiam in duo ſecat, radices ſub Pennino tranſitu Annibalis in Alpibus à Nicæa ad ipſum fermè Penninum in latitudinem extenduntur.* Nec non C. Sempron. de diviſ. Alpium: *Alpes ipſæ tribus partitionibus ſecantur, prima Ligurum, quod ab eis oriantur, à Nicæa ad*
F *Pœninum ſequens; ab eo ad Ocram montem, Pœninus dictus à tranſitu Annibalis. Tertia Tauriſana uſque in Hiſtriam.* Ac idem Polyb. *lib.* II. ubi loquens de *Galliâ* circumpadanâ ait: *Habet autem planities iſta figuram, & ambitum ſimilem trigono,* 13
*cujus verticem contactus duorum Montium facit, Apennini, & Alpium non procùl ab Sardoo mari ſuprà Maſſiliam.* hic *Maſſiliam*, ut alibi diximus, intelligit tractum *Nicienſem* à *Varo Monœcum* uſque. Has *Alpes* primò *Hercules*, ut ſuo loco dicetur,

ex *Hispaniâ* extincto *Geryone* redux propè littus aperuit, si fabulis refertæ antiquitati quid credere fas est, postmodùm *Annibal* ferro, atque igne montium asperitatem edomuit anteà inaccessam, quod innuit Ammian. Marcellin. lib. xv. *Hanc Galliarum plagam ob suggestus Montium arduos, & horrore nivali semper obductos, orbis residui incolis antehàc pænè ignotam, nisi quà littoribus est vicina, munimina claudunt undiquè, natura velut arte circumdata.* Annibale non inferior felicissimæ memoriæ *Carolus Emanuel* Sereniss. Sabaudiæ Dux, viam pænè inviam ex Alpibus Maritimis in *Pedemontem*, longo regionis tractu præcisis Montibus, opere *Romanis* veteribus admirando, aperuit, additâ in excisâ rupe hujusmodi inscriptione propè *Saurgium* opidum:

PVBL. CISMONT. AC. CITRAMONT. DITIONIS BONO
ITAL. AC TOTIVS ORBIS COMMODO
INVIIS VTRINQ. ALPIVM MARITIM. PRAECIPITIIS
FERRO. FLAMMAQVE PRAECISIS
D. CAR. EMANVEL IIII. SABAVD. DVX XI. P.P.P.P.
PACE. BELLOQ. FELICISS.
PROPRIO MOTV PROP. SVMPTV. PROP. INDVSTRIA
HANC VIAM BASIL.
PERFECIT.

Porrò Maritimæ *Alpes* Nicæâ *Ebredunum* usquè excurrunt, in primisque totum id inter earum olim limites claudebatur, quod nunc *Niciensis* Comitatus nomine adpellatur. undè *Raimund. Marlianus* Commentariorum *C. Cæsaris* Scholiastes inquit: *Alpes Maritimæ in Provincia Ebredunensi, locisque Ligustico mari finitimis consistunt, quà ex Italia iter erat ad aggrediendam Narbonensem Provinciam.* De *Alpinis* nostratibus frequens mentio in antiquis inscriptionibus. Harum unicam exhibeo marmoream ex vetere opido *Mala Mors* Saurgium translatam, cujus hæc verba:

M. ATILIO. L. F. FAL. ALPINO. AED.
V. ATILIAE. M. F. VEAMONAE
L. ATILIO. M. F. CVPITO
C. ATILIO. M. F. ALPINO
M. ATILIO. M. F. PRISCO
ATILIAE. M. F. POSILLAE
ATILIAE. M. F. SECVNDAE
LICINIAE. C. F. CVPITAE. NEP.
T. F. I.

Adversùs *Alpinos* variâ sorte sæpè bellarunt *Romani*: ab *Appio Claudio Pulchro* bello victos, atque à *C. Valerio Falcone* Consule ad 14. millia cæsos, *Augustus* Cæsar non quiescentes delevit, quâ de re suo loco, dùm de Alpinis *Augusti* Trophæis. Posteà, ut inquit Tacit. *annal. lib.* xv. L. Memmio Regulo, & P. Verginio Rufo Coss. Nero *Cæsar nationes Alpium Maritimarum in jus Latii transtulit.* De jure *Latii* vide Rosinum *antiq. Romanar. lib.* x. *cap.* XXII.

14 4. Inter *Ligures* etiam, *Niciensis* oræ accolæ olim habiti, quorum itidèm origo *Græca*, ex *Ligure* Phaëthontis Filio, qui ab ostiis Tiberinis *Nicæam* usque Colonias deduxit. Cato in Origin. *Primus omnium Græcorum* Phaëthon *ex Atticâ solvens cum* Ligure *Filio multis ætatibus, & sæculis antè Oenotrium* Arcadem *Colonias adjecit Italico littori, ab ostiis* Tiberinis *usque ad* Nicæam *Massiliensium, & in medio portum* Ligurnum *à Filio nuncupans, ultrò, citròque littus omne* Liguriam *dixit.* C. Sempron. de *Apennino* loquens eosdem *Liguribus* terminos, ac originem tradit: *Ligures dicti*

A *sunt à* Ligure *Phaëthontis Filio, qui omnium primus multis sæculis antè* Græcos *ex* Attica *Colonias in* Italiam *transportavit, adjecitque, atque miscuit antiquissimis* Italiæ *populis, ab ostiis* Tiberinis *usquè* Nicæam. *Hinc veteres omnem maritimam dixerunt* Liguriam. *Itaquè pars* Apennini *à* Nicæâ *ad fontes* Macræ *Ligures Montanos alit, quibus origo est à Genio, & Ligure.* Contrà Montanos hosce *Ligures* repetito *Marte* Romani persæpè pugnare coacti sunt. *Ligures*, inquit L. Flor. lib. II. cap. III. *imis* Alpium *jugis adhærentes inter* Varum, *&* Macram *flumen implicitos dumis silvestribus major aliquantò labor erat invenire, quam vincere.*
B *Tutum locis, & fugâ, durum, atque velox genus, ex occasione magis latrocinia, quam bella faciebat. Itaquè cum diù, multumque eluderent saltu, viis, latebris* Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni, *tandèm* Fulvius *latebras eorum ignibus sepsit,* Bœbius *in plana deduxit,* Postumius *ità exarmavit, ut vix reliquerit ferrum quo terra coleretur.* Horum *Deceates*, & *Oxybios* Plinius *lib.* III. *cap.* V. collocat ultrà *Alpes*, & *Varum* flumen; quin immò tractum Narbonensis Galliæ *Massiliam* usque *Ligures* audivisse affirmant *Justinus*, *Livius*, *Stephanus*, aliique. Inter Montanos verò *Nicææ* proximos
C *Ligures*, dies clausisse suos creditur *Ostorius Scapula*, Vir multâ militari famâ, ut inquit Corn. Tacit. *Annal. lib.* XVI. & Civicam coronam apud *Britanniam* meritus, ingenti corporis robore, armorumque scientiâ, ac qui *Nerone* imperante longinquis in agris apud finem *Ligurum* erat. Extat in Templo *B. Mariæ* Villæveteris lapis inscriptus *Quinto Eniboudio Montano* his notis:

P. S. D. L.
Q. ENIBOVDIVS
MONTANVS. Ↄ.
D FECIT. II TALIOAE
ORDINATVS. EX
EQVO. M. ABDO
MINO. IMIMAVS
FEL. ANTONINO. V. C.
ROM. POSVIT. D.
OREVALO. L. M.

Alterius fragmentum visitur propè Templum *B. Mariæ* de Pulcro loco, in quo mentio *Aliconis* cujusdam Tribuni *Albintimiliensis*, nunc *Ventimiglia*
E antiquæ Urbis, *Ligurum* Montanorum *Entemeliorum* primariæ:

. . . O. ALICONI. TRIB.
. . . ALBINTIMILIENS.
. . . RAE. FILIO. M. AEMILIO
. . . EMILIO. PROCLO. F.
. . . RBARO. ANIENSI.
. . . IMA. CONIVGIBVS
. . . BI. VIVA FECIT.

F 5. Jam verò, ut quod de *Saliis* superest expediam; hi variato nomine dicti *Salyes*, *Salii*, *Salvii*, *Saluvii*, sivè *Salluviei* à *Strabone*, *Plinio*, *Livio*, ejusdemque Breviatore, *Floro*, antiquâ inscriptione, aliisque, inter *Ligures* transalpinos à *Justino* enumerati, ad *Nicæam* pertinuere, cujus agri primam partem, eam nimirùm, quæ in planitiem exporrecta occidentem, *Varum*que spectat, habue- 15
re, dimissâ Montanis *Liguribus* alterâ, quæ ad Orientem vergit. Eos *Strabo* ad Aquas usque sextias incoluisse scribit, ac dedisse nomen Monti *Salyo*, sivè *Salvio*, undè *Varus*; *Cemenos* ipse Mon-

tes

tes maximâ ex parte incoluisse affirmaverim, non autem, quod credidit *Jo. de Serres* author aliòqui damnatus in *Hist. Gallic.* & *Guilelmus Bellajus Langius* apud *Paradinum*, & *Merulam*, Salicas leges *Francis* percelebres ab hisce *Saliis* accepisse nomen, quùm neque *Salyum* gens ad *Salim* Franconiæ fluvium pertineret, neque id nomen omnes sibi *Celticæ* gentes vendicarent, sed tantùm aliqui *Norbonensis* Provinciæ, & Maritimarum *Alpium* Populi; nec etiam, quandò *Salicis* legibus nomen factum est, adhùc *Salyes* Francorum imperium agnoscerent. Plinius *lib.* III. *cap.* XVII. asserit *Vercellarum* illustrem Urbem, non à *Venere Trojanâ*, quod *Sicardus Cremonensis* fabulatus est, nec ab *Hercule Ægyptio Libyco* juxta consuetas *Annii Viterbiensis* nugas, sed à *Saliis Libycis* conditam, quos *Antonius du Pinet* ad eundem *Plinii* locum vocat *Nicienses* Montanos, adstipulante *Leandro Alberto*. Ab eisdem Liv. *lib.* XV. instauratam *Ticinum*, ab *Leviis Liguribus* olim conditam, innuit. *Salutiorum* itidèm, ac *Saviliani* illustrium in *Pedemonte* Opidorum crediti Conditores, referentibus Illustriss. *Franc. Augustino ab Eccl.* & *Valeriano Castilionæo*.

## CAP. VII.

*Alpium Maritimarum Cemenelion aliquandò Metropolis, ac Præsidum sedes, Romanorum frequentia.*

1. ALpes Maritimæ, quæ initio partim ad *Italiam*, partium ad *Galliam* pertinebant, in peculiarem postmodùm Provinciam fuere à *Romanis* distributæ sub *Octaviano Augusto*, qui eisdem Præsidem suum præposuit. Præsides in *Galliis* undecim omninò numerantur sub dispositione Vicarii septem Provinciarum hoc ordine in Imperii notitiâ recensiti:

*Præsides*

| | |
|---|---|
| *Alpium Maritimarum.* | *Novem Populorum.* |
| *Alpium Penninarum, & Grajarum.* | *Narbonensis Primæ.* |
| | *Narbonensis Secundæ.* |
| *Maximæ Sequanorum.* | *Lugdunensis Secundæ.* |
| *Aquitanicæ Primæ.* | *Lugdunensis Tertiæ.* |
| *Aquitanicæ Secundæ.* | *Lugdunensis Senoniæ.* |

Hisce Provinciis dignitate præstabant sex Consulares, *Viennensis*, *Lugdunensis*, *Germaniæ* Primæ, *Germaniæ* Secundæ, *Belgicæ* Primæ, *Belgicæ* Secundæ. Aliquantò diversè easdem Provincias enumerat Sex. Ruffus Festus in Breviar. rerum gest. Pop. Rom. *Sunt Galliæ*, inquit, *cum Aquitaniâ, & Britanniis Provinciæ decem, & octo. Alpes Maritimæ, Provincia Viennensis, Narbonensis, Novem populana, Aquitaniæ duæ, Alpes Grajæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ: In Britanniâ Maxima Cæsariensis, Flavia Cæsariensis, Britannia Prima, Britannia Secunda &c.* Alio verò, atque alio ordine sequenti ævo eas Imperatores distribuerunt. Porrò qui primo loco indicatur Præses *Alpium* Maritimarum, is est, de quo apud Paull. Merulam *Cosmog. par.* II. *lib* IV. *cap.* V. meminit veteris inscriptionis *Aureliano* Augusto, ut videtur, dicatæ fragmentum hujusmodi.

16 PIO. PRINCIPI
. . . INVICTO
RESTITVTORI. ORBIS
PROVIDENTISSIMO
. . . . RETRO. PRINCIPVM
. . . R. OMNES
FORTISSIMO
NANVS. RVF. KARVS. V. F. PROC. II.
PRAEFECTVS. ALPIVM. MARITIMAR
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQ
EIVS.

A Alia duo fragmenta rescripsit Jo. Bapt. Guesnay *in Annal. Massil.* ex Templo Episcopali *Venciensi* satis labefactata. Horum unum sic habet:

MASSILIEN
SIVM
DEDICANTE
PROCAG. EX . . .
. . . MARITIMA
RVM

B Alterum verò sic:

CVRANTE. AC . . .
IVL. HONORATO
P. PRAESID. ALP
. . . . . .

2. *Alpium* Maritimarum primitùs Metropolim, ac Præsidis sedem absque discrimine *Cemenelionem* nostram constituo. Docent imprimis antiquissimæ infrà adducendæ inscriptiones, tùm Cornelius Tacitus *historiar. lib.* III. qui postquàm *lib.* II.
C dixerat, Maritimas *Alpes* tenuisse *Marium Maturum Procuratorem*, Præsidem scilicet, [procurare enim Provinciam, ac præesse idem fuit apud *Romanos*, ac ideò de *Pontio Pilato* Præside, qui ab eodem Tacito *annal. lib.* XV. Procurator *Judææ* vocatur, scribitur Luc. III. *procurante Pontio Pilato Judæam.*] ut sedem ejus doceret, egisse ait non procul *Herculis Monœci* Portu, quem esse *Villamfrancam* alibi ostendam, in Urbe, quæ, ut ex ejusdem *Taciti* historiâ eruitur, alia erat ab *Intemelio*, *Antipoli*, & *Forojulio*, procul dubio *Cemenelione*. Non egisse siquidèm tunc *Nicææ*
D eundem Præsidem verosimile est, & quià *Massiliensibus* subdita, & quià ex eodem Tacito, *Marius Maturus* in Urbe aliquantispèr à littore dissitâ tunc diversatus fuisse videtur. Haud gravatè ipsius Historici verba exscribam: *Fabius Valens è sinu Pisano sævitiâ maris, aut adversante vento, Portum Herculis Monœci depellitur. haut procul indè agebat Marius Maturus, Alpium Maritimarum Procurator, cujus Sacramentum cunctis circà hostilibus non exuerat.* Cæterùm ex conjecturâ tantum Marius Maturus *Cemenelione* tunc sedem fixerit; alios tamen ibidèm Præsides certioribus novimus monumentis, *Dinovatum* ex SS. Nazarii, & Celsi, *Perennium* ex S. Bassi, *Claudium* ex S. Pontii
E Martyrum actis.

3. Nec desideranda in antiquissimis inscriptionibus *Cemenelensium* Præsidum nomina. Harum una sese offert in vineâ Domini *de Gubernatis* propè amphitheatrum his erbis notata:

P. AELIO. SEVERINO 17
V. E. P.
PRAESIDI. OPTIMO
ORDO. CEMEN.
PATRONO

F En ibi laudatum *Publium Ælium Severinum* Præsidem. Alia non longè posita inscriptio laudibus effert *Marcum Aurelium Masculum* Præsidem, urgentis annonæ sincerum præbitorem, & publici aquæductus instauratorem.

M. AVRELIO. MASCVLO
V. E.
OB. EXIMIAM. PRAESIDATVS
EIVS. INTEGRITATEM. ET
EGREGIAM. AD. OMNES. HOMINES
MANSVETVDINEM. ET. VRGENTIS
ANNONAE. SINCERAM. PRAEBITIONEM
AC. MVNIFICENTIAM. ET. QVOD. AQVAE
VSVM. VETVSTATE. LAPSVM. REQVI
SITVM. AC. REPERTVM. SAECVLI
FELICITATE. CVRSVI. PRISTINO
REDDIDERIT.
COLLEG. III.
QVIB. EX. SCC. P. EST
PATRONO. DIGNISS.

4. Si *Cemenelion* Præsidum Sedes, atque *Alpium* Maritimarum metropolis, quî fieri potuit, ut in notitiâ Provinciarum *Galliæ*, seù Civitatum, in *Viennensi* IV. prior locus *Ebreduno* tribuatur, quæ postmodùm etiam in Ecclesiasticis, Archiepiscopalis Sedes, atque earundem Maritimarum *Alpium* Metropolis facta est, Civitas autem *Cemelevensis* septimo loco enumeretur? Dicendum obitèr, Provincias, licèt sub *Augusto*, eo, quo diximus ordine sint distributæ, mutatis postmodùm rerum vicibus, seù ob commodiorem regiminis usum, sivè ob Barbarorum incursus, aliamve ob caussam, fuisse interdùm quoad sedes, & Præfecturas ad alium ordinem redactas: multa enim, ut alii Cæsares omittantur, immutavit, dum *Arelate* degeret *Constantinus*, sub quo censent aliqui descriptam eam, quæ circumfertur, *Galliæ* Civitatum notitiam. undè, quia non semper eâdem in Urbe perstitit eadem præfectura, statuendæ *Galliarum* Metropoli, sedi scilicet Præfecti Prætorio *Galliarum*, laborant recentiores, quam plerique *Viennam*, *Arelatum* alii, nonnulli *Lugdunum*, *Trevirim* multi putarunt. Et quià ut plurimùm sæcularem politiam in statuendis Provinciarum, & Episcopatuum Sedibus Ecclesia secuta est, in Ecclesiasticis Provinciæ Metropolim fuisse aliquandò *Cemenelionem*, videri potest ex epist. *S. Hilari* exhibendâ *par.* 11. in quâ *Ingenuus Ebredunensis*, Provinciæ jure ab *Auxiano* se spoliatum conqueritur, ut eam epistolam *Severin. Binius* interpretatur: qui *Auxianus* creditus *Niciensis*, aut *Cemenelensis* Præsul, jura antiqua fortasse repetere nitebatur.

5. Præsidum, qui sedem habuere aliquandò *Cemenelione*, sicut & aliorum per *Romanorum* Provincias, potestas, & insignia varia apud Cassiod. *lib.* VI. *epist.* & alios. Jus scilicèt figendi clavi, lati clavi, gladii gestandi, infularum, prætextæ, purpuræ, anuli aurei, vasorum, equorum, vehiculorum, apparitorum, scipionis eburnei, sellæ curulis, & similium.

18 6. Ex dictis quis arguat *Romanorum* in *Cemenelensi* Urbe frequentiam, cujus inter rudera, agri pars adhùc nostro ævo *Plagæ Romanæ* nomine indigitatur, ut in publicis tabulis nonnullis videre est; ibi forsitan olim vicus aliquis à *Romanis* advenis cumprimis inhabitantibus nomen sortitus. Tumuli *Romanorum* epitaphiis inscripti visentibus non uno loco occurrunt. Unicum exhibeo marmoreum, quod prostat suprà januam Ecclesiæ *S. Pontii*, in quo *Flaviæ Bassillæ* Dominæ *Romanæ* nomen, ejusque Conjugis *Aurelii Rhodismani* Auguris, Filiorumque *Alpini Martii*, & *Aureliæ Romulæ*.

M. M. A.
FLAVIAE. BASILLAE. CONIVG. CARISSIM
DOM. ROMA. MIRAE. ERGA. MARITVM. AMORIS.
ADQ. CASTITAT. FAEMINAE. QVAE VIXIT
ANN. XXXV. M. III. DIEB. XII. AVRELIVS
RHODISMANVS. AVG. LIB. COMMEM. ALP.
MART. ET. AVRELIA. ROMVLA. FILIA.
IMPATIENTISSIM. DOLOR. EIVS. ADFLICTI
ADQ. DESOLATI. CARISSIM. AC MERENT. FERET.
FEC. ET. DED.

Eandem *Romanorum* frequentiam in *Cemelionicensi* viciniâ indicant familiaria *Romanis* nomina, & agnomina *Juliorum*, *Serviliorum*, *Valeriorum*, *Verorum*, *Maniliorum*, *Gabiniorum*, *Cassiorum*, aliorumque similium in lapideis tumulis extantia, quorum aliqua exscripsimus, & datâ occasione imposterùm exscribemus nonnulla.

## CAP. VIII.

*Ordo Cemenelensis, Senatus, Collegia.*

Coloniæ, & Municipia, ad instar *Romanæ* Urbis, tres Civium Ordines complectebantur, Senatorium, Equestrem, & Plebejum, undè tritum illud Ausonii Edyll. XI.

*Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.*

Hi Ordines olim *Cemenelione*. Extat mentio Nobilissimi Ordinis *Cemenelensis* in antiquâ inscriptione votâ *Corneliæ Saloninæ* Augustæ in hæc verba:

CORNELIAE. SALONINAE
SANCTISSIM. AVG
CONIVG. GALLIENI
IVNIORIS. AVG. N. ORDO
CEMENEL. CVRANT
AVRELIO. IANVARIO
V. E.

Ut plurimùm autem in veteribus monumentis, Ordo simpliciter dictus, qualis etiam superiori cap. dicitur in inscriptione *P. Ælii Severini* Præsidis, *Cemenelensis*, indicat Equestrem, seù Militarem, eam nimirùm exercitus partem, quæ fuerat ab Imperatoribus per varias Orbis *Romani* Provincias dispertita, per Legiones, cohortes, manipulos, centurias, turmas. Egisse aliquandò in hoc Regionis tractu Legionem Vigesimam Secundam Primigeniam, Piam, Fidelem, sic dictam, & *Huberto Goltzio* in suo antiquitatis thesauro notam, 19 videri potest ex inscriptione, quam de *Vediantiis* agentes superiùs *cap.* VI. dedimus, ubi *Claudii Paterni* Civis *Cemenelensis*, ejusdem Legionis, Optionis, nomen inscriptum. Erat autem Optio Centurionis Coadjutor, pedestribus copiis præpositus, de cujus potestate *Polybius*, *Varro*, *Festus*, & *Vegetius* apud Jo. Rosinum *antiq. Rom. lib.* X. *cap.* VII. sic dictus, eo quod Centurioni à Tribuno fieret optio adsciscendi sibi ad id muneris quem mallet. Confirmor in sententiâ, dum in viciniâ ultrà *Varum* propè fluvium *Lupum* legere contigit inter vetera rudera hujusmodi inscriptionem, in quâ de eâdem Legione extat mentio:

C. IVLIO. FLAVIANO. CORNICVLARIO
LEG. XXII. P. P. P. F. STIPENDIORVM
XVII. QVI. VIXIT. ANN. XXXV. MENSIB
XI. DIEB. XXV.
COCCIA. CHRYSIS. CONIVGI
INCOMPARABILIS. PIETATIS

Huic

Huic Ordini Militari fortasse olim adscriptus *Claudius Viaco* Miles, Cohortis Primæ, Centurio; Centurionem enim indicat id signum, 7, de quo Pier. Valerian *in Hierogl. lib.* XXXVII. & XLII. cujus nomen in vetere inscriptione, ex Ecclesiâ *S. Bartholomæi* in hortum Ducalem translatâ, his verbis concipitur:

TI. IVLIO. VELL.
ACONIS. FILI
CL. VIACO
MILES. CO. I. NAVT
7 IIIIVIRIS
HERED. EX. TES. H. S.

Nec non *Cosconius Gallus*, uti ex fragmento propè Trophæa *Augusti* adfixo Templo *Divæ Catharinæ*:

. . . . . . DES. EX TEST.
L. AEMILIVS BANNO
CRISPVS IBZALA
COSCONIVS. GALLVS
MILES

2. Senatum etiam, uti insigniores Coloniæ, ac Municipia, *Cemenelion* habuit. Docent ea verba inscriptionis superiùs datæ *cap.* VII. *num.* 3. COLLEG. III. QVIB. EX. SCC. P. EST; quæ sic interpretor: *Collegia tria, quibus ex Senatus consulto Cemenelensi potestas est.* Collegia erant varii Artificum conventus, *Romæ* primùm à Rege *Numâ* instituti. De hisce Collegiis vide Jo. Rosinum *antiquit. Rom. lib.* VIII. & de Senatu *lib.* X. *cap.* XXIV. aliosque.

## CAP. IX.

20 *Antiquitatis vestigia, Amphitheatrum, Aquæductus, Thermæ.*

1 CEmenelionis antiqua rudera invisentibus, primate se offert moles amphitheatri, cujus forma

*Clauditur in teretem longis anfractibus orbem,*
*Complectens geminas æquo discrimine metas,*
*Et spatium mediæ, quà se via tendit arenæ.*

Non circulari integrâ formâ, sed oblongâ, aut ovali, amphitheatrum suum construxere *Cemenelenses*, undè eam molem ovum aliquandò veteres appellarunt; in eo gladiatorii ludi, scenica spectacula, aut è caveis prodeuntium ferarum certamina edebantur. Gradus maximâ ex parte detrivit ætas, porticus, ac caveæ nonnullæ supersunt; arenam, inferiorem amphitheatri partem, arenâ sterni solitam, ut sine læsione luctantes caderent, oliveta, ac vineta impediunt, adeò ut cessantibus jam in amphitheatro spectaculis, hoc solùm ibidem spectare liceat, temporis omnia deglutientis trophæa. De *Cemenelensi* amphitheatro plura in *D. Pontii* Martyris actis, inter cœtera iis verbis: *Claudii jussu præparatur amphitheatrum, statimque egressi duo venatores cum tauris, & ii cum secundum consuetudinem in media arena institissent, & Sancto Dei belluas provocassent, ursi exeuntes de cavernis singuli &c.* Quo nam verò tempore hoc amphitheatrum constructum sit, nondùm conjicere licuit, certum tamen est antè *Valeriani*, & *Gallieni* tempora ædificatum.

2 Secùs dicendum de Aquæductibus, undè opere arcuato

*— — longè venit altior amnis*
*Et cadit in montem, patulisque canalibus actus*
*Circumfert clausum cava per divortia flumen.*

A Eos siquidèm [& si primarius deductor nos lateat] instauratos fuisse à *M. Aurelio Masculo* Præside probant ea inscriptionis verba, quam superiùs cap. VII. attulimus: *Et quod aquæ usum vetustate lapsum, requisitum, ac repertum sæculi felicitate cursui pristino reddiderit.* Illud (Sæculi felicitate) annum fortasse innuit sæcularem, quo id actum est, conditæ Urbis *Romæ*, sivè *Cemenelionis* centesimum, aut, quod sub *Philippis* Imperatoribus factum est, millesimum. Annum siquidèm Sæcularem *Romani* non modò omnis generis ludis, ac spectaculis, sed publicorum etiam operum innovatione,
B ac rerum copiâ felicitatis ergò auspicabantur: undè Horat. in carm. Sæculari:

*— apparetque beata pleno*
*Copia cornu.*

Antiquissimam prætereà fuisse hanc aquarum deductionem, ex eo conjicias, quod dicitur aquæ usus vetustate lapsus. Uberes eò loci fontium rivos, ex agri *Niciensis* parte *Gairaút* nostratibus dictâ deduxerant veteres. Vidimus ipsi nostro ævo, quod multis sæculis, Patribus atque Avis cælarat aggesta humus, per montis interiora longo regionis tractu, foraminato per cuniculos saxo, adeò ut ingressis, præeuntibus facibus, incolis
C nondùm primaria apparuerit scaturigo, largè defluentes uberes rivos, ac uberiores futuros, quandò egesto eo, quod eosdem incolas ulteriùs progredi vetuit, limo, purgetur usque ad sui exordium aquæductus. Id certè opus concameratis fornicibus, atque ad hominis altitudinem, muro hinc indè bitumine interlito, continuum, tale est, ut veterum in aquis vestigandis solertiam admirari nos cogat. Alia aquarum fluenta ex fonte Templi, quem etiam fama est per montis viscera longo tractu deductum, licèt nondùm quis id vestigare sategerit; ac aliundè ex loco dicto *Falconetum* hauserant prisci *Cemenelenses*, ubi etiamnùm
D canalium vestigia, ac plumbeæ alicubi fistulæ dicuntur viticolis occurrisse. Supersunt nunc horum aquæductuum reliquiæ, fornices lapidei, sivè arcus nonnulli in vineâ Domini *de Gubernatis*, ubi olim Urbis pars frequentior, ex quibus aquæ, postquàm usui publico suffecissent, in thermas, atque Artificum officinas desinebant, undè in *Paulonem* fluvium exonerabantur.

3. Thermarum vestigia propè *Apollinis* Templum, de quo mòx, ipsi vidimus grandibus saxis in Orbem dispositis constrata, visebanturque inibi aquæ excipiendæ, ac lavationibus apta balinea, antequam locus novo ædificio obtegeretur.

E

## CAP. X.

*Templa Deorum, vetus Incolarum Religio, Signa, Epitaphia, Numismata.* 21

1. LIcèt *lib.* II. *de Legibus*, sub personâ Attici, *Ciceronis* testimonio, Strabonis *lib.* XV. ac D. Augustini *lib.* IV. *de Civ. Dei cap.* VI. ex Varrone, *Persæ* vetere instituto nulla Diis suis Templa, aut delubra erigerent, immò *Persis* authoribus, inquit idem Cicero, *Xerses inflammasse Templa Græciæ dictus sit, quòd parietibus includerent Deos, qui-*
F *bus omnia deberent esse patentia, quorumque hic Mundus omnis Templum esset, & domus*, ac licèt Romani eodem ritu, Templis, simulacris, Deorumque statuis centum septuaginta primis annis ab Urbe conditâ caruerint: attamen postmodùm cæca vetustas:

*Templa Diis centum cunctis immania Regnis*
*Centum aras posuit.*

Id olim antiquissimum apud *Græcos*, quorum ritu, ac ceremoniis Templa struere, Diisque sacrificare, à *Phocensibus Nicienses*, reliquarumque ab eisdem conditarum Urbium Populi edocti sunt

*Strabone* teste, qui præcipuè *Dianæ Ephesiæ* ritus, ac sacra tradita refert. Hinc veteribus incolis mos inolevit, *Herculem* à *Græcis* maximo in cultu habitum, inter tutelaria numina adsciscere. Ei eodem *Strabone* referente, Templum percelebre, in propinquo Portu erexerant, qui propterea *Monœcus* dictus est, sivè quià solus ibi, ut infrà dicemus, cùm de eo Portu loquemur, idem habitaverit *Hercules*, seù quià, ut docet Servius *in Virg. comm.* nullus alius Deorum in ejus fano positis simulacris coleretur.

2. *Apollinem* etiam inter Deos suos nobili loco habuere iidem *Græci*, ut potè cujus Templum *Deliacum*, *Delphicum*que oraculorum causså maximè expeteretur. Hujus Templum *Cemenelione* adhùc visitur, dejectoque licèt tecto, ac fornice, priscam tamen redolet majestatem, ac superstitiosum Gentium cultum. Ibi olim erat prisca fides tripodum, obscurique recessus, ex quibus insaniens æstro Sacerdos, veris falsa

*Involvens multâque tegens ambage canebat.*

Cùr autem id Templum *Apollini* potiùs, quàm alii ex veterum Deorum acervo adjudicemus, movent *D. Pontii* acta, in quibus scribitur *Claudium* Præsidem in Amphitheatro sedentem dixisse Pontio; *Ecce proximè venerabile Apollinis Templum, accede, & sacrifica:* quæ verba ad id, quo de agimus, *Apollinis* Templum, referri verosimile est, brevi siquidèm spatio distat ab eodem amphitheatro, passibus non plus quam XXX. Falluntur verò qui eam molem palatium Præsidis putant, quod dedocet vel lippos ipsa forma; sivè antiquam Christianorum Ecclesiam; id, vel ex eo improbatur, quòd non semèl ibidem Deorum simulacra ex aggestâ humo eruta sunt, atque aliæ superstitiosæ antiquitatis notæ, nè urgeam antiqua Christianorum Templa Orientem respexisse, illud vero in meridiem vergere. Nunc ex eo Templo sola restat, quæ dicebatur antiquis basilica, & pars cellæ Sanctioris, porticus verò, quarum vestigia videas, solo tenùs prostratæ sunt, confractæque statuæ, quæ ibidem dispositæ erant, & quarum aliqua busta trunca in apricum protulit ætas nostris temporibus, pluresque proferrentur, si altè defosso solo egereretur humus. adeò ut de *Apolline Cemenelensi* id, quod de *Apolline Palatino* dixit *Ovidius*, effari licuerit:

*Quæ nunc sub Phœbo, Ducibusque palatia fulgent,*
*Quid nisi araturis pascua bobus erunt!*

Eò loci alia disjectorum Templorum rudera cernere est, quæ privatis ædificiis inservierunt.

3. Simulacra, signa, & sigilla multa veteres ruinæ exhibuerunt, quæ tamen ut plurimùm, nostrorum incuriositas Civium inventa neglexit, ex marmore trunca comminuens, ex ære integra conflans. Vidimus sanè ærea hujusmodi non semèl sigilla affabrè facta, veterum Deorum imagines repræsentantia, *Cemenelione* inventa; inter quæ habemus in Musæolo nostro simùl cum plurimis veterum numismatibus, ex ære signum, Genium exprimens, pileatum, ac floribus redimitum in capite, cujus dextera gestat pateram, quo vasorum genere utebantur in Sacrificiis, sinistra cornu copiæ, ponè ex cubito descendente palliolo, cætera nudo corpore, qualis formæ in *Maximiani* nummo meo exhibetur idem Genius, ubi ex unâ parte Imperatoris vultus, additis notis, MAXIMIANVS NOB CAES, ex aliâ, Genii, quam diximus, figura, cum radiante Stellâ, ac litteris, GENIO POPVLI ROMANI. Genium veteres cum putabant, quem nos dicimus Angelum tutelarem, unde *Symmachus* in libello ad Theodos. Imp. *Varios*, inquit, *Custodes Urbibus mens divina distribuit, ut animæ nascentibus, ità Populis Fatales Genii dividuntur.* Quâ de re *Prudentius* in eundem *Symmachum* plura. Cùr autem eâ forma effingeretur, latè prosequitur Thomas Dempsterus *Antiq. Roman. lib.* II. *cap.* XIV. qui plura de ejus cultu, & veterum circà eum opinione loquitur.

4. Quod autem veterum *Cemelio-niciensium* ritus sacros nonnullos edocet, legimus pro foribus Ecclesiæ Arcis *Niciensis*, olim Cathedralis, inscriptionem hujusmodi:

P. PETREIO. P. F. Q. QVADRATO. ET. P. EVA
RISTO. LAIS. MATER. STATVAM. POSVIT. OB
CVIVS. DEDICAT. COLIGENT. EPVLVM. EX. MORE
EX. IP. . . . H-S XII. . . VT QVOD ANN. IN PER
PET. DIE. NATAL. QVADR. V. ID. APR. QVA
RELIQVIAE. EIVS. CONDITAE. SVNT. SACRI
FICIVM. FACERENT. AN. FARE. ET. LIBO. ET. IN
TEMPLO. EX. MORE. EPVLARENTVR. ET. RO
SAS. SVO. TEMPORE. DEDVCERENT. ET. STA
TVAM. DECERNT. ET CORONARN. QVOD. SE
FACTVROS. RECEPERVNT

Hic omnia obvia, & perspecta *Romanarum* antiquitatum non ignaris; apud *Romanos* siquidèm, hujusmodi sacrificiis, epulo, libo, rosis, & coronis, defunctorum memoriæ affines parentare consueverant, statuas insupèr ob rectè factorum merita eis ponentes. De libo, Ovid. Fast. lib. I.

*Indè vocor Janus, cui cum Cereale Sacerdos*
*Imponit libum, farraque mixta sale.*

Virgil. lib. VII. Æneid.

*Corpora sub ramis deponunt arboris altæ,*
*Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas*
*Subjiciunt epulis.*

De rosis, & coronis in defunctorum gratiam adhibitis similes inscriptiones profert Pier. Valerian. *Hierogl. lib.* LV. qui propterea id à veteribus factum ait, quod rosæ, & flores imbecillitatis, mortalitatisque humanæ sint Symbolum. Certè *Ausonii* est, illud celebre dictum de Rosis, Edyll. XIV. canentis:

*Quàm longa una dies, ætas tàm longa Rosarum,*
*Quas pubescentes juncta senecta premit.*

undè Anacreon Rosam dixit, *non inutilem sepultis.* Quâ, ut canit Claudian. lib. II. de raptu,

*Grata coronati peragunt convivia Manes.*

5. Mortuorum sacrificia admonent, ut aliqua ex iis, quæ olim in viis, ac triviis eminebant, epitaphia proferamus: ea mortuorum tumulis inscripta, hùc, illùcque translata sunt, ad antiquas præsertim Ecclesias agri *Niciensis*, locorumque finitimorum, alia privatis inserviere ædificiis, seù certè

certè ab ignaris, titulis, characteribusque nudatæ; nam teste Ausonio

*Mors etiam saxis, nominibusque venit.*

Igitur ut aliquam hujusmodi antiquitatum studiosis gratiam ineam, eos imitatus, qui talia Urbium suarum monumenta sedulò exquirere sategerunt, horum aliqua exscribam, paucioribus contentus, ne minùs antiquitatem sitientibus molestus sim. Ea, quà integris, quà exesis notis, sic exhibeo.

---

23 Niciæ in Horto Ducali.

L. SERVILIO. L. F. ROGAT
L. SERVILIVS. T. VIENES. ET
I. SERVILIVS. ABASCANT
ET. SERVILIA. I. LIB. I. AN
ONIMO. PATRONO
SVA. VOLVNTATE
FECERVNT

---

Ad D. Bartholomæi in Cœnobio FF. Capuccinorum.

SPARTAC. PATERNAE. VXORI. RARISS
CVIVS. IN. VITA. TANTA. OBSEQVIA. FVER
VT. DIGNE. MEMORIA. EIVS. ESSET. REMV
NERANDA. . . VERDVCC. MATERNVS
OBLITVS. MEDIOCRITATIS. SVAE. VT
NOMEN. EIVS. ETERNA. DILECTIONE
CELEBRARETVR. HOC. MONIMENTVM
INSTITVIT.

---

Ibidem.

MEMORIAE. CATTIAE. EVCARPIAE
CONIVGIS OPTIMAE
C. MVLTEIVS. SECVNDINVS. MARIT. C.

---

In Templo S. Michaëlis de Barbalatà.

AB. RV. PATERNA. Q. F. ABV. MA. V. E.
R. FREQVENTIANV. IN CON. MORI
NO. XXX. RELI. FILI. VER. VRSVI. V
MES. VII. QVI. MORI. BIMVLVS. MES. VI.
DIE. XIIII. ABRV. PATERNA. FILIO
POSVIT

---

Propè Faliconum in vineâ Domini de Tondutis.

VIPPIA. CLEMENTILIA. MATER
COMINIAE. MARCIAE. FILIAE. PIEN
TISSIMAE. QVAE. IMMATTRA. MORTE
DECEPTA. VIX. ANN. XIIII. M. IIII
D. V. MAERENTISSIMA. EI. CO....
....TVM. FRATRES. FECERVNT

---

In Templo S. Silvestri.

AN. IV.
ALBICOIAAGA
TEIEMERIS
MERENTISSIME

---

In Monasterio S. Pontii.

C. VALERIAE. CANDIDAE. PIISSIMA
MORTE. SVB .... VALERIVS. VICTOR
SECVNDINA. ET. NEPOTILLA. FILIAE
.... FECERVNT

---

24 Ibidem.

MATTVCIAE. PATERNAE. EX. PAGO
LICCIRRO VICO. NAVELIS IMMATV
RA. MORTE. SVBTRACTAE. AN. XXV.
M. V. L. MATVCCIVS. VARINVS. ET
AELIA. MATERNA. PARENTES.

---

In agro Cemenelensi.

TI. IVLIO. T. IVLII. FR. MI.
DVPLICI. CO ---I. NAVT
LIB. FAVSTO. PATRONVS

---

A

Ibidem.

SEX. CASSIO. L. F.
CAM. ALB. PRIAMVS. I.
F. D. S.

---

Ibidem.

L. NONIO. QVADRATO. CO. I. NAVT.
S. MVMIVS. Q. MANILIVS. ET. CAI.
VENIVS. RVFVS. D. S.

---

Ibidem in Cœnobio FF. Reformatorum de Obser.

PETRONIAE. VERAE. MATRI. PIISSIMAE
FILIVS. VERVS. V. E.

---

B

In Arce Niciensi.

ALBICCIAE. Q. F.
PAVLLINAE
ALBICCIA. VRSIONI
FILIA. GALLA

---

In Castro Drappi.

D. A. M.
LICINIVS
DIONYSIVS
LICINIO
* PLACIDO
C FILIO. CARIS
SIMO. FECIT

---

In Templo B. Mariæ Villæveteris.

C. ANTESIO. VELOCI
C. AITVNIAE. M. F.
CORNELIAE. L. ANTESTIO
VERO
ANTESTIA. C. F. POLIA
PARENTIBVS. ET. FRATR.

---

In Ecclesia Parochiali Isiæ.

D LVCIVS. VIATTIVS. MACRINVS
ET. AEMILIA. P. F. IB. I. P.
L. VIATTIO. MACRO. FILIO
FVRCIAE. M. ET. SECVNDAE
AEMILIAE. M. ET. MARCELLAE
VIVI. FECERVNT

---

25 In agro Turretarum.

MARCIA. VERIA. METTIAE. FVSCINNAE
MATRI. PIENTISSIMAE. POSVIT

Inter *Cemenelionis* rudera, Fratres de Observantiâ Reformati, non antè multos annos invenisse se
E dicunt in horto suo perantiquum laterem, incertum quo casu postmodùm deperditum, in quo unico verbo comprӕhensa inscriptio

MARIANILLA

an id nomen *Marianillæ* Fœminæ Christianæ, ac primariæ Civitatis, à *S. Nazario* Baptismate ablutæ, ac *S. Celsi* Matris, tumulo olim appositum? incertum.

6. In tumulis hisce lapideis aliquandò fictiles lychni, ac urnæ cineribus plenæ inventæ sunt, nec non vetera numismata. Hæc in *Cemenelensi*
F confinio, ærea, argentea, aurea viticolis, rusticisque nostratibus tot occurrunt, ut ærarium historicum conflare sibi ex illis paulò studiosior venerandæ antiquitatis quivis *Niciensis* Civis potuerit. Quorum numismatum multos Serenissimo olim *Sabaudiæ* Duci *Carolo Emanueli I.* oblatos esse accepimus. Multos habet in suo instructissimo antiquitatis thesauro Inclytus *Monœci* Princeps *Honoratus Grimaldus*. Quamplurimos servant rei antiquariæ bono nati *D. Joannes Baptista Planavia* Saurgiensis J.U.D. Vir veterum monumentorum

torum, ac bonarum artium amantiſſimus, ac ex noſtris Civibus *D. Juſtus Rubeus* J. U. D. nec non *D. Joannes Franciſcus Pejire* Nicienſes, apud quos etiam extant ſculptæ in veteribus gemmis effigies ſuprà artem pulcherrimæ. Nec hujuſmodi monumentis perquirendis noſtra omninò non deſudavit induſtria, qui in percharum, licèt exiguum Muſæum noſtrum, ſuprà ducenta antiquiſſimorum, probatorumque numiſmatum, hinc indè, ac præſertim in *Cemenelenſi* ſolo, inventa retulimus; multòque plures invenientur, quoties libebit

*Sub terris ſcrutari cæca metalla,*
*Depoſitas & opes.*

At verò, undè nam tot nummi? *Spargebant illos*, ait Chiffletius, *in ludis, in ſacris, aliquandò deponebant in Templis, & verò etiam offerebant in poculis*; adde etiam, quòd mortuorum tumulis, & cineribus inferebant, ut dixi ſuperiùs, & liquet præter alia ex edicto *Theodorici* Regis apud Caſſiodor. *lib.* IV. *epiſt.* 30.

## CAP. XI.

*Varus, Paulon Nicienſium Fluvii, Fontes præcipui nominis, Agri amœnitas, Ingenia, Opes nativæ.*

1. *Varus*, quem Vibius Sequeſter in Catalogo fluminum, *Rubiconem* antè dictum, malè affirmat, & qui à Pomponio Mela de ſitu Orbis cap. IV. *Varum* neutro genere effertur, trium tantummodò mille paſſuum ſpatio *Nicææ* Urbi finitimus eſt, *Italiam* inter, ac *Galliam*, ut initio diximus, limes conſtitutus à veteribus, qui, C. Sempronio teſte, *tranſalpina ad inferum mare partiti ſunt per amnes.* Ex quo fortaſſe impegit Sequeſter; *Rubicon* enim, ultrà quem ex bellicâ expeditione in Urbem redeuntes proferre arma, & ſigna ex S.C. vetabantur *Romani*, etiam ipſe *Celtas* inter, ſeù veteres *Gallos*, ac *Italos* terminus creditus eſt, *Gallos* nimirùm *Tranſpadanos*, *Ciſpadanos*, & *Boijos*, qui inter *Italos* poſtmodùm fuere enumerati. De quo Lucan. lib. I.

*Gallica certus*
*Limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis.*

*Varum* aliqui dictum putant à variando, eo quòd non continuo, ac unito labatur alveo, ſed vada interſecet, varietque in plura, ut vocant brachia, ſeù ramos. Quod ex eo videtur evenire, ſeù quià non eâdem ſemper fluat aquarum redundantiâ, ſed prout nives liquantur ex montibus intumeſcat, vel minuatur, ſeù quià Montium anguſtiis alicubi ſeptus, liberiorem nactus campum, ut in ſubjectam planitiem decurrit, variè, ut diximus effundatur.

2. Meliùs autem à fluctibus tortuoſis, *Varo* nomen *Calepinus*, aliique factum arbitrantur. Vari ſiquidem ii ſunt, quorum crura introrsùs obtorta,
26 pedeſque arcuati, undè voces *varicare*, ac *divaricatus*, atque ex eo percelebris *Varorum* familia olim *Romæ*. Igitur *Varus* huic fluvio nomen, cujus aquæ curſu tortuoſo, ac ſpiris ſerpentium non abſimiles labuntur. Oritur *Plinii* teſtimonio ex Monte Salyum *Cemeno*, aliàs malè *Cemâ*, quâ de re plura ſuperiùs *cap.* V. primarioſque fontes ex Interamnenſi viciniâ, vulgò *Entraunes* accipit, quod in recenſione Opidorum Dominii *Sabaudici* notaſſe *Pingonium* memini. Antequàm *Nicæam* inter, *Antipolim*que, ex quarum primâ XX. ex alterâ verò LX. ferè ſtadiorum, ut ait *Strabo*, ſpatio diſtat, *Tyrrhenum*, ſeù *Liguſticogallicum* mare ingrediatur, minoris nominis fluvios ſinu excipit. *Recepit* enim (verba ſunt Paulli Merulæ Geogr. par. II. lib. IV. cap. XI.) *quà Occidentalior ejus ripa, & Gallica fluvios, qui vulgo Gallorum audiunt, Caremp, Lavaire, Eſteron, quà*
A *Orientalior, & Italiam ſpectans, la Lince, & la Veſubie, quorum alter in Itinerariâ tabula Vulpis nominatur, poſterior credo.* Falli hic veroſimile eſt *Merulam* putantem *Veſubiam* fluvium eum, qui in Itinerario *Vulpis* dicitur: is enim, ut ex ejuſdem itinerarii poſitione, atque ex pronunciandi affinitate liquidò apparet, *Varum* non ingreditur, ſed intrà *Varum*, *Antipolim*que eſt, Lupus, *le Lop*, nunc dictus, quomodò forſitan idem itinerarium, à librariorum poſtmodùm inſcitiâ corruptum ſcripſit, *Lupum* in *Vulpem*, æquè noxias feras, commutante, non probandâ metamorphoſi. Addendus fluvius *Varo* exceptus *Tinæa* ex *S. Stephani*
B Caſtro, qui propterea *Tinæenſis* dictus eſt, in *Varum* labens, ac *Sellonus* propè *Gilletam*, notante *Pingonio*, in eundem confluens.

3. Cœterùm *Varus*, eò quod, ut diximus, vada interſecet, navium, mercibus è mari in mediterranea avehendis, nequaquàm patiens eſt, neque ubertate piſcationis incolis admodùm utilis, quin immò maximè noxius, eos ſæpiſſimè agris mulctat, alveum ſuum vicinorum damno prolatans, hoc ſolùm, ut ait *Mela*, aliquantò notior, quià *Italiam* finit, arcetque *Gallos*. Quod autem ait Strabo, *Varum* æſtate parvum, hyeme ad ſeptem
C ſtadiorum latitudinem augeri, id potiùs vere aperiente contingit, quandò ſole liquante

*Fluvii ſtrepunt*
*Hyberna nive turgidi.*

quod præcipuè *Varo* accidit, quem Montes hybernâ nive graves undequàque coronant, licèt hyeme etiam propter imbrium copiam ſæpius intumeſcat. De eo præter *Plinium*, *Strabonem*, cœteroſque Geographos, meminere L. Florus lib. III. cap. II. *Varus victoriæ teſtis, Iſaraque, & Vindelicus amnis, & impiger fluminum Rhodanus.* Cæſar Belli Civ. lib. II. *Hoc ejus præſcripto ex Hi-*
D *ſpania ad Varum flumen eſt iter factum, atque ibi reliqua pars exercitus dimiſſa eſt.* Martyrologium Rom. 5. Decembris, aliique recenſiti ſuprà *cap.* I.

4. *Paulon* alter *Nicienſis* agri, minoris, quam *Varus* nominis, fluvius eſt. Eum ſic vocare malim cum *Pomponio*, quam neque cum recentioribus nonnullis *Palionem* nemine ſcriptorum veterum ſuffragante, neque *Padum*, ſivè *Padonem* cum *Plinio*, cujus vulgata editio fortaſſe hâc in voce, ſicuti in aliis multis, corrupta, eget manu medicâ, ubi longè aberravit *Antonius du Pinet*, qui in *Plinianâ verſione* Gallicâ *lib.* III. *cap.* V. hunc fluvium dixit, *le fleuve du Pò.* Nunc apud incolas nomen obtinet *Paglion.* Ejus ortus, at-
E que origo ſupra *Eſcarenam* Pagum, undè multis auctus torrentibus, *Nicææ* Urbis mœnia, ex occidentali parte, proximè alluit, indè mari, poſt quatuor circiter leucarum decurſum, mergitur, quò fama eſt, ut ſuo loco narrabitur, ejuſdem *Paulonis* fluvii aquis exceptum, delatum fuiſſe abſciſſum *S. Pontii* Martyris Caput Sacrum. Imminet *Pauloni* firmiſſimi operis Pons ſæpius inſtauratus, quem cum, ut ait *Revellus* in ſuo diario M.S. anno MDXXX. fluvius dejeciſſet: *M.D.XXX. Die Dominicâ, Nona Octobris*, inquit ille, *maxima aquarum inundantia Nicææ Pontem, poſſeſſio-*
F *nes, ac muros innumerabiles violentèr, ruinantèrque dejecit*; ſequenti MDXXXI. à DD. *Ludovico Cais*, *Leontio Larde*, *Hugone Gapeano*, *Joanne Barraſe* Coſſ. *Nicienſibus*, ære publico, firmiori opere inſtauratum eſt, addito (quod firmitatem ſolidiùs ſtabiliret) *B. Mariæ* non ineleganti ſacello, quod adhùc extat, docente marmoreâ inſcriptione in ejuſdem Pontis baſe appoſita, in quâ ejuſmodi diſtychon legiſſe memini:

*Pons ſacer exhauſtas celſis de Montibus undas*
*Reſpuit, & rapidas hìc Palionis aquas.*

5. Non

5. Non solùm fluminibus *Niciensis* ager alluitur, sed saluberrimis, perennibusque fontibus est irriguus. Nempè

*—— —— fontibus omnia puris*
*Hic sunt irrigua, & rivi de rupe cadentes*
*Prata per, & campos labuntur murmure dulci.*

27 Fontes præcipui nominis multi sunt. In primis occurrit is, cujus aquas superiùs *cap.* IX. in *Cemenelensem* aquæductum derivatas diximus, Fons Templi, quem nonnulli ex vocabuli allusione putant ab antiquis dictum *Tempe*, eò quod loci amœnitas *Thessalica* Tempe referre videatur, quæ descripsit Plinius *lib.* IV. *cap.* VIII. & *lib.* XXXI. *cap.* II. ubi nimirùm:

*Est nemus Hemoniæ, prærupta quod undique claudit*
*Sylva, vocant Tempe per quæ Penæus ab imo*
*Effusus Pindo spumosis volvitur undis.*

non absimilia *Tempe* nostratia, in quibus licèt Fons irriguus spumosis non volvatur undis, attamen lenis, ac blandus, ex circumfusâ sylvâ digressus, ac inter consitos varii generis hortos dilapsus, cursu operosissimo quamplurimas volubiles rotas facit, totamque subjectam in theatri formam planitiem irrigat. Ut propterea *Tempe*, id loci, veteres, non abs re potuerint appellasse. Id credidit inter cœteros *in paneg. de S. Basso* P. Aloysius Juglaris disertissimus nostro ævo Orator Niciensis, qui eò loci olim concessisse putat *Juliam Procillam* Cnæi Julii Agricolæ Forojuliensis Matrem illustrem fœminam, motus iis Corn. Taciti verbis in vitâ ejusdem Agricolæ. *Sequens annus gravi vulnere animum, domumque ejus afflixit. nam classis Othoniana licenter vaga, dum in Templo (Liguriæ pars est) hostiliter populatur, Matrem Agricolæ in prædiis suis interfecit; prædiaque ipsa, & magnam patrimonii partem diripuit, quæ causa cædis fuerat.* licèt sciam Paul. Merulam *Geog. par.* II. *lib.* IV. *cap.* XXXIX. ac Cluverium *Ital. antiq. lib.* I. *cap.* VIII. suspicatos subesse mendum, legendumque *dum Intemelios, Liguriæ pars est, populatur*, Intemelienses, seù Albintimilienses scilicèt, quò idem Tacitus *Hist. lib.* II. irritatum *Othonis* militem vertisse iras scripsit. Certiorque sit conjectura, eam agri *Niciensis* partem, *Templum* dictam ab antiquâ *Beatæ Mariæ* dictæ *de Templo* Ecclesiâ, ac Templariorum Equitum inibi diversorio.

6. Celebres insuper sunt *Richerii* fontes, quibus *Richeriorum* familia olim *Niciæ* multis potens opibus nomen fecit, & quorum pars subterraneis deducta fistulis intrà Urbis mœnia DD. *Jo. Francisci Rocamauta*, *Joannis Pejire*, *Andreæ Genuini*, *Gasparis Emelini* anno MDLXI. Consulum industriâ, publicis in foris prosiliebat, in Ducalem demùm hortum desinens. Ea verò ut propiùs mare minorum fontium incremento aucta est, *limpidæ* nomen acquirit, ea est aquæ pellucidæ, ac vitro, chrystalloque persimilis copia.

7. Esset hic locus, ut de fonte illo, sivè profunditatis, per ima scopulorum viscera, incredibilis, puteo, multa dicerem, quo Serenissimus *Sabaudiæ* Dux *Carolus* cognomento *Bonus*, Niciensem Arcem, inter Orbis miracula adscripsit, seù salubritatem, sivè numquam deficientis aquæ copiam, nullâ hostium vi avertendam spectes, nisi *Joannes Botterus*, Anonymus Gallus *in libro de dominiis & Imperiis*, aliique scriptores præoccupassent. Id certè opus, *Germani* excogitatum Artificis tale est, ut frustrà *Romanorum* in perfodiendis Montibus peritiam, aut *Ægyptiorum* in insanis molibus astruendis ingenium quis desideret, adeò ut meritò *Mutius Justinopolitanus*, acris Vir judicii, ac variæ scriptionis, qui diutiùs *Nicææ* est diversatus, ut ipse suis prodit epistolis, Mun-A di prodigium, Miraculumque appellasse creditus sit.

8. Non omittendi fontes,

*Qui dulces media maris in salsedine manant.*

quâ enim parte aggeratis scopulis, Occidentem, atque Austrum versus, eadem telluri, pelagoque minitabunda exsurgit Arx, ac, ut alicubi legisse memini, *ventris speciem refert, ad hostium scilicèt ludibrium, in quem tela contorqueant, si modò possint*, prosilit non uno loco, irriguo, ac perenni cursu, eadem ex *Niciensis* Arcis puteo redux aqua, naturâ naviculariorum commodo consulente, ex durioris scopuli rimis; quin immò ex ipsâ maris salsedine, dulcissima alicubi emergit, festivum, tranquillo B præsertim mari, spectaculum.

9. Habet denique *Niciensis* ager, quem Rustici dixere antiquo vocabulo *Fontem Sanctum*, ut multos alios sileam. Huic divinationis, ominationisque aliquid incolæ inesse contendunt. Arescit enim semper quietâ, pacatâque Republicâ, licèt multis imbribus, aquisque humescat annus: animadversum autem est, novi aliquid, infaustique ut plurimum portendisse, quandò ex arescenti solo emersit ultrò, siccatis præsertim reliquis scaturiginibus, atque æstivo tempore. Id antè *Turcico-gallicam* obsidionem anno MDXLIII. Pestiferam luem anno MDLXXXI. & MDCXXXI. atque non C antè multos annos, imminente Civili Bello, aliasque publicas clades contigisse notatum est. De ejus fontis mirâ naturâ *D. Antonius Ludovicus Audibertus* Medicus *Niciensis* eleganti poëmate disseruit.

10. Hinc *Niciensis* agri temperiem, atque a- 28 mœnitatem datur conjicere. Illa equidèm tanta est, ut nulli hâc in parte Urbi, non modò in *Italiâ*, sed neque intrà *Europam* concedat! Cœli verò clementiam non satis quis dignè laudibus celebret. Nota, & comperta dico. Ex hâc beatâ, ac felici Orâ, semper aspera hyems exulat, floresque, ac varii generis fructus gignens, perpetuò vernat humus. Hic, licèt *Alpibus* sit finitimum, dixerim, de nomine tantùm nives novisse vulgus, adeò ut integro decennio, vix semel decidisse compertum sit. Neque æstivus urit agros sirius, latratusve immodicos edit canis, furitve immitis leo. Ecquidem (verbis utar litterarum Soc. Jesu annuarum, quas in paneg. de D. Basso citat. Aloys. Juglaris) *Ager non admodùm latè patet, sed ob collium amœnitatem, ubertatem soli, Cœli clementiam, quâ nullum in Europâ dicitur esse salubrius, omninò visendus.* Dixerit olim Ludov. Revelli: *Est Nicænus ager, licèt exiguus, fertilitate tamen omnium fertilissimus, aquarum inundantiâ irriguus, ac omnium* E *arborum genere consitus, soli fertilitate, pabuli ubertate, situ, salubritate, ac temperie, benignoque ventorum afflatu undique perpollens.* Undè non mirum, quòd *Andreas Thevetus* Gallus, *Engolismensis* Cosmographus, qui, teste Gabriele Michaëlis *in Viris illustribus Galliæ*, decem, & septem annorum spatio Orbem terrarum peragravit, *lib.* XVI. *cap.* XVII. se *Niciensi* solo nullum Urbi condendæ aptius, humanæque vitæ accommodatius vidisse, aut calcasse alicubi dicere ausus sit; quod eò verius esset, si mœnium septa angustiis, domibusque nimium in altitudinem excrescentibus, Cœlo, ac sole liberiùs Civitas frui posset. Quamobrèm jure illud *Ausonii* dictum de *Burdigalâ*, unâ F immutatâ voce accommodaverim nostræ Urbi:

*Nicæa est natale solum: clementia cœli*
*Mitis ubi, & riguæ larga indulgentia terræ,*
*Ver longum, brumæque breves, juga frondea subsunt.*

Non mirum igitur si Cœli clementiam, ac genium, ingenia consequantur. Patria enim nostra præstantium Mater fœcunda Virorum est; quos (absit invidia), si litterarum studiis addicas, mirum quantùm brevi proficiunt, excelluntque; Nec sola

sola hæc fuerit nostrorum temporum laus, quandò nimis obvia viluit *Minerva*, laurúsque *Apollineas* quælibet profert humus, sed etiam antiquiorum. Certè *Ludovicus Revelli* non semel laudatus, ævo jam suo, anno scilicèt MDXXI. inter eximia Patriæ *Niciensis* decora, agnosci *celeberrimos legum Doctores, totam illustrantes Urbem, ceù Phœbi lumina Mundum.* Æquum foret hic illustrium Virorum syllabum texere, qui monumentis suis rem litterariam auxerunt, nisi id præstitisset ex parte maximâ eruditissimus *Franciscus Augustinus ab Ecclesiâ* Salutiensis Præsul, cui *Sabaudica, Pedemontana,* ac *Niciensis* Ora multimodè ejus studiis illustrata quamplurimùm debet.

II. Opes *Niciensis* soli nativas, Auctor libri Gallici *Les Estats, & Empires* nuncupati enumeravit; Nec non in *Relationibus* Italicè conscriptis Joannes Botterus, ac *lib.* I. *procem. Progress. Eccles. Occid.* Paulus Britius Albensis Episcopus, de antiquitate *Sabaudici* Dominii Ecclesiasticâ perquàm benè meritus. Quamobrèm cum nihil suprà addere mens sit, hoc unum dico, *Niciensem* agrum omnibus, qui Mortalium non modò necessitati, sed etiam deliciis sufficiant, fructibus abundare. Ac licet *Cererem* præ finium angustiis, parciorem ferat; attamèn collibus, qui in theatri formam circumeunt, ubiquè excultis, *Baccho* passim litatur. *Niciensis* porrò Comitatus, licèt naturâ loci Montibus ubilibet exsurgentibus circumseptus, sterilitatem aliquam præ se ferre videatur; nihilominus, nisi (quod rarò evenit) annonæ caritas obstet, & quod incolarum usui satis sit, habet, & quod ad exteras Regiones transmittat. *Alpes* Maritimæ lætis pascuis divites, numerosa alunt armenta. Has inter *Brigienses, Saurgienses, Brelienses Alpes* plantis rarissimis sunt ad medicinæ usum refertæ, quæ tamen à nostris, aliena admirari solitis, negligantur persæpè. Manna alicubi, pharmacopolis maximè exquisitum, exhibet *Boleanus* tractus. Ibi etiam in sylvis, æmulæ Cœlo arbores, quæ, secundo flumine *Varo*, in mare advectæ, à naviculariis expetuntur. Marmor in iisdem *Alpibus* propè littora pretiosissimum, ac discolor, sed quod in magnæ molis columnas efformare nequàquam liceat. Mare verò non modò omnis generis piscium capturâ copiosissimum, sed corallio etiam abundat. Fluvii *Rutuba, Bibera, Bibonia, Liventia, Esubia,* seù *Vesubia,* aliique ex *Alpibus Niciensis* Comitatus delapsi, exquisitioribus piscibus expetiti. Mellis suavissimi non parva ibidem copia. Olei præstantissimi ingens vis. Laneus, lineus, cannabinusque proventus maximus. Leguminum, reliquorumque fructuum, mirum quantum in Maritimam Oram *Genuensem* transmittit. Malis citriis, limoniis, Persicis, cedrinis, horti ubiquè propè *Nicæam* consiti, qui mirâ varietate quicquid herbarum, & fructuum alibi gentium locis diversis gignitur, uno in loco suas opes omnes prodigente naturâ, mortalium usui, labore non
29 improbo accommodant.

## CAP. XII.

### *Bellorum in Niciensi confinio strepitus sub Massiliensibus, & Romanis.*

I. COEli, solique *Niciensis* felicitas persæpè exteros invitavit, ut de *Longobardis* in *Italiam* ab ipsius *Italiæ* ubertate, *Narsetis* operâ, invitatis tradit Paulus Diaconus *lib.* I. qui in incolarum damna, enses, ac tela acuerent. Ut primùm appulsâ classe, consilium novæ Urbis condendæ inivere *Massilienses*, non antè id præstiterunt, quàm devictis *Saliis*, à quibus persæpè *Nicienses* exagitati, nec non *Antipolitani.* Quamobrèm exposcentibus *Massiliensibus*, in Salyes *Romani* non semel adversa signa tulerunt. L. Flor. lib. III. cap. II. *Prima trans Alpes arma nostra sensere Salii, cum de incursionibus eorum fidissima, atque amicissima Civitas Massilia quereretur.* Epitome T. Livii lib. XLVII. anno U.C. DLXXXVII. ait à Q. Opimio Consule Transalpinos Ligures (hi erant iidem cum Saliis) bello subactos, *qui Massiliensium opida Antipolim, & Nicæam vastabant.* lib. LX. anno U.C. DCXXVII. eosdem domitos refert his verbis: *Fulvius Flaccus primus omnium Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium adversus Salvios Gallos, qui populabantur fines Massiliensium.* insuper lib. LXI. anno Urbis conditæ DCXXXI. *C. Sextius Proconsul, victâ Salviorum gente, Coloniam Aquas Sextias condidit.* ac lib. LXII. anno U.C. DCXXXV. *Cn. Marcius Cos. Salvios gentem Alpinam expugnavit.* Paul. Orosius histor. lib. V. cap. XIV. vocat Q. Marcium, ac belli Seriem referens ait: *Q. Marcius Consul Gallorum gentem sub radice Alpium sitam* (ii erant, ut suprà diximus, Salyes, Narbonensis Galliæ, & Comitatus Niciensis pars) *bello aggressus est: qui cum se Romanis copiis circumseptos viderent, belloque impares fore intelligerent, occisis Conjugibus, ac liberis, in flammas sese projecerunt. Qui verò, præoccupantibus Romanis, peragendæ tunc mortis suæ copiam non habuerant, captique fuerant, alii ferro, alii suspendio, alii abnegato cibo se se consumpserunt: nullusque omninò vel parvulus superfuit, qui servitutis conditionem vitæ amore toleraret.* tantus erat in *Salyum* gente vitæ despectus, & conceptum contrà *Romanos* odium, ut licèt tot afflicti cladibus, jugum tentarint excutere: quamobrèm denuò anno U.C. DCLXIII. ut narrat *lib.* LXXIII. eadem Livii epitome, *C. Cæcilius* in Galliâ transalpinâ *Salvios* rebellantes vicit.

2. Nec verò semper *Romanus* victor. nam à Liguribus *L. Bæbium* Orosius *lib.* IV. *cap.* XX. ad internecionem usque deletum narrat, juxtà fines procul dubiò *Niciensium*, quandò factum *Romæ* nuntiatum à Massiliensibus ait. *L. Bæbius,* inquit ille, *in Hispaniam proficiscens, à Liguribus circumventus, cum universo exercitu occisus est: undè, adeò ne nuntium quidem superfuisse constat, ut internecionem ipsam Romæ Massilienses nuntiare curaverint.* Non abs re itidèm quis conjiciat, circà *Vari,* ac *Nicææ* confinia actum, quandò teste Livio *lib.* XL. anno U.C. DLXVIII. *Ligurum* duo millia ferè ad extremum finem Provinciæ *Galliæ,* ubi castra *Marcellus* habebat, venerunt, uti reciperentur orantes.

3. *Annibale* Carthaginiensium Duce *Italiam* infestis signis petente, anno C.U. DXXXII. vidit *Nicæa* instructissimam *P. Cornelii Scipionis* classem, qui ut lib. XXI. ait Livius, *profectus ab Urbe sexaginta longis navibus, præter Oram Hetruriæ, Ligurumque, & indè Salyum, mox pervenit Massiliam, & ad proximum ostium Rhodani castra locat.* Anno verò DXXXIX. alterius *Scipionis,* prioris Filii (cui, ob magnarum rerum in *Aphricâ* gestarum, *Aphricani* cognomen cessit) eodem itinere classis objecta est. Idem Liv. lib. XXVI. *Ità cum XXX. navium classe [ omnes autem quinqueremes erant ] ostiis Tiberinis profectus, præter Oram Thusci maris, Alpes, atque Gallicum sinum, & deindè Pirenes circumvectus promontorium, Emporiis Urbe Græca ( oriundi & ipsi à Phocæa sunt ) copias exposuit.* Romanorum victricia arma sensit in Bello *Allobrogico* Niciensis Comitatus, quandoquidèm L. Florus *lib.* III. *cap.* II. vocat *Varum* victoriæ testem. In eo bello sub *Cn. Domitio* Proconsule juxtà opidum *Vindalium,* seù *Vintalium* epitome Livii *lib.* LXI. ac Orosius *lib.* V. cap. XIII. pugnatum ajunt, cæsaque XX. millia *Allobrogum,* tria millia capta, causa autem inferendi belli fuit, eo quòd *Allobroges*

*ges* Teutomalium *Salyum* Regem fugientem recepiſſent, atque *Heduorum* agros eſſent depopulati.

30 4. Inter Montanos *Nicienſis* tractus accolas multi, qui *Salyes*, qui *Ligures* anno U. C. DL. à *Gallis* exciti *Alpinis*, & *Tranſalpinis*, *Galliam Ciſalpinam* invaſerunt nihil opinantibus *Romanis*. Liv. lib. XXXI. *Inſubres, Cenomanique, & Boji excitis Salliis, Ilvatibuſque, & cæteris Liguſticis Populis, Hamilcare Pœno Duce, qui in iis locis de Aſdrubalis exercitu ſubſtiterat, Placentiam invaſerant, & direpta Urbe, ac per iram, magna ex parte, incenſa, vix duobus millibus hominum inter incendia, ruinaſque relictis, trajecto Pado ad Cremonam diripiendam pergunt.*

5. Sed, ut ad inferiora tempora deſcendamus, quo tempore diviſâ in plures factiones Republicâ, Imperium *Othonem* inter, *Vitellium*que diſtractum eſt, *Nicienſis* Ora cum reliquâ *Galliâ Narbonenſi* Vitellii partes ſecuta, ab *Othonianis* eſt laceſſita. Ingens certamen inter partes ſecutum eſt in initio *Alpium* Maritimarum, atque *Antipolim* inter, *Entemelium*que, non longè procùl dubio à *Nicæâ* Urbe, conveneruntque ex parte *Vitellii* inter cæteros Montani noſtrates *Alpium* accolæ. Non pigebit Corn. Taciti *hiſtor. lib.* II. verba referre hujuſmodi: *Blandiebatur cœptis fortuna, poſſeſſa per mare, & naves majore* Italiæ *parte, penitùs uſquè ad initium Maritimarum* Alpium, *quibus tutandis, aggrediendæque Provinciæ Narbonenſi*, Suedium Clementem, Æmilium Pacenſem, Antonium Novellum *Duces dederat* (Otho). *Sed* Pacenſis *per licentiam Militum victus*, Antonio Novello *nulla auctoritas*, Suedius Clemens *ambitioſo imperio regebat: ut adverſus modeſtiam diſciplinæ corruptus, ità præliorum avidus. Non* Italia *adiri, nec loca, ſedeſque Patriæ videbantur: tanquàm externa littora, & Urbes hoſtium, urere, vaſtare, rapere: eò atrociùs, quòd nihil uſquam proviſum adverſum metus. pleni agri, apertæ domus; occurſantes Domini juxtà Conjuges, ac liberos, ſecuritate pacis, & belli malo circumveniebantur. Maritimas tùm* Alpes *tenebat Procurator* Marius Maturus. *Is concita gente (nec deeſt juventus) arcere Provinciæ finibus* Othonianos *intendit. Sed primo impetu cæſi, disjectique Montani, ut quibus temerè collectis, non caſtra, non Ducem noſcitantibus, neque in victoria decus eſſet, neque in fuga flagitium.* Pergit narrare acta in eo itinere *Intemelii*, pòſtque initum, propiùs *Galliam Narbonenſem*, certamen proſequitur. *Imminere Provinciæ* Narbonenſi *in verba* Vitellii *adactæ, claſſem* Othonis, *Fabio Valenti trepidi nuntii attulere. Aderant Legati Coloniarum auxilium orantes. Duas* Tungrorum *cohortes, quatuor Equitum turmas, univerſam* Treverorum *alam, cum Julio Claſſico Præfecto miſit, è quibus pars in Colonia* Forojulienſi *retenta: ne omnibus copiis in terreſtre iter verſis, vacuo mari claſſis acceleraret. Duodecim Equitum turmæ, & lecti è cohortibus adversùs hoſtem iere: quibus adjuncta Ligurum cohors vetus loci auxilium, & quingenti Pannonii nondùm ſub ſignis. Nec mora prælio: ſed acie ita inſtructa, ut pars claſſicorum mixtis Paganis in colles mari propinquos exſurgeret, quantùm inter colles, ac littus æqui loci Prætorianus Miles expleret, in ipſo mari ut annexa claſſis, & pugnæ parata, converſa, & minaci fronte prætenderetur.* Vitelliani, *quibus minor peditum vis, in Equite robur*, Alpinos *proximis jugis, corhortes denſis ordinibus poſt Equitem locant.* Treverorum *turmæ obtulere ſe hoſti incautè, cum exciperet contrà veteranus Miles, ſimul à latere ſaxis urgeret apta ad jaciendum Paganorum manus: qui ſparſi inter Milites, ſtrenui, ignavique in victoria idem audebant. Additus perculſis terror, invecta in terga pugnantium claſſe: Ità undiquè clauſi, deletæque omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuiſſet obſcurum noctis, obtentui fugientibus. Nec* Vitelliani, *quanquàm victi quievere: accitis auxiliis ſecurum hoſtem, ac ſucceſſu rerum ſocordiùs agentem invadunt, cæſi vigiles, perrupta caſtra, trepidatum apud naves, donec fidente paulatim metu, occupato juxtà colle defenſi, mòx irrupere. Atrox ibi cædes, &* Tungrarum *cohortium Præfecti ſuſtentata diù acie, telis obruuntur. Ne* Othonianis *quidem incruenta victoria fuit, quorum improvidè ſecutos converſi Equites circumvenerunt. Ac velut pactis induciis, ne hinc claſſis, indè Equites ſubitam formidinem inferrent*, Vitelliani *retrò* Antipolim *Narbonenſis Galliæ municipium*, Othoniani Albingaunum *interioris* Liguriæ *revertere.*

## CAP. XIII. 31

*Cemenelionis excidium. Clades Nicienſium à Barbaris.*

1. LEvius fuerat bellorum incommoda pati, niſi ea ad inſtar turbinis, Urbes aliquas, non excuſſiſſent modò, ſed penitùs obruiſſent. adeò ut illud incerti Poëtæ verè illis aptari queat ex Græco redditum: *Civitatem hanc mortui priùs viventem reliquerunt, nos verò viventes Civitatem efferimus.* Eadem nos de *Cemenelione*, quam mortuam obruit tantus, tegitque tumulus, ut non floruiſſe tantùm, ſed nec umquàm vixiſſe quis ambigat. Ejuſmodi mali originem Salvianus Maſſilienſis *lib.* VI. *de vero judic. & provid.* hominum ſcelera fatetur. *Dixi de Urbibus præclariſſimis, quid reliquæ in Galliarum partibus Civitates? numquid non conſimilibus habitatorum ſuorum vitiis conciderunt?* Idem lib. VII. *Judicamur etiam præſente judicio à Deo, & ideò excitata eſt in perniciem noſtram, ac dedecus gens ignaviſſima, quæ de loco in locum pergens, de Orbe in Orbem tranſiens, univerſa vaſtaret. ac primùm de ſolo patrio effuſa eſt in Germaniam primam nomine Barbaram, ditione Romanam, poſt cujus exitium primùm arſit regio Belgarum, deindè opes Aquitanorum luxuriantium, & poſt hæc corpus omnium Galliarum.* Loquitur de *Gothis*, & *Wandalis* Salvianus, quorum primos ex *Pedemonte* Provinciam *Narbonenſem* ingreſſos, vaſtataſque ab iis *Graſſam*, & *Antipolim* finitimas *Nicææ*, *Varo*que Urbes, eſt qui aſſerat *Jo. de Serres* Gallicæ ſcriptor hiſtoriæ, in *Clodovæo*. De *Wandalis* verò Zozimus *lib.* VI. ait *Conſtantinum* univerſis collectis copiis *Alpes Maritimas*, *Cottias*, & *Pœninas* idoneo præſidio munire decreviſſe, eo quod *Arcadio* VI. & *Probo* Coſſ. [erat is ex faſtis Capitolinis *Onuphrii Panvini* annus Chriſti CCCCVII.] *Vandali Suevis*, & *Alanis* permixti ſuperatis hiſce locis, nationes *Tranſalpinas* vaſtaſſent, editâque ingenti cæde, *Britanniarum* etiam exercitibus formidabiles extitiſſent. Hinc nuperus *Gallophocenſis* hiſtoriæ ſcriptor credidit primam *Cemenelioni* à *Gothis*, ſivè *Wandalis* illatam cladem ab anno CCCC. uſquè ad D. quo medio tempore adhuc floruiſſe, indicant *D. Valeriani*, ac *Magni* Præſulum *Cemenelenſium* tempora, ac varia numiſmata inter ejus rudera inventa, eâ ætate imperantium Cæſarum vultu notata. Quamobrèm à *Longobardis* dirutam fuiſſe eam Urbem certior eſt conjectura.

2. Prædixerat *Longobardorum* adventum S. Hoſpitius: *Venient*, inquit, *Longobardi in Gallias, & vaſtabunt Civitates ſeptem, eo quod increverit malitia Gallorum in conſpectu Domini.* Annus erat juxtà Sigonium de Regno Italiæ lib. I. à Chriſto nato DLXXVII. quo *Longobardi Duces Italia ſubacta, atque ad nihilum propè redacta, ſuperbi, præcipuèque Zabanus, & Amo, & Rhodanus, Franciam quoquè ſibi diripiendam, ac vaſtandam ſumpſerunt*

*runt. Siquidèm expedito Militum robore subalpina opida, quæ suo nondùm parebant imperio, cum cepissent, trajectis Alpibus, ac divisis copiis, proxima quæque Alpibus loca effusè populari cœperunt, atque in Provincia Amatum Regionis Præfectum acie congressum interemerunt.* Hæc Sigonius. Venisse autèm in tractum *Niciensem* Longobardos apertè narrant *D. Gregor. Turon.* & *Paulus Diac.* nec semèl tantùm *Nicæâ* eosdem iter fecisse, sed iterùm, idem Paul. Diac. Histor. Longobard lib. III. cap. VI. insinuat, dicens: *Ii Gallias ingressuri duos ex se cuneos fecerunt, quorum unus per Nicæam Urbem, alter per Ebredunum ingressus est: illa videlicèt via revertentes, quam anno superiore tenuerant*, eadem Turonensis *Hist. Franc. lib.* IV. *cap.* XXXVII. Undè vehemens suspicio incidit, utramque Urbem, *Nicæam* scilicèt, & *Cemenelionem* fuisse à *Longobardis* vastatam: ac de *Nicææ* quidèm excidio meminit *Baronius* anno DLXXVI. De *Cemenelione* verò constans est *Niciensium* traditio, cui favet altum de eâ Urbe in veteribus monumentis silentium post id tempus; si tamen *S. Syagrii* gesta apud *Vinc. Barralis* excipias, ubi de Rege *Cemeliensi* mentio, quâ de re mòx. Quin immò omnes ferè *Subalpinas*, ac *Galliæ Narbonensis* Urbes pessumdedisse hujusmodi Barbaros, habet M. S. Codex vitæ *S. Cypriani* Tolonensis Episcopi, relatus à Jo Bapt. de Guesnay *in Annal. Massil. an.* DLVI. licèt in annorum calculo, aliisque, à recepta de *Longobardis* historiâ discrepet. Ibi inter cœtera: *Sed paulò post Alboinus Longobardorum Rex, cum magno exercitu ex parte Galliæ venit; armis, & igne ferè omnes Urbes Galliæ Narbonensis invasit; ejusque Mi-*
32 *lites magnam partem Populi, multosque Episcopos necaverunt, effusione sanguinis Christianorum gaudentes*; pergit narrare necem *S. Cypriani*, à *Longobardis* Telone factam, anno Christi DLVI. V. Idus Augusti.

3. Hinc septem Civitates, quas prædixit *Hospitius* destruendas, enumerat Paulus Britius *progress. Eccl. Occid sæc.* VI. *num.* 198. ex tabulis Ecclesiæ *Ursinæ*, præter *Ebredunum*, *Vapincum*, *Avenionem*, *Arelatem*, & *Massiliam*, insupèr *Nicæam*, & *Glandatam*. Sunt tamen qui putent, vastatas tunc fuisse *Nicæam*, & *Cemenelionem*, non tamen funditùs, & solo tenùs disjectas: nam de *Nicæâ* post *Longobardorum* incursionem adhùc superstite, & Episcopum suum habente loquitur *Greg. Turon.* in *S. Hospitii* gestis; de *Cemenelione* autem (si aliqua ipsi eâ in re adhibenda est fides) *S. Syagrii*, ut diximus, historia, post annum DCCLXX. quod veritati necne innitatur, scriptorum silentium certum habere non sinit. Ego minimè verum crediderim. Utut sit, alias strages, sequenti ævo, non ab aliorum armis, quàm *Saracenorum* est passa hæc regio.

4. Strages, quas edidere in hâc Regionis viciniâ *Saraceni*, enumerant *S. Porcarii* Abbatis Lerinensis gesta: *Dùm gens crudelissima, omni humanitate postpositâ ubiquè grassatur, maritima quæque ultrà, citràque peragrando: tandèm ad Provinciam* Narbonensem *venit, ubi devastans omnia, suo imperio, Christi abolito nomine, intendebat eam subjugare. Christiani verò, qui à mari, &* Alpibus *cingebantur, exterriti, derelictis Civitatibus suis, & Opidis, miserabile visu, ad montana confugiebant, ut Barbarorum manus possent effugere: quùmque gens Barbara longè, latèque suæ cædis crudelitatem extenderet, ità in solitudinem redegit penè totam Regionem, ut in heremi vastitatem loca priùs desiderabilia conversa viderentur; Urbes etiam nobilissimas terræ, & solo coæquans, castella depopulans, opida subruens, oviliaque Domini evertens.* Prosequitur *Saracenorum*, destructâ Provinciâ, in Insulam *Lerinensem* appulsionem, Monachorumque trucidatorum Mar-

A tyrium. Quod autem ait, Christianos, qui mari, & *Alpibus* cingebantur, ad montana se in tutum recepisse, non inverisimile est ad *Niciensem*, Oram referri, cujus positio est inter mare, & *Alpes*, ubi circum circà, in omnium fermè editiorum Montium fastigiis, visuntur etiamnùm subitaneæ ad arcendos Barbaros munitiones, ex grandibus saxis absque cæmento dispositæ. Editas in Provinciâ ab eisdem Barbaris strages, præter *Bedam*, *Aimoinum*, *Adonem*, & *Sigebertum*, attingit Baronius: *Qui enim*, inquit anno DCCXXIX. *antè annos quatuor à Carolo Martello in Aquitania fuerant dira cæde Saraceni confecti, reparantes vi-*
B *res, novos cogentes exercitus, majore impetu, sicut vehementiore furore, invasere primùm Galliam Narbonensem.* Per hæc tempora destructam funditùs *Cemenelionem* suspicantur nonnulli, *Nicæam*que ex magnâ parte dejectam, incolis in unam, eandemque Urbem coalescentibus, *Nicæam* scilicèt, cui etiam, ut ex vitâ *S. Syagrii* in codicibus *S. Pontii* manuscriptâ, ac in regesto Civitatum Provinciæ *Aquis Sextiis* servato arguitur, *Bellandam* fecerint nomen, quasi Debellatam, quod verbum adhùc nostro ævo, ex vetere *Niciensium* idiomate, in dicteriis, discinctum, ac lacerum sonat,
C resumpto, posterioribus sæculis, antiquo *Nicææ* nomine. Atque ex hoc factum puto, ut *par.* II. suo loco dicam, quòd cessantibus, post factam à *Mauris* hujusmodi eversionem, insulis Episcopalibus, restauratâ demùm sub *Carolo Magno* Nicæâ, ac iterùm Præsulibus ornatâ, *S. Syagrius* Primus *Niciensis* Episcopus dictus sit.

5. Cæterùm non tunc temporis solùm, sed posterioribus etiam sæculis, frequentes fuere Saracenorum adversùs *Nicienses* incursiones. Nàm teste Carolo Sigonio de Regn. Ital. lib. IV. anno DCCCXIII. *Saraceni ex Corsica in Hispaniam cum*
D *præda redeuntes, ab Irmingario Comite Emporitano octo navibus spoliati sunt. Itaque, ut id damnum resarcirent, Centumcellas Etruriæ, & Nicæam Provinciæ oppida adorti vastaverunt.* Anno postmodùm DCCCXCI. idem *Sigon. Sigibert. Ludov. ab Eccles. Alphons. del bene*, aliique *Fraxinetum* Arcem in confinio *Niciensi* ab eisdem *Saracenis* occupatam fuisse asserunt, undè Provinciæ, atque *Italiæ* detrimenta quamplurima intulerunt. Ubinàm verò hæc Arx sita fuerit, nondùm assequor: verosimile est *Mauros* propè *Portum Herculeum*, nunc *Villamfrancam* consedisse, quod admittunt recentiores Historici. ex eo loco crebrò eruperunt in Christianorum terrorem, ac damnum, præcipuè
E anno DCCCXCVI. DCCCC. DCCCCV. DCCCCXXXVII. Quem ignem ut restinguerent non semel Christiani Principes, ac Reipublicæ classes terrestres, ac maritimas instruxere. Præcipuè verò anno DCCCCXLI. quo, *Hugo Italiæ Rex* (ejusdem Sigonii verba referre placet) *arma*, *adversùs* Saracenos, *qui* Alpes *omnes infestas è* Fraxineto *reddebant*, *convertit*, *missisque ad Imperatorem Legatis*, *triremes*, *ignemque* Græcum *sibi dari postulavit*, *cujus ea vis erat*, *ut nisi liquore aceti infusa nequiret extingui. Quibus acceptis*, *maritimo eos, ac terrestri apparatu postero anno instituit oppugnare.*
F Saracenorum *navibus Græco igne combustis*, Saraceni *plerique* Fraxinetum *reliquerunt*, *& in* Montem Maurum *se receperunt.* narrat posteà fœdus, ac pacem initam *Hugonem* inter, & *Saracenos*, quorum partem collocavit in Montibus *Italiam* à *Sue-* 33
*viâ* dividentibus contrà *Berengarium* hostem. Attamen adhùc anno DCCCCLXXII. *Fraxinetum* tenuere *Saraceni*, quos ex eâ sede, re tamen infectâ, exturbare *Otho* Imperator meditabatur, indè tamen non multò post recessisse credendi sunt.

6. Hæ *Saracenorum* incursiones, non modò *Nicæam* labefactarunt, sed etiam omnia monumenta





Pag. 37
NICÆA CIVITAS.
Ancienne Cathedrale
Donjon
Tour de l'Orloge
Tour de Monborone
Citadelle
Nouveau Lazaret
Mont Alban
Palais du Senat
S.t Jacques
Jesuites
Cathedrale
Palais
S.t Dominique
Porte du Pont
Porte Aledit
Fabourg du Pont

menta vetera absumpserunt; quamobrèm non mirum, si ad hæc tempora, cuncta sint tenebris involuta, Episcoposque per intervalla enumeret nostra, quam *par.* 11. de Præsulibus *Niciensibus* damus, chronologia.

## CAP. XIV.

*Nicææ Urbis sub Sabaudis Principibus decora, Arx, Jurisconsultorum Collegium, Senatus.*

1. ARgumenti ratio exposceret, ut quibus hucusque paruerit Principibus nostra Civitas, referremus, *Massiliensibus* scilicèt, *Romanis*, *Gothis*, *Burgundionibus*, *Francis*, *Arelatensibus* Provinciæ Comitibus, & *Aragonibus*, *Andegavensibus*, *Neapolitanis* Regibus, Comitibus, Ducibusque *Sabaudis*, sed quià id nuperrimè, atque exactissimè præstitit Franciscus Augustinus ab Ecclesiâ *Coronæ Regiæ par.* 11. eò sitim suam abundè expleturum Lectorem dimittimus. Alius fortassè nobis id ipsum erit agendi locus, dùm, Deo dante, Patriæ historiam, sermone vernaculo, exarabimus. Hic non omittendum, ex quo tempore (is fuit annus millesimus, trecentesimus, octogesimus octavus) *Sabaudorum* Principum imperio sponte suâ *Nicæa* Civitas subdita est, fuisse multimodè ab iisdem Principibus exornatam, communitamque. Inter cætera autem inexpugnabili Arce, præclarissimo Jurisconsultorum Collegio, Summo Senatu.

2. Arcem *Niciensem*, si Justiniano *in Historiâ Genuensi* danda fides, primi videntur inchoasse *Aragones* Provinciæ Comites, eam nimirùm partem, quæ Gallico vocabulo *Donjon* dicitur, Arcis umbilicum, sivè meditullium Latinè dixeris, quæ firmissimis operis antiqui munita turribus eminentiori, Urbis olim, nunc reliquæ Arcis insidet vertici. Verùm, quùm postmodùm *Sabaudi* Principes animadvertissent, ejusmodi esse loci opportunitatem *Italiam* inter, ac *Galliam*, ut non frustra, quicquid ars suasisset, esset præstandum, anno MCCCCXL. dum *Sabaudicæ* ditioni imperaret *Ludovicus* Dux, *Amadei VIII.* posteà *Felicis V.* Summi Pontificis Filius, ac curante strenuissimo armorum Ductore *Nicodo de Mentono* Ducali Gubernatore, ut docemur ex appositâ marmoreâ inscriptione, additæ sunt novæ substructiones, ac propugnacula septentrionem versus. Anno deincèps MDXVII. Dux *Carolus III.* cognomento *Bonus*, dùm summæ rei præesset *Ludovicus de Bellagarda* Gubernator, novis murorum septis eandem Arcem, quâ parte præsertim pelago, Urbique imminet, vallare aggressus est, quo tempore *Ludovicus Revelli* hujusmodi se tetrastichon lusisse affirmat:

*Arcis enim primum lapidem projecit in imum*
*Qui Ludovicus erat, Bellaque garda Regens.*
*Labens millenus tùnc quingentenus & annus,*
*Septimus, ac denus Virginis à Puero.*

Eidem muniendæ iterùm, ac sæpiùs idem Dux animum addixit, optimè conscius id unicum sibi desperatis rebus fuisse asylum, quo incolumi, ac integro nihil foret expavescendum, ut non nemo disertus Orator nuperrimè est elocutus. Sunt qui referant, ex eo *Carolum* Ducem in *Niciensem* Arcem omnia studia convertisse, quòd scivisset à *Carolo Borbonio*, dum is ex Italiâ *Hispaniam* peteret, Viro rei bellicæ scientissimo, eam sedem è mari cominùs prospectante, maximoperè commendatam: cujus ea fuisse verba dicuntur: *Voilà une assiette dont l'on ne cognoist pas l'importance.* Et quidèm non abs re id fuisse pronunciatum rei comprobavit eventus anno MDXLIII. quo diutiùs tentata, à *Turcis*, *Gallis*que omni bellico apparatu instructissimis, sed irrito conatu Arx, inexpugnabilis audire meruit. Addito præsertim, quod inter Orbis miracula excogitatum recenseatur, irriguo, de quo superiùs *cap.* 11 diximus, mirandi operis puteo. *Caroli* Ducis Filius invictissimus 34
*Emanuel Philibertus*, non modò novis *Herculei Portus*, ac *S. Albani* arcibus *Niciensem* Oram quaquàversum ab hostium armis tutatus est, sed etiam eandem *Niciensem* Arcem novis septis dictis vulgò *Cittadella* vallavit. In eandem curam reliqui Serenissimi Successores incubuerunt.

3. Cum Civitas *Niciensis* aptissimis ad mercimonii, armorumque tractationem non minùs, quàm ad litterarum capessenda studia, ingeniis æquè polleat, cumque jam olim permultos ex suis Civibus numeraret Legum peritos, ut facilior incolis, exterisque ad eadem studia pateret aditus, ut in Urbe Collegium erigeretur, in quo auditoribus jura palam proponerentur, donarenturque laureâ, ac Doctoratus insignibus approbati, à suis Principibus obnixè eflagitavit. Annuit Civium voto, *Niciensis* Patriæ amantissimus *Emanuel Philibertus* Sabaudiæ Dux, dato, dùm *Belgicis* rebus præesset, diplomate, *Bruxellis* die decimâ Aprilis MDLIX. Postmodùm anno MDCXL. certis legibus, ac Statutis idem Collegium munitum, eximios jurium scientiâ, ac prudentiæ laude alumnos habet, ex Civibus *Niciensibus* tantùm, vel qui toto decennio *Niciæ* habitaverint, assumendos.

4. Senatum Serenissimo Duci Carolo *Emanueli I.* anno MDCXIV. *Nicæa* acceptum refert. Præsides in eo numerantur duo, Equites unus, aut alter, Senatores lectissimi plures inesse solent, purpurâ, securibusque conspicui, vitæ, necisque sontium arbitri. Ad *Niciensem* Senatum totius Comitatus, nec non *Oneliæ*, ac *Marri* vallium appellationes devolvuntur, nec licet ab ejus placitis, cum suprema, atque omnimoda sit potestas, appellare ad superiorem. Ejus decisiones *Gaspar Antonius Thesaurus* olim & ipse *Niciensis* Senator justo volumine complexus est. Alii qui Senatores, qui Præsides non parum Orbi, enodandis juris difficultatibus profuere, scriptis suis evulgatis. Inter quos meritò recensendus *Nicolaus Losa* Præses; ac qui etiamnùm vivit *D. Honoratus Leotardus* Senator Vir omniscius; ac, ut de ipso eruditissimus Scriptor judicavit, non tantùm juris utriusque consultissimus, sed omni quoquè politiore litteraturâ excultissimus, qui summum illum *Andream Alciatum* imitatus, non modò in viridiori ætate florulentis scriptionibus Musas omnes ingenio favisse suo ostendit, sed maturior factus, uberrimos fructus ex legum interpretatione, doctissimis voluminibus, Orbi universo obtulit decerpendos, ut nihil interim de ingenitâ animi pietate, humanitate, æquitate, ac morum elegantiâ dicam.

## CAP. XV.

*Nicæna Ora Maritima. Quid Portus Herculis Monœci? Herculis per Alpes Maritimas transitus.*

1. AD indagandam *Niciensis* tractus Oram Maritimam, opus est *Antonini* indicio in Itinerario sic scribentis:

| | |
|---|---|
| *Antipoli Niciam Plag.* | *M. P. XVI.* |
| *Olivulam Portus* | *M. P. V.* |
| *Anaonem Portus* | *M. P. XII.* |
| *Avisionem Portus* | *M. P. IV.* |
| *Herculem Monœcum Portus* | *M. P. XXII.* |

Hos fermè omnes itinerarii numeros corruptos esse luce clarius est Regionis peritis. Cum enim inter *Nicæam*, ac *Monœcum* insint tantùm M. P. XI. ex hâc supputatione ad XLIII. excrescerent. Idem cen-

censendum de nominibus locorum perperàm signatorum, aut omissorum. Antè *Olivulam* enim indicandus fuerat *Portus Herculis Monœci*, qui nunc est *Villafranca*, alius à Portu, seù statione *Monœci*, qui nunc est *Monaco*. Porrò *Olivula*, ut ipsummet signat itinerarium, quinque millia passuum *Nicæâ* distabat in colle edito, qui nunc dicitur *Mons Olivi*, ubi antiquum *S. Michaëlis* Templum, ac veteris Castri rudera, ejusque Portus magis, quàm *Villafranca*, Orientalis, *S. Ho-*
35 *spitii* Arci adjacet. *Anao* Portus, aliis in eodem itinerario dictus *Nao*, aliis *Navo*, quædam fortasse statio est à nautis nostratibus, *Malo*, appellata. *Avisio*, ut nomen conjecturam præbet, est *Isia* in Saxi Summo vertice eminens Castrum. Superest, ut eum qui ultimo loco indicatus est, *Herculis Monœci* Portum, in aliis itinerariis exemplaribus *Hercle Monœcum*, eum esse statuamus, qui nunc *Villafranca* appellatur. Scio à nonnullis Scriptoribus secùs sentientibus, *Portum Herculis* eum credi, qui nunc est *Monœcus*, inclitorum Principum *Grimaldorum*, nobilitatis eximiæ Heroum Sedes; illis præcipuè Strabonis verbis nimiùm addictis: *Portus Monœci neque magnas, neque multas capit naves. in eo Templum est Herculis Monœci, nomen conjecturam præbet eò usque Massiliensem navigationem pertingere. distat ab Antipoli paulò amplius CC. stadiis.* Id arguunt primò ex nomine; secundò ex qualitate Portus, neque magnarum, neque multarum capacis navium; tertiò ex distantiâ stadiorum ducentûm ab *Antipoli*, quæ omnia *Villæfrancæ* Portui nequaquam conveniunt, qui magnas, multasque capit naves, adeò ut ingentes sinu classes excipiat, & ab *Antipoli* nonaginta circiter stadiis tantummodò arcetur.

2. Attamèn cujus in animum cadat, *Strabonem* Scriptorem in Geographicis exactissimum, qui omnem Oram *Italiæ*, ac *Narbonensis* Provinciæ maritimam oculis lustravit, *Villæfrancæ* Portum notissimum latuisse, ità ut inter *Antipolim*, & *Monœcum*, nullum alium agnoscat Portum, cum tamen is, de quo agimus, *Antipolitano*, & *Monœcæo* sit amplior, profundior, tutiorque? Aut si nequàquam eum latuit, volentem, ac scientem pressisse silentio, aliis minoris nominis stationibus indicatis? Et quidèm suprà allata *Strabonis* verba ad *Monœci* stationem planè referuntur. At illa ejusdem: *Omninò autem universum littus à* Monœco *Portu ad* Etruriam *usquè continuum est, & Portubus caret, nisi quatenùs paucis locis appelli naves sinit, & defigi anchoras. Desupèr imminent grandes, & præruptæ montium rupes, angustum relinquentes juxtà mare transitum. Ibi accolunt* Ligures *vitam re pecuariâ ferè sustentantes*, utrique Portui aptari possunt. Ego crediderim utrumque olim dictum fuisse Portum *Herculis Monœci*. Sed priusquàm id ostendere aggrediar, præmittenda sunt quæ de *Herculis* per hæc loca transitu, ex quo Portui inditum nomen, veteres tradiderunt. De eo igitur sic Diodorus Siculus: *E Galliâ in* Italiam *contendens, dum per* Alpium *Montes iter facit, asperam, transituque difficilem viam stravit, & aperuit, ut militaribus copiis cum impedimentis transitus illà pateret, & quùm Barbari, qui Montana hæc incolebant, exercitus fortè transeuntes occidere, ac latrociniis infestare in locorum angustiis, & aspretis solerent; his subactis, Ducibusque sceleratè factorum supplicio adfectis, tutum hàc iter posteris effecit.* De eodem Dionys. Halicarnass. antiq. lib. I. *In* Italiam *venit non absque comitatu, nec agens præ se armenta boum, nec enim trita est per has terras via iis, quos* Argos *ex* Hispaniâ *petere cogit usus, neque ob regionis peragrationem tantis potitus fuisset honoribus. Sed perdomitâ* Hispaniâ *cum*

A *justo exercitu venit ad subjugandos eorum locorum homines. Coactus verò est ibi multum temporis terere ob classis absentiam, quæ distinebatur hibernis tempestatibus: tùm quià non omnes* Italicæ *Gentes ultrò ad imperium ejus adcedebant. nàm præter cæteros Barbaros*, Ligurum *Gens magna, & bellicosa, in transitu* Alpium *sita, armis eum arcere ab* Italiæ *ingressu conata est, ubi* Græcis *fuit certamen difficillimum: adeò ut tela eos in pugnâ planè defecerint.* Hanc *Ligurum Alpinorum* nostratium cum *Hercule* pugnam statuunt veteres inter *Massiliam*, & *Rhodanum* in campis lapideis, ubi deficientibus telis adjutum *Herculem* à *Jove* imbre la-
B pidum fabulantur. undè Æschylus *in Prometheo* apud eundem *Dionysium* sic canit:

> *Venies ad Ligurum intrepidum exercitum.*
> *Hic sat scio; licèt sis bellicosus, prælium, manusque pugnaces ipsorum*
> *Non vituperabis; Nam in fatis est, ut ipsa tela te deficiant*

*Ammian. Marcellinus*, non in reditu, extincto *Gerione*, ex *Hispaniâ*, sed quandò *Hispaniam* adiit, designat *Herculis* per *Alpes* Maritimas transitum: *Primam viam* (inquit lib. XV. loquens de Alpium transitibus) *Thebanus Hercules ad Geryonem extinguendum per Tauriscos leniùs gradiens, pro-*
C *pè Maritimas composuit Alpes: hisque harum nomen indidit. Monœci similiter Arcem, & Portum ad perennem sui memoriam consecravit.* Arcis nomine, non hominum industriâ excitatas turres, & propugnacula, sed editissimos scopulos, ac horrendas cautes ut hìc intelligamus, scriptorum loquendi modus, ac ratio ipsa suadet. Sic itaque de eodem *Hercule* Sil. Ital. lib. III.

> *Primus inexpertas adiit Tirynthius Arceis,*
> *Scindentem nubes, frangentemque ardua Montis*
> *Spectarunt Superi, longisque ab origine sæclis*
> *Intemerata gradu magna vi saxa domantem.*

*Mamertinus* superiùs aliâ occasione adductus, in 36
D genethliaco Maximiani Aug. *Jam Summas Arces Monœci Herculis præteribas.* Virgilius lib. VI. Æneid. eo versu:

> *Aggeribus Socer Alpinis, atque Arce Monœci*
> *Descendens.*

indicat *Cæsarem* contrà *Pompejum* adversa signa ferentem ex *Galliâ* in *Italiam* per *Alpes* iter fecisse, atque ex *Alpinis* Aggeribus, *Monœci*que Arce descendisse. sic eodem lib. *Virgilius* Arcis nomine, Montes intelligit *Romæ* mœnibus inclusos, eo versu:

> *Septemque una sibi muro circumdabit Arceis.*

E Extat adhùc incolarum linguâ Aggeris nomen præcelso Montium jugo aggeratis scopulis immanibus arduo (*Aggél* vocant) propè *Turbiam* Pagum. E cujus Regione aliud jugum visitur dictum *Sembola*. Hæc juga, inter quæ necessariò instituendum iter, ex *Galliâ* per hæc loca tendentibus in *Italiam*, & quæ superiùs *cap.* I. nomine *Alpis Summæ* accepimus, Arces, Aggeresque ab *Hercule*, juxtà *Græcorum* somnia, stratos prudentissimus quisque intelliget; non eam, quæ nunc est, *Monœci* Arcem multis post sæculis conditam. Hoc Montium fastigium, quod Sil. Ital. *lib.* XV. describens navigationem *P. Scipionis* euntis in *Hi-*
F *spaniam*, vocat tellurem irrumpentem in sidera, ac aërias *Alpes* iis versibus:

> *Jàmque agiles, Tyrrhena sonant qua cærula, puppes*
> *Ausonium evasere latus, Ligurumque citatis*
> *Littora transmittunt proris. hinc gurgite ab alto*
> *Tellurem procùl irrumpentem in sidera cernunt*
> *Aërias Alpes.*

Idem *lib.* I. *Belli Punici* vocaverat *Colles Herculeos*, & saxa nebulosa *Monœci* jugis elata, dùm loque- retur




Veue du Port et des Environs de VILLE FRANCHE. Situe sur la Mer Mediterranée: a 43. Degrez 32 Minutes de Latitude, et 28 Degr. 50 Min. de Longitude; peu Eloignee de Nice, Deffendue de plusieurs Chateaus. Cette Ville fut Prise par les Francois, sur le Duc de Savoye 1691

retur de Legatis *Saguntinorum* Romam navigantibus:

*Intereà Rutulis longinqua per æquora vectis*
*Herculei ponto cœpere existere colles,*
*Et nebulosa jugis attollere saxa Monœci.*

Ibi, ut ait Petronius Arbiter, erat *locus Herculeis aris sacer*, Templum scilicèt *Monœci Herculis*, à quo nomen sortitus ille Montium tractus, qui attolluntur in juga à *Villafrancâ* ad *Monœci* usque stationem, dictique ejus nomine subjecti Portus ambo à Lucano *lib.* I. ubi enumerans Regiones, ex quibus *Cæsar* Pompejum bello insecuturus evocaverat Milites, ait:

*Finis & Hisperiæ promoto Milite Varus,*
*Quàque sub Herculeo sacratus Numine Portus*
*Urget rupe cava pelagus, non Corus in illum*
*Jus habet, aut Zephyrus, solus sua littora turbat*
*Circius, & tuta prohibet statione Monœci.*

En *Lucano* distinctis vocibus notum *Portum Herculeum*, & *Stationem Monœci*. Quod autem ait de vento Circio turbante *Portus Herculei* littora, & prohibente *Monœci Statione*, falluntur qui Australem ventum dixere, quamvis enim hi portus, faucibus Austro expositis, à *Lybyco*, seù *Aphrico* infestentur, is tamen non est Circius, qui potiùs est Septentrionalis, dictus à nonnullis Boreas niger. Audiendus Gellius lib. II. cap. XXII. *Galli ventum ex sua terra flantem, quem sævissimum patiuntur, Circium appellant, à turbine opinor ejus, ac vertigine.* Hinc liquet mens Poëtæ, qui Circium, non ventum ex Austro in hosce Portus irrumpentem, sed ex Septentrione, Montes, quos diximus, *Monœcæos* turbine quatientem, ac Portuum ingressu prohibentem intelligit. Quod nimirùm *Silius Italicus* loco suprà citato exactissimè, ac dilucide expresserat, hæc de hisce Montibus canens:

*Thracius hos Boreas scopulos, immitia saxa*
*Solus habet, semperque rigens, nunc littora pulsat,*
*Nunc ipsas alis frangit stridentibus Alpes:*
*Atque ubi se terris glaciali fundit ab Arcto,*
*Haùd ulli contrà fiducia surgere vento;*
*Vorticibus torquet rapidis mare, fractaque anhelant*
*Æquora, & injecto conduntur gurgite Montes,*
*Jamque volans Rhenum, Rhodanumque in nubila tollit.*

Hi Circii turbines adhùc nostrâ tempestate frequentissimi sunt in *Monœcæis*, quæ dixi, jugis, adeò ut imperitum vulgus à turbinibus nomen *Turbiæ* pago inibi sito factum putet.

37 3. Ex dictis colligas, *Monœci* nomen ei Montium tractui olim inditum, qui inter *Villamfrancam*, & *Monacum* assurgunt, ut vocibus nunc immutatis utar. Quod nomen ab *Hercule Monœco* inibi culto, sic dicto, docente Servio *in Comment.* ad suprà indicatum *Virgilii* locum, vel quòd pulsis omnibus illic solus habitaverit *Hercules*, vel quòd in ejus Templo numquàm aliquis Deorum simul colatur, accepit. Quando autem veteres Geographi in Maritimorum descriptione, hæc duo non longè posita loca designarunt, ad evitandam confusionem, Villamfrancam *Portum Herculis*, Monacum *Portum Monœci* dixerunt, quæ est *Lucani* statio. Adducendus unus instar omnium *Ptolemæus*, cujus hæc verba: *Post Vari ostium ad Ligusticum mare Massiliensium sunt Nicæa, Herculis Portus, Trophæa Augusti, Monœci Portus.* Nec non *Plinius*, in cujus antiquis editionibus legitur, additâ interpunctione lib. III. cap. V. *Portus Herculis. Monœchi*, licèt in novissimis nonnullis, interpunctio expuncta sit; sicque *Antonius dù Pinet* in Gallicâ *Plinii* versione disjunctivè ea nomina interpretatur. Eâ significatione accipiendus *Por-*

A *tus Herculis* apud Valerium Max. *lib.* I. *cap.* VI. ubi *C. Hostilio Mancino* Consuli in *Hispaniam* ituro prodigium evenisse commemorat, quod totidem penè verbis recitat Julius Obsequens lib. de Prodigiis: *Quùm ab Herculis Portu*, inquit, *quò pedibus pervenerat, navem conscenderet, talis vox sine ullo auctore ad aures ejus pervenit: Mancine mane. Qua territus quùm itinere converso Genuam petisset, & ibi scapham fuisset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus è conspectu abiit. Ergò numerum prodigiorum numero calamitatum æquavit: infelici pugna: turpi fœdere: deditione funesta.* Quùm

B verò conjunctim apud priscos Scriptores *Portus Herculis Monœci* occurrit, ut apud *Tacitum*, cujus verba narrantis, eum Portum classe ingressum *Fabium Valentem*, è sinu *Pisano* vi ventorum depulsum dedimus *cap.* VII. de eâdem prorsùs *Villafrancâ* accipiendi sunt, cujus Portum capacius, tutiusque, credere par est naves adire consuevisse. Alioquin si *Monaco* tantum id nomen tributum fuisse quis contendat, nullum erit, quod *Villæfrancæ* Portui indicando nomen adhibuerint veteres, nàm *Olivula* Antonini alia est, ut dixi, statio, *Villafranca* verò, vox ævi recentioris. Illud porrò quod initio objiciebatur ex *Strabone*; admittimus, *Monœcum* Stationem indicare, cui designandæ fortassè institit idem *Strabo*, quia *Mas-*

C *siliensis* navigationis erat terminus. Nihil tamen profert, quo alios Auctores, & præsertim *Ptolemæum*, & *Plinium* nomen *Portus Herculis Monœci* Villæfrancæ tribuisse nequàquam videri possit.

4. *Villæfrancæ* (alii *Villam liberam* vocant) opidum in hoc Portu situm, sic dictum à tributorum, & vectigalium immunitate, anno, ut benè animadvertit *Honoratus Pastorellus*, MCCXCV. conditum est, jubente *Carolo II.* utriusque *Siciliæ* Rege, ac *Provinciæ* Comite, qui; ne Portus incolis vacuus, piraticis esset navigiis obvius, ac præcipuè *Mauris*, qui olim excidisse videntur antiquum Opidum, cujus vestigia propè *S. Joannis de*

D *Olivo* Ecclesiam, ubi subterranei longo ordine fornices (eæ fuisse videntur veteres aquæ continendæ cisternæ) cernere est; eò loci *Montis Olivi* inquilinos deduxit. Licèt antè id tempus, anno scilicèt MCLXXIII. aliquid inibi à *Genuensibus* ædificatum videri possit ex Sigonio *de Reg. Ital. lib.* XIV. tacentibus tamen eorum annalibus. Sequenti tempore ad Portus tutelam munitissimam Arcem addidit Serenissimus *Sabaudiæ* Dux *Emanuel Philibertus*; ac triremibus securiori loco continendis lapideam molem. Inibi ad *S. Mariæ Gratiarum* anno MDCX. ædificatum est elegans Fra-

E trum Capuccinorum Cœnobium; visiturque non longè in ejus agro ad *Olivulam* stationem, vetus *B. Mariæ de Pulcro loco* nuncupatus Prioratus.

5. Commemoranda insupèr *S. Hospitii* Arx inter *Herculis Portum*, & *Olivulam* in Peninsulâ excitata, copiosa æstivo tempore thinnorum piscatione percelebris, ac situ, manuque perquàm munita; non ità pridem à Sereniss. immortalis memoriæ *Victore Amadæo* Duce constructa, atque à *Divi Hospitii* incolatu, & Templo nomen sortita. Et hæc de *Nicææ* Orâ maritimâ satis, nunc interiora in mediterraneis invisenda, ac pri-

F mùm *Augusti*, quæ non procùl eminent, *Trophæa*.

## CAP. XVI.

### *Trophæa Augusti propè Nicæam in Alpibus Maritimis.* 38

I. TRophæum, sivè tropæum, quo nomine *Accius* vetus Poëta Tragœdiam scripsit, utroque enim modo veteres protulerunt, *Græcâ* origine dictum est à verbo τροπέω, quod latinè est,

*verto*, seù à τροπῇ, hoc est conversione. Desigebantur siquidem antiquitùs trophæa ibi, ubi hostes verterant terga, seù in fugam conversi fuerant. Isidorus Etymolog. lib. XVIII. cap. II. *Trophæum dictum* ἀπὸ τῆς τροπῆς, *id est conversione Hostis, & fuga, nam ab eo, quod Hostem quis fugasset, merebatur trophæum.* Jo. Barptol. Marlianus Rom. antiq. epitom. lib. VI. cap. XIX. *Trophæa Varrone teste à* τροφῇ *voce Græca, quæ fugam significat, dicta sunt, quod hostium in fugam conversorum, occisorumque spolia, & exuvias in stipitibus suspendi consuetudo esset.* Mos trophæi erigendi Græcis antiquior, quàm Romanis, docente L. Floro lib. III. cap. II. *Numquam enim anteà Populus Romanus Hostibus domitis suam victoriam exprobravit.* Græci autem amputatis arborum ramis, ut plurimùm è trunco suspendebant trophæa in partæ victoriæ monumentum. Apud *Romanos* verò, quandò eorum usus invaluit, fusis statim hostibus, sublimibus hastis appendebantur, undè de *Teutoboccho* Teutonum Rege inquit idem Florus lib. III. cap. III. *Certè Rex ipse Teutobocchus insigne spectaculum fuit; quippè Vir proceritatis eximiæ super tropæa ipsa eminebat.* Sivè triumphantibus Imperatoribus præferebantur, canente Ovidio lib. III. de Pont. eleg. IV.

*Scuta sed, & galeæ gemmis radientur, & auro;*
*Stentque super victos trunca Trophæa viros.*

Aliquandò in Templis, ut apud nos devictorum hostium vexilla militaria suspendere mos est, defigebantur, eodem Floro indicante *lib.* II. *cap.* IV. ubi ait, de torquibus *Gallorum Alpinorum*, aureum trophæum *Jovi* Flaminium erexisse. Nonnumquàm etiam Imperatorum, ac Ducum funeribus apponebant. C. Sueton. Tranquillus de C. Jul. Cæsare Dictatore: *Funere indicto rogus extructus est in Martio Campo, juxta Juliæ tumulum, & prò Rostris aurata ædes ad simulacrum Templi Veneris Genetricis collocata, intràque lectus eburneus, auro, ac purpura stratus, & ad caput tropæum, cum veste in qua fuerat occisus.* Quandò autem in hostili solo ad perpetuam victoriæ memoriam trophæa statuenda erant, excitatis firmissimi operis Turribus, in Montium præcipuè editioribus locis, desuper suspendebant. Hujusmodi fuit teste *Sallustio*, ac *Plinio* Hist. Natur. lib. III. cap. III. & lib. VII. cap. XXI. *Cn. Pompeji* in Montibus *Pyrenæis*, domitis *Hispanis*, trophæum, ac *Domitii*, & *Fabii* Allobrogico Bello confecto, devictisque Saliis: *Utriusque victoria*, inquit Florus lib. III. cap. II. *quod, quantumque gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quòd & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverant locis, saxeas erexere Turres, & desupèr exornata armis hostilibus tropæa fixere.* Ac *Drusi*, quem idem Florus *lib.* IV. *cap.* XII. ait, *Marcomannorum* spoliis insignibus quendam editum tumulum in Trophæi modum excoluisse.

2. Quid autem ipsa fuerint suspensa trophæa, qualisve eorum forma; sciendum est, *Græcos* interdum alatam victoriam expressisse, seù equum æneum, ut de *Thebanis* contrà *Lacedæmones* victoribus *lib.* II. *ad Heren.* ait Cicero. frequentiùs autem, tàm *Græci* ipsi, quàm *Romani* spolia militaria suspendebant hostibus adempta, & ab occisis, seù captis corporibus detracta, galeam scilicèt, thoracem, loricam, lanceam, confracta tela, scuta, cæteraque armorum genera. quod graphicè descripsit Virgilius lib. II.

*Mezenti Ducis exuvias tibi magne Trophæum*
*Bellipotens aptat rorantes sanguine cristas,*
*Telaque trunca Viri, & bis sex thoraca petitum,*
*Perfossumque locis, clypeumque ex ære sinistræ*
*Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.*

A Ea omnia in insignioribus Trophæis, ad perennè rei monumentum, ex marmore effingebantur, super constructas moles eminentia; talia visuntur adhùc *Romæ* Trophæa *Marii* de Bello *Cimbrico*, de quibus sic Pompon. Lætus lib. de Rom. antiq. *Post Ecclesiam S. Joseph est pars ædificii diruti, ubi sunt duo trophæa, id est spolia hostium, alterum habet thoracem cum ornamentis, & clypeis, & antè imaginem Victoriæ. Alterum habet instrumenta omnia ad pugnandum, & clypeos, & habet vestes.* 39
Dilucidiùs eadem habet Georgius Fabricius in suâ Româ apud Rosinum lib. X. cap. XXIX. his verbis: *Inter Templa S. Eusebii, & S. Juliani in Esquilino moles lateritia, in qua bina Trophæa ex marmore, sunt autem trunca corpora in spoliis, quorum alterum thorace squamoso inductum, cum ornamentis militaribus, & clypeis, ante se habens juvenem captivum, bracchiis ad tergum revinctis, & undiquè Alatas Victorias. Alterum armis militaribus ornatum, inter quæ clypei inæqualiter rotundi, galea aperta cum cono, & cristis clausa. In eodem inest forma chlamydis, & alia quædam, quæ marmore detrito, & corrupto cognosci satis non possunt.*

Addebantur marmoreis hisce Trophæis inscriptiones, in quibus merita notabantur, & causæ, ob quas S. P. Q. R. hujusmodi decreverat virtutis, ac fortitudinis monumenta. Signabantur subditarum Civitatum, devictarum gentium nomina. In Trophæis *Pompeji* Hispanicis, *Plinius* numerata ait octingenta quadraginta sex ab eo devicta Bello Opida.

3. Hæc de Trophæis in genere, ex quibus, *Trophæis Augusti* nostratibus agnoscendis lux non parva affulgeat.

4. Est locus dissitus octavo *Nicæâ* lapide, is nimirum, quem superiùs cap. I. *Alpem Summam Antonini*, ac cap. XV. *Arcem Summam Monœci Herculis* fuisse diximus, ibi visitur paulò ignotius nunc Castellum vulgò *Torbia* dictum, quod eum esse locum, qui *Ptolemæo* dicitur τρόπαια Σεβαστοῦ, id est *Trophæa Augusti* uno consensu admittunt Geographi omnes recentiores, interque cæteros *Blondus*, *Bracellius*, *Albertus*, *Cluverius*, *Merula*. Torbia autem dicta est, immutatâ ab incolis Græcâ voce, *Tropæa*, ex quâ primò factum *Tropia*, tùm *Torpia*, ac *Torbia*, & *Turbia*, ut modò pronunciatur. Falluntur autem qui *Tur-piam*, dictam volunt, quasi *Turrim Piam*, ab *Antonino Pio* scilicèt sivè Conditore, sivè instauratore; cum antè tempora *Antonini* fuerit & nomen, & res; ac instaurasse, gratis, nullo veterum tradente dicatur. Falsi item alii, quibus *Turribia* (sic enim imperiti nonnulli efferunt) *Turris in via*, sonat; eò quod nimirùm eò loci utraque via descripta ab *Antonino* in *Alpibus* Maritimis, ab Urbe Româ *Arelatum* tendens, illa nimirum, quæ per littus *Nicæâ*, & quæ per Mediterranea *Cemenelione* fiebat, initium sumeret. Hic videre est, undè nomen loco factum, ipsam Trophæorum sustinendorum molem in præcelsæ Turris, sivè Arcis formam, ab Auctore Italo anonymo M. S. hisce verbis, quæ apponere non pigebit, descriptam.

*Da Monaco vanno con erta salita inalzandosi i gioghi dell' Alpi, & nello spatio d'un miglio verso il vento Maestro resta un picciolo piano frà tre colline, l'una che è più sopra la marina è detta la Colla della Turbia, l'altra verso tramontana si chiama Aggel, la terza verso Ponente si addimanda Sembola. Nel detto piano è la Villa della Torbia, cioè un Borgo di circa ducento case, che si veggono fabricate con le rouine dell' edificio antico, del qual si dirà appresso. Nella parte del Villaggiò più eminente è un recinto di mura merlate quasi circolare, che chiamano Ricetto, fatto di tali rouine, con il quale nelle fattioni Guelfe, e Gibelline gl'huomini de Villagi ritiravano le Donne,*

*Donne, e robbe loro più chare, o per difendersi ivi, o per star più sicuri dalle incursioni. Nel mezzo di detto Recinto sorge una mole parte antica, & parte moderna, dalle cui reliquie si può congetturare, che la struttura sua fosse di questa forma. Era una Platea di pietre quadrate di longhezza per ogni faccia di passi 42. andanti, sopra la quale posava un zoccolo alto piedi manuali doi c. tre quarti, sopra il zoccolo era una Base intorno, intorno, & sopra la Base un muro per ogni lato di pietre vive quadrate polite, & commesse à bugne con i suoi alveoli, ò canaletti, dal qual muro indentro per spatio di piedi sei è un' ossatura d'altri quattro muri dell' istessa pietra quadrata alla rustica, il cui spatio era ripieno di cemento fatto di calce, arena, & sassi, e frà l'ossatura, & il muro esteriore era parimente un'empitura, come la suddetta di calce, sassi ricalciati di fragmenti, ò scarpellature delle pietre messe in opera.*
40 *Nella facciata verso mezzo giorno era una Nicchia nel mezzo larga piedi sei, alta dodici, per onde si entrava, & trovavasi alla mano sinistra un vano largo p. 3. entrovi una salita di scaglioni alti un palmo, per i quali si andava sopra il piano del muro adornato d'una cornice: l'istessa porta, & scala si trovava alla facciata opposta verso tramontana; le altre due facciate da levante, & da ponente erano massiccie di pietre quadrate a bugne molto bene commesse. Sopra questo basamento quadro era un piano, che lo circondava, & sopra il vivo dell'ossatura s'inalzava un'altro basamento parimente di quattro facciate di pietra quadrata d'opera più gentile con suo zoccolo, & base, & la cornice di sopra. In una delle facciate era l'inscrittione cavata da Plinio nel capo 20. del libro 3. Nelle facciate dalle bande erano due gran Trofei di marmo bianco intagliato à mezzo rilievo simili alli Trofei di Mario, che ancora si veggono à Roma; sopro questo secondo quadrato, che parimente era ripieno di cemento, eccetto in due luoghi per commodità di due scale à lumacca, era un Basamento rotondo circondato da zoccoli di pietra viva, sopra quali posavano Colonne Doriche fatte di molti pezzi diligentemente commessi, sopra le quali era l'architrave con tre faccie, il freggio con triglifi, & le metope, & la cornice tutto d'opera Dorica. Dietro le colonne era il muro rotondo continuato pieno di cemento suddetto, & nelli spatii delli intercolunnii erano nicchi. Sopra la cornice era un volto sferico con sue Coste, che nascevano dal vivo del muro contro le colonne, & in cima con belo ornamento era la Statua d'Augusto Cesare.* Paulò infrà.

*Il suddetto edificio fù rouinato col fuoco, l che mostrano alcune mine fattevi, & l'essere i pezzi delle Colonne, & altre pietre grossissime sparse in quel contorno molto lontano dalla machina. Di pi al tempo de Gotti, ò altri Barbari pare, che si fabricasse quel pezzo della rotondità, drizzandon una Torre, che dalli ornamenti di cima mostra strutura Gothica, & si servirono delle due scale à lumacca, facendone una sola, per quale si ascende sopra etta Torre. In altro tempo poi si è fatto un muro melato sopra l'ossatura principale con una picciola Torre nell'angolo, che guarda à Levante verso il Mare, trà il qual muro, & la Torre sono alcune stanzeri-cavate al meglio che si è potuto per habitatione di Soldati, andandosi dal basso in alto per una scala verso Ponente fatta nel cemento, che resta trà l'ossatura, & il muro esteriore. Sono poi attorno al luogo molti fragmenti del marmo bianco dell' inscrittione sopracennata, delli Trofei, & della statua, mà parte ne è stata murata nel muro del Ricetto, parte è stata messa in opera per far avelli di Sepolture alla Chiesa ivi vicina, che anchor essa hà i muri, & la volta assai grande col Choro, & Campanile tutto de sassi cavati dalla suddetta machina, che serve di Torre forte, ò Castello per guardia di quel luogo, che è sul passaggio di terra, qual và da Genoua in Provenza.*

Hucusquè diligens scriptor, cujus verba, si quis locum oculatè lustraverit, veritati admodum consentanea judicabit.

5. Hoc porrò in loco Trophæa *C. Julio Cæsari* Augusto Imperatori, non ex Cæsaribus alii à S. P. Q. R. erecta sunt, post devictas Nationes *Alpinas*, quas partim per se, partim per Privignum suum *Drusum*, libertate exutas, sub jugum Imperii *Romani* redegit. De *Augusto* sic Sex. Ruffus in Breviario rerum gestarum Pop. Rom. *Sub Imperatoribus per annos CCCCVII. cum diversa Reip. fortuna multi Principes imperarent, accesserunt Romano Orbi Alpes Maritimæ, Alpes Cottiæ &c.* 41 Idem alibi. *Sub Julio, & Octaviano Cæsare Augusto, per Alpes Julias iter factum est Alpinis omnibus victis.* L. Florus lib. IV. cap. XII. *Noricis animos dabant Alpes, atque nives, quò bellum non posset ascendere. Sed omnes illius cardinis Populos, Breanos, Senones, atque Vindelicos per Privignum suum Claudium Drusum perpacavit.* Creditus Ovidius in consol. ad Liviam, de Cl. Druso:

*Ille modò eripuit latebrosas hostibus Alpes.*

Horat. Carm. lib. IV. ode. 4.

*Videri Rhœti bella sub Alpibus*
*Drusum gerentem, & Vindelici.*

Ode verò XIV. de eodem Druso:

*—— —— —— & Arceis*
*Alpibus impositas tremendis*
*Dejecit acer plus vice simplici.*

ubi forsitan ad *Monœci Herculis* Arces adludit, de quibus superiori capite. Nec enim *Rhœticæ* tantùm, & *Grajæ Alpes* sub *Augusto Cæsare*, ad imperium redactæ, sed cum primis, ut dictum est, *Alpes* Maritimæ, quod disertè Dio tradit *lib.* LIV. *in Cæs. Aug.* his verbis: *Alpes etiam Maritimæ, quas Ligures Capillati hactenùs liberi incoluerant, in servitutem redactæ sunt.* Hinc non mirùm quòd in *Alpium* Maritimarum initio, ubi, juxtà quod aliqui tradiderunt, *Strabone* teste, *Alpes* omnes ordiuntur, loco ob decantatum *Herculis* transitum percelebri, ac aliquandò *Galliam* inter, atque *Italiam*, quod ad Præfecturarum divisiones spectat, limite, inter editorum Montium juga, situ tamen Romanis *Gallias* petentibus per viam *Aureliam* pervio, ac in maris inferi patenti prospectu, mole in ævum duraturâ, Trophæa posuerit Senatus, & Populus *Romanus*, cujus sollicitudinem in ornandâ hisce monumentis *Augusti* memoriâ, præter Suetonium, ac Dionem, indicat Horatius v. s.

*Quæ cura Patrum, quæve Quiritum*
*Plenis honorum muneribus tuas*
*Auguste virtutes, in ævum*
*Per titulos memoresque fastos*
*Æternet.*

Devictas *Augusti* auspiciis Gentes *Alpinas* marmoreâ inscriptione, quæ est apud Plinium *lib.* III. *cap.* XX. & cujus adhùc extant, ut dicemus, fragmenta, enumerarunt. Ea talis est:

IMPE-

IMPERATORI CAESARI DIVI F. AVG. PONT. MAX. IMP. XIV. TRIBVNIC. POTEST. XVIII.
S. P. Q. R.
QVOD EIVS DVCTV, AVSPICIISQVE, GENTES ALPINAE OMNES, QVAE A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT, SVB IMPERIVM PO. RO. SVNT REDACTAE, GENTES ALPINAE DEVICTAE, TRVMPILINI CAMVNI, VENNONETES, ISNARCI, BREVNI, NAVNES, FOCVNATES, VINDELICORVM GENTES QVATVOR, CONSVANETES, VIRVCINATES, LICATES, CATENATES, ABISONTES, RVGVSCI, SVANETES, CALVCONES, BRIXENTES, LEPONTII, VIBERI, NANTVATES, SEDVNI, VERAGRI, SALASSI, ACITAVONES, MEDVLLI, VCINI, CATVRIGES, BRIGIANI, SOGIONTII, EBRODVNTII, NEMALONES, EDENETES, ESVBIANI, VEAMINI, GALLITÆ, TRIVLLATI, ECTINI, VERGVNNI, EGVITVRI, NEMENTVRI, ORATELLI, NERVSCI, VELAVNI, SVETRI.

42 Hæc inſcriptio olim in ipſa Trophæorum mole eminebat, refertque Gentes non ab ipſomet ſolum *Auguſto*, ſed etiam *ductu*, *auſpiciiſque ejus* devictas. Ad quæ verba alluſiſſe videtur Suetonius lib. II. in Auguſto ſic ſcribens: *Domuit autem partim ductu, partim auſpiciis ſuis, Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni: item Rhætiam, & Vindelicos, ac Salaſſos, Gentes Inalpinas.* At hic nodus ſolvendus eſt: Plinius enim hujuſmodi inſcriptionem ſtatuiſſe videtur non hoc loco in *Alpibus*, ut diximus, Maritimis, ſed non longè ab Auguſtâ Prætoriâ ad fauces *Alpium Penninarum*, & *Grajarum*. A Attamen propè *Auguſtam*, ſi unum triumphalem arcum excipias imaginibus nudatum, & inſcriptione, nullum Cæſareorum Trophæorum eſt monumentum, nec aliquis paulò accuratior Geographus id ſcripſit. Quamobrem dicendum, vel erraſſe *Plinium*, ſivè in utroque loco hanc inſcriptionem fuiſſe poſitam: Cujus in noſtris hiſce Trophæis multa ſuperſunt marmorea fragmenta, ac præcipuè unum tale antiquiſſimum, ac vetuſto ædificio appoſitum, ubi ineſt hoc verbum (RVMPILI) cum ſuperioris lineæ litterarum extremâ baſi. quod ut faciliùs percipiatur, hoc modo concinnavimus.


GENTES ALPINÆ
DEVICTÆ. TRVMPILINI

Quicquid dicat *Philippus Cluverius*, cui, cum eam nequaquam viderit, antiquitatem non ſapit. Alia hujuſmodi inſcriptionis marmorea fragmenta, jubente olim Sereniſſ. Principe *Mauritio* à *Sabaudiâ*, ad Eccleſiam *B. Mariæ* Nicienſis Arcis exornandam, ac non ità pridem ad B. Virginis *de Lagheto* tranſlata ſunt. Adulteratam verò quis habere poſſet eam vocem, quam modò dedimus, TRVMPILINI, cum in vulgatâ *Plinii* lectione inſit *Triumpilini*. Secùs tamen res eſt: nam eos Populos (ſunt autem inter Bergomum, ac Veronam *Val Troppia*) non modò *Triumpilinos*, ſed in antiquis tribus aliis inſcriptionibus *Triumplinos*, ac in tabulâ itinerariâ *Trumplos*, aliiſque inflexionibus pronunciavit antiquitas. Ex quo potius B *Plinium* inſcriptionis non benè exſcriptæ quis arguat.

6. Supereſt, ut de tempore, quo Trophæa *Auguſto* poſita ſunt, dicamus. Id geſtum videtur ſeptingenteſimo ab Urbe conditâ anno, quandò pacatis omnibus circà Gentibus, continua totius humani generis pax fuit, ut ait *Florus*, aut pactio auſuſque eſt Cæſar *Janum* claudere, quo tempore S.P.Q.R. *Auguſti* memoriam, multis, tàm in Urbe, quàm in reliquo Orbe monumentis gratì animi ergò excoluit.

7. Auguſti porrò Trophæa non ſemel in veteribus nummis occurrunt. Unius, Trophæa ex adverſo repræſentantis, talis eſt figura.

P illud cum linea transverſa, & figura piſcis, ad Inſcriptionem infrà, Part. I. Tit. IX. pagina editionis prioris, hic ad marginem notata, 104. pertinet.





8. In antiquâ icone *Divi Honorati*, quæ est in majori Ecclesia Insulæ *Lerinensis*, legitur, statuam, quæ suprà *Turbiæ* Trophæa eminebat (ea erat, ut superiùs *Italus* scriptor dixit, ipsiusmet *Augusti*) reddentem oracula, *Divi Honorati* precibus corruisse, additâ effigie factum edocente, quod ipsum cernere est in altari ejusdem *S. Honorati* in Templo Fratrum Prædicatorum *Niciensium*: hoc an veritati innitatur, dubium planè esto, cum oratio funebris *D. Hilarii* Arelatensis in obitu *D. Honorati*, probatæque ejus vitæ historiæ nil tale habeant, sintque multa commentitia in eâ vitæ Historiâ, quæ tribus libris digesta circumfer-
43 tur, quam tamen non vidi, ubi forsitan id miraculum narratur.

9. *Turbiæ*, seù Trophæorum Opidum, non ità recenti ævo fuisse conditum probant quamplura numismata vetera inibi inventa. Dictum olim fuisse videtur Villa *Martis*, si, quod *Blondo*, *Leandro*, aliisque multis recentioribus placuit, admittimus, *Aulum Helvium Pertinacem* Imperatorem *L. Antonino Commodo* suffectum, ibi natale habuisse solum, qui loco humili à *Sexto Aurelio Victore* natus dicitur apud *Ligures* in agro squallido *Lollii Gentiani*, libertino Patre: licèt *Dio Cassius*, & ex eo *Zonaras*, ac *Xiphilinus* Albam Pompejam ejus Patriam faciant. De ejus certè moribus testis est idem Aur. Victor, *Curios* æquavisse, *Fabritios*que, ac favente fortunâ, ad summam usque senectutem vixisse. in quâ, annos septem, & sexaginta natus, ex Præfecto Urbis, nolens, ac repugnans, undè ei *Pertinacis* nomen, Imperator effectus est, ac postmodùm scelere *Didii Juliani* à Prætorianis Militibus jugulatus octogesimo Imperii die. Ex S.C. tamen inter Divos relato, acclamatum est: *Pertinace imperante securi viximus*, *neminem timuimus*, *Patri Pio*, *Patri Senatus*, *Patri omnium bonorum*. Illius virtutes etiam [quod rarum illius temporis Cæsaribus] multis celebrat *Jul. Capitolinus*, editasque ab eo Sanctissimas leges, inter quas aureum illud dictum: *Sanctius est P. C. inopem Rempublicam obtinere*, *quàm ad divitiarum cumulum per discriminum*, *atque dedecorum vestigia pervenire*.

## Cap. XVII.

*Comitatus*, *& Diœcesis Niciensis Opida*, *& Parœciæ*.

1. Niciensis Comitatus [quem titulum ab antiquissimo tempore præfert] id complectitur, quod ab Ortu, Orâ *Ligusticâ*; ab Austro, *Tyrrheno* mari; ab occasu, *Narbonensi Galliâ*; à Septentrione, ubi ejus longitudo ad LXXXX. milliaria excurrit, *Delphinatu*, ac *Pedemonte* definitur: Accessere siquidèm potissima Vallis *Entimeliensis* pars, *Tendæ*, ac *Brigæ* Comitatus, *Barchinonæ*, seù dicere mavis, *Barchinonettæ* Opidis refertus inter Valles *Alpinas* tractus. Cæterùm, quamvis in Comitiis publicis, *Niciensem* Comitatum repræsentent quatuor Provinciæ, vicariæ Sedes, quarum videlicèt Capita, ut vocant, sunt *Nicæa* ipsa, *Hospitellum*, *Podietum*, & *Barchinona*; attamèn, quandoquidèm hoc loco decora Sacra attingere nostri est instituti, divisionem Diœceseon Ecclesiasticam sequemur. Præter *Niciensem* enim Episcopatum, Diœceses Episcopales *Entimeliensis*, *Venciensis*, *Glandatensis*, *Senecensis*, Archiepiscopales verò *Ebredunensis*, & *Taurinensis* hujusce Comitatus partem sibi vendicant; cujus Opida seù Pagos non solum *Augustinus Justinianus*, *Leander Albertus*, *Abraham Ortelius*, aliique ex parte recensuerunt, sed nuperrimè cæteris omnibus copiosiùs Franc. Augustinus ab Ecclesiâ *Coronæ Regiæ Sabaudicæ par. 2.* plenissimè prosecutus est, indicatis Feudorum inibi existentium Dominis, Virisque, quos quæque Patria tulit, illustribus. Jampridèm verò nuda locorum nomina totius Comitatus enumeraverat, *ad calcem Arboris Genealogicæ Sabaudicæ Domus*, Philibertus Pingonius; *Niciensis* autem Diœcesis, *Franciscus Martinengus* Præsul Niciensis, *in Statutis* suis, quæ edidit, *Synodalibus*.

2. Igitùr, ut à *Niciensi* Diœcesi auspicer, ea Parochiales Ecclesias numerat tres, & quinquaginta, Populo refertissimas, Opida verò non minùs quinquaginta. *Nicæa* Urbs parœciis gaudet quatuor, quæ tamen, si Populi ad viginti Hominum millia, partim intrà murorum septa, in agris partim degentium, spectes numerum, in plures non incommodè possent dividi. Prima est quæ sub *S. Reparatæ* Virginis & Martyris nomine olim penes *S. Pontii* Monachos erat; nunc verò Cathedralis non modò potiori Civitatis parti, sed toti *Nicæno* agro spiritualia administrat. Canonicorum, quos olim viginti quatuor extitisse alicubi legimus, inibi divina celebrans Collegium, numerat cœteris dignitate præstantiores Præpositum, Priorem, Archidiaconum, Sacristam, Præcentorem, & Infirmarium, qui unà cum cœteris nunc ad decem redacti sunt, inter quos, ipse, cui spiritualium administrandorum cura incumbit, Parochus, inter Canonicos adlectus.

3. *S. Jacobi* altera sub regimine olim Capituli Canonicorum, ex permutatione Ecclesiarum, ex indulto Pontificio factâ, cessit Monachis *S. Pontii*, à quibus postmodùm Parochialis administratio translata est in Religiosos *Carmelitas*.

4. *S. Martini* tertia ab iisdem Canonicis olim 44
administrata, postmodùm *Divi Augustini* Fratribus *Heremitanis* regenda commissa est.

5. *S. Mariæ Assumptæ* quarta in Arce *Niciensi* illustris Basilica, quondàm Cathedralis, antèquam eidem Arci includeretur; vetustate non minùs, pretiosissimisque marmoribus, quàm Sanctorum, quæ inibi asservantur, Sacris lipsanis commendata, Episcopi, Canonicorumque, claustralem vitam sub *D. Augustini* Regulâ degentium, ac *Divi Bartholomæi* alio Capellanorum Collegio, eâdem itidèm mensâ utentium diversorio jampridèm illustris, nunc per Presbyterum, seù Parochum administratur, cujus jurisdictio ejusdem Arcis ambitum non excedit.

6. Opida extrà Urbem, Diœcesim, ac Comitatum constituentia, indicatis Ecclesiis cujusque parochialibus, indicabimus. Prima se se offert *Villafranca* in *Portu Herculis* sita, quo de Opido plura superiùs *cap.* XV. Ejus primarium Templum *D. Michaëli Archangelo* sacrum voluere incolæ, à nomine ejus, quod in Montis Olivi Castro, undè, ut dictum est, translati fuerant, colebatur, ubi etiamnùm sub titulo ejusdem Archangeli visitur, venerandam redolens vetustatem.

7. *Isia*, quam non inverisimiliter, maritima recensentes, credidimus *Avisionem* dictam *Antonino* in Itinerario, *Esa* nunc, ubi cum Diœcesim lustraret, è vivis excessit *Joan. Ludovicus Pallavicinus* Niciensis Præsul, Ecclesiâ Parochiali gaudet sub titulo *S. Mariæ Assumptæ*.

8. *Torbia* nunc; *Trophæa Augusti* olim, de quibus non pauca superiùs, Templum habet *D. Michaëli Archangelo* sacrum, in quo, dum primarium altare renovaretur, elegans arca marmorea, inclusis multorum sanctorum Reliquiis, ac inter cœteros, *S. Hospitii*, inventa est.

9. Monœcus, *Monaco*, Grimaldorum Principum toto orbe illustrium jam pridèm sedes, Arx munitissima ad *Monœcæam* stationem, de quâ multa disseruimus *cap.* XV. præter antiquas *S. Mariæ*, & *S. Deivotæ* extrà Opidum sitæ Ecclesias,

Parochiali gaudet *S. Nicolao* Episcopo consecratâ, ubi *S. Deivotæ* Virg. & Mart. Sacrum Corpus maximâ veneratione recolitur, nec non *S. Aureliæ*. Visitur præterea intrà ipsum Principis Palatium, elegantissimi operis Templum, totum, sivè auro collucens, sivè ex secto compactum marmore *Divi Joannis Baptistæ* devotum nomini, ex quo Piissimi *Honorati II.* qui nunc Principatum obtinet, Religiosam munificentiam quis facilè arguat.

10. *Pilionum*, non *Palionum*, ut scripsit *Pingonius*, sic dictum præ *Piliâ* ampliori Opido, nunc *Peglión* dicitur, Parochialem habet *S. Salvatoris*, seù *Transfigurationis Domini* dictam.

11. *Pilia*, nunc *Peglia*, ubi non longè veteris Castri rudera, *Aurea*, seù *Oira* dicti occurrunt, Canonicorum olim *S. Ruffi* Regularium Collegio est insignis. Ibi *B. Mariæ Assumptæ* Ecclesia frequentatur.

12. *Escarena* non longè à *Paulonis* fluvii exordio sita, viæ ex Maritimis in *Pedemontem* tendenti imminet, pulcherrimo Templo sub *D. Petri* Apostoli nomine, nostro ævo, instaurato, est conspicua, quòd jam pridèm inter Ecclesias Monasterio *S. Pontii* subditas recensetur.

13. *Thoetum* finitimum *Escarenæ*, ab eâque dictum opidulum; *S. Honorati* Arelatensis Archiepisco[illegible]i inibi Templum.

14. *Berra* alia ab eâ, quæ est in Provinciâ, illustri apud *Nicienses* familiæ loci Dominæ cognomen dedit. Incolæ ad *S. Laurentii* Templum Parochialia suscepturi confugiunt.

15. *Bravum*, ubi olim Pagus, Ecclesiis suis in Pontificiis *Lucii* Papæ II. diplomatibus indicatis memoratus, Niciensis est portio Diœcesis.

16. *Luceramum*, unde oriundus *Anselmus Parisius* pietate inter Minimos Religiosos clarus. Inibi *S. Margaritæ* Virg. & Mart. Ecclesia Parochialis; ubi etiam elegans *S. Rosaliæ* Sacellum, ejusdem Sanctæ Virginis Reliquiis ditatum, quas eò loci detulit ex Urbe Panormitanâ *Ludovicus Barralis Salerna*, testante id ipsum in *D. Rosaliæ* historiâ *Jordano Cascino* è Soc. Jesu. Indè etiam oriundi *Petrus Barralis* Salernus ex Soc. Jesu, qui de Sacris litteris benemeritus, non pauca scripsit, necnon ejus Germanus *Vincentius Barralis* Monachus Cassinensis, *Lerinensis* Author *Chronologiæ*.

17. *Lantusca* præter Ecclesiam *S. Pancratii*, ejusdem Martyris Reliquiis insignem, ac inibi ædificatum Fratrum de Observantiâ Reformatorum Cœnobium, Parochialem habet *S. Pontio* antiquitùs consecratam. Hinc oriundus *Joannes de Tornaforte* Niciensis Præsul, de quo plura suo loco, ac Abbates *S. Pontii* duo ejusdem nominis, & cognominis. Inde etiam natale sortitus solum *Julius Turrinus* Medicus, & Mathematicus, politioribus quibusque litteris excultissimus.

18. *Bolena* S. Laurentii Parochiali Ecclesiâ
45 gaudens est, Patria, fortassè *B. Bertrandi* à *Bolenâ*, alii à *Bolegâ*, seù *Bolognâ* vocant, qui inter Minores *D. Francisci* Sanctimoniâ conspicuus, Provinciæque *S. Ludovici* alumnus, circà annum MCCCLXX. die VII. Septemb. obiit, ac sepultus est *Arelate* in Provinciâ, ut habet Arturus à Monast. *in Martyrol. Francisc.* Quòd tamen mihi de ejus natali solo nequaquàm liqueat, ejus gesta cum reliquis Viris pietate illustribus huic operi non inserui.

19. *Bellumvidere*, *Belver*, S. Petri Templo illustratur.

20. *Rochabileria*, *Rochaalpinaria* Pingonio, *Vesubiæ* fluvio proxima, à quo non sæpè damna, domibus dirutis passa est, agrique parte mulctata, *S. Michaëlem* colit. Ibi salubres in ægrotantium commodum aquæ.

21. *S. Martini* Castrum, cujus incolæ lætis pascuis divites, magnam armentorum copiam alunt, *B. Mariæ Assumptæ* nunc Templum commendat. Visitur in ejus confinio percelebris, & antiqua *B. Mariæ de Fenestris* Ecclesia, cujus Præceptor olim inter Canonicos *Nicienses* numerabatur, nomen sortita à Montis jugo proximo, cujus vertex, seù terræmotu, seù alio casu, ab anteriori facie ad posteriorem foraminatus, procùl inspicientibus fenestræ formam exhibet. Indè per *Alpium* sinus patet transitus ex Maritimis in *Pedemontem*.

22. *Venatio*, sic in antiquis membranis dicta, ubi forsitan olim celebris volucrum, ferarumque venatio, nùnc *Venasson*, S. Michaëlis parœciâ est insignis.

23. *S. Dalmatii* de plano Castrum, à *S. Dalmatio* Martyre sub *Decio*, Niciensis tractus illustratore dictum, ejus nomini Sacram, ac, ut fertur, Templariorum Equitum juri quondàm subditam habet Ecclesiam.

24. *Bolina*, & *Rocha* cum Superiore *S. Dalmatio* Vallis *Bloræ* sunt Pagi, ac parœciam unicam, quæ *S. Jacobi* Ecclesia est, constituunt.

25. *Rex placitus*, vulgò *Raimplás*. Ibi *S. Honorati* parœcia.

26. *S. Salvatoris* Castrum, à Transfiguratione Domini, in propriâ Ecclesiâ, excultâ nomen accepit.

27. Insula *SS. Antonii*, & *Petri* nominibus dicatum habet Templum.

28. *S. Stephani Tinæensis* Castrum, frequentissimum Populo Opidum, atque à *Tinæâ* fluvio appellatum, qui *Varo* postmodùm permiscetur, mercimonio celebre, nundinarumque conventu, Templum sui nominis S. *Stephani* scilicèt, antiquitate venerandum colit, & altarium, Sacerdotumque numero divinis inservientium. Inest præterea vetus Ordinis SS. Trinitatis Monasterium, cujus alumnus *F. Carolus* Gente in hoc Opido natus multis virtutibus clarus, non antè multos annos piè obiit.

29. *S. Dalmatii* Sylvestris Castrum à *S. Dalmatii* itidèm Parochiali Ecclesiâ nomen obtinet.

30. *Rora*, *S. Laurentii*, *Robionum*, *S. Stephani*; *Illontia*, *S. Michaëlis*; *Pyrla*, *S. Sylvestri*; *Therium*, *S. Martini*; *Liuchia*, *S. Mariæ Annunciatæ*; *Thoetum de Varo*, *S. Martini*; *Villarium*, ubi à *Boleanis Grimaldis* loci Dominis extructæ ædes olim magnificæ, *S. Joannis Baptistæ*; *Massoinum*, *S. Martini*; *Tornafortis*, *S. Petri*; *Bairolium* Opida, in quibus nil est in quo peculiariùs oporteat immorari, *S. Margaritæ* parœcias frequentant.

31. *Maria*, cujus antiquitatem inventa inibi, dum hæc anno MDCLVIII. scribimus, quam plura *Vespasiani*, *Neronis*, aliorumque priorum Cæsarum aurea numismata probatissima arguunt, *S. Pontii* Templo insignitur.

32. *Clansium* Canonicorum Collegio, ac *S. Mariæ* Ecclesiâ, in Pontificiis privilegiis *par.* II. exhibendis memoratâ, decoratur.

33. *Turris*, cui factum ex Turri antiquâ nomen, *S. Martini* Templo egregiè ornato, ac sumptuoso conspicua.

34. *Utellæ* frequentissimum Populo Opidum, & cujus ager multa circumquàque passuum milliaria excurrit, non solùm primariam habet *S. Verani* Episcopi *Cavallicensis* Basilicam, cujus summa icon pretiosissimis, ac suprà artem fabrefactis ornatur figuris, sed etiam in eminenti Montis vertice, celeberrimum *B. Mariæ de Miraculis* fanum. Id ei nomen indidit, prodigiorum, ac beneficiorum, *Marianum* inibi numen exorantibus exhibitorum frequentia.

35. *Gordolonum* quondâm Opidum nunc incolis

lis caret, ſola ſupereſt vetus Eccleſia *S. Mariæ*, olim juris *S. Pontii* Monachorum, nunc *SS. Mauritii*, & *Lazari* Equitum, ad quam quotannis certâ die divini verbi audiendi ergò, trium proximorum Opidorum Plebes conveniunt.

46 36. *Rocha Sparveria*, ab arduo jugo, cui imminet, appellata. Ibi *S. Michaëlis* parœcia.

37. *Caudaraſa*. Ibi *S. Joannis* Baptiſtæ parœcia.

38. *Comites*, ſivè *Computæ*, vulgò *Contes*, D. Mariæ Magdalenæ Templum, in medio *Paulonis* fluvii alveo, cui Opidum imminet, ſitum frequentabat, nunc intrà ſui ambitum ædificatam *S. Stephani* Eccleſiam.

39. *Caſtrum novum* in editiſſimo Montis vertice conſpicuum, *S. Petri* Parochiali nunc gaudet Eccleſiâ. Viſitur inferiùs *Villa vetus*, ubi in præſentiâ ſupereſt tantùm celebris quondàm, undè etiam *Caſtri novi* incolæ Parochialia accipiebant, *B. Mariæ* Baſilica, ſed præ vetuſtate labens, in veteribus monumentis nòn ſemèl memorata.

40. *Turretæ Chiabaudorum*, ſic ab antiquis turribus, & *Chiabaudorum* familiâ, jam per multas annorum centurias loci illius Dominâ dictæ. Veneranda præ vetuſtate, ſub titulo *S. Mariæ*, & *S. Salvatoris*, incolas excipit Eccleſia. Monumenta nonnulla ibi videre licet antiquitatis.

41. *Revellum*, ſeù *Rocha*, Turretas inter, ac S. Andreæ Pagum, à *Mauris*, ut credimus exciſum, rudera nonnulla oſtentat.

42. *Bendejunum*, ubi omnis generis fructuum, ac aquarum irriguarum copia, non ità pridem *S. Mariæ* parœciâ eſt ornata.

43. *Leventium S. Antonini*, *Rocheta*, aliàs *Rupecula de Varo S. Petri*, *Aſpermons S. Jacobi*, *Falconum B. Mariæ* Templis inſigniuntur.

44. *S. Blaſii* olim Caſtrum, nunc inter Sylvas, & nemora, domos hinc indè infrequentes habens, Eccleſia, jurisdictionem agnoſcit *S. Pontii* Abbatis.

45. *Drappum* juris jampridèm Epiſcopi *Nicienſis*, ac in præcelſo Montis jugo vetus Caſtrum, nunc dirutum, hàc, illàcque diſperſos habet, per agros, incolas è *S. Catharinæ* Templo ſpiritualia ſuſcipientes.

46. *Laghettum*, ſivè *Aquetum* olim fuiſſe Opidum, rudera non pauca præ ſe ferunt. Id loci noſtris temporibus divinæ beneficentiæ theatrum Virgo Deipara elegit. Templum inibi eidem intemeratæ Matri dicatum, maximi operis ab Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Præſule *Deſiderio Palletis*, ſuo, & piorum Fidelium ſumptu perfectum eſt in amplam, auguſtamque formam, ut ſuo loco dicetur.

## CAP. XVIII.

*Comitatus Nicienſis reliqua in alienis Diœceſibus loca.*

1. Earum, quibus ſuperiùs dixi Comitatum *Nicienſem* conſtitui, Diœceſium, præſtat cœteris Opidorum numero *Glandatenſis*, ſeù mavis dicere, *Glandevenſis*, aut cum *Antonino* in Itinerario, *Glannatena*. Id nominis ab Urbe olim Epiſcopali *Glandate*, ſeù *Glano* in Provinciâ, à Barbaris ſivè *Longobardis*, ſeù *Mauris* poſtmodùm exciſâ deſumpſit, cujus jura ad Opidum *Entrevaus*, proximè quod nunc Epiſcopus reſidet, ſunt translata. Potior hujus Diœceſis pars in Comitatu eſt *Nicienſi*. Opidorum illuſtrius occurit Podietum, *Pugetum* Pingonio, *Pogèt* noſtratibus, Vicaria Sedes in Comitiis publicis, ubi præter munitam ad loci præſidium Arcem, ineſt vetus Heremitarum *D. Auguſtini* Cœnobium. Sequun-
A tur reliqua, quæ paulò nobis ignotiora indicatis ut plurimùm tantummodò nominibus numerabimus. *Roccaſteronum*, *Pedona*. *Cicada*, inter quæ olim Caſtrum *de Garberiis*. *Bauſſonum*, *Todonum*. *Maſſium*, ubi *S. Arnulphi*, quem incolæ *Metenſem* credunt, Epiſcopi ſacra lipſana, necnon *SS. Donati*, & *Antonini*: Inibi ad ejuſdem *S. Arnulphi* Eccleſiam vota ſua deferentes ex morbis variis, ac præcipuè ex ſtrumis fauces inflantibus convaleſcunt, quam Eccleſiam anno MDLXVI. XI. Junii Sacer Cardinalium cœtus Indulgentiis locupletavit in perpetuum duraturis, docente, quod ad nos transmiſit Illuſtriſſ. D. Senator Nicienſis *Franci-*
B *ſcus Antonius Claretus* non modò ejuſdem *Maſſii*, ſed etiam *Aygluni*, & *Fogaſſeriarum* Domini, diplomate; quæ poſtrema loca in eâdem *Glandatenſi* Diœceſi connumerantur. Inſunt prætereà, *Ferres*. *Conſecutæ*. *Reveſtum*. *Turretæ de Reveſto*. *Croſſum*. *Giletta*. *Cainæa*, ſeù *Cadenetta* nunc incolis, olim Caſtrum in commune inhabitantibus, deſtituta. Interamnes, vulgò *Entraunes* Vallis Barchinonæ appendix, Valli alteri nomen indidit, undè *Varus* fluvius oritur. Inibi *Caſtrum novum*, & *Villa nova*. *Petrafoci* prætereà, ac *San* 47
*Martinetum* nominis obſcurioris Pagi *Glandatenſem* definiunt Diœceſim.

C 2. *Entimelienſis* ex Oriente Epiſcopatus, cujus Sedes primaria *Entimelium*, ſivè *Albintimelium*, nunc *Ventimiglia*, antiqua, ac olim frequentior, quàm nunc *Liguriæ* Civitas, nobiliſſimorumque Comitum diverſorium, nòn pauca in ſpiritualibus, *Nicienſis* Comitatus loca ſibi ſubdita habet.

3. Horum nobiliſſimum eſt *Hoſpitellum*, vulgò *Soſpello*, alii *Ceſpitellum*, ſeù *Soſpitellum* vocant, attamen in antiquis membranis anni MCLXIV. *Hoſpitellum* dictam invenio, forſitan ab aliquo antiquo hoſpitio, ſeù diverſorio inibi ſito, antequàm eâ, quâ nunc eſt formâ, Opidum conſtrueretur. At verò nunc in eam crevit amplitudinem, ut ju-
D re Civitatis gaudeat, ſitque non modò Præfecturæ ſedes, ſed etiam in Comitiis, plurium Opidorum jus, Vicariæ ampliſſimæ caput obtineat. In ſpiritualibus parœcias duas enumerat, undè Populus quæ ad ſalutem ſunt percipit. Religioſos Ordines jam pridèm fovet Regulares Canonicos *S. Ruffi de Valentiâ*, Minores de Obſervantiâ Reformatos, & Capuccinos. Ineſtque litterarum ſtudiis promovendis publicum Scholarum Collegium, undè doctrinis quibuſque excultiſſima ingenia prodire conſueverunt. Hos inter referendus hâc ex Patriâ oriundus R. P. *Theophilus Rainaudus* è Soc. Jeſu, de cujus omnimodâ eruditio-
E ne plura dicenda ſuppeterent, niſi maximo numero edita doctiſſima volumina, edendaque, ipſius nomen, jam diù venturis ſæculis immortalitate donaſſent. *Tenda*, opulenti, poſt exactos *Intemelio* Comites, dominii ſedes, qui tamen, quamvis *Tendæ*, ac alibi vixerint, *Entimelienſium* tamen Comitum ad hoc uſquè tempus retinuerunt nomen, *Laſcares* dicti ab *Irene* Theodori Græcorum Imperatoris ſuperſtite, quæ *Roberto Entimelienſi* Comiti nupſit, narrante præter cœteros *Julio à Puteo* Veronenſi, qui nobiliſſimæ *Laſcareæ* familiæ non ità pridem (utinam exactiùs, ac ad Grammaticas leges) hiſtoriam genealogicam ſcripſit.
F Indè illuſtris *Tendæ* Dominorum, ac Comitum propago prodiit, quæ non modò cum præcipuis *Europæ* familiis matrimonia contraxit, peperitque quamplurimos litteris, armiſque conſpicuos, verùm etiam Sacris perſæpè infulis decoravit. Hos inter recenſendi *Regienſes* in Provinciâ Præſules. *Marcus Laſcaris* ad annum MCCCCLXVI. quem referente *Franc. Auguſtino ab Eccleſ.* quidam poſtmodùm adſcriptum putant cœtui S. R. E. Cardinalium: *Antonius Laſcaris* ad annum MCCCCXCIV.

Alius *Antonius* prioris ex Fratre Nepos anno MDXX. de quo multa in annalibus Massiliensibus *Jo. Bapt. Guesnay.* Is ex *Rhegiensi* factus est Episcopus *Bellovacensis*, ac tandem *Lemovicensis*, Præpositusque *S. Mariæ de donis* Avenione. *Thomas Lascaris* anno MDXXIII. ibidem Præsul. *Massilia* alium ex eâdem familiâ, *de Tendâ*, sivè *Tendulum* dictum incerto nomine Præsulibus suis accenset anno MCCXXXV. Augusta verò Prætoria post annum MD. *Honoratum* Lascaris Episcoporum suorum fastis adscribit; necnon anno MCCCCLXXV. *Entimelium* Liguriæ, *Joannem Baptistam.* Ipsum porrò Opidum *Tenda* non modò Parochiali magni operis, ac sumptus à *Lascareis* extructâ Proceribus gaudet Ecclesiâ, in quâ *Renati* Magni *Sabaudiæ* Nothi tumulus, verùm etiam extrà Opidi ambitum vetus Heremitarum *D. Augustini* Monasterium habet sub titulo *S. Dalmatii*, quod *Rodulphum* Lascaris Honorati filium sanctimoniâ illustrem ejusdem Ordinis alumnum agnoscit primarium Fundatorem; necnon aliud ibidem visitur non ità pridèm extructum Fratrum Capuccinorum. Reliqua *Entimeliensis* Diœcesis sub *Niciensi* Comitatu loca enumerantur, *Briga Tendensis* olim Comitatus portio, antiquitatem maximè redolens, cujus incolæ crediti, qui in Augusti Trophæis indicati sunt, *Brigiani*, Populi numero, lætisque pascuis in finitimis *Alpibus* nunc præstantes. Hic orta *Torina Arnalda* egregiâ pietate, voluntariâ corporis afflictione, & animorum notitiâ divinitùs afflata fæmina, quæ non ità pridem *Romæ* obiit cum magnâ sanctimoniæ famâ. *Saurgium* vetus Castrum, propè quod alterius *Pingonio* noti, cui, nomen *Malamors*, occurrunt rudera, quo loco fama est ingens olim incolas inter, ac *Mauros* è Fraxineto *Alpes* infestantes sequutum prælium, non ineleganti Reformatorum *S. Francisci de Observantiâ* Monasterio illustratur. Supersunt *Brelium*, ubi antiquus à *Lerinensi* Monasterio dependens visitur Prioratus. *Molinettum. Pigna*, locus extinctis nunc Opidanorum factionibus celebris. *Castelionum. Gorbium. S. Agnes. Castelarium*, ubi natale habuit solum Eminentissimus *Joannes Paulus Lascaris* supremus Equitum *S. Joannis Hierosolymitani* Magister, qui postquàm prudentiæ, morum suavitatis, justitiæ, innocentiæ, ac Regiæ in Ordinem ipsum munificentiæ exempla plurima præbuisset, de Christianâ Republicâ benemeritus, fermè centenarius excessit è vivis anno MDCLVII. superest *Entimeliensi* Diœcesi subditus
48 *Dulcisaquæ* Marchionatus, nobilissimæ familiæ *de Auriâ* feudum, cujus sedes *Dulcisaqua* Opidum, sic dictum ab aquarum gratâ ubertate, decoratur Fratrum *S. Augustini* Discalceatorum Cœnobio, eique adhærent Pagi populo referti, videlicèt Podium *Rainaudi*, *Apricale*, sivè *Apricum*, *Insula*, *Rocheta*.

4. *Venciensis* Episcopatus; cujus caput *Vencia* Provinciæ Urbs, seù *Vincium Nerusiorum*, tres tantùm in *Niciensi* Comitatu Pagos enumerat, *Gatterias*, *Duos frates*, *Bojonum*.

5. *Senecensis* verò Episcopatus unicum in tractu *Barchinonensi* habet Opidum, *Allosium*, vulgò *Alluós*, ubi visitur æri campano primariæ Ecclesiæ sustinendo miri operis Turris.

6. Supersunt in Valle *Barchinonensi* pluribus Opidis spiritualia ministrantes Archiepiscopus *Ebredunensis*, & *Taurinensis*.

7. *Ebredunensi* parent *Barchinona*, seù *Barcilona*, incolis *Barcilonetta*, quam *Aragones* Provinciæ Comites condiderunt, instauraruntque, indito nomine suæ in citeriore Hispaniâ *Barcinonis*. Agnoscit hæc Patria opulentæ Vallis caput, ac Vicariæ in publicis comitiis sedes, non modò Viros ex se progenitos, mercaturæ exercendæ, &
A divitiis congerendis aptissimos, sed etiam qui Sacris infulis, quin etiam Cardinalitiâ purpurâ ornati sint, quos longo ordine recenset Franc. August. ab Eccles. *Coronæ Regiæ par.* II. Sanctitate etiam conspicuos, inter quos nos *Hugonem* Cardinalem, ac *B. Andream Robertum* Martyrem recensebimus. Monasterium inibi visitur antiquissimum Fratrum Prædicatorum, quod præfato *Hugone* curante creditur excitatum. Circumsitam verò Regionem nivibus hyberno tempore opertam sequentes Pagi de nomine tantùm ut plurimùm nobis noti commendant. *Meolantium*, *Revellum*, *Lau-*
B *setta*, *Giauseria*, *Castellarium*, *Tornos*, & *Insula*, *S. Paulus*, *Archia*, & *Meyrona*, quorum postremum *Franciscus de Mayronis* Doctor Ordinis Minorum conspicuus Patriam suam agnoscit.

8. *Taurinensi* adhærent Archiepiscopatui *Grangis*, & *Argenteria* Opidum; à quo nomen sortitam vallem, cujus incolas *Antonius dù Pinet* putat Plinii lib. III. cap. IV. *Oxubianos*, circà annum MCCCCIII. *S. Vincentius Ferrerius* peragravit, ibique ad bonam frugem Hæreticos multos traduxit, ut ipse suis prodit epistolis ad Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum. Sequuntur *Aysso-*
C *num*, *Vinadium*, Pons *Bernardi*, & *Petraporci*, ac *Berzesium*, loca non admodùm nobis cognita.

## CAP. XIX.

*Antiquitas, & præstantia Fidei Christianæ Cemelio-Niciensium.*

I. INter præcipua decora numerant Urbes primariæ Christi Fidem, quam sivè ab Apostolis Christi asseclis, seù ab Apostolorum Discipulis sunt edoctæ. Agnovit hoc Urbium decus D. Chrysost. *ser.* XVIII. *ad Pop. Antioch.* Civitatis enim dignitas in hoc sita est; *Non quòd*, inquit
D ille, *Metropolis sit, nequè quòd habeat ædificiorum magnificentiam, & ornatum, neque quòd multas habeat columnas, & porticus, & deambulationes; nequè quòd antè alias Civitates prædicetur; sed inhabitantium virtus, & pietas; hæc est dignitas, & ornatus, & tutela Civitatis; Ità ut si hoc desit, omnium sit vilissima, licèt infinitum ab Imperatore consequatur honorem.* Hanc sibi laudem ex virtute, & pietate, quam veri numinis parit cultus, jam pridèm *Nicæa*, & *Cemenelion* vendicarunt. Illustriss. *Paulus Britius Albensis* Episcopus tom. I. Eccles. Occid. sæc. I. num. 20. ex aliis, quos ad-
E ducit Authoribus, ait *S. Barnabam* Apostolum, non in *Cisalpinâ* solum *Galliâ* Evangelium promulgasse, ut habetur ex traditione *Ecclesiæ Mediolanensis*, & *Vercellensis*, teste *Jacobo Guallâ*, sivè *Guallâ Bicherio* Cardinali *lib.* III. *cap.* III. apud Augustinum Mannum *in Historiis selectis*, sed Civitatibus etiam *Niciensi*, atque in Galliâ *Ebredunensi*: Et quidèm peregrinationem *Barnabæ* in totâ *Liguriâ* idem *Baronius* admittit, quem in *Italiam* venisse asserit anno Nativitatis Christi LI. *Claudii Cæsaris* III. Mortis verò Christi juxtà *Tirinum* XIII. ex quo sequeretur anno tertio, vel certè octavo, postquàm, ut ex *Actis Apostolorum*, ac
F Eusebii *histor. Eccles.* eruitur, Antiochiæ *Christianum* nomen exortum est, in *Niciensi* Urbe claruisse; *Christianos* siquidem in Civitate *Antiochenâ* dictos ait *Baronius* anno à Nativ. Christi XLIII. *C. Caligulæ* quarto, vel, ut supputat *Jacobus Tirinus*, anno x. à morte Christi. Putant alii à primis illis Fidei Præconibus, quos *Petrus* Apostolus perhibetur in *Galliam* destinasse *Narbonensem*, *Nicæâ* transeuntibus, vel *Cemenelione*, Christi cultum utriusque Urbis Civibus enunciatum, præsertimque à *S. Trophemo* primo *Arelatensium* Episcopo, vel à *S. Paulo Sergio* Antistite *Narbonensi* (fuerat is Proconsul ille, de quo *in Actis Apost.* 49
*cap.*

*cap.* XIII. à *Paulo* Apoſtolo ad Fidem converſus) qui in *Italiam* veniens ex *Papho* Inſulâ, ad *Gallias*, & *Hiſpanias* prædicationis gratiâ iter facturus, primò *Lunenſi* in extremâ *Liguriâ* Civitati Chriſtum nunciavit, mox, inquit Petrus de Natal. *lib.* I. *cap.* LX. per *Alpes* tranſiens, *Ebredunenſi*, *& Aurienſi Urbibus*. At hæc incerta ſunto, quòd probabilibus tantùm inhæreant conjecturis, nec eis antiquioris alicujus ſcriptoris fides ſuffragetur.

2. Indubiæ autem præſtat veritati locum *S. Nazarii* Martyris in Oram *Nicienſem* adventus, qui anno Chriſti circiter LX. *Nerone* imperante *Cemenelionem* Urbem, ac etiam veroſimiliter *Niciam* Chriſti Fide initiavit. id liquet ex ejus vitæ actis, ut infrà ſuo loco dicendum, ex quibus etiam fit perſpicuum, non unum aliquem, eo ſuadente, gentilitios ritus abjuraſſe, ſed ex eâ Urbe quamplurimos, &, quod magis mirere, primariam ibidem fœminam *S. Celſi* Matrem. Ad eam verò Civitatem ſpecialis fuit *Nazarii* legatio, à Matre ſiquidèm *Perpetuâ* eò directus fuerat, ut Chriſto *Cemenelenſem* Populum lucrifaceret. Alias quidèm adivit *Nazarius* Civitates in *Italiâ* ſitas, ut *Placentiam*, *Mediolanum*, & *Genuam*, nullibi tamen legitur id ſpeciali mandato Dei præcipientis egiſſe; ſecùs autèm quùm ad Urbem *Cemenelionem* venit. Eſto, Mater ex parte Dei non *Cemenelionis* tantùm, ſed *Galliarum* injunxerit iter! in nullâ tamen aliâ *Galliæ* Civitate ſcribitur *Nazarius* Evangelium promulgaſſe, adeò ut, *Cemenelione* luſtratâ, retrò iter flexerit in *Italiam*, ut veriſſimum inferiùs oſtendam. Conſtat igitur de Fidei Chriſtianæ, quæ in Eccleſiâ *Cemenelio-Nicienſi* floruit ſemper, antiquitate.

3. Hoc à primævo Satore, Terræ, ut Evangelicis verbis utar, bonæ commiſſum ſemen, alii ſubindè poſt *Nazarium* Operarii excoluerunt. Hos inter *S. Pontius* fuit, qui eam, quam ex *S. Pontiani* Romani Pontificis fonte doctrinam hauſerat, in aliquam Mundi partem derivaturus, poſtquàm duos *Philippos* Cæſares Chriſto peperiſſet, ejuſdem Fidem non modicè propagavit *Cemenelione*, & *Nicææ*.

4. Eo fermè tempore idem *Nicææ* agebat inclytus Martyr, ac *Nicienſis* Epiſcopus Divus *Baſſus*, qui, ut habetur in Romano Martyrologio, *dùm Chriſtum prædicaret*, à Perennio Præſide martyrio eſt coronatus *Decio* imperante. Quo die, & anno martyrium ſubiit *S. Dalmatius*, qui, ut teſtantur ejuſdem acta apud *Speltam* Ticinenſem, ex *Pedemonte* deſcendens *Galliam petivit ociùs*, *in cujus partibus verbum Dei nunciavit Gentibus*, *adjuncto ſibi Saturnino quodam, maximè in finibus Maſſilienſis Provinciæ*, id eſt in Nicienſi Comitatu, ubi erant fines Provinciæ *Maſſilienſis*. Hujus *Dalmatii* martyrium, ac tumulum antiquum idem Author *Spelta* ſtatuit, in Diœceſi, & Comitatu *Nicienſi*, in Opido ſcilicèt *S. Dalmatii* propè *Pedonam*, nunc *Peona*; licèt ſciam id alios affirmare eveniſſe ultrà noſtras *Alpes* in Burgo propè *Cuneum*, ubi vetus Opidum agnoſcunt, *Pedonam* dictum: falſiſſimum verò eſt quod ait *Franciſcus Agellius*, ſtatim poſt *Dalmatii* mortem à quâdam Reginâ Provinciæ Eccleſiam, ac Monaſterium Benedictinorum ædificatum, quorum ordo multis poſt annorum luſtris incepit.

5. *Dalmatio Nicienſem* Comitatum illuſtrante, *S. Cornelius* Papa ſub *Decianâ* perſecutione exſul ejuſdem Comitatus confinia petiit, quâ de re ejuſdem *Dalmatii* acta, quæ id confirmans citat Paulus Britius progreſſ. Eccleſ. Occid. pag. 110. *Eodem verò tempore non parva perſecutio Populis Chriſtianis ab inimicis Perſecutoribus in Romanâ Civitate illata fuerat*, *quam B. Papa Cornelius fugiens in his partibus veniens verſabatur*, *qui ſibi domicilium*

A *in quodam Monte ſtatuit*, *qui de illius nomine Mons Cornelianus appellatus eſt* (Dicitur nunc Italis Monte di Corn, ſivè colle di Tenda) *Cumque famam boni operis B. Dalmatii*, *& adventum ejus in ipſis partibus audiſſet*, *lætus*, *& exultans de tali*, *tantoque Sanctiſſimo vicino*, *& quià eum ex ſuo genere eſſe agnoſcebat*, *divinis eum verbis fovebat*, *& quos ille prædicatione ſuâ ad Fidem convertebat in ipſis finibus*, *eos Beatus Papa Cornelius confirmabat dictis*, *& exemplis*. Breviarium Romanum, Baronius in Annalibus, aliique *Româ* exſulem *Cornelium* Papam *Centumcellas* abiiſſe dicunt, ubi eum *D. Cy-*
B *prianus* Carthaginenſis Epiſcopus perſæpè litteris viſitavit: àt non improbabile eſt, in Monte *Corneliano*, & *Centumcellis* egiſſe diverſo tempore *Cornelium*, quandò id ex diverſis Actis habemus.

6. Sed ùt eò tandèm redeam, undè digreſſus ſum; quià à *Diocletiano*, & *Maximiano* Cæſaribus excitata crudelitas ubiquè terrarum edebat ſtrages, & Idolorum cultum reſtitui ſatagebat, providit 50
Deus alios *Cemelio-nicienſi* Vineæ Operarios, ne Fides, quæ jam altas radices egerat, ex eo ſolo avelleretur. Miſit ſiquidèm Sanctitate conſpicuos Sacerdotes, qui inter cœteros *Vincentium*, & *Orontium* fratres *Cemenelenſes*, Nobiliſſimorum Vicarii, & Auritiæ Filios Chriſtianæ Fidei pepere-
C runt; non incongruentèr verò conjicio, eos, quorum operâ prædicti Fratres Fidem amplexi ſunt, fuiſſe *S. Marcellinum* Primum *Ebredunenſem* Epiſcopum, ut eum vocant Martyrologia *Romanum*, *Adonis*, *Uſuardi* 20. April. ac Petrus de Natal. *lib.* IV. *cap.* LX. nec non *Domninum*, & *Vincentium* ejus Socios, qui ex *Aphricâ* venientes, *Maximam partem Alpium Maritimarum verbis*, *& ſignis converterunt ad Fidem Chriſti*, confirmorque in ſententiâ, quandò in eorundem *Vincentii*, & *Orontii* Martyrum Actis, lego *Marcellinum* adhùc ſuperſtitem, quùm eorum corpora *Ebredunum* de-
D lata ſunt.

7. Hucuſquè de avitâ *Cemelio-nicienſium* Religione, ejuſque Satoribus, agè nunc de Fidei, atque ergà Deum Religionis præſtantiâ teſtimonium proferamus! Hanc laudibus ſummis extuliſſe videtur *S. Valerianus* Cemelienſis Epiſcopus, atque adeò Teſtis oculatus, dùm alloquens ſuos Cives ajebat homil. XVI. 2. de bono Mart. *Habetis planè quod peculiariùs gratulari. Nam ex veſtro fonte oritur quicquid Religionis ubique bibitur*, *ex vobis naſcitur quidquid alibi ſitientibus miniſtratur*. Specialiùs dilectam à Deo Eccleſiam dixerat ſuperiùs iis verbis: *Reſpicite Dilectiſſimi ad aliarum Regio-*
E *num ſtudia*, *quæ videmus in amore Sanctorum peregrinis latiùs florere commerciis*, *& intelligetis*, *quantùm nobis Dominus præſtiterit*, *vel quantùm circà nos ſollicitudinis*, *aut amoris impenderit*, *qui inter cœteras Nationes*, *quas ſalvandi ſtudio reſpexit*, *etiam loca noſtra Martyrii cruore perfudit*. Nimirùm laudabat *Valerianus* ejus Martyris cruore perfuſam Urbem, de quo alio in loco eorundem Civium celebrans pietatem: *Nos ad hæc*, inquit homil. XVII. 3. de bono Martyr. *Dilectiſſimi quem gradum excuſationis opponimus*, *ſi quid in nobis Dominus*, *aut negligentiæ depræhenderit*, *aut infidelitatis invenerit*.
F *Apud quos Chriſtianum nomen à virtutibus cœpit*, *quorum non ſolum auribus*, *ſed etiam oculis quotidiè ſub præſentiâ tanti Martyris fides Religionis inſeritur*. His, aliiſque ſimilibus, quæ adaggerat verbis, prodit *S. Valerianus*, quales ſuo ævo eſſent *Cemelio-nicienſes*. At priſtinam Avorum Fidem in Nepotes non deſiiſſe, ex eo conjicietur, ſi ſedulò perpendamus, non modò Sanctorum numerum, quos, ut alicubi legitur, aut è Cœlo fœlix hæc Patria meruit Cives, aut Cœlo dedit Indigetes, verùm etiam continuatam, nec unquàm intermiſſam Catholicæ Fidei, intemeratæque omnibus re-

trò sæculis Religionis confessionem, quam nec Barbarorum à verâ Fide aberrantium frequentes incursus, nec Hæreticorum in viciniâ *Narbonensis* Provinciæ, & *Delphinatus* degentium lues potuit unquàm vel minimùm afficere. A

## CAP. XX.

*Status præsens Ecclesiæ Niciensis, Religiosæ domus, Xenodochia, Sodalitia, Sacella publica, Montes pietatis.*

1. Ecclesiæ *Niciensis* statum, qui nunc est, superiùs *cap.* XVII. ex parte delineavimus, superest, ut de Religiosis Ordinibus, quos jam pridèm *Nicæa* fovet, aliqua hic attexam, atque unico legentium obtutui exhibeam hoc ordine. B

2. *Monasteria Virorum Niciæ.*

*S. Pontii* Monasterium Ordinis *S Benedicti* à *Carolo Magno* Imperatore olim extructum extrà mœnia.

*S. Augustini* olim *S. Martini*, Augustinianorum.

*S. Jacobi*, qui olim degebant ad *B. Mariæ de Monte Carmelo*, Carmelitarum.

*S. Dominici* Ord. Fratrum Prædicatorum.

*S. Francisci* Minorum Conventualium. C

*S. Mariæ de Cimellâ* Minorum Reformatorum de Observantiâ, quorum Cœnobium, olim S. Crucis, destructum.

*S. Bartholomæi* Capuccinorum extrà mœnia.

*SS. Jesu* nominis Societatis Jesu.

*S. Francisci de Paulâ* Minimorum.

*S. Joannis Baptistæ* Augustinianorum Discalceatorum in suburbio Civitatis.

3. *Monasteria Fœminarum.*

Monialium Cistercienslum olim sub titulo *S. Stephani de Cortinâ*, nunc deletum. D

*Clarissarum.*

Visitationis *B. Mariæ.*

4. *His addi possunt domus*

51 *Orphanorum* sub regimine Sodalitii Nominis Jesu.

*Orphanarum* Puellarum sub regimine Sodalium Sepulcri Domini, sivè *B. Mariæ Assumptæ.*

5. *Xenodochia*

*S. Rochi* primarium.

*S. Crucis.*

*S. Lazari* Leprosorum.

Hospitale olim *S. Joannis Hierosolymitani*, cujus reditus nunc in Commendam redacti. E

*Hospitale* olim Templariorum Equitum.

6. *Sacella, sivè Oratoria publica Sodalium*

*S. Crucis*, sivè *del Confalone.*

*B. Mariæ de Misericordiâ.*

*S. Spiritus.*

Sepulcri Domini, sivè *B. Mariæ Assumptæ.*

Sanctissimi Nominis *Jesu.*

Sanctissimæ *Sindonis.*

*Humiliatarum*, Nobilium ut plurimùm fœminarum Sodalitium.

7. *Addi possunt Oratoria*

*S. Joseph* Reformatorum de Observantiâ.

*B. Mariæ de Laureto* Capuccinorum.

Sacellum *B. Mariæ* dictæ *de Sincaire*, ad quod anniversaria fit supplicatio.

8. *Montes Pietatis in egentium subsidium*

*B. Mariæ de Misericordiâ.*

*S. Spiritus.*

## CAP. XXI.

*Divi Nicææ Urbis Tutelares.*

1. Nicæa Civitas ex quo est Christianismo initiata peculiarem sibi Patronam statuit *B. Mariam* Virginem, quam semper, præcipue verò in *Turcicogallicâ* obsidione, dum Terrâ marique quateretur anno MDXLIII. ut par. II. dicemus, experta est Tutelarem: quamobrèm cunctis retrò temporibus non solum quamplurima Templa ejusdem intemeratæ Virginis nomini sunt erecta, sed ipsamet Cathedralis Ecclesia, quæ nunc Arci inclusa est, *B. Virgini Assumptæ* fuit antiquitùs consecrata, cujus, Augusto Mense, solemnitas, maximo Populorum concursu celebrabatur, fiebantque sequentium octo dierum spatio solemnes nundinæ.

2. Ex quo verò ad Ecclesiam *D. Reparatæ* Virg. & Mart. Cathedra Episcopalis translata est, præter B. Virginem, eadem *D. Reparata* in Patronam assumpta est, ejusque nomini nunc sub auspiciis Illustrissimi, & Reverendissimi Domini *Desiderii Palletis* Episcopi *Niciensis* Templum Nobilissimum excitatur.

3. Peste autèm laborante Civitate, præsertim anno MDLXXXI. MDCXXXI. Divos sibi *Sebastianum*, *Rochum*, *Rosaliam*, *Franciscum Xaverium* adversùs contagiosam luem addidit Tutelares. Cùm autem ergà eosdem se pluribus communi decreto adstrinxisset votis, *Divo Sebastiano* elegans Sacellum exstruxit, argenteamque ejusdem Statuam dono dedit Ecclesiæ Cathedrali. *Rocho* itidèm Templum infrà publicum Xenodochium erectum est, argenteumque minoris ponderis signum; ac die festo eorundem *Sebastiani*, & *Rochi* anniversario, publicâ totius Cleri, ac Civium supplicatione, Templa eadem frequentantur.

4. Divæ *Rosaliæ* Virginis, ac Divi *Francisci Xaverii* præsidium imploravit anno MDCXXXI; Ac *Rosaliæ* quidèm, eò quod ejus Virginis ope liberatam, grassante lue scivisset Civitatem *Panormitanam* in *Siciliâ*, à cujus Senatu non exiguam postmodùm ejus Reliquiarum non ità pridem inventarum partem, pretiosissimæ thecæ argenteæ inclusam impetravit, his jubente eodem Senatu *Panormitano* inscriptis notis:

OS D. V. PAN. ROSALIAE 52

NICAEAM VOTIS PVBLICIS EXPETITVM PANORMVS TRANSMISIT, SANCTVM IN COMMVNEM PATRONAM, ET INTER VRBES IPSAS AMORIS MONVMENTVM. D. IOANNE GIOENIO, ET CARDONA ANDEGAVIAE DVCE, EQVITE S. IACOBI II. PRAETORE. D. PETRO SEPTIMO. D. OCTAVIO ORIOLES. D. GASPARE IVRATO. D. IOSEPH COLVAGO, ET BELLACERA BARONE S. VEN.TE D. IOSESPH MANGIONE ET IN CORBERA. CAP. MARCO GARZIA SENATORIBVS. M. DC. XXXV.

5. Tantæ *Panormitanorum* munificentiæ *Nicæa* morem gerens, argenteam lampadem affabrè factam *Panormum* antè *D. Rosaliæ* Sacellum appendendam transmisit, certosque reditus servando ibidem lumini perpetuò deputavit. Alias ejusdem Virginis postmodùm Panormo *Nicæam* delatas Reliquias veneratur Ecclesia *S. Francisci* Conventualium, ubi *D. Rosaliæ* extructum fuit altare Sacrum. At verò in Ecclesiâ Cathedrali elegantissimum Sacellum publicis impensis *D. Rosaliæ Nicienses* ædificarunt, ubi in marmoreis tabulis voti concepti causa exprimitur his verbis.

DVM FVNERE PVBLICO
VRBEM EFFERRET PESTIS
ASCITIS IN PIVM PATROCINIVM
DD. ROSALIA' VIRG. ET FRANCISCO XAVERIO
OBNOXIA IRATO NVMINI VICTIMA
N I C Æ A
AD ARAM DEVOTAM SOLVTA EST.
VOTVM NVNCVPARVNT
HORATIVS ISNARDVS EX DOMINIS PELLIONI
IOSEPH FERRVS
ET IOANNES ANTONIVS MICHELIS
CONSVLES
ANNO D. MDC. XXXI.
VOTVM SOLVEBANT
D. STEPHANVS CAYS EQVES SS. MAVR. ET LAZARI
ANDREAS ROSTAGNVS. IOANNES BAPTISTA CAMOSSIVS
ET ANDRIVONVS RADASSVS
C O N S V L E S
IACOBO PORTANERIO S. MARGARITAE DOM. ASSESSORE.
ANNO D. M.DC.LVI.

Divo *Francisco Xaverio* elegans Sacellum ornati cœptum est in Templo Soc. Jesu sumptibus *D. Jo. Baptistæ Fabri* Civis *Niciensis*.



COELI-

56 # COELITIBVS PATRIIS,

## AVTHORIS CONSECRANTIS OPVS, OPEMQVE EXORANTIS

## *ELOGIUM.*

VOS VOBIS SISTO,
ARAM VESTRAM ADEO NON VACVVS,
DO QVOD DEDISTIS, VT DAREM.
QVI OLIM IGNOTO DEO ARAM INSCRIPSERANT NICIENSES,
NOTOS FORTASSE SCRIBENT IMPOSTERVM DEOS SVOS.
CANDIDATOS MARTYRES IN ALBVM RETVLI ATRAMENTO,
NON SATIS ILLVSTRES PVRPVRA.
MVNDO MORTVI, QVIA VIVENTES COELO,
MVNDO ERITIS REDIVIVI.
QVEREBATVR SVI NOMINIS NICAEA VICTORIAS,
DVM AB AEVO RERVM VICTORE OMNIVM,
VEL IN INVICTIS SE VICTAM DOLVIT;
EFFOETAE SENECTVTIS GRAVIVS MALVM PASSA,
OBLITA QVO LOCO THESAVRVM OCCVLISSET.
NON BENE CREDIDERAM PATRIO AQVILAM INSCVLPTAM STEMMATI,
NISI RENOVASSEM, VT AQVILAE, IVVENTVTEM PATRIAE
ANNALIVM SENIO.
FELIX AQVILA, FVLMINVM ALITE MINISTRA FELICIOR,
PVLLOS SVOS COELO ADVOLASSE LAETABITVR,
FVLMINA E IOVIS MANIBVS EXCVSSVROS.
AGNOSCET SVOS NICAEA CIVES, VT AGNOSCATVR,
IMO SVOS, QVIA COELI.
SANCTORVM EADEM PARENS, ET FILIA,
QVOS NVTRIVIT ALIQVANDO FILIOS,
AMBITIOSA HVMILITATE IAM DICET PATRES.
LVCE NVNC PRIMVM POST DIVTVRNAS TENEBRAS FRVITVRI,
QVI COECIS LVCEM SAEPIVS EXORASTIS,
NON INSVETO PRODIGIO,
TENEBRAS E LVCIS INDIGO PELLITE INGENIO.
DVM PAVCA DE MVLTIS ENARRATVRVS,
VOBIS, QVÆ DICO, DICO.

NICÆÆ

57 # NICÆÆ CIVITATIS SACRIS MONUMENTIS ILLUSTRATÆ, PARS PRIMA.

## DE VIRIS SANCTIS, ET PIETATE ILLUSTRIBUS NICIENSIS URBIS, DIOECESIS, COMITATUS.

### TITULUS I.

## S. CELSUS MARTYR CEMENELENSIS.

1. SAnctus *Celsus* Cemenelione natus est, ex primariis in eâ Urbe Parentibus *Nerone* imperante. Patris nomen hucusque apud Authores latet, Mater verò dicebatur *Marianilla*, alia à *Martianillâ* alterius *S. Celsi* itidèm Pueri sùb *Diocletiano* Martyris, de quo Martyrologia die Nonâ Januarii. Soliùs verò Matris forsitan nomen innotuit, quòd adveniente Cemenelionem *S. Nazario*, Pater supremo Fato correptus jam vivere desiisset. Porrò *Marianilla* Celsum Filium non minùs lacte, quàm honestis moribus enutrivit usquè ad ætatis triennium, quo tempore *Nazarius* ex Patre *Africano*, & Matre *Perpetuâ* Matronâ *Romanâ* progenitus *Cemenelionem* venit. Causa adventus paulò altiùs repetenda: *Nazarii* siquidèm Parentes diverso Religionis pollebant cultu, nàm Pater *Judæorum* superstitionibus erat addictus, Mater verò Christianæ Fidei luce perfusa, & quondàm Baptismate initiata à *S. Petro*:
58 anxius itaquè animi *Nazarius* eorum Filius, quem ex diversis ritum sequi satiùs foret (hortabatur enim Mater, ut Christi Fidem amplecteretur, contrà verò urgebat Pater, enumerans cruciatus, quibus quotidiè animadvertebatur in Christianos) implorato in tanto discrimine divinæ lucis radio, patefactis ambagibus, atque agnitâ Christianorum dogmatum veritate, non solùm *Judaismum* non est amplexus, sed Baptismi aquis ablui voluit ministrante *S. Lino* D. Petri Coadjutore, ac postmodùm in Cathedrâ Pontificiâ Successore.

2. Parentum deincèps consilio, qui nè à Gentilibus Fidei causâ occideretur magnoperè verebantur, & quià liberum ejus Religionis, quàm profitebatur, usum sibi præclusum videbat, Deo disponente, id quod olim *Abrahæ* sibi dictum putavit: *Egredere de Terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & veni in Terram, quam monstravero tibi*: Oneratis itaque quâ multum abundabat supellectile, auroque jumentis, Pauperibus distributurus terrenas divitias, ut cœlestes thesauros lucrifaceret, *Româ* egressus, & præcipuis *Italiæ* Civitatibus decenniùm peragratis, tandem *Placentiâ* venit *Mediolanum*, ubi carceri emancipatos *Gervasium*, & *Prothasium*, quòd Christum annunciassent, ad sustinendos alacritèr cruciatus sæpiùs adhortatus, comprætensus ab *Anolino* Præfecto, verberibusque affectus quamplurimis, extrà Civitatem pulsus est.

3. Anceps in quam Mundi partem diverteret *Nazarius*, Matrem *Perpetuam*, quæ jam obierat,

A in somnis vidit sibi ex Dei parte penitùs imperantem, ut relictâ *Insubriâ*, seù *Galliâ Cisalpinâ*, ad illam ulterioris *Galliæ* partem properaret, quam Maritimæ *Alpes* constituunt, ut ibi verbo, & opere Christianum nomen longè, latèque difunderet. Paruit Matri justa præcipienti *Nazarius*; nec mora, extremas *Italiæ* oras adiens, *Nicæâ* (ut credibile est) lustratâ, *Cemenelionem* est ingressus; statimque Christi nomen, ut jussus fuerat enuncians, multos vero Deo acquisivit ejus Urbis Cives, nec ex infimâ tantùm Plebe, sed ex utriusque sexus Nobilioribus.

B 4. Hos inter enituit *Marianilla* Matronâ inter Primarias Civitatis, quæ, ut audivit *Nazarium* Idolorum cultum redarguentem, non solùm Christo in Baptismo nomen dedit, sed ut id ipsum alii agerent author fuit. Adduxit siquidèm ad Nazarium *Celsum* Filium, qui tunc, triennio vix completo, ut loqui cœpit, cœpit etiam Christianæ fidei rudimenta eloqui, perfusus Baptismi aquâ ab eodem, quo Mater, *Nazario*. Ut autèm totum Filium daret Christo *Marianilla*, totum sibi abstulit, ità aliquandò *Nazarium* allocuta: *Puer, quem vivere docuisti, tecum, si Cœlo placuerit, morietur! Novus sis ei Pater, quem Christo regenerasti! Duc eum in quas libuerit Terras, dummodò tecum tandèm inveniat Cœlum! Quem fecisti Socium Fidei, fac Socium & laborum, ut Socius esse valeat meritorum!*
C *Numquàm te deseret* Celsus *quousque eum deserat vita! erit tibi comes peregrinationum, & Patriæ!* Hæc ajebat Mater non sine lacrymis, maternum exuens, quo aliæ Matres fervent, ergà charissimum natum, affectum, & se sui parte viduans, Filium perdens, ne perderetur! Non ità facilè 59 dictu fuerit, quantâ perfusus *Nazarius* voluptate cerneret adeò uberes, & præmaturos, concepto vix semine, fructus, illam Urbem progerminasse: quamobrèm tantò ardentiùs, quantò utiliùs prosequens institutum, multis diebus ibidèm constitit, Evangelico ministerio intentus, corporis cibos, ut est verosimile, à *Marianillâ* ac-
D cipiens, cui præmaturè spiritus alimenta præstiterat.

5. Audivit autèm *Dinovatus* Præfectus *Cemenelione* ab Imperatoribus constitutus, qualitèr cum Diis, *Nazarii* operâ, ageretur, atquè unius Hominis voce, totius pœnè Civitatis mutatam faciem obstupescens, accersitum *Nazarium*, quis esset, & undè eò adventasset, est percunctatus? Ut verò audivit eum Civem *Romanum* Româ illùc digressum, eam circà *Nazarium* habens, quam circa *Paulum* Tribunus Militum habuerat rationem, veritus in eum

sævire, crudelitate exarsit in *Celsum* Puerum, quem secum ad Præfecti Tribunal *Nazarius* comitem duxerat; flagris tenellos infantis artus (ut pueris fieri assolet) diutissimè, & crudelissimè cœdi jubens, spectante interim, ut vel in eo pateretur, atque animos addente *Nazario*. Torquebatur ictibus repetitis innocens Puer, neque ullam eâ ætate, eoque supplicio adversùs impium Tyrannum querimoniæ dabat vocem. hoc unum identidèm arguebat: *A vero Deo, cui servio judicaberis.* Quæ verba impatientèr Præfectus ferens, plagis finem imponi mandans, utrumque, *Nazarium* scilicèt, & *Celsum* in tetrum carcerem duci præcepit, in sequentem diem supplicia acriora excogitaturus. Hoc autem cum Præfecti Uxori innotuisset, quæ, juxtà aliquos, à *Dinomedâ* quâdam Fœminâ ad id piè mota fuerat, *Pilati* Conjugem imitata, & fortassè etiam ipsa non nihil *Nazarii* sermonibus emollita, rogavit Maritum; ut eos missos faceret, non decere inquiens, homines ulcisci injurias Diis factas; cui annuens Præfectus, post triduum eos è carcere eduxit, interdicens tamen, ne imposterùm de eo, quem nunciaverant, Christo, ullum haberent sermonem in eâ Urbe.

Zachar. Lipell.

6. *Nazarius* itaquè nè inutilem *Cemenelione* moram traheret, salutatis iis, quos inibi Christo acquisiverat, præsertimque piâ Fœminâ *Marianillâ*, atque in Fide pleniùs roboratis, retrò deflectens gressum in Oram *Ligusticam*, Cemenelione *Entemelium* venisse creditur, non *Temerum*, neque *Trevirim*, ut corruptè legitur in plerisque. Erat autem *Entemelium*, nunc Italis *Ventimiglia*, Urbs magna, ut ait *Strabo*, caput *Ligurum Entemeliorum* inter *Nicæam*, atque *Albingaunum* media, floret verò etiamnùm, sed non, ut olim, incolis adeò frequens. Hanc *Nazarius* Celso comite ingressus assiduam divini verbi prædicationi navabat operam, destruebat profanos cultus Idolis exhibitos, veri Dei notitiam Idololatras edocebat, *Celsus*que Puer sin minùs voce, àt corde, & opere ad Fidei incrementum quod poterat conferebat. Fructus autèm hic labor brevi peperit non pœnitendos; adeò ut plerique è Populo Christo nomen darent, locumque communi orationi, quem Christiani Ecclesiam dicunt, statuerent.

Theoph. Rain. in v. D. Ant. Lib. 4.

60 7. Hoc ut scivit *Cornelius* Vicarius eò usque in eos animadvertere distulit, donèc eorum, quæ agebantur certiore facto per litteras *Nerone* Imperatore, in mandatis accepit, ùt accersitos *Nazarium*, & *Celsum* omni adhortationum, blanditiarumque vi à Christi cultu avocare studeret: sin autèm id facere negligerent, exquisitis suppliciis perimendos, Militibus custoditos, ad ipsummet Imperatorium tribunal remitteret. Paruit mandato *Cornelius*, missusque ab eo *Vento* quidam Militum Dux, inventos in Oratione defixos *Nazarium*, & *Celsum*, injectis catenis antè Vicarii conspectum duxit: quos cum ille à proposito deflectere nequivisset, ait Militibus, qui adstabant: *Rebelles hos Viros, atque divinorum numinum contemptores, ut in mandatis accepi, Romam ducite ad Dominum meum Imperatorem, atrocissimis suppliciis enecandos.*

8. *Romam* adducti multis diebus catenis vincti in carcere tenti sunt, donèc ipsorum constantiâ cognitâ, timens *Nero*, ne sibi Dii infesti evasissent, quòd, ut à nonnullis scribitur, in venatione adverso quodam casu pedem graviter sauciasset, vindictam non peractæ in Famulos Christi vindictæ interpretatus, protinùs exclamans, *Deos adversos habemus, eò quod Nazarium, & Celsum Deorum Hostes occidere diferamus*, ad se extremùm adduci præcepit, *Calobio* Duce cum armatâ Militum manu calcibus petitum *Nazarium*, & *Celsum* flagellis cæsum è carcere educente. Ubi autèm Cæsar diù, multumque monitos, non solum in Christiano proposito inconcussos, sed eorum vultus solis instar vidit conspicuos (eo, quo intus repleti erant, divini luminis radio exteriùs emicante) putans, ut objectare Christianis Idololatræ consueverant, eas Magicarum artium esse præstigias, ad Deorum phana adduci eos imperavit, seù, ut alibi legitur, *Nazarius* Neronis spem elusurus, & vero Deo daturus gloriam, quasi se Sacra *Jovi* facturum simulans, ut duceretur rogavit.

Acta apud Sur.

Sur. apud Zach. Lipel.

9. Ut autèm Templum est ingressus, non Diis, ut circumstans Turba opinabatur, sed vero Deo Christo Jesu effundens preces, id obtinuit, ut Deorum impia simulacra, quibus cernebat à Gentilium Sacerdotibus thus, & victimas adoleri, penitùs confracta conciderent. Quod cùm fuisset *Neroni* à Militibus nunciatum, insupèrque quamplurimi è Gentilibus Deorum exosi inanitatem, atque eo spectaculo moti, unanimi voce Christum confiterentur; iisdem Militibus *Nero* mandatum dedit, quatenùs ductos *Nazarium* & *Celsum* ad Ostia *Tiberina*, naviculæque impositos, in altum vela facientes profundiori pelago præcipites darent. Hoc ut effectum est, nubes roscida eos ad instar turbinis undequaque involvens, Militum, attentis oculis rei eventum præstolantium, conspectui subtraxit. Tùm verò exorta subitò tempestas naviculam vi undarum jactabat, cùmque Milites, & Nautæ, desperatâ salute, inciperent naufragari, ecce (rem miram), sinu ejus, quam diximus, nubis, sivè turbinis patefacto, Christi famulos incolumes, sicco vestigio, super undas conspiciunt ambulantes, quo prodigio terrefacti, memores eorum, quæ in ipsos licèt innoxios perpetrarant, factum detestantes, eorum implorant opem, qui bonum pro malo reddentes, & gressus ad naviculam dirigentes, in eamque re- 61
cepti, fusâ ad Deum oratione, undas tumultuantes placant. Undè unanimes tendentes in Occidentem, emenso *Tyrrheni* maris tractu, ad eam *Italiæ* Oram, ubi est *Genua* Ligurum Emporium, appulerunt.

10. Est in eâ parte, quæ respicit Orientem, plaga quædam, Nobilium nunc Palatiis, & cœtibus, æstivo præsertim tempore frequens, Inquilini *Albarum* vocant. ibi quâ parte meridiem versùs ad mare vergit, cernitur angustum, & breve littus, fidam Piscatorum stationem meliùs dixeris, quò *Nazarius*, & *Celsus* appulsâ naviculâ, cum Militibus jam Christo militantibus descenderunt. Ibi nunc colitur Ecclesia eorum nomini consecrata, quæ, ut *Augustinus Justinianus* Præsul *Nebiensis* est author, ex Populi antiquâ traditione, venerabunda esse dicitur, non minus vetustate, quam quòd ibi Missæ Sacrificium, priusquàm alibi in *Italiâ*, credatur fuisse palàm, & publicè celebratum. Hìc cum incolumes *Argonautæ* aliquantulùm substitissent, *Genuam* paulò indè distantem ingrediuntur, & de more Euangelium promulgantes, multisque diebus inibi degentes, quamplurimos ex illâ Urbe ab Idolorum cultu ad veri Dei Notitiam traduxerunt.

Hist. Genu. lib. 1.

11. *Mediolanum* deindè veniunt, ubi jam diù *Gervasium*, & *Prothasium* Anolinus Præfectus in carcere detinebat, quod ut eidem Præfecto nunciatum est, *Nazarius* quidem in exilium est destinatus, *Celsus* verò Puer, si *Petro de Natalibus* credimus, apud Matronam quandam remansit. Perrexit postmodùm *Romam* pulsus Mediolano *Nazarius*, ubi cum Patrem ex *Judæo* Christianum factum comperisset, non diù cum eo sibi vivere licuit; post aliquos enim dies, multis affectus injuriis, à Gentilibus, *Mediolanum* redire com-

Catal. lib. 6. c. 148.

compellitur; adeò Viro Dei, cui totus Mundus Patria erat, nullus in mundo patebat locus. Quià verò *Mediolani* decreverat Deus, Martyribus suis, qui legitimè certaverant, coronam imponere, ibi *Nazarius*, & *Celsus* compræhensi jussu *Anolini*, extrà eam portam ducti sunt, quæ vocatur *Romana*, ibique loco dicto *Tres muri* uterque capite cæsus est, præsidente eorum martyrio *Aspasio* Duce, cujus operâ *SS. Gervasius*, & *Prothasius* in eâdem Urbe 19. Junii Martyres sunt effecti.

Viglieg.

Usuard. in Martyrol.

12. Romanum Martyrologium 28. Junii *Nazarii* & *Celsi* festum Sacris fastis adscribit, apud alios verò alitèr annotatur, quòd alicubi Natalis Martyrii dies, alibi corporum inventio, alibi verò translatio celebretur. Annus Martyrii haùd quaquàm certus: Alii siquidèm primo *Neronis* anno, Christi scilicet LVII. scribunt passos, ità *S. Antoninus Florent.* & *Petrus de Natal.* Alii autèm circà annum Domini LXXVIII. id est penultimo *Neronis* anno, atque alii alitèr supputant. Nos credimus anno Domini LXIX. occubuisse juxtà Scriptores magis probatos, qui erat *Neronis* imperan-

A tis annus XIII. eo videlicèt, quo *SS. Petri* & *Pauli* Romæ Martyrium contigit juxtà chronologiam *Baronianam*.

13. *Nazarii* & *Celsi* corpora clam rapta Christiani in hortis propriis abdiderunt; àt nocte sequenti *Cereatius* quidam in somnis admonitus in secretiori domus suæ parte, factâ foveâ, collocavit, cujus Filia paralysi correpta ad Sacrorum artuum contactum pristinam nacta est sanitatem. Ibi verò soli nota Deo, hominibus incognita CCC. & eò ampliùs annos delituerunt, quousquè *D. Ambrosius* Mediolanensis Archiepiscopus à Deo edoctus,
B integra, illibataque, recenti adhùc sanguine conspersa invenit, eisque *Theodosius* Imperator, eo quòd adversus *Scythas* contrà *Romanum* Imperium rebellantes propitios expertus fuisset, Templum ædificavit Quanti autèm eorum Reliquiæ non *Mediolani* solum, sed ubiquè Terrarum habitæ sint, ex eo patet, quòd, ut refert Card. *Baronius*, largiente præsertim *D. Ambrosio*, certatimque Episcopis expetentibus, ex eis decoratæ sint Ecclesiæ *Fundana*, *Nolana*, *Brixiana*, *Africana* ac in Galliâ, *Ebredunensis*, *Parisiensis*.

62 Gazetus in Hist. Sanct.

Sigibertus in Chron. an. 397.

In not. Maryrol.

## NOTATIONES.

C a SS. Nazarii, & Celsi *gesta descripsit Græcè* Jo. Metaphrastes; *ex eo latinitate donata exhibent multi. Nos ex* Surio, Petro de Natalib. Vincentio Beluac. S. Antonino, Baronio, Ribadaneira, Vighegas, Theophylo Rainaudo *in Breviculo vitæ S. Antonii*, *ac ex antiquis Breviariis*, & *Martyrologiis hausimus.*

b S. Celsi *vitam itidèm descripsit* Marianus de Grimaldis *Augustinianus* Discalceatus in Sanctuario Genuensi, *ex quo Michaël Piò* in Histor. Prædic. lib. I. c. IV. *accepit*, *ubi Celsum* Genuæ, *non* Cemelii, *seù* Cemenelione *natum facit*, *nullâ*, *neque antiquorum*, *neque recentiorum fretus authoritate*, *nisi unius*, *ut sibi videtur*, S. Antonini Florentini, *qui (ait ille) potuit meliùs rem novisse propter sedis suæ cum* Genuensi *Civitate propinquitatem. Reverà autem* Antoninus *nihil tale habet: ait enim par.* I. *histor. tit.* VI. *cap.* XXVII. Dum autèm de loco ad locum (*Nazarius*) pergeret, Mater ejus, quæ jam obierat, apparuit, & quod ad *Gallias* pergeret in somnis admonuit. Cum autèm *Gebennam* advenisset, & plures ibi præ-
D dicando convertisset, quædam Matrona Filium suum elegantem Puerum ei obtulit, rogans ut eum baptizaret, & secum duceret. Quod audiens Præfectus Galliarum &c. *hucusquè nec uno mutato verbo* Antoninus. *Ut autem video*, Marianus de Grimaldis *putavit illud verbum* (Gebennam) *idem esse*, *quod* [Genuam, *sivè* Januam] *in quo maximè errat*; *numquàm enim apud probatos Auctores* Genua *vocatur Latinè* Gebenna: *Gebenna verò*, *seù melius* Geneva, (*nam* Gebenna, *ut ait Cæsar* Commentar. lib. VII. & *animadvertit* Henricus Glareanus *in notationibus ejusdem lib.* VII. *est Mons inter* Arvernos, & Helvios *situs*, *longè à lacu Lemano*) Gebenna *inquam Civitas est Episcopalis*, *sub Metropoli* Viennensi, *ut liquet ex epist.* S. Leonis Papæ *num.* 109. *ex M.S.* Arelatensi, *atque adeò alia à Genua.* Genua *porrò non est Civitas* Galliæ, *in quam Regionem mittebatur à Matre* Nazarius, *sed* Ligusticæ Italiæ, *quod errorem dedocere facilè poterat.*

c *Neque verò admittimus* Nazarium *Genevam* Allobrogum *concessisse*, *non* Cemelium, *atque ibi* Celsum 63 *Puerum in Socium adsumpsisse*, *quod innuere videtur Illustriss. Paulus Britius Albensis Episcopus* tom. I. Progress. Eccles. Occid. *ex eo enim* S. Antoninus *Gebennam posuisse credendus est*, *quod* Cemellam, *sivè* Gemellam *jam deletam non noverat*, *putasseque legendum* Gebennam, *ex affinitate vocabuli*, *cui refragantur non solum cæteri scriptores*, *qui loquentes de Patriâ* S. Celsi *scribunt* Meliam, Cemellum, Gemellum, *aut*
E *aliud vocabulum distinguens nostram* Cemelium *à* Genuâ, & Genevâ, *sed etiam Petrus de Natal.* in Catalogo, *ac Vincentius Beluacensis* in speculo tom. IV. cap. XXXI. *in cujus verba licèt videatur* S. Antoninus *jurasse*, *ut facilè est in ejus historiis*, *ex crebris* Vincentii *citationibus*, *depræhendere*, *tamen etiam ipse distinguit his verbis:* Cumque venisset ad Urbem Galliæ, quæ dicitur Gimellis. & *disertè Breviarium Romanum trium lectionum impressum Parisiis anno* MDIV. Nazarius *Romam* egressus, & per Placentiam *Mediolanum* transiens, in Civitate *Galliæ* nomine *Cimello* cum prædicaret nomen Christi, & Baptismum pœnitentiæ, Filium cujusdam mulieris, quæ erat Prima Civitatis, nomine *Celsum* à Matre oblatum baptizavit. *Sin minùs id in* Antonino *librarii oscitantiæ dare velis. Vide prætereà* Jacobum de Voragine, *quem libentèr addducimus*, *quòd natione* Genuensis *fuerit ejusdem Urbis Archiepiscopus circà annum* MCCXCII. *hic in* SS. Nazarii, & Celsi *vitâ scribit*, *non* Genuam, *sed* Gemel *fuisse* Celsi *Patriam: nec aliquid profert in contrarium* Augustinus Justinianus *Episcopus* Nebiensis, *quamvis & ipse Patriâ*, & *zelo* Genuensis *in ejusdem Urbis annalibus*, *in quibus non semèl de iisdem Sanctis meminit.*

F d *Ut autem luce clariùs pateat errasse* F. Marianum, *ex ipsiusmet* S. Antonini, *quem pro se adducit*, *verbis convincendus est. nàm*, *postquàm narravit* Nazarii, & Celsi *in mare demersionem jussu* Neronis, *locuturus de eorundem* Genuam *adventu*, *ait:* Deindè Genuam accedens, cum multos suâ prædicatione convertisset, postmodùm Mediolanum pervenit: *vides Lector mentem Scriptoris*, *cum enim meminisse vult* Genuæ, *non illam vocat* Gebennam, *ut vocaverat superiùs Patriàm* S. Celsi, *sed disertè* Genuam, *ex quorum*, *apud eundem* Antoninum *nomine diversitate*, *palàm est eum ambas distinguere Civitates.*

e *De* Marianilla *Matre* S. Celsi, *ejusque tumulo vide suprà* in prolegomenis cap. X.

f *Anceps diu fueram*, *dum in plerisque Auctoribus*, *necnon etiam Breviariis legere contigisset*, Nazarium, & Celsum *Cemelio pulsos venisse* Trevirim, *sivè* Temerum *vicinam* Cemelio *Civitatem*, *cum* Temerum *nullibi hâc in Regione sit*, Trevirorum *verò Civitas*, *non vicina*, *sed remotissima*, *ultrà* Burgundiam, Ger-

maniam *inter*, Galliam*que Urbs Archiepiscopalis*, *donec tandèm videre contigit eruditissimum R. P.* Theo- A
phyli Rainaudi *opus*, *cui titulus*, Chronotaxis Antoniana, *ibique Breviculum Vitæ* S. Antonii *Abbatis*, *in quo error revincitur*, *licèt apud plerosque altas radices egerit: ostendit siquidèm inibi is Author*, *fieri potuisse*, *ut ex* Græcâ *in* Latinam *versione* (Metaphrastes *enim*, *à quo posteriores Latini acceperunt*, SS. Nazarii, *&* Celsi *acta descripsit Græcè*,) Entemelium, *demptâ primâ syllabâ*, *ut* Græci *aliquandò reddere*
64 *solent Latina nomina*, *scriptum fuerit* Temelium, *Temelium verò incuriâ librarii* Temerum *alicubi factum fuerit*, *ut apud aliquos etiamnùm legitur*, *quùmque nullibi appareret Civitas*, *quæ eo nomine censeretur*, *in* Trevirim, *ex vocis affinitate degenerarit*, *dictumque fuerit*, Nazarium *venisse* Trevirim *vicinam* Cemelio *Civitatem*, *quod procùl dubio est absurdum. atque adeò legendum* Entemelium, *quæ*, *ut diximus*, *est antiqua* Liguriæ *Urbs*, *Nobilissimorum Comitum prioribus sæculis sedes.*

g S. Paulinus *scripsit elegans poëma de Natali* Celsi *Pueri*, *ex Bellarm.* de scriptor. Eccles.

---

TIT. II.

# S. BASSUS MARTYR

## PRIMUS EPISCOPUS NICIENSIS.

1. SAnctus *Bassus*, cujus, ob Scriptorum silentium, faciliùs est mortem describere, quàm vitam, Patriam habuisse censetur *Nicæam*, id enim aliquibus sonant ea verba Petri de Natalibus: *Bassus Episcopus ex Nicæa Provinciæ*; incertum quibus Parentibus genitus, certissimum verò Christianis virtutibus animum adeò excoluisse, ut grandævus, & senior factus dignus habitus sit, qui ad Episcopatum Civitatis *Niciensis* assumeretur, primus, qui in Præsulum *Niciensium* serie numeretur. Officii memor non solùm in se ipso omnium erat virtutum exemplar, sed gregi etiam suo prodesse studens, prædicationis munus, sævientibus in Christi cultores tunc temporis Gentilibus maximè necessariæ, itentidèm exercebat, Idolorum ostendens inanitatem, Christianæ Religionis veritatem, atque ad constantiam in persecutione, quæ tunc *Decio* imperante crudelissimè grassabatur, adhortans Populum, cui præerat.

Catal. lib. 1. cap. 30. P. Jugl. in sublim. D. Bassi.

2. *Decius* siquidèm conceptum in *Philippos* Imperatores Prædecessores suos, quorum alterum *Veronæ*, *Romæ* alterum neci dederat, odium in Christianos prosequens, ex quibus multi unà cum *Philippis*, S. Pontio suasore, ut infrà dicetur, Idolorum cultui vale dixerant, edicta omni crudelitate referta statuit, non solùm in Christianos, nisi Christo renunciassent, sed in Præsides etiam, & Præfectos Provinciarum, nisi eosdem Christi sectatores, exquisitissimis cruciatibus, sin minùs promissis, ac blanditiis potuissent, ad Idola, ac Gentilitios ritus redire compulissent. Exagitavit
65 maximè ingens hæc procella Episcopos, utpotè qui impii Tyranni conatibus maximè obviam ibant, Ecclesiamque nascentem verbi Dei prædicatione fovebant; undè non solum sustulit *Fabianum* Summum Pontificem Romæ, *Babylam* Antiochiæ, Hierosolymis *Alexandrum*, atque alibi alios illustres Ecclesiarum Patres, sed *Nicienses* etiam Præsule *Basso* privavit. Dùm enim Christum, quem in corde habebat, non cessaret ore promere, *Perennius* Præses, qui tunc temporis juri dicundo, Christianisque exagitandis sedem habuisse censendus est *Cemenelione* (nam *Nicæa* Judicum inferiorum sedes erat) audiens *Bassum* in Deos insurgere, & Christi crucifixi cultum ubiquè propagare studere, missis Militibus *Cemenelionem* ad suum tribunal adduci jussit.

Baron. an. Christi 253. Decii 1. Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 28.

3. Tum verò percunctatus est ab eo *Perennius*, vera ne essent quæ de ejus Religione, & prædicatione audiverat? quæ cum *Bassus*, quâ erat animi constantiâ, & Fidei firmitate, esse verissima affirmasset, cupiens *Perennius*, antequàm ordiretur cruciatus, blanditiis, & adhortationibus ejus animùm emollire, primùm lenibus verbis eum ad Deorum sacrificia invitavit, affirmans, non solùm
B Diis, sed & *Romano* Cæsari, si litaret, rem gratissimam factum iri; cumulavit promissa, præmia proposuit, honores, & dignitates. At verò *Bassus*, veluti inter undas scopulus, non modò Præsidis pollicitationibus non annuit, sed Christum eò magis imperterritus prædicans, eorum arguebat insaniam, qui muta simulacra pro Diis habent, eisque victimas, & thus offerunt.

4. Videns *Perennius* nequidquam proficere blanditias, rigidissimas intentavit minas, equuleum, faces, ungulas, ferrum denique, atque ignem in sacrilegii vindictam: Cùmque nec minis adduci posset, ut Deorum altaribus immolaret, in iram
C concitatus jussit Præsulem Sanctissimum vestibus spoliari, in equuleo suspendi, ejusque brachiis, ac pedibus in diversa ope funium tractis, nervos omnes, atque ossium compages crudelissimè torqueri. Quod cum Milites, ut mandatum fuerat, effecissent, *Bassus* diutiùs tortus est. Mòx ejus adhùc in equuleo positi latera laminis ardentibus excruciant; àt ille quamvis laxatis membrorum compagibus, & semiustulatus, eam, quâ semel imbutus, Fidem corde retinens, Jesum Christum majori constantiâ fatebatur. Quamobrèm ex e-
D quuleo *Bassum* deponunt Milites, jubente Præside iterùm stipiti alligant post terga revinctis manibus, & nodosis fustibus exanguia effœti senis membra, non semèl, atque iterùm, sed diutissimè cædunt: Tùm scorpionibus, & ferreis ungulbus corpus arant, & exarant. Dixisses *Bassum* non hominis, sed insensilis scopuli naturam induisse, adeò non horrebat vulnera, adeò sanguinem suum ex toto corpore uberrimè profluentem lætus aspiciebat, adeò animos Christo dante, Christum iis, qui aderant, nunciabat.

5. Sed nondùm tormentorum finis! solvi jubet *Perennius* vincula, queis *Bassus* stipiti erat vinctus, 66
E & allatâ lignorum strue, novum *Isaac* lignis, sarmentisque oneratum incedere jubet ad Sacrificia, datque sententiam, ut iis ad Deorum simulacra gestatis ignem admoveat, sin secùs faciat, ipse antè altaria eodem igne, iisdemque sarmentis absumatur. Cogunt igitur procedere ad Templum, ætate gravem, cruciatibus exanguem, laminis igneis semitorridum, ungulis excoriatum, & onustum lignis, sarmentisque, atque, ut verbis utar Evangelicis, angariant *Bassum*: Cumque Tem-
F plum ingressi, deposita ex ejus humeris ligna super altare antè statuas collocassent, ignem Martyri invicto offerunt, ut sarmentis admoveat. Irridet ille profana sacrificia, non Diis talem cultum, sed Dæmonibus impertiri ait, muta, & inania esse simulacra, & indigna, quibus species cultus ulla exhibeatur: uni Deo laudis sacrificium offerendum, Christo, non Idolis sacrificandum.

6.

6. Dùm hæc *Bassus* diceret, exequentes impii Milites quod sibi à *Perennio* Præside fuerat imperatum, ea ipsa, quæ *Bassus* incendere renuerat, aptant ligna, atque illum desupèr acceptam victimam non Diis, sed vero Deo constituunt, tùm ignem sarmentis admovent; scilicèt eo Ecclesiæ cruento sæculo, teste *Tertulliano*, consueverant Gentiles per contemptum vocare *Semassios*, & *Sarmentitios* Christianos, quòd Christianismum nolentes abjurare ignibus persæpè, & sarmentis absumerentur. Igitur cum idem in *Bassum* excogitassent, irrita reddidit Deus eorum vota; quamvis enim comburerentur, & prorsùs redigerentur in cinerem ea, quæ circà *Bassum* aggesta fuerant ignis conceptacula, ille tamen, licèt dudùm inter flammas tentus, illæsus, intactusque eductus est, adeò ut ne capillo quidem vis flammæ nocuerit, mirantibus qui rei eventum præstolabantur Gentilibus, & laudes Deo dicentibus Christianis.

Apolog. c. 50. Baron. ann. 253.

7. Inscius, in irritum cadentibus votis *Perennius*, quid ultrà in *Bassum* moliretur, quem nec minæ terruerant, nec à pristinâ constantiâ dimovere potuerant atrocissimi cruciatus, quicquid suadebat crudelitas in eo tentatum videns; quasi se victum fateretur, alteri vices commisit suas, jubens reduci Sanctissimum Præsulem ad tribunal Judicis *Niciensis*, atque ad eum insupèr litteras expedivit, quibus præcipiebat, ut *Bassum*, quem ipse, nec minis, nec tormentis à Christi cultu quiverat avocare, aut sacrificare Diis compelleret, aut excogitatis, prorsùsque inauditis suppliciis perimeret. Nec mora; statim ac *Nicæam* reductus est, nihil ille omisit, nihil intentatum reliquit, ut *Bassum* à Christianâ Religione ad immunda Idolorum pertraheret sacrificia. cùm verò hoc solum *Bassus* inclamaret, *Non immolabo*, in furorem versus Judex, horrendum, & quod non ità facilè legatur de alio Martyre supplicium excogitavit.

8. Fabricari jussit duos ex ferro clavos talis longitudinis, quæ mensuram æquaret *Bassi*; eos autèm, humi supino aptato Martyre, Satellites, & Tortores, iteratis malleorum ictibus, à plantâ pedum, per medium corpus, ad verticem usquè capitis adegerunt, ità ut vere in *Bassi* impletum sit quod ait scriptura: *A plantâ pedis usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas.* Nulla enim in illo fuit membrorum pars, quæ in eâ corporis totius confixione, dolore aliquo, eoque acerbissimo non afficeretur. quamobrèm non cessans Christum constantissimè confiteri, emisit spiritum, eâ gloriâ fruiturus, quam acquisiverat tot suppliciis, & acerbissimâ passione. Coronatus est Martyrio die Quintâ Decembris circà annum Christi CC.LIII. imperantibus *Decio*, & *Valeriano*. Nicienses verò Christiani dolentes, quòd se tanto Pastore orbatos cernerent; acceptum occultè Sanctissimum ejus corpus intrà ambitum Civitatis sepelierunt; Ex quâ Urbe (incertum furto ne, an alio quovis casu) creditur in remotiores *Italiæ* partes delatum esse. Certè Ferdinandus Ughellus Abbas *tom.* IV. *Italiæ Sacræ* refert non ità pridèm *D. Bassi* Sacra lipsana inventa fuisse *Morani* in *Campaniâ* his inscriptis notis: CORPUS S. BASSI EPISCOPI, ET MARTYRIS NICIENSIS.

67

NOTATIONES.

D a *De Divo* Basso, *præter Petrum de Natalibus in* Catalogo lib. I. cap. XXX. *ex quo præcipua accepimus*; *scripserunt* Baronius, Spondanus, Abraham Bzovius *ad annum Christi* CCLIII. *Paulus Britius* Progress. Eccles. Occid sæcul. III. num 18 Augustinus ab Ecclesiâ, *& Ughellus Abbas in* Episcopis Niciensibus. *Jo. Michaël Piò* Histor Ord. Prædicatorum tom I. lib. I. cap. IV. *Prætereà* D. Bassi *laudes* P. Aloysius Juglaris *disertissimâ panegyri ad Populum* Niciensem *prosecutus est anno* MDCXLII. *quæ impressa extat* *Meminit de eodem Illustrissimus* D. Senator Leotardus *Hymnorum lib.* I. *hymn.* 10. *qui incipit.*

Basse Nicenum decus, atque Sydus.

*Honoratus Pastorellus Jurisconsultus Niciensis* in monumentis Monasterii S Claræ. *Insupèr Manuscripta Monasterii* S. Pontii, *quæ exhibet Vincentius Barralis* in chronologiâ Lerinensi, *licèt eadem sint cum iis, quæ scripsit* Petrus de Nat. *Omnia porrò antiqua Martyrologia, & disertè* Romanum *die* 5. *Decemb cum notationibus Card.* Baronii, *ex quibus liquet amissa fuisse Acta antiqua ejusdem* S. Bassi, *quæ unà cum aliis monumentis Ecclesiæ* Niciensis, *ut initio diximus, dictus Cardinalis accepit. id ipsemet fatetur, dùm ait:* De quo tabulæ Ecclesiæ Niciensis, undè & acta ejus manuscripta accepimus.

E b *De furore* Decii *in insequendis Christianis, & præcipuè Episcopis, præter* Baronium *vide* Eusebium *in Historiæ Eccles. lib.* VI. *cap.* XXVIII. XXIX. XXX. Nullum enim, *ait ille*, Christianis iter erat per vicum, nullius plateæ transitus indulgebatur. Neque die, neque nocte procedendi usquàm libera erat facultas. Ut enim quis Christianorum visus esset in publico, statim clamor vulgi, & seditio nascebatur: ut vel pedibus traheretur qui visus esset, vel igni succenderetur.

c *Quòd* S. Bassus *fuerit primus* Niciensis *Episcopus, infrà ostendetur* par. II. *dum agemus de* Niciensi *Episcopatu.*

d *Cavendus interim error* Petri Gallesini, *qui in suo Martyrologio scripsit* Bassum *in* Bithyniâ *passum, licèt nullo veterum suffragante: attamen, ut ait* Philipp. Ferrarius *in Topograph. v.* Nicæa altera, *non debuerat in re tàm manifestâ hallucinari.* 68

---

TIT. III.

# SS. TRYPHON, ET RESPICIUS,

## NICIÆ MARTYRES.

In not. Martyrol. 10. Nov. Catal. lib. 10 c. 42. Part. I. tit. 7. cap. 7. §. 7.

I SAncti *Tryphonis* natale solum incertum est: alibi enim ex *Phrygiâ*, ut acta manuscripta, quæ citat *Baronius*, alibi ex quodam *Saxoniæ* Opido nomine *Absadom*, ut scribit *Petrus de Natalibus*, alibi verò ex Urbe quâdam dictâ *Sansaducome*, teste *D. Antonino*, ortus legitur. Sæculi divitiis ejus Parentes minimè abundabant, verùm à Matre suâ in pueritiâ castè, & sobriè enutritus, F eam, quam ab hominibus, ob rerum tenuitatem ediscere non poterat sapientiam, à Spiritus Sancti interno impulsu, & ab Angelis sibi frequentissimè visibili specie apparentibus est edoctus. Adhùc Puer assiduus erat in virtutum exercitiis, ætatemque pietate antevertebat; undè tanti apud Deum meriti fuit, ut quamplurimis jam tùm clareret miraculis.

2. Venit aliquandò ad eum Mulier cæca, semiarida, & quæ à decem immundis Spiritibus cruciabatur, optans, illius ad Deum precibus, tot incommodis liberari. *Tryphon* autèm postquam preces prò eâ fudit, impositis super caput ipsius manibus, Dæmonibus imperavit, ut protinùs ab eâ recederent. at illi per os Mulieris responderunt, se nequàquam à Puero septenni (eâ tunc pollebat ætate *Tryphon*) in gehennam fore mittendos. Cum autèm innocens Puer urgeret eos, ut quantociùs indè exirent, magno ejulatu tale dedere responsum: Hinc quidèm exibimus, sed *Tryphon* cogetur ad nos venire, *Romam* enim iter aggredimur, quò ille quæsitus veniet. tùnc fœminam concutientes, exagitantesque, licèt inviti ad imperium in nomine Dei præcipientis Pueri egressi sunt; & illa insupèr ab omni, quo laborabat, morbo convaluit.

3. Dæmon itaque *Romam* adiens, cujusdam Proconsulis Senatoris Uxorem graviter, crudeliterque torquere cœpit, quæ die tertio cruciatus impatiens, ignotum *Tryphonis* nomen identidèm inclamabat. Vir autèm ejus missis in diversas Mundi plagas, qui *Tryphonem* inquirerent, tandèm
69 inventum in pascuis oves pascentem, de nomine interrogatum *Romam* adducunt. Eò ut advenit, rogatus à Proconsule, post adhibitas preces, ejus Uxorem Diabolicæ vexationis immunem reddidit. Quo peracto, ministerio potiùs Angelorum, quàm hominum, in Patriam suam reductus est.

4. Non discessit autem *Româ Tryphone* discedente Diabolus, dimissâ enim Proconsulis Uxore, *Jurgiani* cujusdam magni & Potentis Viri, ac ex Cæsareo sanguine oriundi Filiam unicam illicò invasit, quæ itidèm *Tryphonis* nomen, maximi causam metus, terrorisque sæpiùs repetebat. quamobrèm *Jurgianus* infortunio Filiæ mœrens, Amicorum suasione, viros quaquàversum misit, qui *Tryphonem* illum inventum, cujus nomen sæpiùs repetens Dæmon ostendebat se magnoperè expavescere, *Romam* adducerent. Cum verò illi diversi diversa adiissent Terrarum loca, multos nacti, qui eo nomine appellabantur, *Romam* omnes adducti sunt, eo quòd ignoto de facie *Tryphone*, incertum esset, per quem eorum, Puellæ sanitas foret restituenda. àt res ex voto nequàquam cessit, per nullius enim præsentiam illa convaluit; immò cum duriùs à Diabolo torqueretur, iterùmque vocaret *Tryphonis* nomen, discurrentes iterùm ii, quos primùm miserat *Jurgianus*, per opida, & Pagos, tandèm propè lacus cujusdam ripam in Patriâ suâ inventum *Tryphonem* adolescentem anseres custodientèm, de nomine percunctantes, honorificè acceptum, secum ut ad *Romanam* Urbem pergeret, rogarunt.

5. Præstitit assensum rogantibus *Tryphon*, atque arrepto itinere jam Urbi appropinquabat, cùm Dæmon expulsorem suum jam jam adesse sentiens ait; *Non possum hic amplius immorari, post triduum enim aderit* Tryphon *ille, qui potestatem habet adversus nos*; confestimque non expectato *Tryphonis* adventu puella à tetro Spiritu dimissa est. Cum verò die tertiâ *Tryphon* tamdiù expectatus supervenisset, liberam nactus Filiam, à *Jurgiano* Patre rogatus est, ut si perfectam esset sanitatem consecuta, ostendere sibi dignaretur visibili specie Dæmonem illum, à quo tàm crudeliter fuerat divexata; cui annuens ille, postquàm, juxtà Domini præceptum, addidisset jejunium orationi, *Jurgiano* Dæmonem indicavit, specie nigerrimi, teterrimique canis, caudam prælongam habentis demissam seorsùm; quo ille spectaculo terrefactus, *Tryphonem* rogavit, ut tale monstrum procùl à suis arceret oculis, quod & fecit. Mòx iterùm Angelorum ope in Patriam suam rediens, prodigia multa, ut consueverat facere, edebat passim.

6. Ibi autem tranquillè virtutibus iis conspicuus, quæ Christianum hominem decent, moram traxit usque ad id tempus, quo, extinctis, ut suprà narratum est, duobus *Philippis* Cæsaribus, rerum Romanarum *Decius* est potitus, qui emissis per *Romani* Imperii Provincias Præsidibus, & Præfectis, omnimodam eis in Christianos animadvertendi, variisque suppliciis enecandi contulerat potestatem. Milites igitur compræhensum *Tryphonem*, Nicæamque adductum antè tribunal *Aquilini* Præfecti constituerunt funibus alligatum. 70
Eum cum de Religione, & Deorum cultu *Aquilinus* percunctaretur, constantèr *Tryphon* se Christianum factum ab incunabulis est professus; cumque de fortunis, opibusque iteratò interrogaret, respondit ille, nullam apud Christianos fortunam quæri, sin autèm scire vellet, se felicioris fortunæ loco habere, quamvis numquàm divitiis abundasset, Christi fuisse amplexum Fidem, à quâ nec minis, nec cruciatibus erat vel minimum defecturus.

7. Hoc ut audivit Præfectus, jussit *Tryphonem* suspensum ferreis unguibus toto corpore laniari: ille verò non modò supplicium non expavit, sed se ipsum suis exuens indumentis, corpus lætus exhibuit Ministrorum crudelitati. Cum autèm illi manibus è sublimo ligno suspensum, unguibus ferreis crudelissimè sauciarent, & sanguis ex toto corpore ubertim flueret, nulla nisi lætitiæ vox ex illius ore audiebatur. Ut autèm vidit *Aquilinus* se eo supplicio nequidquàm proficere, solvi *Tryphonem* jussit, iterùmque equis indomitis alligari, & per campos, atque invia trahi, eo maximè, quod cùm esset illo anno multis nivibus, & prædurâ glacie hyems aspera, acerbiorem prævidebat Sancto Martyri dolorem inflictum iri. Ferocientibus igitur equis alligata ejus membra per spinas, & saxa collidebantur, & quod acerbissimum erat, nive, & glacie nimiâ adurebantur. Exclamans autem *Tryphon* dum traheretur, ait, *Domine Deus ne patiaris hanc in me dominari iniquitatem*, statimque confractis vinculis divinâ virtute evasit liber.

8. Exin defixis intrà ejus pedes clavis ferreis acutissimis, per mediam Civitatem suprà nivem, & glaciem ductus est; at ille absque ullo doloris gradiebatur impedimento, ac si nullum sibi inflictum fuisset vulnus, interrogatusque ab *Aquilino*, sensissetne clavorum, quos pedibus suis infigi jusserat, cruciatum? respondit se nullum doloris sensum animadvertisse; temperabat nimirùm, immò prorsus auferebat piissimus Deus acerbissimum invicti Martyris cruciatum, ad quem solùm *Tryphon* intentâ oratione defixerat mentem suam, ac proindè ne senserat quidèm tormenta, tàm gravia, & acerba. Post hæc jussit Præfectus fustes, & virgas expediri, nudatumque acerrimè cædi, tùm ardentes lampades exanguibus lateribus ejus apponi: quæ dum Tortores exequerentur, viderunt circà eum splendorem nitidissimum, tanquàm solis, allapsamque è Cœlo super caput ejus coronam variis, & pretiosis lapidibus exornatam.

9. *Aquilinus* itaquè videns *Tryphonem*, tanquàm inter undas scopulum, non posse à Fidei constantiâ dimoveri, jussit eum gladio interimi, quod cum effectum fuisset, migravit abscisso capite ad Christum 3. Non. Maji, ut ait *Vincent. Beluacensis*, sepultus verò juxtà *Petrum de Natalibus* 4. Tom. 4.
Id. Novemb. seù potiùs iteratò tumulatus, cum lib. 11.
videlicèt illo, vel sequenti anno corpus ejus à c. 47.
Christianis raptum, *Romam* translatum est, ubi posteà conditum in Ecclesiâ *S. Spiritus in Saxiâ*, uti

In not. Mart. 10. Nov. uti scribit *Baronius*, cum Sanctis *Respicio*, & *Nymphâ*.

71 10. Eâdem die, scilicet 10. Novembris *S. Tryphonis* Natalis simùlque *SS. Respicii*, & *Nymphæ* in Martyrologio Romano annunciatur, de utroque tamen nihil à *Vincentio Beluac.* & *S. Antonino Florent.* ex quibus hanc historiam delibavimus, dictum invenimus. Multi tamen, præcipuè *Petrus de Natal.* & *Alphons. Vigliegas* eâdem die, in eodemque loco Martyres narrant. attamen sequendam censui, quæ cœteris præstat, *Breviarii Romani* authoritatem, ubi licèt eâdem die, in eodem tamen loco *Nymphæ* Martyrium non conjungitur, quam tradunt Martyrio in *Siciliâ* Insulâ decoratam Baron. *in notis Martyrol.* ac qui de Sanctis *Siciliæ* scripserunt.

A 11. De *Respicio* verò Tribuno ait idem Breviarium *Tryphonis* Martyrio adfuisse, quem cum videret tormenta fortiter tolerantem, *ad Christi fidem conversus, statim se Christianum esse palàm confessus est. Qui variè cruciatus unà cum* Tryphone *rapitur ad* Jovis *simulacrum, quæ statua* Tryphone *orante concidit. Quarè plumbatis crudelissimè contusi nobilissimum Martyrium consecuti sunt quarto Idus Novembris.* Hæc Breviarium Rom. quod *Tryphonis* & *Respicii* in eodem loco, sivè Urbe, cujus nomen non tangit, martyrium conjungit; quamobrèm si *Tryphon* Niciæ obiisse Martyr probatur, idem etiam de *Respicio* affirmandum est.

## NOTATIONES.

B a *Acta* S. Tryphonis *multi exhibent, sed prorsùs dissimilia, & depravata; dissentiunt enim circà tempus, eo quod alii scriptores* 10. *Novemb. alii verò quinta Maji scribant occubuisse; circà Patriam, ut superiùs initio dictum est; circà modum, seù qualitatem Martyrii, & Passionis; & postremò circà locum. Nos ex D. Antonino* Histor. par. I. tit. VII. cap. VII. §. 7. *& ex Vincentio Beluac.* in spec. tom. IV lib. II. cap. XLVII. *qui, teste* Antonino, *ex antiquis actis m. s. exscripsit, vitam, miracula, & Martyrium* S. Tryphonis *eruimus, ac præcipuè ex* Breviarii Romani *lectionibus.*

b *Adest tamen difficilis nodus extricandus, verè ne* S. Tryphon *martyrium subierit* Nicææ ad Varum, *an verò* Niceæ in Bithyniâ, *siquidèm Card. Baronius* in notis Martyrologii ad diem 10. Novemb. *ait, acta, quæ affert* Antoninus *affirmare* Tryphonem *passum esse* Niceæ in Bithyniâ: *reverà tamen, pace tanti Viri, & de Ecclesiasticâ historiâ, suprà quàm dici valeat, benemeriti, neque* Antoninus, *neque* Vincentius, *ex quo* Antoninus *accepit, habent illud additum in* Bithyniâ, *neque ex antecedentibus, & consequentibus, quæ est optima interpretandi ratio juxtà* DD. Chrysostomum, *&* Hilarium, *ac Alphonsum de Castro* adversus hæreses lib. I. cap. IV. *Theoph. Rainaudum pro* Valeriano cap. VII. num. I. *talem fuisse* C *ejus Auctoris mentem conjici potest. Antoninus enim ait de Tryphone:* Deinde tempore Decii depræhensus à Militibus adductus est in Civitatem Nicænam antè Præfectum Aquilinum. *Vincentius verò eisdem penè verbis:* Tandèm imperante Decio à Militibus compræhensus ductus est in Nicænam Civitatem ad Præfectum Aquilinum. *En apud neutrum illud additum*, in Bithyniâ. *Cum autem hoc verbum* Nicæa, *&* Nicænâ Civitas *sit æquivocum, & tàm possit accipi de* Nicæâ *Italiæ, quàm de* Nicæâ *Bithyniæ, accipiendum est eo modo, quo acceperunt Scriptores eruditi, non ità recentis ævi. Regestor* Ptolemæi, *qui ejusdem sententiæ alios se legisse asseclas ostendit* lib. III. cap. I. tab. VI. *Europæ, verbo* Nicæa, *sic ait:* Hic secundum quosdam Beatus *Tryphon* annorum septem clarens in Dæmonibus ejiciendis, qui Filiam Imperatoris curaverat in Urbe, & Dæmonem ostenderat sub *Decio* Imperatore, hic S. Hospitius &c. *Primus Cabilonensis Episcopus, qui antè* CC. *annos vixit, ut de se ait verbo* Cabulium, *sivè* Cabilunum *in suâ Topographiâ Sanctorum, quæ cum* Francisci Maurolyci *Martyrologio circumfertur, verbo* Nicæa Bithyniæ Civitas *nihil prorsùs habet de Tryphone, verbo autem* Nicæa Italiæ Civitas *absolutè ait:* Hic *Tryphon* potens in Dæmonibus ejiciendis, qui Filiam Imperatoris curaverat in Urbe, sub *Decio* Martyr, hic *S. Hospitius* inclusus tempore *Guntranni* migrat Confessor. *Idem habet ad annum Christi* CCLIX. Ludovicus 72
D Revelli *superiùs* in prolegom. *laudatus, qui floruit* CXX. *abhinc annis, in suo opere* Miscellaneorum, & de rerum inventoribus *verbo* Nicæa. *Favet* Petrus de Natalibus, *qui ait tempore* Decii *à Præfecto Occidentis tentum esse* Tryphonem, *ut sacrificaret, quod si* Niceæ *in* Bithyniâ *contigisset, diceretur Præfectus Orientis, non Occidentis.*

c *Hæc dixisse oportuit, ut offendiculum, quod ex varietate, & disonantiâ Auctorum oritur, auferremus. Certè, cum adeò ipso* Baronio *teste diferant inter se* Tryphonis *acta, fieri potest non unum, sed plures fuisse* Tryphones *Martyres, qui diversis in locis obierint. Præsertim cum de* Tryphone *Martyre* Niceæ *in* Bithyniâ *extet mentio in fastis Ecclesiasticis* Menologii *Græcorum apud* Philippum Ferrarium *in novo Martyrologio, ubi* Tryphonem *Nicænum* Bithyniæ *videtur alium facere à* Tryphone *altero, cujus nomen cum* Respicio *in Romano Martyrologio memoratur, quorum gesta nos recensuimus.*

---

## TIT. IV.

# S. PONTIUS MARTYR CEMENELIONE, ET JUXTA ALIQUOS EJUSDEM URBIS EPISCOPUS.

1. SAnctus *Pontius* nobilissimus inter *Romanos*, ex Ordinè quippè procreatus Senatorio, Patrem habuit *Marcum* (in Actis ejus M. S. mendosè legitur *Malchus*) & Matrem *Juliam*, quorum uterque gentilitiis superstitionibus addictus, quòd sine liberis annos plurimos in conjugio trans-
73 egissent, dolore angebatur non modico. Tandèm post duos, & viginti annos, Deo disponente, concepit *Julia*, quæ ingenti perfusa gaudio, men-
E sibus quinque elapsis, Deorum Templa circuibat cum Viro suo, prò conceptâ prole gratias actura, & donis aras cumulatura. Ubi verò Templum magnum *Jovis* ingressi sunt, Sacerdos, qui forte velato capite, infulatusque sacrificantium ritu ad aram stabat, correptus à Dæmone, cui immolabat, appræhensum velamen, infulasque cœpit frustratim discerpere, dimovere caput, spumas ex ore elicere, oculos igne offundere, vocesque infan-

infandas ejulare, dicens: *Hæc Mulier quod in utero gestat, Templum hoc Magnum funditùs evertet, & Deos ejus comminuet.* Has voces iterùm, atque iterum Sacerdos repetebat tanto insaniens æstro, ut territi inopinato spectaculo *Marcus*, atque *Julia*, è Templo egressi, vicinamque ingressi domum, terrore simul, ac pudore suffusi, ea animo revolverent, quæ sibi ipsis, & Templo infausta Sacerdos fuerat ominatus. Tùm verò Julia, *ut quid concepi*, ait, *si tanti futurum est causa excidii concepisse? ut quid Dii me donarunt fœcunditate, à mei fructu uteri destruendi? ut quid ego Mater, si Filius insurget in communem Rectorem, & Patrem* Jovem? *Melius est, ut ipsa cum Filio concepto moriar, quàm ut evertatur Optimi, & Maximi Templum* Jovis! hæc dicens, ut Prolem exanimaret, repetitis ictibus ventrem suum fœtu gravem tundebat saxo.

2. Cùm autem post novem mensium spatium dies pariendi advenisset, non, ut rebatur, emortuum, sed vivum, & decorum Filium enixa est, quem vix natum protinùs extinxisset, nisi Vir ejus *Marcus* conatum irritum reddidisset ità Uxorem alloquens: *Necem Pueri obsecro* Julia *differamus, si Templa subvertet, habebit sceleris sui ultores Deos.* Juppiter *ipse præmaturo supplicio injurias hostis vendicet. nos autem nequàquam manus nostras proprii Filii sanguine polluamus.* His verbis lenita Mater est, manusque à suo, id est Filii sanguine temperavit; atque adeò Puer bis à Patre donatus vitâ *Pontius* dictus est, agnomine generis sui familiari. Ut autem Sacerdotis præsagium eluderent, numquàm Templorum adyta petere passi, Puerum intrà domesticos parietes sedulò enutrierunt. quandò autem prætextam induit, litteris sub optimis Præceptoribus est addictus, in quibus tantùm profecit, ut non solùm coætaneos omnes sapientiâ superaret, sed Philosophorum etiam omnium dicta, & sapientum placita, memoriâ prorsùs portentosâ calleret.

3. Aliquando diluculò surgens adivit, proùt facere consueverat, Præceptorem; secùs autem viam transiens audivit alicubi adunatos Christianos, ignotum sibi hominum genus, inter quos S. Pontifex aderat *Pontianus*, psallentes in vigiliâ matutinâ, & dicentes ex Davidico Psalmo: *Deus*
Ps. 113. *autèm noster in Cœlo omnia quæcunque voluit fecit, Simulacra Gentium argentum, & aurum &c.* Quibus auditis ibidèm aliquantùm sistens gressum hæsitabundus, quid sibi vellent ea, quæ audierat, tacitus revolvebat. At verò edoceri humanas, divinasque scientias cupiens *Pontius*, numquàm meliorem lectionem edoctus est, quià enim non po-
74 nentibus obicem, obvius venit Deus, & Regnum Cœlorum à quærentibus invenitur, trahens ex imo corde suspiria, & genas rigans ultrò erumpentibus lacrymis, tendens ad Cœlum manus, ait: *Deus, cujus laudes isti decantant, ostende mihi notitiam tuam*; Protinùsque, quasi jam ex Evange-
Matth. 7. lio scivisset Christum dicentem: *Pulsate, & aperietur vobis*, domus ostio advolutus, iteratis pulsibus quatiebat, donèc intuentes per fenestram aliqui è Christianis ajunt Sancto Pontifici *Pontiano*: En adstat januæ parvulus quidam iteratò feras pulsans, atque intus admitti rogans; quibus ille, revelante Spiritu Sancto, quis, qualisve Puer futurus esset, inquit, *Aperite, & sinite eum intrare ad nos, talium est enim Regnum Cœlorum.*

4. Ostio patefacto relinquens ibidèm in Vico *Pontius* Pædagogos, unà cum alio adolescentulo, cui nomen erat *Valerius* (hic est ille *Valerius*, qui Socius primò studiorum, deindè peregrinationum, & passionum, acta vitæ, & martyrii *S. Pontii* scripsit) ingressus est. Cum autèm ambo in cœnaculum introissent, vidissentque, Beato

A *Pontiano* celebrante, cœteros Christianos sacris cum summo silentio adstare mysteriis, indè declinarunt, quoadusquè divina, quibus aderant, officia peregissent, quibus actis *Pontius* ad pedes *Pontiani* cum lacrymis provolutus, ait; Rogo te Pater, ut edoceas me carmen illud, quod paulò antè, dum per viam incederem, canebatis: *Deus autem noster in Cœlo omnia quæcunque voluit fecit &c.* cui S. Pontifex, arreptâ occasione, vidensque dispositum agrum, qui in tempore centesimam ferret messem, inanitatem ostendit simulacrorum, stultitiam Gentilium ea colentium, unius Dei, & Christianorum dogmatum veritatem; quibus omni-
B bus, utpotè rationi consentaneis, assensum præstans à Deo electus Puer: *An non ità est*, subintulit, *inanes, & ridiculos, quos hucusquè coluimus, Deos esse, quandò, cum tot sint Deorum simulacra in foro, & capitolio, ac cœteris Urbis Templis, quot sunt res, quibus utimur, aut rerum nomina, ipsi tamen Dii, quos vel ex cretâ, vel ligno, aut metallo Artifices effinxerunt, non modò alios, sed neque se ipsos, si à furibus rapiantur, tueri queant.* Miratus Pontifex manantes ex ore infantium laudes Dei, manus ejus tenens secum sedere jussit, quod cum ille, quâ erat præditus ingenuitate, & modestiâ, facere renuisset, percunctatus est ab eo *Pontianus*, nùm superstites
C ei parentes essent? respondit Pontius: *Biennium ferè est, ex quo mea decessit Mater. Pater verò senior, & grandævus me unico gaudet Filio*: ait Pontianus: *Christianusne, an Gentilis? immò*, respondit Pontius, *Idolorum cultor cum sit, superstitione cœteris* Romanis *Civibus antecellit, & quicquid potest auri, argenti, & victimarum inanibus offert Diis. Nè dubites* Fili, inquit Pontifex, *nàm Deus, qui cordis tui oculos nullo cogente illuminavit, potens est & Patris tui perversitatem corrigere, ut per te immortalem vitam discat, per quem tu in hâc vitâ mortalis venisti.* Rursùmque addidit: *Tu autèm Fili mi ac-*
D *quiesce mihi, crede Christo, & accipe Baptismum regenerationis, per quem possis ardorem ignis æterni ex-* 75
*tinguere.* Quo cum se nihil magis in votis habere dixisset *Pontius*; juxtà canonicas sanctiones *Pontianus* præmisit per trium horarum spatium cathechismum, in Fide, & Christianis præceptis instruens *Pontium*, & *Valerium*; Et ut eò ardentius expeteretur Baptismus, quò diutiùs differretur, eos pro tunc missos fecit: Egressi illi sibi ipsis gratulabundi, quotidiè ad Virum Dei revertebantur, quæ semel audierant dogmata sæpiùs audituri. Interim eâ pollebant morum honestate, & Fidei Zelo, ut quamvis adhùc essent inter Catechumenos can-
E didati, jam in eis quod Apostolus dixerat impleretur: *Ubi superabundavit iniquitas, superabundabit & gratia.*

5. Porrò *Marcus* Pontii Pater Filium identidèm percunctabatur, percepissetne quid novi in gymnasio à Magistris? *numquam meliùs*, ajebat ille, *quàm hodie, & heri edoctus sum.* hæc audiens Pater lætabatur sperans Filium vanas Philosophorum quæstiones enarraturum. Ille verò opportunitatem quærebat, Patrem ea, quæ à *Pontiano* didicerat, edocendi, atque inanitatem Deorum, quos tantoperè colebat, aperiendi. Aliquandò autem non valens ampliùs eum, qui in se loque-
F batur, spiritum cohibere; *audivi ex multis*, inquit, *eos, quos tanto studio colimus, Deos inanes esse, & nullâ præditos potestate, hominum figmenta, opus Artificum, & mera ludibria, adeò ut nullo sensu polleant, sicut ipsi ex parte probamus, & experimur; quamvis enim domus nostra tot referta sit signis, & simulacris, nullum tamen, ex quo nobiscum sunt, signum, virtutem nullam ostenderunt.* Exarsit talibus verbis auditis Pater, ingentique æstuans iracundiâ, Filium gladio perempturus; *quare*, inquit, *tam sacrilegâ injuriâ afficis Deos meos?*

*meos?* mox verò non nihil lenitâ irâ; *Ergò*, ait, *sine Diis, & sacrificiis nos soli erimus* Romanorum? *atheosne erit uterque nostrum? Immò verò*, respondit Pontius, *nisi imitari pigeat, multi sunt in hâc Urbe, qui libamina, & sacrificia offerunt vero Deo.* ubinàm, ait Marcus, *veros hosce Theophilos nanciscemur? Permitte*, inquit Pontius, *ut eam, & Virum Sanctissimum ad te adducam, qui tibi ex ordine pandet omnia.* Cui cum Pater potestatem fecisset hominem adducendi; abiens ille conversus ad Valerium Socium ait: *Hæc est mutatio dexteræ excelsi*, statimque pergens ad Pontificem *Pontianum*, quæ cum Patre differuerat nuncians, eum lætabundus introduxit in domum suam. Ubi autem *Pontianus* Christianæ Fidei veritatem *Marco* aperuit, Deo cor ejus præparante, credidit non solùm ipse, sed etiam domus ejus tota; omnesque postmodùm in Christo regenerati, *Marcus* videlicèt Pater, *Pontius* Filius, *Valerius* Socius, cunctique utriusque sexus domestici, baptismatis aquâ abluti sunt ab eodem, qui cunctos in Fide instruxerat, Summo Pontifice *Pontiano*, protinùsque omnia, quibus erat referta domus, Deorum simulacra ab eisdem sunt confracta, & comminuta.

6. Non multo post tempore *Marcus* Pontii Pater obiit, vitâ, quam Filii operâ nactus fuerat, fruiturus; *Pontius* verò ætatis suæ octavum, &
76 decimum annum agens, diebus sex à morte Patris elapsis, in Curiam ductus est, licèt nolens, & repugnans, ubi eâ, quâ Pater *Romanæ* Præfecturæ Dignitate insignitus, ac mansuetudine, prudentiâ, animique moderatione conspicuus omnibus erat gratus. Dùm autem *Pontius* Præfectus non minùs juri dicundo in Urbe, quàm Christianis occultè virtutibus assiduam dabat operam, in *Sardiniam* Insulam deportatus ab *Alexandro* Imperatore diem extremum obierat S. Papa *Pontianus*, cui cum post Antherum, *Fabianus* Deo acceptissimus successisset, tantam cum eo iniit *Pontius* necessitudinem, taliterque ipsi acceptus erat, ut ne minimum quidem alter ab alterius nutibus discreparet, quin etiam Fabiano *Pontius* omnia bona sua, Pauperibus, & Domesticis Fidei distribuenda committeret. Nec Pontifici solum, sed etiam ipsis *Romanis* Imperatoribus charus fuit. hi erant, si nomina ipsorum integra à *Sex. Aurelio Victore* accipiamus, *Marcus Julius Philippus* dictus *Arabs* Pater, ejusque Filius *Cajus*, in numismatibus verò antiquis, eodem, quo Pater prænomine, *Marcus Julius Philippus Saturninus*, qui ambo simùl *Romanum* Imperium moderantes, ambo *Pontii* operâ primi ex Augustis colla Christi Imperio subdiderunt.

In Epit. Rom. hist. & de Cæsaribus. Niceph. lib. 5. cap. 25. Oros. lib. 7. cap. 20. & 28. Ado Ætat. 6. an. 241. Ciacon. in Fabian.

7. Erat annus Imperii eorum tertius, conditæ Urbis millesimus, & Christi Jesu CCXLIX. quo, ludis de more sæcularibus institutis, cum gratiæ Diis pro completo decimùm sæculo agendæ essent, solemnia sacrificia celebranda, & victimæ immolandæ, *Pontium* Præfectum, ut ludis, quos nemo nec visurus esset, nec vidisset umquàm, inter alios Urbis *Romæ* Primates interesset, accersiverunt. Ille verò, qui in solum verum Deum honorem, & gloriam referebat, varias obtendebat excusationes, quò minus iret, & Sacrificia declinaret. Cùm autèm sæpiùs ab Imperatoribus ad idem invitaretur, arripiens quam offerebat Deus occasionem: *Piissimi Imperatores*, inquit, *cum sitis à Deo Principes ordinati, cùr non ei soli, qui vobis hunc honorem præstat, cervices flectitis, & ipsi soli Sacrificium laudis offertis? Propterea*, ait Philippus Pater, *& ego magno Deo Jovi Sacrificium offerre desidero, qui mihi hanc tribuit potestatem.* B. Pontius subridens respondit: *Nè erres Imperator. est Deus in Cœlis, qui cuncta unici verbi sui providentiâ constituit, & Spiritus Sancti gratiâ annuntiavit.* Philippus Philippi Imperatoris Filius unà cum Patre dixit: *Quâ animi intentione ista referas ignoramus!* Tùm Pontius, *numquid*, ait, Juppiter *semper fuit? Non*, dicunt illi; *antè Jovem enim regnabat* Saturnus *Pater, qui Populis ætatem auream præstans* Italiam *est tranquillissimè moderatus.* Dixit tùm Pontius: *Quandò verò* Cretenses *regebat solos, numquid* Italia *Populos, aut si Populos, Numina non habebat? Ne vos seducant*, inquit, *piissimi Cæsares, vana petrarum, & lignorum, Artificum opus, deliramenta; Unus est Deus, quem vos nescitis, Pater omnium, rerum sator, & servator, qui cum Filio suo, & Spiritu Sancto, omnibus, quæ in Mundo cernitis, præest, & prodest. Et quomodò*, ait uterque Philippus, *unicus ille est Deus, si Filium habuisse commemoras?* tùm verò *Pontius*, apertam sibi cernens viam ulteriùs procedendi, ineffabile Trinitatis myste- 77
rium *Philippis* aperuit, Dei sine initio æternitatem, Mundi creationem, Diaboli superbientis casum, Hominis Diabolo seductore lapsum, Christi Redemptoris humilem in Terris conversationem, mirabilium patrationem, atque post Mortem, & Resurrectionem, ad dexteram Patris Ascensionem, Divinæ legis mandata, bonorum præmia, malorum æterna supplicia; quæ omnia tanto spiritus fervore, Dei gratiâ adjuvante, est elocutus, ut *Philippi* Imperatores rogare eum non cessarent, ut datâ opportunitate identidèm de eâ, quam semel audierant, sermonem ipsis haberet, Fide. Et quidem ex eâ die Idolorum Sacrificiis minimè interfuerunt, ludos verò Sæculares ingenti apparatu fieri permiserunt. hos magno spectaculorum ordine celebratos, bestias in Circo innumerabiles interfectas, ludos in Campo *Martio* theatrales tribus diebus, ac noctibus, Populo pervigilante, exhibitos, *Eutropius* prodit. addit Aurelius Victor *Philippum* Juniorem adeò severi, & tristis animi fuisse, *ut jam tùm à quinquenni ætate, nullo prorsùs cujusquam commento ad ridendum solvi potuerit, Patremque ludis Sæcularibus petulantiùs cachinnantem, quamquàm adhùc tener vultu notaverit aversato.* In his ludis duplicem sibi lætitiam Christiani gratulabantur, quod conversis *Pontii* operâ ad Christum *Romanis* Cæsaribus, felix faustumque præteriti sæculi complementum, ac sequentis auspicium Christus esset.

8. Adiens itaquè *Pontius* Summum Pontificem *Fabianum*, quid cum *Philippis* egisset enarrare exorsus est, quo audito, cum Deo bonorum omnium largitori *Fabianus*, ut par erat, gratias reddidisset, alterâ die unà cum *Pontio* palatium illorum ingressus, & catechismum jam ab eodem *Pontio* inchoatum prosecutus, mox Baptismo utrumque initiavit; scribunt alii *Philippos* Româ clam egressos (ne fortassè ob rei novitatem aliquis tumultus in Populo excitaretur) atque ad extremam Oram *Italiæ* clàm appulsos, ab ipsomet *S. Pontio* Nicææ in Provinciâ Baptismo fuisse ablutos, quod infrà in notationibus disquiremus. Non ità facilè dictu fuerit, quantâ lætitiâ exultaverint, quantas agerent Deo gratias Christiani cernentes *Romanos* Cæsares, antiquos videlicèt, potentissimosque ad nocendum Fidei hostes subditos Christo factos; Et tùm maximè, cùm ex eorundem jussu Imperatorum, *Pontio* suadente [quod de eo nondùm nato Sacerdos ille prædixerat] ingressi *Fabianus*, & *Pontius* illud, quod dicebatur Magnum Templum *Jovis*, id scilicet, quod adhùc prægnans ingressa fuerat *Julia* Pontii mater, simulacra omnia humi straverunt, Templumquè ipsum penitus diruerunt; quod idem cum agerent in cœteris Urbis Templis, vero Deo, & Christo nova Templa eri-

gebantur. Multi vero utriusque sexus, tàm ex Nobilibus, quàm ex infimâ Plebe, Christo in Baptismate nomen dabant; atque adeo Christiana Religio radices agebat Romæ *Pontii* operâ, & *Fabiani*, quod quatuor, seu quinque, vel, ut ait *Jornandes*, septem annorum spatio, quo iidem *Philippi* præfuerunt Imperio, accepit non modicum incrementum.

Eutrop. Rom. hist. Breviar. lib. 9. De Regnor. success. lib. 1.

78 9. Verum volente Deo Ecclesiam suam tanquàm aurum mundum persecutionibus experiri; sublatis, necique datis duobus *Philippis*, Decii insidiis, *Veronæ* altero, altero vero *Romæ*, Imperium deincèps invaserunt, post eundem Decium, *Gallienus*, & Pater ejus *Valerianus*, qui, ut Deos sibi suos propitios sortirentur, propositis per universum Orbem edictis, Christianæ Religionis reos morti devoverunt, eodem etiam supplicio puniendos esse sancientes Idolorum cultores ipsos, nisi quantocius quos novissent Christianos, Magistratibus indicassent. Afflixit maximè post tranquillam sub *Philippis* quietem hic turbo Ecclesiam, atque inter cœteros ipsum *Pontium*, qui eo quod diruendorum Templorum fuisset author, ad mortem à Sacerdotibus expetitus, latebras quæritans, non nihil in Urbe latuit. Nè vero in Christianæ Fidei detrimentum diutius delitescere cogeretur, *A finibus Italiæ transiens*, inquiunt ejus Acta, *Urbem sub jugo Alpium procul sitam petiit nomine Chimellam*, Cemenelionem scilicèt. Hâc vero in Civitate *Pontium* factum fuisse Episcopum est qui scribat, quam mox *Claudius* Præses, & *Annanius*, sivè *Anabius*, aut *Anubius* Galliarum partibus deputati ad jus dicendum, & Christianos exagitandos, missi ab Imperatoribus adiverunt.

v. infrà notation.

10. Ibi cum audissent *Pontium*, quondàm *Romæ* Præfectum, & Christianorum Antesignanum liberè diversari, atque ad Christi cultum multos traducere ex eâ Urbe, sedentes in foro pro tribunali, eum ad se adduci protinus imperarunt. Tum Claudius Præses ità eum affatus est: *Tu es Pontius, qui Urbem Romam persuasione in seditionem conturbasti, insuper piorum Principum animum abalienasti.* B. Pontius respondit: *Ego neminem conturbavi, neque subverti, sed ab errore Dæmonum ad verum Dominum converti.* Præses dixit: *Audientes de te Domini mei Principes Valerianus, & Gallienus, eò quod nobili familiâ sis ortus, hoc præceperunt, ut Diis immoles, sin autem diversis afficieris pœnis.* B. Pontius respondit: *Non immolabo, quià Christianus sum.* Præses dixit: *Consule animum tuum, ne & tu pereas, & patrimonium tuum dissipetur.* Pontius Beatissimus Martyr dixit: *Consultor meus Christus est, patrimonium terrenum si perdidero pro Christo, æternum acquiro, ubi non sensu terrenum, sed hilaritatem cum Sanctis Angelis merebor.* Claudius Præses dixit: *Quid mihi ambages verborum cursitas. Aut Sacrifica Diis, aut carnes tuas diversis pœnis faciam dissipari.* B. Pontius respondit: *Jam tibi, dixi, quià Christianus sum, & non sacrificabo Dæmoniis.* Tunc Præses jussit eum vinctum catenis in carcerem tradi, quoadusque ad Imperatores relationem mittit hujusmodi per epistolam.

*Dominis Piissimis, atque Invictissimis Triumphatoribus semper Augustis, Valeriano, & Gallieno Principibus.*

*NOS Servi vestri ingredientes in initio Galliarum invenimus Pontium, qui dudùm Urbem Romam conturbavit, & multa Templa Deorum subvertit, fugientem, & inobedientem præceptis vestris;*
79 *& quià est de primis in Palatio Senatoribus, fecì eum recludi, quoadusquè vestrâ deliberatione censeatis, quid de eo oporteat facere.*

A Imperatores Præsidi rescripserunt, si mandatis Cæsareis renuisset obtemperare, sibi in *Pontium* animadvertendi, & quovis tormento interficiendi omnimodam fieri potestatem. Accersito igitur Pontio, *Claudius* ostendit quæ acceperat in mandatis à *Valeriano*, & *Gallieno*, eumque semèl, iterùmque hortatus est, ut pro sui Ordinis Dignitate, Crucifixi cultui valedicens, antiquam Deorum Religionem, thura adolens ipsorum altaribus, denuo amplecteretur. Quod cum *Pontius* constantissimè agere recusasset, immò Idolorum inanitatem, veritatemque Christianæ Fidei liberâ voce aperire adstantibus non cessaret, furore inflatus
B Præses, Lictores advocans, aptari jussit omnia, quæ exerceri in Christianismi Reos consueverant, instrumenta; equuleum, faces, cardum, uncum, virgas, & scorpiones, mox Equuleo imponi, ut membrorum omnium nervi distenderentur.

11. Dicebat vero insultans Claudius: *Nunc videbo, an potens sit is, cui tantoperè fidis, Christus, te liberare.* Respondit Pontius: *Licèt incredulitas tua omnem Deo meo abroget potestatem, ego tua, quæ tantoperè minitaris, supplicia, nihili facio, credens, divinâ ope, nullum corpori meo dolorem infligi posse.* Quamobrèm cum eum equuleo alligatum, impo-
C sitis vectibus in diversa traherent Milites, confracto repentè, ac in pulverem redacto equuleo, exanimes, qui ibi aderant, conciderunt, ingenti fragore audito. *Pontius* vero lætus, ac vegetus, quid pro suis servis efficere posset Christus, ex eo, quod in se ipso experti fuerant, exprobravit. *Claudius* nimio terrore consternatus vix collegerat Spiritum, cum Magicæ Arti, non Divinæ virtuti, quæ acta fuerant, multi è Gentilibus tribuentes, consultum fecerunt Præsidem, ut ad Amphitheatrum duci juberet *Pontium*, à feris, quæ inibi servabantur, comminuendum, & devorandum.

12 Inclytus itaque Martyr, ingressus Militibus
D septus Amphitheatrum, in arenâ constituitur, protinusque duo Venatores, seu ferarum agitatores Tauros ferocientes objiciunt: Ursi itidèm bini, quos *Mombritius* miræ magnitudinis ex *Dalmatiæ* Montibus delatos refert, mox è caveis emittuntur, quasi Tauris suppetias allaturi, qui magno impetu in medium excurrentes Amphitheatrum, non *Pontium*, verum agitatores singuli singulos invadunt, lacerant, atque insatiabiliter devorantes, ad nihilum pœnè redigunt; ad *Pontium* verò propiùs accedentes, ejusque pedibus procumbentes, lambunt, & blandiuntur. Tum verò ingens Populi *Cemenelensis* clamor tollitur dicentis: *Unus est*
E *Deus Christianorum, quem Pontius colit!* Præses autem ardens iracundiâ, & furore, nec eam edoctus, quam feræ didicerant, lenitatem, quæcunque miranda pro servo suo Deus operabatur, Magicarum afferens Artium esse præstigias, in medio ejusdem Amphitheatri stantem vinciri manibus, pedibusque *Pontium* jubet, & circà eum struem ingentem lignorum, sarmentorumque aggregari;
protinùsque dispositæ materiæ admota flamma in 80
tantum crevit, ut fastigium ipsius excederet Amphitheatri. Verùm absumptis omnibus, quæ igni fovendo congesta fuerant, non modò vivus,
F sed prorsùs illæsus, intactusque in mediâ arenâ apparuit Martyr, adeò ut, ne vestes quidem, aut capillos ignis offenderit.

13. Debuerat, tot visis prodigiis, non modò sævitiam, verùm etiam infidelitatem deponere Præses *Claudius*, sed quià cor ejus pertinacia obduraverat, à minis, & tormentis denuò rediens ad blanditias, & promissa; *Nos*, inquit, *Ponti, à te Præfecto, atque Urbis inter primarios Senatore judicium pati debueramus, non tu à nobis: age igitur in priore contumaciâ ne persistas, sed memor gloriæ, & dignitatis, Imperatorum jussibus assentire:*

*Ecce*

*Ecce proximè venerabile Apollinis Templum, accede, & sacrifica.* B. Pontius respondit: *Potestas hujus sæculi, vel divitiæ similes sunt nebulæ matutinæ, quæ in oculis omnium terras, montesque, & luminaria cooperit. quòd si ventus perflaverit, statim momento temporis, quasi non fuerit penitùs evanescit, nam Gloria, quam concupisco in æternum permanet. Sacrifico autèm ego corpus meum Domino Jesu Christo, quod hactenùs à pollutione immaculatum custodivi. Nàm vobis, & Principibus vestris citò superveniet ultio divina, quià injustè persequimini famulos Dei, licèt non Dominus tibi permiserit, ut maculam corpori meo inferas, tamen applica quæcunque volueris tormenta.* Convenerant ad spectaculum Amphitheatri non Gentiles modò, verùm *Judæi* etiam, qui hæc dici à *Pontio* audientes protinùs exclamarunt: *Occide, occide.* quo audito respondit Pontius, manibus in sublime elatis: *Gratias tibi ago Domine, quià sicut Patres eorum clamabant de Christo tuo, Crucifige, Crucifige eum, ità ista in me usi sunt voce.*

14. *Claudius* interim furore inflatus horribilitèr exclamans, non solùm se, sed & ipsos Imperatores fuisse injuriâ affectos, atque adeò convinci læsæ divinæ, humanæque majestatis reum, sententiam postremò in eum protulit dicens: *Ducite eum, & saxo, quod multùm eminet, decollate, corpusque ejus deorsùm mittite.* Est id saxum imminens, ut Tom.4.lib. 9.cap.69. dissertè habet Vincentius Beluac. *Pauloni* inferiùs decurrenti, ex superiore Monasterii parte, extrà antiqua Urbis *Cemenelensis* mœnia; eòque loci forsitan extremo damnati supplicio pœnas daturi deducebantur: Ibi visuntur antiqui Sacelli eidem Martyri *Pontio* dicati vestigia, è cujus regione aliud Sacellum temporis incuriâ lapsum, Divo *Aygulpho* Martyri, & Abbati *Lerinensi* quondàm sacrum, conspicitur. Igitùr ut eò ventum est ex *Cemenelensi* Amphitheatro, *Pontius* capite amputato Martyrii palmas promeruit. Corpus clàm interceptum à *Valerio* Pontii Socio, qui omnibus his adfuerat, sepultum est propè locum, ubi posteà Pet. de Natal. lib. 4.cap.169. Ecclesia sub invocatione *S. Pontii* est extructa, addito successu temporis Monasterio à *Carolo Magno* Imperatore. Caput Martyris, ut ex antiquâ habetur traditione, deorsùm è scopulo præceps datum, atque ab aquis *Paulonis* exceptum, ope Angelicâ facibus hinc indè collucentibus, si antiquæ *Niciensium* traditioni habeatur fides, ad littora *Colobreriæ* in Provinciâ delatum est, undè successu temporis ad Monasterium *S. Victoris* Massiliense translatum fuisse fertur.

15. Obiit *S. Pontius* anno ab Incarnato Domi- 81
no circiter 261. undecimâ die Maji, sepultus verò die 14. ejusdem mensis, imperantibus *Valeriano*, & *Gallieno*. Divina vindicta mox *S. Pontii* persecutores secuta est, ut ipse prædixerat; *Claudium* enim Præsidem invasit Dæmon linguam sibi miserè corrodentem, *Annanium* dictum aliis *Anabium*, sivè *Annubium* Præsidis Assessorem, & Consultorem avulsi de ejus capite oculi defecerunt; *Valerianum* Imperatorem *Sapor* Persarum Rex bello victum caveâ ferreâ inclusit, *Gallienum* verò divisio Imperii *Romani* in plura capita diù torsit.

## NOTATIONES.

a *De* S. Pontio *scripserunt Vinc. Beluac.* tom. IV. spec. histor. lib. XI. *Petrus de Natal.* lib. IV. cap. CLXIX. & lib. XI. cap. XCII. *Baron.* an. Christi CCLXI. *& alibi agens de duobus* Philippis. *Abraham Bzovius ad* an. CCXLVII. *Martyrologium Rom.* Usuardi, Maurolyci, *& aliorum.* Ribadaneira, Viglieg. Martyrol. Toletanum *apud eundem. Philippus Ferrarius* de Sanctis Italiæ. Ughellus *Abbas, & Franc. Augustinus ab Eccles.* in Episcopis Niciensibus. *Vincentius Barralis* Chronol. Lerinens. pag. 437. *idem habet cum* Petro de Natal. *Prætereà de* S. Pontio *Illust. Dominus Senator* Leotardus *elegantissimum Hymnum, qui incipit*, ex alto Olympi vertice, *in lucem edidit* Hymnor. lib. II. hymn. VII. *ac sequenti* hymno VIII. *cujus initium:* Clara lux tandem rediit.

b *Nos ex Sacro ejusdem* S. Pontii *Monasterio habuimus antiquissima ipsius acta descripta ex Codicibus M. S. Ecclesiæ* S. Pontii *Lantuscæ ab* Honorato Martelli *Abbate, eadem ferè cum iis, quæ afferunt* Surius, *&* Mombritius. *Auctor verò Actorum fuit* Valerius *ipsius* S. Pontii *primò condiscipulus, deindè Socius non modò itinerum, sed, ut ipsemet testatur, etiam passionum: ait enim inter cætera in proœmio:* Ideòque ego indignus, Valerius nomine, tantæ gratiæ [*sermo est de gratiâ Martyrii*], qui cum Dei Martyre *Pontio* enutritus sum, & studui, etsi societatem Martyrii ejus non merui percipere: tamen confessionem, & laborem ejus narrans, credo mercedem me à Domino Deo accepturum, quià omnia, quæ de eo dicturus sum coràm Christo, & Angelis ejus, & propriis oculis meis vidi, & magnam partem, ut dixi, cum eo sustinui. *hucusquè Valerius in prologo actorum, quæ quantò simpliciùs, tantò fidelius exaravit; iis enim, eo quod, ut ipse de se ait, omnibus, quæ* Pontio *evenerunt, interfuerit, maxima fides adhibenda est. Utinàm verò, sicut ex* Valerio *habemus* Pontii *gesta, ità ex alio quovis Auctore liceret quæ post* Pontii *mortem gessit* Valerius *invenire, multa enim procùldubio essent, quæ non parum illum exornarent, ac nostram Patriam. Ex eo tamen, quod ipse de se scripsit, apparet fuisse* Valerium *Pontio illum, quem Italicè dicimus*, Compagno di Studio; *unà cum* Pontio *studuit, cum* Pontio *ad Fidem conversus est, adiit* Romanum *Pontificem* Pontianum, *Cemenelionem venit, ibique cum* Pontii *adfuisset Martyrio, corpus ipsius, ut diximus, sepelivit, quod ait Pet. de Natal. iis verbis:* Corpus ejus ibidèm à Valerio comite sepultum est pridie Idus 82
Maji, *licèt aliqua exemplaria malè habeant à* Balerio.

c *Quia verò hæc ex* Valerio *acta satis prolixa sunt, nos, quantum potuimus, contraximus, breviora præcipuè reddentes colloquia, quæ identidem interseruntur. Aliquid verò ex aliis Auctoribus adjecimus, præsertim ex* Vinc. Beluac. *&* Pet. de Natal. *qui affirmat* S. Pontium *factum fuisse Episcopum* Cemenelensem, *dum lib.* IV. *c.* CLXIX. *ait:* Deindè dignitate relictâ accessit ad Gallias prædicandas, & in Civitate Cumellâ Episcopus factus est. *Eundem Episcopi titulum apponit Francisc. Maurolycus* in Martyrologio; *alium ex antiquis, qui idem habeat, vidi neminem, nec de* Pontii *Episcopatu verbum quidem profert* Valerius, *aut ulla extat in Regione traditio; vel ulla antiqua effigies infulis ornata Episcopalibus intrà Monasterii septa; secùs verò* Lantuscæ, *ac alibi* [*ut nobis oculati testes asseruerunt*] *in* Niciensi *diœcesi, ubi* Pontius *infulatus visitur. Martyrem verò tantùm vocant, non solùm antiqua donationum diplomata factarum ejus nomini dicato Monasterio, sed etiam* Martyrologia, Romanum, Usuardi, *& alia, quod etiam vidimus in antiquo* Martyrologio M. S. *proprio ejusdem Monasterii.*

d *Ex Recentioribus præter* Galesinum, *qui ait ordinatum fuisse Episcopum à* S. Pontiano *Papa*, Philippus Ferrarius *in Catalogo Sanctorum Italiæ de S. Pontio sic scribit.* In Galliæ pluribus locis colitur *S. Pontius,*

*tius*, uti Episcopus, & Martyr [licèt in Martyrologio *Romano* Martyr tantùm habeatur] extatque Urbs in *Galliâ Narbonensi Occitanâ* de nomine illius dicta, & apud *Cimellam* Urbem excisam Ecclesia, & Pagus S. Pontii. *Prætereà Ferdinandus Ughellus* tom. IV. Italiæ sacræ, *postquàm vocavit* S. Pontium *Cemenelensem Episcopum*, *& Martyrem*, *pergit infrà de eodem:* Sacra deinde *Pontii* lipsana in *Galliam Narbonensem* ad Monasterium *Tomeriarum*, quod *Pontius* Tolosæ Comes anno DCCCCXXXVI. in ejus honorem, inter *Pezenatum*, & *Carcassonem* construxerat, deportata sunt: successu temporis Cœnobium dignum visum est à *Ioanne XXII.* Pont. Max. quod in eo Episcopalis infula attolleretur anno MCCCXVIII. cui in tanti Martyris venerandam memoriam, titulum *S. Pontii Tomeriarum* nomen indidit. *hactenùs Ughellus*, *qui cum* Ferrario *videtur titulum Episcopi Cemenelensis* D. Pontio *nostrati apponere. Verùm*, *ut de translatione Reliquiarum nihil dicam*, *cum non absurdum sit*, *non corpus*, [*quod in ejus Monasterii Basilicâ prope* Niciæ *muros quiescit*] *sed aliquam sacrorum ossium portionem*, *præsertimque ex capite in Linguam occitanam delatam esse*; *attamen* Pontium, *cujus nomini dicatum Monasterium*, Tomeriis *in cathedram erectum est*, *eundem esse cum nostro* S. Pontio *non probatur*; *atque ex eo confirmor in sententiâ*, *quòd videam alium* S. Pontium *Episcopum tempore* Diocletiani *in confinio* Galliæ Occitanæ, *& citerioris* Hispaniæ, *de quo sic in Actis SS. Vincentii*, *& Orontii:* Inibi Pontificem *Pontium* invenerunt, qui se propter horrorem *Ruffini* per cavernas petrarum abscondebat. *Inferiùs verò:* Cumque hæc Beatissimus Pontius loci illius Episcopus [*Rodhes* scilicèt] cognovisset, benedicebat Deum &c. *de eodem*, *agentes de* SS. Vincentio, *&* Orontio *meminerunt Pet. de Nat.* lib. II. cap. CXII. *Vincent. Beluac.* lib. XII. cap. XXXVIII. *ut suo loco in*
83 *eorundem* Vincentii, *&* Orontii *gestis dicemus. quamobrèm non inverisimile esset*, D. Pontium *Episcopum*, *cujus nomini Ecclesia* Tomeriarum *est sacra*, *alium esse ab eo*, *quem* Nicææ *colimus*, *ac proindè ex eo*, *nostro Martyri titulum Episcopi non benè affigi*; *quod forsitan in errorem induxit* Petrum de Nat. *Verùm hâc in re nihil in præsentiâ definire mens est*, *quòd utrinque non desint probabiles conjecturæ*, *quas affert Augustin. ab Eccles.* in Coron. Reg. par. 2. pag. 40.

e *Duos* Philippos *Cæsares prædicatione* S. Pontii *conversos fuisse ad Christum*, *admittunt omnes cum* Martyrol. Rom. *non tamen omnes dicunt fuisse* Nicææ *ab eodem* Pontio *Baptismo ablutos. Affirmant Pet. de Natal.* in Vitâ utriusque Philippi, *ubi de Philippo Patre:* Hic primus Imperator omnium Christianus fuit, quem Beatus Pontius Episcopus, & Martyr, unà cum Filio ad Fidem Christi convertit, & in Nicæâ Civitate Provinciæ baptizavit. *Idem eisdem verbis habetur in Monumentis*, *quæ Vinc. Barralis exhibet in* Chronol. Lerin. *Idem refert Martinus Polonus* in Chronico *emendato à* Suffrido Leovardiensi, *ubi de eodem* Philippo *Imperatore inquit:* Hic fuit baptizatus à Beato Pontio Martyre in Niciâ Civitate Provinciæ. *quibus subscripsit P. Juglaris* in Panegyri, *quam edidit* de D. Basso, *ac Augustinus ab Eccles.* in Episcopis Niciensibus, *& adstipulatur quædam quasi traditio* Niciensium, *qui id à Patribus audiverunt. quin etiam multi putant prægrandia duo humana capita*, *quæ in Ecclesiâ ejusdem* S. Pontii *inventa sunt*, *eorundem esse Imperatorum* Niciam *aliquandò translata. Negant verò* Card. Baronius, *à* Valerio *conscripta acta*, *& quotquot dixerunt eos* Romæ *fuisse à* S. Fabiano *Summo Pont. baptizatos*, *præviâ tamen adhortatione per* Pontium.

f *Ludorum Sæcularium*, *de quibus in gestis* S. Pontii *agitur*, *exactam descriptionem ex plerisque Auctoribus affert Joannes Rosinus* Antiq. Romanar. lib. V. cap. XXI.

g In Martyrologio Romano *Festum* S. Pontii *notatur die* 14. *Maji*, *quâ die sepulturæ ejus Corpus mandatum est*, Niciæ *verò colitur die undecimâ*, *quâ*, *ipso* Baronio *teste in notis Martyrol.* Pontius *Martyr. obiit.*

h *In Monasterio* S. Pontii *habetur totum ejus Officium proprium*, *ex quo in antiquitatis gratiam hæc pauca excerpsimus.*

*Antiph. ad Magnif.*

O Martyr insignis Beatissime *Ponti*, qui prædicatione divinâ, *Romanorum* Principes ad veritatis perduxisti viam, & Tyrannorum superato tormento, felici victoriâ laureatus exultas in Gloriâ, nostra precamur, tuâ intercessione lava facinora, quo tecum valeamus in æternum decantare Alleluja.

*Antiph. ad Bened.*

Athleta Martyr *Pontius*, Bellator invictissimus, dira ferens supplicia, transvectus est in Gloriâ, ense truncato capite, renitens diademate, olim consultor Patriæ, jam jam Senator gloriæ, lava nostra peccamina, optatâ prece sedulâ, quo tecum laudes perpetes canamus in Cœlestibus.

*Oratio in die Festo S. Pontii.*

Deus, qui nobis venerabilem Martyris tui Beati *Pontii* passionem, annuâ concedis celebritate vene-
84 rari, quæsumus, ut sicut ille, constanter prò tui nominis confessione agonizando, æternæ Beatitudinis gloriam percipere meruit, ità ejus patrociniis, ad immortalitatis triumphum mereamur pervenire. Per &c.

*Alia Oratio per annum.*

Propitiare quæsumus Domine nobis famulis tuis per hujus Sancti Martyris tui *Pontii*, & aliorum Sanctorum tuorum, qui requiescunt in præsenti Ecclesia, merita gloriosa, ut eorum piâ intercessione, ab omnibus protegamur adversis. Per &c.

i *Suprà tumulum S. Pontii marmoreum hæc legitur inscriptio:*

DOMINO. KAROLO. REGE. FRANCORVM. ET.
LANGOBARDORVM. PATRICIVS. ROMANORVM.
DOMINO. SANCTO. PONTIO. MARTYRI. SVB
TEMPORIBVS. IMPERAT .... ADVOCATVS
EP. IS... INSTAVRAV..

Reli-

A *Reliqua æquè malè castigata, ac Barbaricis signata notis, recto sensu divinare legendo non licuit. Extat is tumulus in mediâ Ecclesiâ in modum cryptæ efformatus, in quo præter Sacra* S. Pontii *ossa, creduntur etiam fuisse* SS. Syagrii, & Anselmi *lipsana tumulata. At verò quandò de* S. Anselmo *Episcopo mentio incidit, quem non nemo eruditus Vir, datis litteris* Cemenelensem *Præsulem dixit, & cujus Festum* Ferrarius *indicat ad diem 27. Novembris; is alius ab* Anselmo Cantuariensi *videtur statuendus, licèt quæ de* Cantuariensi *dicuntur à Petro de Natal.* lib. VI. cap. LVI. in Chronologiâ Lerinensi pag. 135. *pro eo afferantur.* Ludovicus Revelli *alium facit his verbis:* Anselmus Lucensis Episcopus anno MCVII. præclara quædam composuit, cujus corpus *Mantuani* in Ecclesiâ Cathedrali *Mantuæ* posuerunt; Verum caput ejus in Monasterio *D. Pontii* Nicææ extrà muros esse perhibetur, & ibidem miraculis in dies celebrior habetur. *Ego*
B *neutrum puto, nec* Cantuariensem, *neque* Lucensem *Episcopum, cum nulla de translatione sit traditio, aut monumentum. Crediderim potius Episcopum* Niciensem, *forsitan ex Abbate* Lerinensi *assumptum; & quidem in Monasterio* Lerinensi *agnoscunt Abbatem* S. Anselmum *præter* Vinc. Barralis, Molanus *in Additionibus Usuardi,* Pet. Gallesinus, & Ferrarius 18. *Novemb. cujus acta exciderunt: In antiquo verò, & recentiori busto, in quo Sacrum* Anselmi *caput servari consuevit, non modò Episcopalis infula, sed etiam tonsura Monachalis exprimitur.*

k *In eàdem* S. Pontii *Ecclesiâ alias quamplurimas pii Fideles venerantur Sanctorum Reliquias; inter cæteras autem, corpora* SS. Frontonii, *quem* Petragoricensem *malè creditum puto; fortassis idem est cum* Froddonio *Episcopo* Niciensi, *de quo agemus par. 2.* & Simpliciæ Virg. & Mart. *cujus nomen creditum est à*
C Benedicto XIII. *dum anno* MCCCCVI. Niciæ *moraretur, immutatum, ne ab aliquibus raperetur, verèque id corpus censendum* D. Reparatæ Virg. & Mart. *scripsit non nemo, quod etsi ego improbare non ausim, hoc unum dico; in Relatione scilicet, quæ eâ de re non multos antè annos vulgata est, aliqua omninò falsa, incerta alia contineri.*

---

TIT. V.

85
# SS. VINCENTIUS, ET ORONTIUS
## MARTYRES, CIVES CEMENELENSES.

1. SAncti *Vincentius*, & *Orontius* Fratres *Cemenelione*, ex Nobilissimis Parentibus orti sunt, Patre *Vicario*, & Matre *Auritiâ*, utroque tamen Idolorum cultui addicto. Patrum exemplum secuti Filii eidem studebant cultui, donèc auditâ Christianæ Fidei prædicatione, quæ jam, Deo favente, per totum Mundum, sed præcipuè per partes *Italiæ*, Galliæ conterminas radiabat, non solùm ambo Baptismatis undâ perfusi Christo dederunt nomen, sed eandem Fidem suis Parentibus exponentes, eos, à quibus geniti fuerant, in Christo regenerarunt, effeceruntque, ut uterque, *Vicarius* scilicet, & *Auritia*, Sacri fontis lavacro, & chrismate postmodùm perfunderentur. *Vincentius* interim, & *Orontius* nihil magis in votis habebant, quàm suum pro eo effundere sanguinem, qui pro totius Mundi salute Cruci affixus effuderat. Quià verò eâ tempestate *Cemenelione* non ità palàm sæviebat *Diocletiani* persecutio, quo auctore, alibi Terrarum omnis generis suppliciis in Christi cultores animadvertebatur; audientes idcircò, in *Hispaniâ* citeriore *Ruffini* Præsidis mandato [qui factâ sibi à *Diocletiano* potestate, Christianos passim mactabat] multos effici Martyres, quamplurimosque gladio ultore interimi, illùc iter agere instituerunt, ut Servos Christi, qui minis, & cruciatibus ab eodem Præside exagitabantur, in Fide firmarent, Idolis emancipatos vero Deo lucrifacerent; parati, si, quod sperabant, in se ipsos Tyrannus ille animadvertisset, cervices Carnifici ultrò offerre, & mortem constantissimè pro confessione nominis Christi obire.

2. Desertâ igitur Patriâ suâ, Spiritu Apostolico incitati, eam adeunt Regionem, quæ inter *Galliam*, & ulteriorem *Hispaniam* sita, dicitur vulgari nomine *Catalaunia*. ac primo ingressi *Gratianopolitanum* Castellum, ubi sedem Præses *Ruffinus* fixerat, Sanctum inibi Pontificem *Pontium* invenerunt, qui metu persequentis Tyranni inter speluncas, atque antra latitabat, stipatus quamplurimis Christianis, qui jugiter divinis laudibus

D intendentes, ad agonem Martyrii se invicem hortabantur. Hos inter fortè aderat Sanctus quidam Levita nomine *Victor*, qui multis miraculis decoratus, non solùm gladium *Ruffini* persequentis non expavescebat, sed palam Christianam prædicans veritatem, omnibus ejus Regionis Fidelibus 86
præstò aderat, animum cujusque confirmans, & quod eis magno erat solatio, & adjumento, hospitalitatem exhibens Pauperibus, & maximè Domesticis Fidei. Ex eo loco mox *Rhodes* se conferunt, ubi Levita *Victor* sibi statuerat domicilium, & *Ruffinus* erexerat contrà Christianos tribunal in Capitolio: Christi siquidèm confessoribus
E alicubi Martyrio coronatis, cum aliis idem facturus de loco ad locum pergebat iniquus Judex, spirans minarum, ac cædis.

3. Ubi autem Levita *Victor*, Angelo divinitùs edocente, advenisse cognovit Rhodes *Vincentium*, & *Orontium*, protinùs iis ad se accersitis, ut in Villæ suæ Pagum, quod *Julianum* dicebatur, diverterent rogavit, eisque de more hospitium præstans, hilaritèr, humanitèrque accepit. Nè verò dum in Individuæ Trinitatis nomine degebant tres Viri Dei, eorum Fidei fervor videretur interim otiari, *Ozavillam* Pagum ingressi, eum suâ prædicatione adeo illustrarunt, ut omnes fermè ejus Patriæ Incolæ, Gentilitiis ritibus abdicatis, Christum unanimi voce confiterentur. Id ut innotuit impio *Ruffino*, irâ exæstuans,
F *Julianum*, ubi tunc Viri Dei morabantur, festinus perrexit. Nec latuit eos, *Ruffini* adventu, se [quod tantùm ambierant] ad Martyrii palmam vocari. Quamobrem, antequàm Præses in conspectum veniret, *Vincentius*, & *Orontius* vicinum Montem orandi gratiâ conscendentes, Christum Dominum precabantur, ut in eo, qui parabatur, conflictu, dignaretur præstare robur, & fortitudinem. *Ruffinus* interim *Julianum* Pagum ingressus, talibus Victorem Levitam arguere cœpit verbis: *Dic infidelissime Virorum, qui Diocletiani Augusti non solùm justitiæ te subtrahis, & ejus,*

*quem Judæi crucifixerunt, confiteris te esse Servum, verùm etiam seductores* Vincentium, *&* Orontium *hospitio suscepisti. Dic, inquam, ubi eos tegis, vel quâ conditione præfulges, ut Populum à culturâ Deorum* Veneris, *&* Minervæ, *ad Christum, quem dicis esse Deum, convertas? Per salutem Deorum, si citiùs non dixeris, ubi seductores illi* Vincentius, *&* Orontius *commorentur, diversis te cruciatibus afficiam.* Cui Victor vexillo Crucis armatus respondit intrepidus: *Viros illos quos quæris, non seductores, sed amatores Omnipotentis Dei esse cognoscas, quià credunt in Jesum Christum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, & natus ex Mariâ Virgine.* Tùm Ruffinus: *Christus, quem dicis esse Filium Dei natum ex Virgine Judæi crucifixerunt, & morti turpissimæ tradiderunt, & Deos meos non adoratis tu, &* Vincentius, *&* Orontius, *quos invictissimus Imperater de auro purissimo figuravit?* Sanctus Levita respondit. *Dii illi, quos Imperator figurari jussit, sunt opera manuum hominum facti, undè & de his scriptum est, similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis; De Sanctis verò, quos cupis videre, supèr hoc, quod loqueris, nihil responsi mereris accipere, verumtamen Viri sunt Nobiles, ex semine Regio prodeuntes, & docti in mandatis divinis, & legibus Sanctis, & hi constantèr adorant Deum in Monte hoc.*

4. His auditis *Ruffinus* minitabundus, in Montem, ubi *Vincentius*, & *Orontius* orabant, ascendit, qui à longè turbæ adventantis ascensum pro-
87 spicientes, rati id, quod erat, à Tyranno sibi parari necem, eò ferventiùs flexis iterùm genibus, divinam opem, & perseverantiam in Christi confessione eflagitabant, completâque oratione, ubi *Ruffinus* propè Montis verticem constitit, ità eos est allocutus: *Descendite de Monte, mihi super iis, de quibus interrogabimini, responsuri.* Expresso illi signo Crucis in frontibus responderunt: *Mons noster, in quem semper ascendimus, Christus est, in quo semper vivimus, semper sumus; tu verò loquere quod libet, nàm parati sumus in Dei nomine respondere.* Tùm Præses: *Non est vobis incognitum, quod ab Imperatore* Diocletiano *ità mihi authoritas est ampliata, ut universæ Linguæ meæ sint traditæ potestati, & ità decretum vulgi datum, ut omnem, qui se Christianum esse fatetur, persequar, undè moneo Nobilitatem vestram, cum Imperio propinquitate jungamini, & Nobiles sitis, Juvenes, ac decori, ut sacrificetis Diis Imperatoris* Diocletiani, *quoniàm per culturam Deorum juro, si acquieveritis verbis meis, ampliores vos faciam adeptâ potestate, & majores, quàm ego, servietis* Diocletiano *Augusto.* Tunc illi quasi uno ore dixerunt: *Tu infelicissime* Ruffine, *quid nos adorare frustrà compellis? Dii illi, quos dicis Cæsaris, & tuos, esse, manu facti sunt, omnes enim sunt aurei, aut argentei, vel lapidei, aut ex alio metallo: omnia ista vana sunt, & sicut umbra præteribunt; nos in Deum credimus, Cœli, & Terræ Creatorem, visibilium, & invisibilium factorem, qui & Idola potest minuere, & nos in sempiterna Regna Vivorum perducere, ubi nec finis gaudii, nec vitæ Justorum ullus terminus invenitur.*

5. Ruffinus Præses dixit: *Putavi me cum prudentibus loqui, sed, ut video, nihil sanum sapitis, quapropter vehementèr irascor, sed rursùs Nobilitatis vestræ ratione commoveor, & speciositatis vestræ misereor. Tamen jubeo, ut adoretis* Jovem, *quem adorat* Diocletianus *Imperator, & sacris oblationibus veneratur; quòd si non consenseritis verbis meis, crudelissimam mortem patiemini.* Beati verò jam non intendebant ad eum, sed spallebant unanimitèr, hæc & his similia orantes: *Domine Jesu bone, intentio nostra tu es, ad quem expectamus venire, cujus ardorem concupiscentes sanati sunt omnes*

A *languentes; Tu es Resurrectio, & Vita, suscipe diffusum, & langum cor nostrum ad te, quia in te sperantes non confundentur in æternum.* Cumque hæc profundo, & humili corde taciti orarent, & vox foris non resonaret, ait illis Ruffinus Præses: *Quid cogitatis inter vos ipsos protinùs edicite.* Cui sancti Viri responderunt: *Fac quod tibi placitum est, Nos autem in Deum vivum, & verum, & in Jesum Christum Filium ejus confidimus, qui nos sanguine suo pretioso redemit:* Ad hæc dicta dedit sententiam *Ruffinus*, ut uterque capitis pœna plecteretur.

6. Deducti igitur ex Monte illo *Vincentius*, & *Orontius* in planitiem, quæ non longè distabat,
B gaudio nimio exultantes, quòd vota sua, quibus spontè Patriâ exulaverant, jam jam impleta cernerent, illustre Martyrium abscissione capitis passi sunt. Diaconus autem *Victor*, cujus suprà meminimus, lacrymas multas fundens collegit eorum Corpora, & occultè in cubiculo suo abscondit. Ut verò cognovit *S. Pontius* ejus Regionis Antistes, *Vincentium*, & *Orontium* fratres fortitèr pro Christo occubuisse, benedicens, & laudans Deum, petiit ab eò, ut aperire sibi dignaretur locum, in quo Martyrum Corpora fuerant collocata; Quùm- 88
C que orans pernoctaret, & somnus aliquis irrepsisset, vidit in somnis Christum Jesum veste fulgenti amictum, locum, ubi jacebant, aperientem, & dicentem: *Scio, quià tibi mens Religiosa, fac vehiculi plaustrum, ut Corpora Martyrum eorum* Vincentii, *&* Orontii *ad loca sua in* Italiam *reducantur.* Sanctus autem *Pontius* vocavit *Victorem* Levitam, & ait illi: *Exaudita est petitio mea, quam postulavi à Domino, mihi revelatum est quod cupiebam, vade fili in villam, quæ dicitur Fontes, & applica vehiculum, ut juxtà Dei beneplacitum reducas Corpora Sanctorum in loca à Deo illis assignata.*
D At *Ruffinus* Præses, qui tunc in Opido *Rhodes*, ut suprà diximus, morabatur, sciens *Victorem*, quæ *Pontius* jusserat, velle exequi, misit ad Pagum *Julianum* satellites suos, qui requisitum, inventumque propè sanctorum Corpora, ad Præsidem adduxerunt, qui Diis sacra facere renuentem, incisis primò brachiis, postmodùm capite cædi jussit, in eâdem campi planitie, in quâ *Vincentio*, & *Orontio* cervices fuerant amputatæ.

7. Pater autem *Victoris* adhùc superstes, ubi vidit Filii effusum sanguinem, tentavit fugam arripere, sed ab *Aquilina* Uxore piissimâ ac Christi amantissimâ Fœminâ interpellatus, & ad subeundum fortitèr pro Christi confessione Martyrium
E incitatus, ibidèm, cum Uxore suâ *Victoris* Matre, genua flexit, oravitque, ubi, eò quod nollent Præsidi assentiri, uterque cæso capite Martyr effectus est; atque ità *Vincentium*, & *Orontium* Deus tribus aliis Martyribus decoravit. Quùm verò *Ruffinus* indè in Civitatem, quæ *Gerunda* dicitur, discessisset, Vir quidam pius nomine *Actor*, cui *S. Pontius*, occiso *Victore*, corporum in *Italiam* reducendorum vices commiserat, *Victoris* Levitæ Parentes ibidem humavit, *Vincentii* vero, *Orontii*, ac ipsiusmet *Victoris* corpora plaustris imposuit, ut ad *Italiæ* confinia asportaret. Ut autem ejus rei nequàquam essent Gentiles conscii,
F non trita, sed insuetâ via iter aggressus est, junctisque bobus, qui plaustra trahebant, per *Occitanam*, ac *Narbonensem* Provinciam gradiens, eò usque perrexit, donec juxtà Civitatis *Ebredunensis*, in *Delphinatus* Ora, mœnia est perventum. Ibi cum antè tuguriolum quoddam boves, qui trahebant vehicula, constitissent, Presbyter quidam Ebredunensis *Arator* nomine quid rei hoc esset tacitus revolvebat, videbat siquidem boves mugientes, &, quamvis ab *Actore* urgerentur, ultrà deferre

ferre onera imposita non valentes. Percunctatus autem *Arator* eos, qui Corpora affectabantur, ut cognovit quid ferrent, & quò tàm pretioso thesauro onerati gressum dirigere in animo haberent, adiens Sanctum Episcopum *Marcellinum*, qui tunc miraculis conspicuus Ebredunensi Ecclesiæ præsidebat, ait: *Vidit servus tuus grande miraculum, quod Dominus ad tuam sanctam sedem perduxit; sunt tria carra boum onerata tribus Sanctorum Corporibus, qui Martyrium compleverunt in Domino: deportantes verò dicunt se ad* Italiam *pergere, ad quandam Civitatem, quæ* Cimera *dicitur: ubi autem venerunt antè tugurium Judæorum, ubi Crypta quædam lapidibus quadris, & pretiosis marmoribus constructa est, affixa sunt plaustra, bovesque mugientes, & volentes trahere plaustra nequàquam prævalent.*

89 8. Hæc audiens Sanctissimus *Marcellinus*, agnoscensque divinæ esse voluntatis, ut inibi Sanctorum Corpora requiescerent, gratias egit Deo, oravitque, ut pretiosis iis membris decorare dignaretur ambitum Civitatis *Ebredunensis*: Mox ex Urbe egressus, atque ad tugurium illud deveniens, cognitâ ab *Actore* serie rei gestæ, & Martyrio quod Sancti illi in *Hispaniâ* passi fuerant, imitatus *Abraham*, qui ab *Effron Hethæo* agrum in sepulturam *Saræ* comparaverat, ab *Arrio* tugurii illius Domino emere festinavit locum dicatum Corporibus sacris sepeliendis, dicens: *Duplicem pecuniam, quam Crypta hæc valet, probatam recipe, ibi enim Corpora Sanctorum placibile est sepeliri, nàm ibi locum elegerunt, quo conquiescant in Domino:* quod *Arrius* audiens, non solùm locum *Marcellino* dimisit gratis, & absque pretio, sed etiam se ipsum fecit Christianæ Fidei, quâ hactenùs caruerat, candidatum, dicens satis sibi probatam ejus Religionis veritatem, cujus virtute *Marcellinus* paulò ante Calicem fractum, Cruce signans, consolidaverat, velleque se Baptismatis rore perfundi. Igitur *Marcellinus* voti sui compos effectus, convocatis Sacerdotibus, Monachis, & reliquis Urbis suæ christicolis, psallens, & Deo decantans Hymnos, *SS. Vincentii*, *Orontii*, & *Victoris* Corpora in eo, quod dixi, tugurio tumulavit. tùm *Actorem* in *Hispaniam* remisit ad *S. Pontium*, cui quæcumque Deus de Sanctis suis disposuerat, nota fecit.

A 9. At *Ebreduni* multa Deus successu temporis, Sanctorum intervenientibus meritis, est miracula operatus: Nullum enim extitit morbi genus, cui eorum intercessio non præstiterit efficacissimam medicinam, quorum multa is Auctor, ex quo primùm hæc Acta deprompta sunt, scribit contigisse se vidente, & audiente. Inter cætera autem id maximè animadvertendum accidit, quòd cum *Ætherius* Episcopus Vir summâ prudentiæ, ac Religionis laude conspicuus, ab Abbate *Beroaldo* [qui Monasterio illi præerat, quod posteà ad Sanctorum tumulum est excitatum] ex eorundem B Sanctis membris, Reliquiarum partem aliquam impetrasset, videlicet duas ex eorum digitis particulas, easque in Ecclesiâ ad locum, qui *Noviacus* dicitur, collocasset, innumeraque inibi Deus propter Sanctorum merita conferret beneficia postulantibus; Plurimo postmodùm elapso temporis spatio, quidam è Fratribus nomine *Astroaldus*, Diabolico instinctu, easdem Reliquias surripere ausus est, easque *Lugdunum* detulit, ubi quendam Virum Religiosum nactus, *Beatum* nomine, eidem quod audactèr egerat, cautè confessus est. Quo ille audito acritèr increpitum mo- C nuit, ut easdem Reliquias ad eum, undè furtivè asportarat, referret locum, admissique criminis ageret pœnitentiam; quod cum ille parvi pendens facere renuisset, à quodam itineris socio, dùm mille circiter passibus abesset à cellâ Viri Religiosi, est interfectus.

10. Cum verò eadem sacra pignora redderentur Ecclesiæ *Ebredunensi*, quæ ea obnixè eflagitabat per Episcopum suum, non solùm ex cellâ Religiosi Viri ea custodientis suavissimus usque ad *Rhodani* ripam spiravit odor, sed etiam cum vino abluerentur ossa, ut devotionis ergò in ampulla asservaretur [ii enim, qui ex sacris Reliquiis parti- D culas exposcebant, timore, & horrore affecti radere de ipsis ossibus non audebant] vinum ipsum 90 in sanguinem ità repentè mutatum est, ac si ex viventis corpore emanasset: Et cum eadem ossa sic vino abluta sericis pannis involverentur, ità idem sanguineus liquor eosdem perfudit pannos, ut usque in vas, quod ne in terram decideret, fuerat præparatum, stillaret, & superflueret; cujus miraculi Fidem, eosdem pannos cernentes, multo post tempore comprobarunt.

## NOTATIONES.

E a *Horum Sanctorum Acta accepta refero R. P.* Theophilo Rainaudo, *qui rogatus per litteras* Lugduno *ad me transmisit. Author hujus historiæ est Episcopus quidam* Ebredunensis *Anonymus, sed antiquæ, & probatæ fidei, Ætherii successor, qui,* Joanne Molano *teste in notis ad* Usuardum, *eam rexit Ecclesiam circà annum Domini* DCLVIII. *undè autem prædictæ Sanctorum Historiæ notitiam hauserit, indicat ipse iis verbis:*

Verùm cum ego peccator, qui hanc paginulam præsumptuosè compilavi, ad Principem *Lugduno* navali itinere per *Rhodanum* properarem, ad cellulam, in quâ Vir Dei morabatur, qui ipsa pignora Sanctorum habebat, quià propè ripam ipsius fluminis habebatur, orandi causâ diverti. Cum autem quærerem, ubinàm Dei servus, qui ibidem deserviebat, Nativitatis exordium habuisset, & ille mihi per singula recensuisset, quòd scilicet *Aurelianensis* Civitatis natus fuisset, & educatus, ac *Hispaniæ* dehìnc multo tempore habitasset; curiosè sciscitabar, si fortè passionem præfatorum in locis *Hispaniæ* vidisset, vel audisset, quippè cum eorum gesta Civitas *Ebredunensis* minimè adhùc haberet. Et cum ipse, quod F Clero, vel Turbis *Ebredunensium* incognitum erat, de eâdem passione ex ordine recensuisset, addidit etiam quo ordine ad se pervenissent eorum pignora, quæ ab Abbate *Beroaldo*, vel Monachis ejus, ut suprà retulimus, Sanctorum Sepulcris fuerant ablata, & *Noviaco* deportata. *Inferiùs verò:*

Verùm cum juxtà canonicam normam Congregatio Episcoporum Synodali concilio *Galliæ* conveniret; quidam Abbas ab *Hispaniis* pro utilitatibus Ecclesiarum ibidem adfuit, quem cum ego peccator inquirerem, ubinam passio gloriosissimorum Martyrum consummata fuisset, sic mihi per ordinem, & veritatem exposuit, ac passionem præscriptam dedit. In quâ passione, sicut suprà meminimus, inventum est, quòd Corpus *S. Victoris* in prædictâ Urbe *Ebredunensi*, in suprà memorata cryptâ cum *SS. Vincentio*, & *Orontio* requiesceret: cum eatenus habitatoribus loci illius semper incognitum fuerit, cujus Corpus ibidem humatum jaceret.

Ego itaque accipiens ab isto Abbate gesta prædictorum Martyrum valdè rusticè composita, hæc, ut potui, meæ simplicitatis eloquio, pro honore eorum credidi emendanda, &c.

*Hucusque is Auctor: hæc gesta postmodùm collecta sunt à* Surii *cumulatore* tom. I. *&* *à* Bellando, *sivè* Bol- A
lando 22. *Januarii* tom. II.

91 b *Ex his porrò liquet*, SS. Vincentium, *&* Orontium *Patriâ fuisse* Cemenelenses, *quibus non minùs, quàm* S. Celso *debeant* Nicienses, *etsi hùcusque inter nostrates numerati non sint, atque à* P. Aloysio Juglaris *in imaginibus, quas imprimi curavit, fuerint prætermissi. Adstipulatur* Thomas Tamaio de Vargas *Regis Catholici Historiographus* in Martyrologio Hispanico ad diem 22. Januar. *qui admittit eosdem in amœnissimâ* Italiæ *Regione natos, in* Hispaniam *cupiditate Martyrii concessisse. Idem habet Vincentius* in spec. lib. XII. cap. XXXVIII. *& Pet. de Natalibus* lib. II. cap. CXII. *qui tamen correctione eget, dum ait:* Horum omnium Corpora [*Vincentii & Orontii scilicet, Victoris, ejusque Patris, & Aquilinæ Matris*] Pontius Episcopus, divinâ revelatione commonitus, plaustro imposita ad loca pristina Italiæ deferebat. *non enim* Pontius *ipse, sed* Actor *ejus jussu in plaustris detulit ea* Ebredunum, *nec omnium quinque Martyrum, sed* Vincentii, Orontii, *&* Victoris *tantùm.*

c *De iisdem agunt omnia ferè* Martyrologia, *& præcipuè* Romanum, Adonis, Usuardi, Maurolyci 22. Januar. *Prætereà meminit de iisdem, impertiturque titulum Civium* Cemeliensium *dictus P. Rainaudus* in Breviculo Vitæ S. Antonii, *dum disserit de* Cemelio, *&* Entemelio *antiquis, finitimisque Urbibus, &* B *idem alibi. ac Francisc. Augustin. ab Eccles.* in Coronâ Regiâ par. II. pag. XXXIX.

d *De* Ruffino *Præside Hispaniarum, sub quo multi Christianorum Martyrii agonem consummarunt, agit D. Antoninus Archiep. Florent.* par. I. hist. tit. VIII. cap. I. §. 25.

e *Quisnam fuerit* S. Pontius *Episcopus, de quo hic agitur, discussi superiùs* in Notation. ad S. Pontium Mart. lit. d.

---

TIT. VI.

# S. DEIVOTA VIRG. ET MART. NICIENS.

## MONOECI TUMULATA.

1

. SAncta *Deivota*, sivè *Deovota*, Italis vulgò *Devota* Virgo, nomine eam præferens, quam re habuit, sanctimoniam, ortum, & educationem sortita est *Niciæ* juxtà *Martyrol. Gallicanum*, apud Jo. Bapt. Guesnay *in annal. Massil. an. Christi* CCXCVII. *pag.* 130. undè persecutionis fortassè vitandæ caussâ, seù in exilium amandata, sivè aliâ mihi ignotâ occasione, navigio delata est in Insulam *Corsicam*, quæ *Straboni*, & *Græcis* aliter *Cirnus* dicitur, incertum mihi, quam in Civitatem, aut Pagum. Ab infantiâ olim Christi cultui in Baptismo addicta, cum audisset brevi venturum in eam Insulam *Romanum* quendam Præsidem, nomine *Barbarum*, barbariem ubiquè lo-
92 corum exercentem in Christianos, timens ne libera ejus, quam profitebatur, Religionis facultas sibi præcluderetur, ad domum Senatoris cujusdam confugit, cui nomen *Euticius*, licèt minimè Christianum, ut eo tutore illorum evaderet insidias, qui Christi cultores Præsidibus, Præfectisque denunciabant. Eâ in domo igitur latitans *Deivota*, utpotè quæ à teneris annis fuerat bonis moribus erudita, ac exercitiis Spiritualibus instituta, diù, noctuque Sacros legendo evolvebat Codices, hymnos, psalmosque modulabatur, ac orationi potissimam temporis partem impendebat. tùm etiam corpus suum macerabat jejuniis, quæ exactè adeò, atque rigidè observabat, ut exceptâ Sacrâ Christi Resurrectionis solemnitate, numquàm adduci posset, ut intermitteret aliquandò. Nec verò ex perenni ciborum inediâ, deformitatem, aut maciem ullam sacer vultus Virginis contrahebat, licèt enim mundo candore palleret; Christus tamen, qui ei quotidiè cibus erat, divinum, ac insuetum quendam splendorem ei conciliabat, & majestatem. Timens autem *Euticius*, nè tantis confecta macerationibus tenera Virgo concideret, eam ad se accersitam talitèr increpuit: *Quid Puella temetipsam tantis jejuniis affligis, & animam tuam excrucias abstinendo?* Cui Deivota respondit: *Ego animam meam non crucio, sed diversis parco deliciis, quià est Deus in Cœlo, qui me quotidiè bonorum suorum satiat donis.* ad hæc
C *Euticius* cernens Sacri vultus hilaritatem, cujus pulcritudo vi jejuniorum minimè concidebat, ratus, Deo, quem illa colebat, operante, id evenire, conticuit.

2. Non multo postmodùm elapso temporis spatio, *Barbarus* Præses, cujus adventum *Deivotam* diximus præsensisse, classe vectus, ad *Corsicam* Insulam appulit, *Diocletiani*, & *Maximiani*, qui tunc imperabant mandato: Protinùsque ad eum convenerunt Primates omnes, pro felici adventu gratulabundi, interque cœteros Senator *Euticius*, qui omnes vanis Numinibus prò *Romani* Imperii felicitate thura, & victimas immola-
D runt. Hoc ut effectum esse cognovit *Deivota*, ex imo cordis suspiria multa protrahens, atque uberes fundens lacrymas, Gentium stultitiam deplorabat, quæ simulacris ligneis, & lapideis, debitum vero Deo cultum exhiberent. Hi *Deivotæ* sensus cum Gentilium quibusdam innotuissent; convivio aliquandò cum iis, quos dixi, Primatibus, *Barbaro* Præside indulgente, & de instituendâ adversùs Christicolas persecutione sermonem faciente, aliqui ex Satellitibus nunciarunt, latere domi *Euticii* Senatoris, qui cum cœteris accum-
E bebat, Puellam quandam, quæ non modò Deos Sacrificiis non colebat, sed eorum ceremonias irridebat. Tunc Præses *Euticium* allocutus ait: *Audio tecum esse domi Puellam, quæ Deos nostros deserit, & nescio quem Christum, qui à Judæis crucifixus est, colit?* Respondit Euticius: *Inflexibilem adeò illam, de quâ tibi relatum est, hucusquè expertus sum, ut non solùm simulacris nostris Sacrificia immolare, sed nec iis voluerit flectere umquàm caput, licèt ad id agendum eam sim sæpiùs adhortatus. Puel-*
F *lam*, inquit Præses, *meo exhibe conspectui, efficiam enim, ut derelictâ, quam hucusque coluit, Religio-*
*ne, Diis, ut cœteri è nostris faciunt, caput flectat,* 93
*eorumque aris lubens persolvat vota.* Cui Euticius: *Si mihi omnem substantiam tuam dares, non posset ad bonum ejus meritum comparari*; agnoscebat siquidèm, quamvis Gentilis homo, innocentissimæ Virginis animum multis virtutibus præditum. Hæc audiens *Barbarus*, Euticio est magnoperè indigna-

dignatus, eoque magis infremuit, quòd propter Senatoriam Dignitatem, manifestas ei inferre injurias, & vindictam sumere non audebat. Occultè tamen non multò post à Satellitibus suis interfici eundem jussit, quo sublato obice, ad ejus domum confestim Milites suos mittens, *Deivotam* indè rapi, & ad suum tribunal adduci jussit. Dùm autem ad Præsidem illa animo invictissimo prædita traheretur, *Davidici* Psalmi initium iteratò pronuncians, divinum in parato agone subsidium spe, & fide plena deprecabatur dicens: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandam me festina.*

B 3. Statim ac *Deivotam* coram se adesse vidit Præses, ad sacrificandum Diis, & Christi fidem eliminandam quibus potuit verborum lenociniis est hortatus; Cui illa respondit: *Ego quotidiè Deo vero purâ mente deservio, Deos verò cereos, Deos æreos, & lapideos respuo, qui sunt effigies hominis absque visu, auditque.* Tunc Præses æstuans iracundiâ, quòd Deos blasphemiis lacessisset, os ejus saxo contundi jussit, tùm ligatis manibus, & pedibus, ut membris ejus omnibus intolerabilis dolor incuteretur, per petrarum prærupta, & acutissima trahi. Dùm illa furentibus Diaboli Ministris ità cruciaretur, non solùm Fidei ejus fervor non tepescebat, sed gratias agens Deo, quòd mereretur suum effundere sanguinem prò Christi confessione, C magno vocis impetu exclamavit: *Deus virtutum, qui es scrutans corda, & renes, qui dixisti, & facta sunt omnia, mandasti, & creata sunt, exaudi orationem ancillæ tuæ, & annumera famulum tuum Euticium cum Electis tuis, quià propter me maleficiis à Præside Barbaro nequissimo, & omnium Dæmoniorum cultore occisus est.* His auditis Præses nomine, & re *Barbarus* Deivotam in equuleo sublimem efferri jussit, quod ab eâ sibi videretur injuriis lacessitus. Quæ dum suspenderetur, has brevibus verbis conceptas preces pronunciavit: *Domine Jesu Christe suscipe Spiritum meum, quia propter nomen tuum hæc patior.* Statim verò audita est vox de Cælo dicens: *Famula mea exaudita est Oratio tua, quià quicquid petiisti, aut petieris, obtinebis.* posthæc illa vi adacta tormentorum in equuleo exspiravit, statimque prodiens candidissima ex ore ejus Columba sursùm ad sydera evolavit; quod idem in *Palæstinæ* Civitate *Cæsareâ* Divæ *Reparatæ* Virgini itidem, & Martyri à *Decio* necatæ contigerat.

4. Ut verò scivit Barbarus *Deivotam* in equuleo spiritum emisisse, corpus ejus in crastinum flammis absumi mandavit. quod cum impii Milites essent executuri, nolens Deus tàm pretiosi depositi memoriam deperire, monuit in somnis *Benenatum* Presbyterum Sabaudum, & *Apollenarium* Diaconum, qui metu persecutionis longè ab Oppidorum frequentiâ, in antris, & speluncis latebant, ut Sacrum Corpus Virginis indè efferrent. Tùnc illi cum *Gratiano* Nauclero consilium ineuntes, nocte intempestâ, multis Sacris Virginibus
94 adstantibus, Corpus *Deivotæ* aromatibus conditum naviculæ imposuerunt, atque ex Insulâ *Corsicâ* solventes, cœperunt Austrum versus in *Aphricam* navigare. Austro autem flante vehementissimo, coacti sunt retrocedere, atque Septentrionem versus vela facere inviti. Eâ porrò nocte, remis, & velis laborantes plurimùm, parum proficiebant, & quòd eorum navigationi Australis obesset ventus, & quòd per naviculæ rimas, quæ diù in sicco littore fuerat destituta, multa ingrederetur aqua, opusque esset sentinam incessanter exhaurire. Quùm autem aurora illuxisset, labore defatigatus, & sopore pressus *Gratianus* Nauclerus rogavit Presbyterum *Benenatum*, ut surgens gubernaculum modicùm regeret, donec aliquantisper somno indulgens, à nocturnæ vigiliæ labore requievisset. Cui dùm *Benenatus* assentiretur, dormiens *Gratianus* videre sibi visus est in somnis Virginem *Deivotam* latera excutientem, & talibus verbis alloquentem: *Surge Gratiane Nauclere, quià tempestate semotâ modò habebis quietum mare, & naviculam tuam non occupabit ampliùs aqua, nec fluctibus quatietur: tu verò cum Sanctissimo Presbytero diligentiùs intuemini, & dùm videritis Columbam egredientem de ore meo, sequimini eam, usque dùm veniatis ad locum, qui Græcè dicitur* Monachon, *latinè autem* Singulare, *& ibidèm sepelite corpus meum.*

5. Evigilans *Gratianus*, quod in somnis viderat, retulit *Benenato*, qui ad extremam *Italiam*, cursum, quem versus Austrum, ac Septentrionem instituerant, prosequentes in Occidentem; diligentiùsque corpus Martyris, ut moniti fuerant, intuentes, tandèm viderunt egressam de ore ejus columbam, quæ naviculam præcedebat. Illam secuti ad littus *Monœci* appulerunt, cumque ibi vallem ingressa, quæ dicebatur *Gaumates*, antè Ecclesiæ cujusdam locum evanuisset, è naviculâ descendentes, Corpus sanctissimæ Virginis, & Martyris *Deivotæ*, alacres inibi tumularunt die sexto Kal. Februarii.

6. Ibidèm in Templo *S. Deivotæ* nomini excitato, quod circà annum Dom. MLXXVIII. Filii *Raimbaldi*, & *Rostagni* Niciensium, id est *Petrus* Episcopus, *Leodegarius Russus*, *Rostagnus Raimbaldus*, & *Leodegarius Rostagnus* Monachis *S. Pontii* dimiserunt, ejus Sacrum Corpus per multas annorum centurias pii Fideles venerati sunt; licèt aliquandò ausu sacrilego impii quidam rapere, alióque asportare conati sint: quod evenisse traditur anno MLXX. dùm *Antinopus* unius triremis Præfectus *S. Deivotæ* corpus triremi imposuit, ut *Florentiam* Patriam suam transferret, sed è portu, obstante divinâ virtute, efferre numquàm valuit, verùm sceleris, ac sacrilegii pœnas luit, jussu *Hugonis de Grimaldis* eidem naso, & auribus amputatis. Quamobrèm successu temporis, ne id imposterùm eveniret, & ut majori frequentiâ à Populo coleretur, intrà Ecclesiam Parochialem sitam infrà mœnia Arcis *Monœci* translatum est, ubi à piissimis Principibus *de Grimaldis* donariis auctum quamplurimis, & maximo Populi concursu undiquè celebratum etiamnùm quiescit. attamen particulis quibusdam ejus Reliquiarum gaudet Insula *Corsica*, quæ eò sunt delatæ, rogantibus Patribus Soc. Jesu Collegii *Bastiacensis*.

Archiv. Mon. S. Pontii.

Carol. de Venasq. in Arb. Grimald.

NOTATIONES.

a *Acta antiqua* S. Deivotæ *affert Vincentius Barralis in* Chronologiâ Lerinensi pag. 133. *ex M. S. Co-* 95
F *dicibus Mon.* S. Pontii, *sub cujus jure est Ecclesia* S. Deivotæ *Prioratus titulo insignita propè* Monœcum: *Ex quibus ejus gesta descripsit Italicè Vir de litteris admodùm benemeritus* Julius Turinus *Medicus* Niciensis.

b *In iis porrò actis error irrepsisse videtur, dum dicitur Corpus* Deivotæ *tumulatum esse in Ecclesiâ tunc dicatâ* S. Georgio, *qui eò quod sub eâdem, quâ* Deivotâ, *Diocletiani persecutione passus sit, & hoç in remotissimâ Regione, non videtur jam tùm potuisse habere inibi Ecclesiam excitatam, nisi ibi sit sermo de alio anteriori* Georgio, *de quo non constet, aut ea verba referantur ad tempus, quo scripta sunt.*

c *De* S. Deivota *habetur mentio* in antiquo Breviario Mon. S. Pontii, Nicienſi, Vencienſi, Graſſenſi, *& Martyrologiis earundem Eccleſiarum*; *inter quæ in* Martyrol. Vencienſ. *ad diem* 27. *Januar. legitur:* Natalis Deivotæ Virg. & Mart. de Corſicâ. Requieſcit corpus ejus in Portu Monachi in Valle Gaumates. A

d *Ad inveſtigandum tamen natale ſolum* S. Deivotæ, *verba Martyrologii* Gallicani *aucti ab* Andreâ du Sauſſay, *ac* Joannis Baptiſt. de Gueſnay *loc. cit. adducimus. ea ſic habent:* Paſſa quoque eſt Martyrium ſub Diocletiano *Deivota* Virgo è *Niciâ* Civitate Provinciæ, quam laudat *Martyrologium Gallicanum* ex monumentis Annalium Lerinenſium: 27. Januar. Natalis *S. Deivotæ* Virg. & Mart. quæ tempore *Diocletiani* Imperatoris, in Inſulam *Corſicam* navigio delata, hoſpitioque à Senatore *Euticio* ſuſcepta, illic deindè à *Barbaro* Præſide compræhenſa, quòd invitata ad ſacrificium, Diis litare renuiſſet, & agonem *Euticii* à ſævo Præfecto interfecti in odium Chriſtianæ, quam profeſſus erat, pietatis, Chriſto luminis, & gloriæ largitori commendaſſet, equuleo ſuſpenſa eſt, tamdiùque excruciata, quoaduſquè animam in torturâ efflaret, quæ inſtar candidæ columbæ egreſſa, victrix in Cœlum evolavit. Cæterum puriſſimum ejus corpus *Benenatus* Presb. *Sabaudus*, & *Apollinaris* Diaconus, in *Gratiani* Naucleri cymbam delatum à multitudine Virginum, flante Auſtrali vento ad radices *Alpium* evectum, in Eccleſiâ *S. Georgii de Valle Gaumates* dictâ, *Nicienſis*, ſub *Ebredunenſi* Metropoli, Diœceſis, cultu ſacro condiderunt, ubi hactenus ejus memoria clara, ac venerabilis perſeverat. *Licet autem* F. Salvator Vitalis *Min. de Obſervant.* in Sanctuario Corſicæ [*ubi acta* S. Deivotæ *ſe non vidiſſe innuit*, *accepiſſe tamen ejus vitam ab eò*, *quem ſuprà adduximus*, Julio Turrino *fatetur*] *putet ex ſatis levi conjectura*, Marianam *Urbem exciſam*, *eo quòd olim ſedes eſſet Præſidum*, *cenſendam* S. Deivotam *Patriam*; *attamen neque acta ipſius*, *neque ullus paulò vetuſtior ſcriptor non modò* Marianam, *ſed neque Inſulam* Corſicam *ei Patriam accenſet*; *acta enim nihil aliud*, *quàm* Deivotam *ab infantiâ Chriſtianam*, *in Inſula* Corſica *temporibus* Diocletiani *fuiſſe*, *ibique Martyrio coronatam fuiſſe teſtantur. undè ad loca natalia veroſimile eſt poſtmodùm corpus ſuum voluiſſe deferri. Nec mirum*, *ſi eo tempore* Deivota *Nicienſis inibi degebat*, *cum etiam* Benenatum *ibidem tunc adfuiſſe legamus*, *qui* B C
96 *etiam ipſe advena*, *Presbyter* Sabaudus *videlicèt*, *indè corpus Virginis extulit. Potuit nimirùm idem eveniſſe* S. Deivotæ, *quod* S. Juliæ *Virgini itidèm*, *& Martyri*, *quæ Patriâ* Carthaginenſis, *ut aſſerunt Pet. de Natal.* lib. v. cap. XXIX. *Philippus Ferrarius* in Catalogo Sanctorum Italiæ 22. *Maji aliique*, *licèt id fruſtrà neget idem* Salvator Vitalis, *caſu ex* Aphricâ *in* Corſicam *delata eſt*, *ibique martyrio affecta*, *undè alio corpus ejus poſtmodùm eſt translatum.*

---

TIT. VII.

# S. VALERIANUS CONFESS.

## EPISCOPUS CEMENELENSIS.

1. SAnctus *Valerianus*, ut conjicit *Heribertus Roſwedius*, fuit is, ad quem adhùc juvenem, & ſæculari ſapientiæ addictum *D. Eucherius* Epiſcopus *Lugdunenſis* diſertam illam paræneticam Epiſtolam ſcripſit, quæ incipit: *Benè alligantur vinculo ſanguinis*, *qui vinculo conſociantur amoris.* quod ſi admittimus, ex eâ patet *Valerianum* ipſius *Eucherii* cognatum, & conſequentèr Sanctorum *Verani* Vencienſis Epiſcopi, & *Salonii*, ut creditur, *Viennenſis* item Epiſcopi, ac *Conſortiæ* ejuſdem *S. Eucherii* Filiorum affinem, ex Nobiliſſimis Parentibus in ſolo *Gallico* natum eſſe. In pueritiâ [ſi is cenſendus] Chriſtianis moribus enutritus, ut adolevit, eloquentiæ, & Philoſophiæ operam dedit, in quâ plurimùm, ipſomet *Eucherio* teſte, excelluit: de optimâ *Valeriani* indole hæc verba texit Eucherius: *Et quidèm à profeſſione vitæ Sanctæ pio etiam non abhorres ingenio: qui ea*, *quæ Sacræ inſtitutiones docent*, *prævenisti in plurimis*, *præcoquâ morum felicitate &c.* De Philoſophiæ verò ſtudio hæc: *Quin tu repudiatis illis Philoſophorum præceptis, quorum lectioni operam, ac ingenium accommodas*, *ad imbibenda Chriſtiani dogmatis ſtudia animum adjicis?* Cœterùm *Eucherii* piis, in eâ Epiſtolâ, adhortationibus, vanis Philoſophorum doctrinis, & ſæculi honoribus valedicens, in Eremum, vel Monaſterium conceſſit grandævus, ſivè mortuâ jam Uxore, quam habuiſſe ſonant ea *Eucherii* verba: *Quamvis in maximos ſæculi apices Patre*, *Soceroque elatus*, *illuſtribus ex utroque titulis ambiaris*, ſivè ut ait *P. Rainaudus*, deſignato tantùm, & minimè perfecto conjugio, ſivè annuente Uxore, & Monaſticum habitum etiam ipſâ aſſumente. D E F

2. Veriſimile eſt *Valerianum* in *Lerinenſi* Monaſterio Monaſtici inſtituti tyrocinium poſuiſſe, quo tempore ſub Divi *Honorati* Archiepiſcopi *Arelatenſis* legibus, & auſpiciis ad illam Sanctorum Officinam plerique, præſertimque Viri in ſæculo undequàque conſpicui convolabant, ut à Mundi ſecederent fluctibus; idque maximè comprobatur, ut inquit idem *Theoph. Rainaudus*, ex verbis Concilii *Arelatenſis* celebrati ſub *Ravennio* Archiepiſcopo, in quibus, inter aliquos *Lerinenſis* Monaſterii quondàm alumnos habetur cum laude mentio *Valeriani* jam Epiſcopi, ibi enim legitur: *Cauſſam*, *quæ inter Sanctum Epiſcopum Theodorum*, *& Sanctum Valerianum*, *vel Sanctum Maximum item Epiſcopos*, *necnon & reliquos Fratres Inſulæ Lerinenſis acciderat*, *abſque dubio omnes nos*, *qui in Chriſto unum ſumus*, *diferre non poſſumus*, *niſi id agamus*, *qualitèr curetur*, *& abſtergatur.* tempora verò, ac loca conſentiunt, ait idem Author, ut dicamus, eum, cujus nomen hic habetur, eſſe noſtrum, de quo agimus, *Valerianum.* Porrò ipſum non ſolùm egiſſe Monachum, ſed etiam, ejus virtutibus exigentibus, in Cœnobii Patrem, vel Abbatem aliquandò à cœteris expetitum fuiſſe, liquet ex ejus epiſtolâ ad Monachos, cujus initium eſt: *Impoſitæ mihi votorum circà me veſtrorum ſarcinæ*, *etſi interim corpore*, *ut ſcriptum eſt*, *abſens*, *præſens tamen ſpiritu*, *ac mente ſuccedo*; undè non abs re dixerimus, *Valerianum* ſibi ipſis Monachos, votis communibus, præfeciſſe, dùm ille communi Eccleſiæ, ſeù Monaſterii bono, aut aliâ quâvis ex cauſſâ, ex Monaſterio abeſſet; factamque electionem per litteras eidem ſignificaſſe, qui etiam per litteras, ut deſcripta verba innuunt, eandem electionem ratam videtur habuiſſe. Quamvis autem Monachorum Præfecturâ inſignitus, in Syllabo tamen Abbatum *Lerinenſium* minimè numeratur, eo quòd ejus Monaſterii regimini actu non interfuerit; quod indicat ſucceſſio Abbatum *Lerinenſium* deſcri- 97

descripta à Sidonio Apollinari *in Carm. Eucharistico ad Faustum Rhegiensem*, ubi inter cœtera ait: A

*—— —— quæ gratia Patrem*
*Mansit Honoratum; fuerit quis Maximus ille,*
*Urbem tu cujus, Monachusque, Antistes, & Abbas*
*Bis successor agis.*

Nàm *Honorato* primo *Lerinensium* Abbati successit *Maximus*, Maximo *Faustus*, quem postmodùm successivè *Nazarius*, *Eucherius* alius à *Lugdunensi*, *Vincentius*, *Amandus*, *Silvanus*, *Porcarius* sunt secuti, ut numerat Vincentius Barral. *in Chronol. Lerin.par.* 11.*pag.* 80. Non potuit igitur Abbas B præesse hoc tempore *Valerianus*, qui jam erat Episcopus, ut suprà vidimus, in Concilio *Arelatensi*, in quo itidem *Maximus* jam Præsul *Rhegiensis* aderat. Quare, ut quod sentio dicam, facilè evenire potuit, ut irrita Monachorum circà *Valeriani* electionem fuerint vota, quòd à *Cemenelensibus* [ quâ in Urbe absens è Monasterio fortassè tùm degebat ] ad Episcopatum statim evectus fuerit, nec adipiscendi Monastici regiminis datus sit locus. Certum est enim, postquàm vixisset Monachus, creatum Episcopum *Cemenelensem*, seù, ut præferunt ejus Homiliæ, *Cemenelienfem*, quæ Civitas à *Lerino* Insulâ non magno Terrarum spa- C tio aberat.

98 3. Factus Episcopus gregi suo prodesse studuit, quem verbi divini pabulo frequentèr enutriebat, è suggestu, ut Constantinopoli, & Antiochiæ *D. Joannes Chrysostomus* facere consueverat, atque alibi alii Ecclesiarum Patres, disertas non minùs, quàm redolentes Evangelicam pietatem recitans Homilias. Pluribus interfuisse creditur Conciliis, quæ eo tempore sub *S. Leonis* Summi Pontificis auspiciis, Sanctitate non minùs, quàm sapientiâ ubique Ecclesiarum in *Galliâ* florentes Episcopi celebrarunt, & præcipuè Provincialibus D Synodis *Arausicano*, *Arelatensi*, & *Regiensi*. Non semèl ad eum *S. Leo*, sicut ad alios *Galliæ* Episcopos dedit epistolas; prima est in ordine 22. *de damnatione Hæreticorum:* ad secundam *Valerianus* rescribens cum aliis *Gallicanis* Episcopis, Fidei ejus, quam in Orientem ad *Flavianum Constantinopolitanum* idem *Leo* direxerat, laudes dicit. Idem egit cum aliis Comprovincialibus Episcopis Metropolis *Ebredunensis*, super antiquâ jurisdictione inter *Arelatensem*, & *Viennensem* Ecclesias, quibus similitèr *S. Leo* per epistolam iteratò respondit, quæ incipit: *Lectis dilectionis vestræ litteris.*

4. Ex hâc frequenti cum Ecclesiæ Capite communicatione, magis, ac magis elucescit intemerata Fides optimi Præsulis, quæ non ex impuris sectarum eo tempore vigentium rivis, *Eutichianorum* scilicèt, *Semipelagianorum*, *Donatistarum*, aliorumque, sed ex puro, sinceroque fonte fluenta Spiritus hauriebat. Creditur vero fuisse ultimus eorum, qui *Cemenelione* solùm cathedram tenuerunt, Episcoporum, & qui *Cemeliensis* Præsulis tantùm titulum prætulerit, ut suo loco explicabimus, nàm ii, qui post *Valerianum* sederunt usque ad *S. Syagrium*, *Cemelienses*, & *Nicienses* Episcopi conjunctim persæpè indigitantur, factâ à *S. Leone* Papâ utriusque sedis conjunctione, quod jam defuncto *Valeriano* contigisse verosimile crediderim cum *Jacobo Sirmondo*. Itaquè postquàm Ecclesiam suam sanctè gubernasset, sanctè mortuus est circà annum Domini CCCCLX. incertâ die, *S. Leone* Magno Summo Pontifice, *Leone* quoquè Augusto Imperatore.

5. Scripsit dum viveret multa, quæ non minùs Christianam pietatem, & Episcopalem zelum, quàm [ ut non nemo de ejus stylo judicavit ] gravem, & succi plenam facundiam sapiunt; opera, quæ è tenebris eruta sunt, curâ, & studio sæpiùs laudati, & de tanto Patre benemeriti *Jacobi Sirmondi* Soc. Jesu, hoc ordine recensentur.

*Hom.* 1. *De bono disciplinæ.*
2. *De arctâ, & angustâ viâ.*
3. *Item de arctâ, & angustâ viâ.*
4. *De promissis, & non redditis.*
5. *De oris insolentiâ.*
6. *De otiosis verbis.*
7. *De Misericordiâ.*
8. *Item de Misericordiâ.*
9. *Item de Misericordiâ.*
10. *De Parasitis.*
11. *Qui gloriatur in Domino glorietur.*
12. *De bono pacis conservandæ.*
13. *Item de bono pacis conservandæ.*
14. *De bono Humilitatis.*
15. *De bono Martyrii*
16. *Item de bono Martyrii.*
17. *Item de bono Martyrii.*
18. *De Machabæis.*
19. *De Quadragesimâ.*
20. *De Avaritiâ.* 99
*Ejusdem Epistola ad Monachos de Virtutibus, & de ordine Doctrinæ Apostolicæ.*

## NOTATIONES.

E [a] *De* S. Valeriano *parcè admodùm ab antiquis scriptum invenio, nisi quòd, præterea, quæ in ejus gestis retulimus, aliquandò citantur ejus dicta ex Homiliis, ut in M. S. Codice* Floriacensi, *quem adducit* P. Sirmondus *initio à se editarum ejus Homiliarum ex Bibliothecâ antiqui in Galliâ* Corbeiæ *Monasterii. Inter cœtera autèm* Cemeliensis *Urbis excidia annumerandum est, amissa fuisse tanti ejus Antistitis acta, quod etiam aliis nostræ Patriæ Sanctis Viris contigisse vehementèr dolemus.*

[b] *Ex recentioribus scripserunt de eo dictus* Jacobus Sirmondus, Heribertus Rosweidus *occasione Epistolæ* S. Eucherii, *& cœteris copiosiùs omni laude dignus* P. Theophilus Rainaudus, *qui criminari volenti cuidam alioqui Religioso Viro, quem tacito nomine* Parcum Charitatis *vocat*, D. Valeriani *disertissimas non minùs, quàm Catholicum sensum undequàque redolentes Homilias, egregiâ apologeticâ disputatione os obstruxit. Insupèr* D. Valeriani *nomen fastis Episcoporum* Niciensium *adscribunt* Abbas Ughellus, ac Franc. Aug. ab Ec- F clesf. *Habet etiam de eodem D. Senator* Leotardus *elegantissimum hymnum lib.* 1.*hym.*23. *cujus initium:* Te quoque nostri laudabunt cytharæ modi Valeriane.

[c] Homil. 17. *quæ est* 3. de bono Martyrii *S. Valerianus laudibus eximiis celebrat Martyrem quendam, ejus reticens semper nomen, præcipuè ubi ait:* Quorum non solùm auribus, sed etiam oculis quotidiè sub præsentiâ tanti Martyris Fides Religionis inseritur. Et cujus tandèm Martyris? Illius necessariò, qui in hoc loco pugnam inclytæ virtutis primus exercuit, & quo ordine Regni Cœlestis possessionem obtineremus ostendit, qui in dies quid agendum sit nobis exemplo docet, quid proficiamus inquirit. Nemo autèm dubitet illum pro actibus suis esse sollicitum, quem videt sibi parentelæ affinitate conjunctum. *Et paulò infrà:* Intelligetis quo honore nobis ille habendus est, qui hujus Urbis locum in conflictu Cœlestis pugnæ suo victor cruore perfudit. Vidimus enim per diversas, & longè positas Regiones scissi corporis plagas passim dividi, & pretiosa vulnerum documenta toto cominùs Orbe portari. *De eodem*

hom. xv. & xvi. 1. & ii. de bon. mart. *At si admittamus eas habitas esse* Cemenelione *Homilias*, *aut saltèm* Niciæ, *non spernenda oritur quæstio*, *de quonam ibi Martyre fiat sermo*, *cujus nomen*, *sicut etiam Urbis taceatur?* PP. Sirmondus, *&* Rainaudus *censent iis verbis indicari* S. Pontium, *qui*, *ut superiùs dictum est*, Cemenelione *Martyr obiit*: *At verosimiliùs* P. Juglaris *in Orat. de S. Basso*, *ac* Ughellus *credunt ea omnia aptari meliùs posse* S. Basso, *quià* S. Pontius *non erat Civis* Cemeliensis, *aut* Niciensis [*vocatur enim ille Martyr à* Valeriano *Civis*] *sed* Romanus, *nec parentelæ affinitate conjunctus*, *nec primus Martyr*, *cum antè* Pontium *sub* Decio *Martyrium passus sit* Bassus, *qui etiam creditur Civis* Niciensis. A

100

## TIT. VIII.

# S. VALERIUS CONFESSOR, EPISCOPUS NICIENSIS.

1. SAncti *Valerii*, qui idem non convincitur esse cum *Valeriano*, acta exciderunt, quamobrèm quæ de eo dicemus, supplebimus ex Arnauldo Wione *in Martyrologio Monastico*, & ex eo, quod de illo habent monumenta Monasterii *Lerinensis*. Valerius igitur; incertum quo tempore, & quâ in Patriâ natus, spreto sæculo, ad illustre illud Sanctorum alvearium, Insulam videlicèt *Lerinensem* contendit, ubi Monachali indutus habitu, virtutes etiam induit, ut credere par est, Religiosas, humilitatem scilicèt, charitatem, castitatem, obedientiam, paupertatem.

2. Eo in Monasterio Deo acceptus vitam duxit, donèc orbatâ Pastore, quæ in viciniâ erat, Ecclesiâ *Niciensi*, ejus Urbis Clerus, & Populus, *Valerium*, cujus virtutum bonus odor longè, latèque diffundebatur, ad eam Cathedram assumpsit.
Serm. 9. Nimirùm illa Insula, ut scribit S. Cæsarius, *Eximios nutriebat Monachos*, *& præstantissimos per omnes Provincias erogabat Sacerdotes.* Et, ut habetur
Vinc. Bar. in Chron. Lerin. ex M. S. in Codice Vitæ S. Siffredi Carpentoratensis: *Omnes Provinciæ Galliarum Clerici Episcopum sibi poscebant in Cœnobio Lerinensi.* siquidem eam Insulam agnoscebant teste Ennodio Ticinensi:
In vit. S. Epiph. *Altricem Summorum Montium planam Lerinum* Dixerat Sidon. Apollinaris: *Quantos illa Insula plana miserit in Cœlum Montes.* Quantâ vero sollicitudine ad Episcopatum assumptus *Valerius* gregi suo non præesse solùm, sed etiam prodesse studuerit, indicat id, quo dicitur, Boni Pastoris officium implevisse; nimirùm propria oblitus commoda, Ecclesiæ suæ bono pervigil excubabat, hostis tartarei, lupi videlicèt animarum rapacis insidias præcavens, ne quæ de grege suo ovis aut inficeretur, aut voraretur; verbum divinum Populo sæpiùs B nunciabat, & quod præcipuum erat, se ipsum omnium virtutum specimen exhibebat, quem omnes imitarentur.

3. His *Valerius* Boni Pastoris officiis assiduam dedit operam, donèc retributionem pro commisso sibi talento à superno Patre familias accepturus, ad cœlestia gaudia evocatus est, obiitque *Niciæ* 24. Mensis Julii, quâ scilicèt die ejus Depositionem olim *Niciensis* Ecclesia celebrabat. anni consignatio, unà cum præcipuis, & peculiaribus ejus factis excidit, quod nec mirùm esse, nec negotium vili facessere debet, cum multorum gesta C Sanctorum, quamvis ab initio, ut animadvertit Card. Baronius *in Præfat. Martyrol.* summâ diligentiâ descripta, temporum tamen injuriâ, seù potius hominum incuriâ naufragium passa sint. 101 Inter cœtera autem fuisse *S. Valerium* signorum, & miraculorum operatione conspicuum, argui facilè potest ex verbis antiquissimæ Prosæ, ut vocant, sive Rhythmi cani soliti priscis sæculis à Monachis *Lerinensibus* in laudem Sanctorum, qui ejus Cœnobii fuerant aliquandò Alumni, ubi post *SS. Vincentium Sanctonensem*, *Lupum Trecensem*, & *Justum Lugdunensem*, hæc leguntur de S. Valerio.

D *Insignem Valerium*
*Christi servum proprium*,
*Et signis eximium*
*Collaudant superstites.*

Arnauldus verò *in Martyrologio Monastico* meminit ejusdem his verbis: *Nono Cal. Augusti* Nicæ *in Provinciâ Depositio Sancti* Valerii *Episcopi*, *& Confessoris*, *qui ex Monacho* Lerinensi *ad Episcopatum assumptus*, *boni Pastoris officium implere studuit*, *& in gaudium Domini sui introductus audire meruit*, *Euge serve bone &c.*

## NOTATIONES.

a *Nuperus*, *ac eruditissimus Author à nobis sæpiùs laudatus*, *ex quo alii idem senserunt*, *credidit eundem esse* Valerium, *de quo hic egimus*, *cum* Valeriano *Cemeliensi*, *de quo superiùs* *Nos autèm*, *cum non solùm* in *Arnauldi* Martyrologio Monastico, *sed etiam* in Tabulis Lerinensibus, *quas in eo Monasterio vidimus*, *antiquitùs exaratas*, *dísertè* Valerii *nomen legamus*, *fuerunt necessariò* Valerianus, *ac* Valerius *distinguendi*, *ut distinxit acerrimi Vir judicii D. Senator* Honoratus Leotardus, *qui non solùm Hymnor. lib.* 1. S. Valeriani *Episcopi* Cemeliensis *laudes cecinit hymno* 23. *cujus initium*: E

Te quoquè nostri
Laudabunt cytharæ modi
VALERIANE

*sed etiam lib.* 11. *hymn.* 46. S. Valerii *Episcopi* Niciensis *decora modulatur*, *cujus initium:*

Niciæ lumen Valeri, decusque
Inclitæ magnum columen Lerinæ.

*Ratio id suadet*, *non solùm*, *quià nulla suppetit conjectura*, *quâ credamus pro* Valeriano *scriptum fuisse* Valerium, *cum id ex aliis exemplaribus non probetur*, *sed etiam quià* Valerianus, *ut ex* Sirmondo *admittitur*, *floruisse censetur antè conjunctionem Cathedrarum* Cemelii, *&* Niciæ, *ex eoque deducitur*, *quòd Episcopus* Cemeliensis *tantùm in M. S. indigitatur*; Valerius *verò Episcopi* Niciensis *tantùm titulum præfert*: *Non solùm enim* Niciæ *obiisse*, *aut* Niciæ *ejus Depositionem celebrari consuevisse habemus ex prædicto Martyrologio*, *sed etiam ex Monumentis* Lerinensibus *fuisse* Niciensem *Episcopum*, *quod vidimus in antiquâ tabulâ*, *in quâ Sanctorum* Lerinensium *nomina recensentur*, *licèt novissimè quidam Monachus*, *eam tabulam exscribens*, F

A *bens, corrigere putans, in* Valerio *posuerit vocem,* Valerianus; *Idem nomen, ac titulum præfert Epistola* Germani *Monachi* Lerinensis *anno* MDLXXXIX. *ad* Arnoldum Wionem *missa, de quâ Lezana* tom. III. 102
annalium Carmelitarum ad an. CCCCXLIII. *in eâ siquidem post* S. Agricolam *Avenionensem Episcopum, notatur* S. Valerius Niciensis Episcopus 24. Julii. *Præterea ratio metri in eâ, quam suprà adduxi prosâ, seu rhythmo, non admittit vocem* Valerianum, *quæ in syllabis redundaret.*

b *De* S. Valerio *meminit Michaël Pió* in Histor. Fratrum Prædicat. lib. I. cap. IV. *loquens de Sanctis* Liguriæ. *Ferrarius* in Catal. Sanctorum Italiæ, & in Martyrol. 24. Jul. *Claud. Robertus* in Galliâ Christ. in Archiep. Ebred. & Episc. Nicien. *Ughell. aliique, qui confundunt cum* Valeriano. *Ex quibus Ferrarius* de SS. Ital. *ex tabulis Ecclesiæ* Nicien. *quæ modò non extant, paucis, quæ addere libuit, verbis, sic* S. Va-
B lerii *gesta complectitur:*

*Valerius* monasticam vitam in præclaro Cœnobio *Lerinensi* professus, litteris, & moribus præditus, cum plures annos in observantiæ, disciplinæque regularis exercitatione insumpsisset, in eâque cæteris præstaret, ad *Niciensem* Ecclesiam regendam evocatus, illi Sanctissimè præfuit; nec tamen de vitæ prioris austeritate aliquid remisit, cum ità vigiliis, orationibus, jejuniis, piis meditationibus, & aliis religiosis exercitationibus, ut ante Episcopatum, quantùm per occupationes pastorales licebat, operam daret; cumque aliquot annos eam Ecclesiam piè administrasset, tandem plenus meritis migravit in Cœlum x. Cal. Augusti miraculis clarus.

---

## TIT. IX.

# S. DUTHERIUS MARTYR,

## EPISCOPUS NICIENSIS.

1. Sanctus *Dutherius* [alius à *Deuterio* Venciensi, & *Euterio* Antipolitano olim Episcopis, quorum nomina videre est in subscriptionibus Concilii IV. *Aurelianensis* sub *Vigilio* Papâ, & *Childeberto* Francorum Rege] notus mihi est ex Annalibus *Massiliensibus* nupèr editis à *P. Jo. Baptista de Guesnay* Soc. Jesu, ubi ex *Tolonensi* in Provinciâ tabulario recitatur vetus instrumentum, anno postmodùm MXCVI. inter authentica relatum à *Gilberto de Tarentâ* Provinciæ Comite, cujus hæc verba, pag. apud eundem Guesnay 187. num. 4. *Anno Domini Jesu Christi, Nativitatis ejusdem* DLXX. *ad honorem Dei, & Gloriosæ Virginis* Mariæ, *atque Sanctorum, qui in Ecclesiâ nostræ Civitatis* Toloni *quiescunt in pace Amen. Præsen-*
103 *tibus, & futuris notum sit, quòd ego* Desiderius *Servus Dei* Tolonensis *Episcopus, ad perpetuam rei memoriam, in præsenti publico instrumento, & secundùm tenorem ipsius de aliis manibus scripto, collectæ sunt ex nobis Vitæ omnium Sanctorum, qui in hâc Ecclesiâ quiescunt in pace, & in primis &c. De Sanctis* Gratiano, & Dutherio. Gratianus *Tolonensis Episcopus Successor* Adriani, *ex parte* Italiæ *ex* Alberto *prognatus fuit. Floruit ex tempore* Zenonis *Junioris* II. *nomine, ex tempore* Clodovei *Francorum Regis, & navigans ex parte* Galliæ Narbonensis *cum* Dutherio *Niceæ Episcopo, ad* Toloni *portum magnâ tempestate venerunt. Dictusque* Gratianus *post mortem* Adriani *factus est Episcopus Cum autèm* Saxones *cum* Hunnerico *Vandalorum Rege* Gallias *nostras invasissent,* Tolonum *etiam invaserunt,* B. Gratiano *prædicando in Ecclesia, & ad populum, dicti* Saxones *irruentes sicut leones, in Templo* B. Gratianum *cum Socio suo* Dutherio, *& cum multis aliis invenerunt, qui in adversis implorabant Dei auxilium, & sanguinem pro Christo im-*
C *molaverunt, in pace moriendo anno Domini* CCCCXCIII. *Fuit Vir prudens, & doctissimus, fecit Commentarium super Genesim, cum multis aliis operibus: quorum corpora* Gratiani, & Dutherii, *Christiani occultè, & nocte tollentes, in agro juxtà Turrim sepelierunt* 5. *Calend. Septemb.*

Idem *Gilbertus de Tarenta* apud eundem *Guesnay pag.* 311. 312. meminit de eodem *Dutherio*, qui ibi dicitur *Uterius* iis verbis:

*Item ordinavimus, & decrevimus, quòd factis omnibus, quæ suprà dicta sunt corpora* SS. Cleonis, & Uterii, *quæ sepulta sunt in Ecclesiâ juxtà tur-*
D *rim, transferantur in dictam novam Ecclesiam, & eorum capita sint constructa in capiteis argenteis deauratis, & reliquiæ corporum dictorum Sanctorum clausæ sint in Sepulcro marmoreo &c. quod quidèm etiam volumus sit factum de corpore* B. Gratiani *Episcopi.*

2. Hùcusque antiqua *Tolonensis* tabularii monumenta, quorum hæc de nostro *Dutherio* summa. *Dutherius* circà annum Christi CCCCLXXXXI. *Niciensis* Episcopus, cum *Gratiano* navim conscendens, vi tempestatis *Tolonum*, seù dicere mavis *Telonem Martium* delatus est, ubi evecto ad ejus Urbis infulas *Gratiano*, dùm uterque audito *Van-*
E *dalorum* sub *Hunnerico* Rege *Ariano*, & *Saxonum* adventu, in Ecclesiâ oraret, ab eisdem Barbaris in odium Catholicæ Fidei cæsus est, anno Christi CCCCLXXXXIII. Ejus Corpus occultè à Christianis sublatum, extrà Urbem juxtà quandam Turrim sepultum est, undè anno * M.LXVI. *Gilbertus de Tarenta* Provinciæ Comes, in novam Ecclesiam *S. Mariæ* de Sedis Toloniâ se erectam, transferri, caput pretiosæ ex argento lipsanothecæ, ac cæteras Corporis reliquias sepulcro marmoreo recondi imperavit.

* *Sic in priori editione habebatur, qui vero numerus sub eo lateat, eruditiori Lectori relinquendum fuit.*

## NOTATIONES.

F a *De* S. Dutherio, *præter superiùs allata, nihil apud scriptores, quod legerim extat; nec mirum temporum caligine ejus periisse memoriam, cum id tàm multis aliis Sanctis Viris, licèt dolentibus nobis, acciderit. Quæ de eo diximus rationi rerum gestarum, ac temporum admodùm consentiunt; nàm sub* Zenone *Imperatore, non modò reliquas* Gallias, *sed ipsam præsertim* Narbonensem *Provinciam à* Vandalis, *aliisque Barbaris Hæresis* Arianæ, *aut Gentilitiæ superstitionis fuligine tinctis vastatam fuisse, ac ex Catholicis plerosque ne-* 104
*ci datos asserit Gregor. Turon.* lib. II. hist. cap. XX. & XXV. *innuuntque* in Historia Eccles. *Evagrius, ac* Sozomenus. *Quin immò in* Niciensi *confinio paulò antè hæc eadem tempora, sub* Leone *juniore scilicèt, qui vixit circà annum* CCCCLXXVIII. *obiisse Martyrem quendam* Expectatum *nomine, videri potest ex vetere in marmore Epitaphio, quod in vineâ Domini* de Gubernatis *his notis, ac litteris signatum visitur.*

A *Huc, ubi † & * pertinet P illud cum linea transversa, & figura piscis, quæ supra pag. 47. exhibetur.*

† HIC REQVIESCET BONAE MEMORIAE
SPECTABILIS ❦ EXPECTATVS. Q. VIXIT ❦
* ANNVS L. M. VII. ❦ CVIVS DP ❦ EST SVB ❦
DIE. VIII. KAL. IVNII. DN. LEONE IVÑRE.
V. C. SS.

b *Allatam inscriptionem, quæ non antè multos annos ex* Cemenelensis *Urbis ruderibus effossa est, referri ad tumulum Hominis Christiani, conjicio ex tempore; nàm sub* Leone *Juniore jam dudùm ea Civitas abdicaverat paganismum, Præsulesque habuerat tùm ex Cruce, à* Constantinianâ *non multùm dissimili, nomen Christi indicante eâ formâ* (P *) *sculptâ, quâ de re consulendus Euseb* lib I. cap. XXV. de vitâ Constant. *Id signum unà cum iis verbis,* Bonæ Memoriæ *à priscis Fidelibus apponi consuevisse suprà Christianorum Sanctitate insignium tumulos, cernere est tùm apud alios, qui de cœmeteriis Urbis scripserunt, cùm apud* Franciscum de Esquivel *Archiepiscopum Callaritanum* in Relatione Hispanicâ, *quam ipse edidit de Sacris lipsanis in marmoreis tumulis* Callari *in* Sardiniâ *inventis, apud quem passim corda sagittâ transfixa, quæ nostræ huic inscriptioni identidèm addita vides, Sancti Martyris symbolum sunt.* B

* P *cum linea transversa.*

c *Quis autem, cujasve fuerit iste* Expectatus *sub eisdem, ut verosimile est, quibus* Dutherius, *Barbaris Martyr, ac cujus Depositio coleretur* 8. *Kal. Junii, nondùm assequor; eadem enim* Expectatum, *quæ* Dutherium, *temporum injuria obruit; nisi fortè alicui non incongruè videatur ille* Expectatus *Forojuliensis Episcopus, cujus vice* Epiphanius *Presbyter Synodo* Aurelianensi *Quintæ subscripsit in ea verba.* C

Epiphanius Presb. directus à Domino meo Expectato Episcopo Forojuliensi.

*cui Synodo itidem subscripsit.*

Aëtius Presb. directus à Magno Episcopo Cemeliensi, & Nicaensi.

*id tamen temporum ratio non patitur, cum id Concilium, multò post ævum* Deutherii, *referatur ad annum circiter* DLIV.

d *Inest prætereà piscis figura sub Cruce, quam dixi,* Constantinianâ. *Id forsitan prædicationis Evangelicæ, in quam olim incubuerit* Expectatus, *quis dixerit hieroglyphicum. Consulendus Pier. Valerianus* lib. XXXI. V. Gentes, *ubi multa eâ de re.*

---

TIT. X.

105

# S. HOSPITIUS CONFESSOR,

## ET ABBAS NICIENSIS.

1. Regnante in Galliis *Gunteramno*, Nicææ claruit *S. Hospitius*, magnâ abstinentiâ, & miraculorum operatione, illustris, qui sectari cupiens Monasticum institutum, desertâ Civitate *Nicæâ*, cujus creditur fuisse Indigena, Peninsulam quandam adiit, tribus circitèr mille passibus ab eâdem Urbe dissitam, propè *Herculei*, seù *Villæliberæ* Portus fauces sitam, ad plagam Orientalem, dictam modò à morâ, quam ibi traxit *Hospitius*, à nostratibus corrupto vocabulo *San Sospir*. Ibi Vir Religiosus id, cujus adhùc extant rudera, non solùm ædificasse creditur Monasterium, in quo sub Monachali Regula *D. Benedicti*, vel potiùs *D. Honorati Lerinensis* unanimitèr degentes regebat Monachos, sed etiam in Peninsulæ Summitate quandam intravit Turrim à Monasterio ipso non multis passibus sejunctam, in quâ, si quandò liberiùs vacare voluisset spiritualibus exercitiis, intentus orationi, & meditationi, spiritum recreaturus, corpus ipsum persæpè omni abstinentiæ genere macerabat.

2. Inibi catenæ nudum corpus cingebant ferreæ, quas horridum, ex camelorum setis contextum, tegebat cilicium; nullo alio cibo, quàm puro pane, & paucis dactylis exhibitis sibi à Mercatoribus alebatur. Quandò verò Quadragesimæ advenerat tempus, panem ipsum, & dactylos prorsùs rejiciens, solas Ægyptiacarum herbarum, quas Mercatores contiguum portum ingredientes *Alexandriâ* detulerant, sumebat radices, eas igni coquens, ac jus primò hauriens, ut famem acueret, utque evaderent palato ingratiores, radices ipsas servabat imposterùm hauriendas. His, atque a-

D liis virtutum meritis talitèr Deo evasit gratus, ut divino aflatus spiritu, quæ multo post eventura essent, longè antè præsciret, & Populis, ad audienda ex ejus ore verba salutis adventantibus, prophetizans prænunciaret.

3. Hoc in genere, illud mirandum fuit, quod prædixit de adventu *Longobardorum*: Aliquandò enim Populum, qui eum adire consueverat, allocutus, *Venient*, dixit, *Longobardi in* Gallias, *& devastabunt Civitates septem, eo quòd increverit malitia* Gallorum *in conspectu Domini, quià nullus est intelligens, nullus est, qui faciat bonum, ut ira*
E *Dei placetur. Est enim omnis Populus infidelis, perjuriis deditus, furtis obnoxius, in Homicidiis promptus, à quibus nullus justitiæ fructus ullatenus gliscit.* 106
*Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non peregrinus hospitio recipitur, aut cibo sufficiente satiatur: ideò hæc plaga superveniet. Nunc autem dico vobis, congerite omnem substantiam vestram intrà murorum septa, ne à* Longobardis *diripiatur, & vos ipsos firmissimis communite in locis.* Hæc præscius deplorabat *Hospitius* Gentilium suorum mala, novus, ut de *Salviano* Massiliensi dixit *Baronius*, sui temporis *Hieremias*: quæ audiens Populus, non minùs admiratione, quàm
F insolito terrore perculsus est, unoquoque ad propria remeante, & quæ audierat, tacito animo revolvente. Intuens verò *Hospitius*, aliquo postmodùm elapso tempore, quos secum habebat Monachos, aufugere ad tempus eos jussit è Monasterio, secumque codices, Reliquias, vasa sacra, & reliquam Religiosam gazam deferre ad loca tutiora: *Abscedite & vos* [inquit] *à loco auferentes vobiscum*

*vobiscum quæ habetis. Ecce enim appropinquat genus, quod prædixi.* At illi responderunt: *Non relinquemus te sanctissime Pater*, eandem, quam tu, parati sumus obire mortem, æquum non est Filios servari, perdique Patrem! Quibus ait Hospitius: *Nolite timere pro me, futurum est enim, ut inferant mihi injurias, sed non nocebunt usque ad mortem.* Dictis parentes Monachi, non sine lacrymis, & suspiriis, acceptâ, quam credibile est *Hospitium* impertitum fuisse, benedictione, Monasterium deserunt, atque se ipsos ad tutiora loca recipiunt.

Paul. Diac. Baron. ann. 575. Bzov. Spondan. Sigon. de Reg. It. 4. Currebat annus à Christo nato quingentesimus septuagesimus quintus, sivè [ut notat *Carolus Sigonius*] septuagesimus septimus, quo *Longobardi* ferocissimi mortalium, *Italiâ* vastatâ, *Galliam* quoque sibi diripiendam proposuerant. Igitùr è *Ligusticis Alpibus* in *Nicænum* descendunt agrum; ubi nulli ætati, aut sexui ignoscentes, cuncta, quæ obviam veniunt, diripiunt, vastant, incendunt, demoliuntur. Cum autem eorum quidam Turrim adiissent, in quam *Hospitius* divinam iram placaturus, ut diximus, se incluserat, eamque undiquè obstrui fecerat, relictâ tantummodò exiguâ fenestrâ, seù veriùs foramine, per quod vitæ necessaria, lucisque brevem usuram accipiebat, putantes *Longobardi*, Gens auri avidissima, repositas illic gazas, seù thesaurum aliquem asservari [thesaurum certè] eam circumeunt. *Hospitius* verò occasionem nactùs pro Christo aliquid patiendi, ut *Longobardos* in conspectum venisse vidit, per Turris fenestram se ipsum ultrò ostendit eis; ex quibus duo facti audaciores, cum aditum minimè invenissent, admotis scalis tectum ascenderunt, eoque detecto, intrò admissi, nihil aliud nacti sunt, quàm unum *Hospitium* præcinctum horridò cilicio, & catenis. Suspicati verò eum malefactorem, & homicidam sic alligatum in ejus turris ergastulo detineri, accersito Interprete, percunctantur ab eo, cujusnam delicti extiterit reus, ut cum eo talitèr ab hominibus actum sit. Ille verò, qui nihil magis habebat in votis, quàm aliquid pro nomine Jesu pati, veritatem aliquantulùm cælans, se homicidii, omnisque atrocioris criminis reum confessus est: peccata sua, [tanta erat Viri Dei humilitas,] intelligens, quæ quantùm in ipsis est, in Deum ipsum insurgunt, & Christum, ut ait *D. Bernardus*, denuò cruci-
107 figunt, quo loquendi modo, à nullo mendacii insimulati, etiam usi sunt alii Sancti Viri.

5. Audiens tale *Hospitii* de se ipso testimonium è *Longobardis* Militibus quidam, districto gladio caput innocentis appetiit, animo de iis, quæ fatebatur, sceleribus, vindictam sumendi, ac penitùs occidendi. Ut verò impleretur quod *Hospitius* prædixerat de se ipso, videlicèt se injuriis à *Longobardis*, non morte afficiendum, dextera impii Militis in ipso actu obriguit, adeò ut nequaquam eam valeret ad se ampliùs revocare, gladiusque spontè laxatus ad terram collaberetur. Tale videntes spectaculum reliqui, qui ibi aderant Milites, inopinato successu territi, Sancti Hominis pedibus cum clamore magno, ac gemitu provolvuntur, eflagitantes, ut quid pro hoc facto ipsis agendum sit, dignetur insinuare; ipse verò imposito salutari signo non modò brachium restituit sanitati, sed etiam animum Fidei, Religioni, ac Pœnitentiæ, conversus enim ad Christum miles, sæculari valedicens militiæ, Monastico habitu, & tonsurâ insignitus ab *Hospitio*, reliquis vitæ suæ diebus in eo Monasterio contrà Diabolum, ac mundi illecebras militavit.

6. Alloquens postmodùm *Hospitius* cæteros, qui in conspectum venerant Milites, eos sedulo admonuit, ut manus à rapinis, & cædibus temperarent, insupèrque sermonem ipsis habens de ve-

A râ Fide, quâ carebant plerique *Longobardorum* D. Greg.
[Gentium siquidem ritibus addicti erant, si qui Dial. lib. 3.
autem Christi sectatores, non Catholici, sed *Ar-* cap. 28.
*rii* veneno imbuti] plures ex eisdem, ut ex *Paulo* Diacono ait *Petrus Equilinus*, Christo Domino acquisivit. Cœterùm non omnes ejus adhortationibus paruerunt: at qui audire *Hospitium* neglexerunt, miserabilitèr in *Narbonensi* Provinciâ sunt defuncti, alii verò, qui à cædibus, & rapinis abstinuerunt, inter quos duo præcipui nominis Duces, incolumes ad ea loca, undè venerant, redierunt. Nonnulli porrò, qui loca sacra spoliare, & crudelitèr cum Incolis agere pergebant,
B à Dæmone ex improvisò corripiebantur clamantes: *Cùr nos sancte, & beatissime Pater sic crucias, & incendis*; quos adductos ad se *Hospitius* sanitate donabat, imposito salutiferæ Crucis signo. Post hæc è Regione discedentibus *Longobardis*, incolæ ad propria, Monachique ad sedem antiquam Cœnobii redierunt, ubi eos ingens, post tot adversa, incessit gaudium, non solùm quòd Abbatem suum incolumem invenissent, ut ipse de se promiserat, sed quòd ibi cernerent unum è *Longobardis*, depositâ ferociâ, & capite tonsurato, Christo, & Monasterio acquisitum. *Hospitius* verò
C regens per Præpositum Monachos, magisque exemplo, quàm voce adhortans, inclusus in eâdem Turri perseveravit usque ad vitæ terminum, nihil remittens de jejuniis, corporisque afflictatione, quam instituerat.

7. Accidit eo tempore, ut Diaconus quidam ex *Gallicanis* Ecclesiis *Romam* dirigeretur, Apostolorum, ac aliorum Sanctorum Reliquias, si de benignitate *Romani* Pontificis concederentur, in *Galliam* allaturus. Hic cum ad *Andegavensem* Civitatem, quæ Gallis *Angers* dicitur, pervenisset, caussaque itineris esset cognita à Parentibus cujusdam ejus Urbis Incolæ, qui diuturnâ quondàm de- 108
D tentus febri, propter nimiam humorum copiam ex capite decidentium loquelam simùl, auditumque amiserat, nullâque arte Medicorum recuperare deinceps valuerat, quamvis à febri convaluisset; ab eisdem Parentibus Diaconus rogatur, ut infirmum itineris sui adsciscat comitem; siquidem confidebant, Filium, si Apostolicas adiisset *Romæ* Basilicas, donandum omnimodâ sanitate. At verò hanc gloriam reservaverat Deus famulo suo *Hospitio*; ut enim Diaconus, Infirmusque *Andegavensis*, terrestri itinere gradientes, ex *Galliâ*, transmisso Varo, *Italiam* sunt ingressi, *Nicæam*que,
E quæ se primò venientibus offert, devenerunt; auditâ famâ in eâ Regione magnâ cum laude sanctimoniæ viventis *Hospitii*; ad eum cum pacis osculò salutandum, seque ipsius precibus commendandum, Turrim, quæ in peninsulâ erat, adiit pius Diaconus, antequàm paratam in proximo Portu navim conscenderet. Cumque eidem itineris sui caussam aperuisset, simùlque infirmi Socii sui sanitatis recuperandæ votum, se ab ipsò *Hospitio* Nautis, apud quos plurimùm ejus valebat authoritas, commendari postulavit. Laudavit propositum Vir Dei, jamque completis sermonibus alter ab altero divertebat, cum *Hospitius* in-
F terno motu impulsus, & sentiens divinam in se adesse virtutem ait Diacono: *Infirmum, qui Comes tui nunc est itineris, rogo ut meis conspectibus repræsentes*; at ille abiens, inveniensque infirmum in hospitio febri correptum, qui per nutus aures suas interiùs tinnitum emittere indicabat, deducit eum festinantèr ad Sanctum Virum, qui è fenestrâ Turris emittens manum, appræhensâ ipsius Cæsarie ad se attraxit, mòx sinistrâ linguam ejus tenens, oleum benedictione sanctificatum ori, verticique capitis infudit, dicens: *In nomine Domini mei Jesu Christi aperiantur aures tuæ, reseretque os tuum*

*virtus*

*virtus illa, quæ quondàm ab homine surdo, & muto noxium ejecit Dæmonium.* postmodùm infirmum de nomine percunctatur: ille verò clarâ, & sonorâ voce, ac si nihil umquàm passus fuisset mali, nomen suum pronunciavit. Quod videns Diaconus, miraculo obstupescens, protinùs exclamavit: *Gratias tibi ago immensas Christe, qui talia per Servum tuum dignaris ostendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulùm, Laurentiumque, vel reliquos, qui Romam proprio cruore illustrant, hic omnes reperi, hic cunctos inveni.* Cum hæc præ gaudio flens, & admirans Diaconus Dei magnalia prædicaret, *Hospitius* vitandæ inanis gloriæ studiosus ait: *Sile, sile dilectissime Frater, non hæc ego facio, sed ille, qui Mundum ex nihilo condidit, qui pro nobis hominem suscipiens, cæcis visum, surdis auditum, mutis præstat eloquium, qui leprosis cutem pristinam, mortuis vitam, & omnibus infirmis affluentem medicinam indulget.* tunc Diaconus gratias agens, & valedicens cum comitibus suis iter est prosecutus.

8. Quùm verò tàm evidentis miraculi fama undiquè vulgaretur, adfuit statim quidam, *Dominicus* nomine, oculis captus à nativitate, credens se recepturum eam, quam Diaconi socius obtinuerat, corporis sanitatem. *Hospitius* verò, qui antequàm lucem exhiberet corpori, malebat cæcutientem fortassè animum illustrare, *Dominicum* duobus, aut tribus mensibus residere jussit in Monasterio, ut frequentibus jejuniis, & orationibus
109 excultus, expetito dignus evaderet beneficio. Tandèm eum advocat Sanctus Pater; *Vis*, inquit, *recipere visum? Voluntas*, inquit ille, *mea erat ignota cognoscere: Nam quæ sit lux ignoro, unum tantùm scio, quòd ab omnibus collaudatur. Ego autem ab initio ætatis meæ usque nunc videre non merui.* Tunc eodem, quo *Andegavensem* infirmum perfuderat, oleo benedicto, signum Crucis super cæci oculos exprimens Hospitius dixit: *In nomine Jesu Christi Redemptoris nostri aperiantur oculi tui*, qui statim aperti sunt, admiratusque est *Dominicus*, quæ numquàm viderat, Dei magnalia, & Creatoris opera in hoc Mundo.

9. Nondùm mirabilium finis; Mulier siquidem Dæmoniaca, quæ, ut ipsa clamabat, à tribus spiritibus immundis cruciabatur, ad *Hospitium* adducta est, quam cum similiter benedixisset, & de more oleo sancto in formam Crucis frontem ejus consignasset, non valentes tartarei Spiritus *Hospitii* præcipientis meritis reluctari, ex mulieris corpore discesserunt. Idem à Sancto Viro cum alia puella à Dæmonibus pariter malè affecta præstitum est.

10. Quùm autem obitus *Hospitii*, qui jam dierum, & bonorum operum erat plenus, appropinquaret, vocans ad se Præpositum Monasterii, significavit, qualitèr resolutionis suæ instante tempore, post tres dies illi ex hâc vitâ in eam, quam servis suis Christus paraverat, abeundum esset, quamobrèm per nuncios hâc de re certiorem faceret Episcopum *Niciensem*, irrumperetque ferro murum turris, ut corpus ab Episcopo sepulturæ tradendum indè educi posset. Quæ cum à Præposito nunciata fuissent *Austadio* tunc Episcopo *Niciensi*, ille rem Clero, & Populo notam fecit. Interim *Crescens* quidam ad Turris fenestram accedens, cum vidisset ex catenarum contactu, quibus super nudo corpore cingebatur, putrefactam carnem vermes progerminasse, ait: *O Domine mi, qualiter tàm valida tormenta tolerare tàm fortiter potes?* Cui Hospitius: *Confortat me ille, pro cujus nomine hæc patior: Dico autem tibi, quià jam absolvor ab his vinculis, & vado in requiem meam.*

11. Adveniente, sicut Vir Sanctus prædixerat, tertiâ die, absque eo quòd febri, vel ægritudine ullâ afficeretur, primò catenas, quibus vinctus erat, deposuit, tùm diutissimè, & cum lacrymis genuflexus oravit, mòx ab oratione surgens, collocans se super scamnum, productis pedibus, & elevatis ad Cœlum manibus, assistentibus, ut credere par est, morienti Patri, Monasterii Præposito, & cunctis Monachis, absque ullo dolore, aut corporis, ut cæteris hominibus evenire assolet, cruciatu, gratias agens Deo, suavissimè, ac lenissimè Factori suo tradidit spiritum die XV. Octob. circà annum Domini DLXXX. licèt in *Martyrologio Romano* ejus festum notetur XXI. Maji.

12. Statim ac exanimis apparuit, omnes vermiculi, qui Sanctos artus, ut diximus, perforabant, evanuerunt, corpusque ipsum macerationibus anteà squallidum, venerandum visum est omnibus, ac decorum. Adveniens verò ad peninsulam, & Turrim ex Civitate Niciensi *Austadius* Præsul, cum frequentissima Cleri, & Populi comitiva, impositum feretro Sacrum Corpus ad *Niciensem* Ecclesiam *B. Mariæ* transtulit, ibique studiosissimè se- 110
pulturæ mandavit. In ea Ecclesia inclusa decenti capsulâ per multa sæcula sacra *Hospitii* lipsana servata sunt, licèt modò aliquâ ejus Reliquiarum parte tàm Ecclesia Cathedralis *S. Reparatæ*, quàm Ecclesiæ Parochiales *Villæ liberæ*, & *Turbiæ*, aliæque per Diœcesim gaudeant.

13. Dùm Corpus *S. Hospitii* sepulturæ ab *Austadio* tradebatur, Vir quidam modicum illius pulveris, qui circà sepulcrum erat, præ animi devotione extollens, rudi linteo involvit, ad *Lerinense* Monasterium, quod tunc magna florebat laude sanctimoniæ, delaturus; ad id agendum fortassè ab eisdem *Lerinensibus* Monachis excitatus, qui eo tempore, præclarissimis, totoque Orbe conquisitis Reliquiis Monasterium decorantes, pulverem saltèm corpus operientem, quandò aliud nihil poterant, ex *Hospitio* expetebant. Nactus ergò Vir ille crastina die in littore navim, quæ *Massiliam* erat navigatura, eam conscendit, quòd pro tunc nulla opportunior daretur occasio *Lerinum* adveniendi; pressit tamen silentio quò, & ad quid esset sibi animus appellendi, quòd Mercatores, qui navim illam conduxerant, non Christianos, sed à *Judaicâ* stirpe progenitos esse animadvertisset. Solvunt itaquè feliciter ex ora *Niciensi*, prosperoque vento Occidentem versus vela faciunt, *Massiliam* recto cursu ire parati. Sed cum antè *Lerinensem* Insulam devenissent, nec dùm Homo ille mentem suam eò adventandi aperuisset; Res mira! Navis, ac si in Syrtes aut brevia impegisset, in medio pelago immota constitit, quamvis valido flante vento: Tùm verò Nautæ contendentes remis, velisque quicquid ars nautica suadebat, ut navem cursui restituerent, nihil proficiunt: quam rei novitatem cum *Judæi* admirarentur, caussam aperiens homo ille, qui pulverem deferebat: *Reliquias*, inquit, *Beati Hospitii mecum habeo, & nunc Lerinum adire desidero, quod vobis indicare metui. Nunc autem scio, quià ejus virtute retinetur navis vestra, nec hinc moveri prorsùs poterit, nisi conscensum illùc præbeatis, quò ego ire disposui.* Annuerunt statim illi justæ petitioni, depositoque Viro in Insula *Lerinensi*, flante secundo vento *Massiliam* abierunt. Monachi autem *Lerinenses* pulverem illum ex *S. Hospitii* tumulo læti suscipientes, inter cœteras Sanctorum Reliquias reposuerunt, undè, inter alios ejus Monasterii Tutelares, consueverunt nomen *S. Hospitii* frequentare.

NOTÆ

# NOTATIONES.

A a De S. Hoſpitio ſcripſit luculentèr D. Gregor. Turon. Hiſtor. Francor. lib. VI. cap. VI. & de glor. Confeſſ. cap. XCVII. ex quo hanc hiſtoriam adferunt Vinc. Barralis in Chronol. Lerin. 21. Maji pag. 129. Philipp. Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, atque alibi. Bened. Gononus in Vitis & ſententiis Patrum Occidentis lib. II. & in Appendice. Prætereà de Hoſpitio agunt Aimoin. de geſt. Francor. lib. III. cap. XXXVIII. Sigibert. in Chronic. anno Domini DLXXXI. & omnia ferè Martyrologia ad diem 21. Maji, & qui res geſtas Longobardorum ſunt proſecuti, ut Paulus Diacon lib. III. ex quo Pet. de Natal. in Catal. lib. V. cap. XXVII. ſe hauſiſſe teſtatur, ſed corrigendus eſt in eo, quod Nuceriam ponit pro Nicæâ, Nuceria enim non eſt Civitas III Provinciæ Phocenſis, ut à ſcriptoribus juxtà id, quod diximus initio in prolegom. cap. I. notatur illa, apud quam vixit Hoſpitius, ſed ulterioris ad Orientem Italiæ, dicta Italis vulgò Nocera: eodem modo eget corre-
B ctione Franc. Maurolycus in Martyrologio, qui idem à Petro de Natal. accepit. Ità etiam falluntur, qui, Benedicto Gonono teſte, putant, Nicæam, de quâ agitur à Greg. Tur in vitâ S. Hoſpitii eſſe illam, quæ Gallis dicitur Nycì en Savoye. De Hoſpitio ſcribit etiam Baron. in Annalibus, & in notis Martyrologii, Henricus Spondanus, Abraham Bzovius, Paulus Britius, & reliqui annalium compilatores, cum ad narrandum adventum Longobardorum in Gallias deveniunt. Nos eâ, quæ affertur à Gregor. Turonenſi, hiſtoriâ, ut plurimùm uſi ſumus, qui ab eo geſtorum notitiam ſe accepiſſe teſtatur, qui cum eſſet ſurdus, & mutus, ab Hoſpitio, ut ſuprà dictum eſt, ſanatus fuit, licèt non omnia, quæ de ipſo audiverat, ſcripſerit; ait enim: Hæc omnia ab ipſius ore cognovi, quem ſuperiùs mutum, & ſurdum ab eo ſanatum expoſui, qui multa mihi & alia de ejus virtutibus narravit, ſed prohibuit me res illa loqui, quià audivi vitam ejus à multis fuiſſe conſcriptam.

b Mirabitur non nemo Abbatis titulum, quo Hoſpitium inſignimus, ſed ego miror eum tali titulo injuſtè fraudari. Primò enim Hoſpitius erat Pater, &, ut dici ſolet, Superior Monachorum degentium in Monaſterio, cujus rudera adhùc extant propè peninſulam, in quâ erat Turris; locus ille ſitus erat propè eam agri par-
C tem, quæ à noſtratibus nunc dicitur, Ad Crottas S. Hoſpitii, taliterque dictum invenio in antiquis membranis anni MLXXVIII. Monachos habuiſſe confirmant ea verba Gregorii Turon. Monachis quoque dixit: Abſcedite & vos a loco &c. Non relinquemus te Sanctiſſime Pater &c. Qui dum in Monaſterio duobus, aut tribus menſibus reſideret &c. Vocavit ad ſe Præpoſitum Monaſterii, & multa alia apud eundem, quæ ad id, quod intendimus, probandum ex antecedentibus, & conſequentibus attentè penſanda ſunt. Secundò Paulus Diac. lib. III. cap. I. ubi de Hoſpitii Monachis meminit, ſic ſcribit: Monachis quoque ſuis præcipiens ait, ubi notandum eſt illud verbum [ſuis] Tertiò Longobardum illum, qui caput ſuum gladio tentaverat, Hoſpitius tonſurato capite Monachum fecit, quod erat munus Abbatis. Quartò in omnibus antiquis picturis non alio, quàm habitu Abbatiali inſignitus exprimitur, & non Solitarii tantùm, ut expreſſit P. Aloyſ. Juglaris: Videatur S. Hoſpitii antiqua effigies, quæ eſt in primario Altari Eccleſiæ Parochialis S. Michaëlis Villæliberæ; & quæ viſitur Niciæ in Templo Fratrum Prædicatorum, in altari dicato eidem Archangelo Michaëli, ubi conſpiciuntur, ex parte dextrâ S. Antonius, & ex lævâ S. Hoſpitius Abbates, pingiturque inferiùs idem Hoſpitius Monachorum ſuorum Capitulum celebrans. Aliam ſimilitèr infulatam S. Hoſpitii effigiem coli in ejus propriâ Eccleſiâ campeſtri, quæ eſt propè Caſtrum Bauſſoni, & idem alibi animadverti per
D Diœceſim retulerunt Teſtes oculati, & omni exceptione majores. Ultimò dirimit controverſiam antiquiſſimum Kalendarium à me repertum in Eccleſiæ Cathedralis Nicienſis archivo, in quo ad diem 15. Octob. ſcribitur diſertè: Hoſpitii Abbatis. Addito, quòd in loco Villæliberæ, ubi dictâ die, jampridèm feſtus ejus dies colitur, Sacerdotes Miſſam de Abbate, & non de Confeſſore tantùm celebrant.

c Nec obſtat, quòd extremo vitæ ſuæ tempore, non in Monaſterio, quod, ut diximus, & animadvertit 112 Paulus Britius in Progreſſ. Eccleſ. Occid. pag. 377. aliquantis paſſibus diſtabat, ſed in Turri manſerit ſemper incluſus; id enim potuit effeciſſe de conſenſu Monachorum, commiſſo interim regimine Monaſterii Præpoſito, de quo eſt ſermo in ejus geſtis, ut eo ſtrictioris vitæ genere divinam placaret iram per Longobardos in Gallos acerrimè ſævientem; imitatus ſcilicèt S. Juſtum Epiſcopum Lugdunenſem, qui in Ægyptum ſecedens, & ſuos relinquens, ut habet ejus vitæ hiſtoria, tametſi corpore ab illis aberat, at precibus aderat, neque illos reliquiſſe cenſendus eſt, ad quos ſuas preces referebat: Expetierat lacrymis opportuna loca, ut ſoli Deo vacans, quæ pro illis peteret, efficaciùs impetraret. Id ipſum fecit S. Honoratus Abbas Lerinenſis, qui, ut ait Vincentius Barral Chronol. Lerin. pag. 37. deſerto ad tempus Monaſterio ſito in Lerino Inſulâ, inclu-
E debat ſe aliquandò, orationi, corporis macerationi, & lacrymis liberiùs vacaturus, in antro quodam, ſeù ſpecu in continenti, ſex mille paſſibus à Forojulienſi Civitate diſſito, nec eſt qui Juſtum titulo Epiſcopi, aut Honoratum Abbatis fraudarit umquàm. Nec eſt novum, quòd aliquis Sanctus Abbas, Eremita tantùm alicubi dictus ſit, ut de S. Venantio, de quo idem ſcripſit Greg. Turon. notavit Gononus in notis ad ejus vitam lib. II. de Vit. Pat. Occid. is enim in Breviario Eccleſiæ Cænomanenſis vocatur Abbas, & in Breviario Belluacenſi, Eremita. Huic ſententiæ noſtræ videtur adhæſiſſe eruditus P. F. Joannes Baptiſta de Lezanâ Hiſpanus, qui in Annal. Carmelit. tom. III. ad an. DLXXIII. vocat Hoſpitium magnæ abſtinentiæ Virum, & multorum Monachorum Patrem.

d Propè locum Monaſterii S. Hoſpitii, ſucceſſu temporis ædificata eſt Eccleſia S. Joanni Baptiſtæ. Dicitur in antiquis monumentis Eccleſia S. Joannis de Olivo. circà annum Domini MLXX. cum jam locus Monachis deſtitutus eſſet, Laugerius Roſtagni Nicienſis auctam reditibus à Patre ſuo Roſtagno, eam remiſit Archinbaldo Epiſcopo Nicienſi, qui paulò poſt, anno ſcilicet MLXXVIII. eandem ceſſit Monachis S. Pontii, & Ebrardo Abbati, conſentientibus Canonicis.

e Turris S. Hoſpitii ſita erat, unà cum Templo poſtmodùm eidem Hoſpitio dicato, ubi nunc ædificata cer-
F nitur Arx à Sereniſſ. Victore Amedeo Sabaudiæ Duce, cujus Turris rudera in ejus Arcis ædificatione ſolo dejecta fuiſſe dicuntur.

f Hoſpitius oleo benedicto conſueverat ungere Infirmos, qui ad ipſum ſanitatis recuperandæ ſtudio accedebant, quam conſuetudinem etiam apud Ægypti Monachos viguiſſe, habemus apud Euſebium Eccleſ. Hiſt. lib. XI. cap. IV.

g Die 15. Octobris Eccleſia Nicienſis Natalem S. Hoſpitii ex veteri inſtituto colit: antiquitùs autem die 21. Maji, quâ die ejus feſtum memorat Romanum Martyrologium, repoſitionem, ac tumulationem ejuſdem recolebat. Martyrologium Gallicanum id apertè teſtatur his verbis: 21. Maji Niciæ in Provinciâ ſub Metropoli Ebredunenſi ſuſceptio, & repoſitio ſacratiſſimi Corporis S. Hoſpitii Confeſſoris, donis ſpiritus ſancti orna-

tissimi, atque adeò plurimùm apud priscos Sanctorum encomiastas celebrati, cujus, in Cathedrali illius Civitatis Ecclesiâ, ubi quiescit, gloriosa merita dignis solemniis honorantur ex vetere instituto die 15. A
113 Octobr. *At verò die 15. Octobr. de Hospitio in eodem Martyrol. hæc habentur:* 15. Octob. Niciæ in Provinciâ *S. Hospitii* Confessoris magni Dei famuli, cujus præconia *S. Gregorius Turonensis*, cùm in *Historia Francorum*, tùm in *libro de gloriâ Confessorum*, ex oculati testis relatione luculentèr prosecutus est &c. *Narrantur postmodùm inibi satis prolixè ejus gesta, post quæ in fine hæc adduntur:* Colitur Vir Deo dignu in Cathedrali Ecclesiâ *Niciensi* hodierno Natali, quoniàm ibidem quiescit, & inter Tutelares colitur.s

## TIT. XI.

# S. SYAGRIUS CONFESSOR,

## EPISCOPUS NICIENSIS,

## PRIMUS ABBAS MONAST. S. PONTII.

1. Sanctus *Syagrius* ex *Francorum* Regum sanguine Nobilissimam originem duxit. Patrem habuisse creditur *Carlomannum* Austrasiorum, ac *Burgundiæ* Regem, *Caroli Magni* Imperatoris, & *Francorum* Regis Fratrem, ex *Pipino* Rege, & Avo *Carolo Martello* progenitum, Germanum verò agnovisse *Pipinum* natu majorem, qui sine liberis creditur decessisse: Matrem sortitus esse *Bertam*, dictam ab aliis *Theodoram* Desiderii Longobardorum Regis Sororem, seù, ut alii appellant, Filiam, quæ agente *Bertâ*, sivè *Bertradâ* Matre, *Carolo Magno* Filio primò fuerat desponsata, sed postmodùm repudio dimissa, *Carlomanno* in Uxorem cessisse credita est. *Syagrius* autem, cui Comitis *Briensis* titulus obtigit, mortuo Patre, à Matre superstite unà cum Fratre *Pipino* ad *Desiderium* Regem *Longobardorum* deductus est, eo quod alterâ Regni parte, quæ viventis *Carlomanni* fuerat, à *Carolo Magno* occupata, minùs sibi splendoris ac majestatis, florentibus *Caroli* opibus, in *Franciâ* fore arbitraretur, ac proindè sub *Desiderii* Regis sanguine conjunctissimi clientelâ, patrocinioque rerùm vices operiri consultiùs foret. *Desiderius* Nepotibus humanitèr acceptis, seù ut eorum jura prò viribus tueretur, sivè ut *Carolum* domesticis incommodis impeditum in *Galliâ* detineret, ab *Adriano* Romano Pontifice enixè eflagitavit, ut Nepotes suum auxilium implorantes Regno avito, Patrioque inungeret, ut potè quo *Stephanus* Romanus itidèm Pontifex *Pipinum* Avum, Filios, eorumque successores inunxerat. Renuit *Desiderii* Regis postulatis morem gerere *Adrianus*, non quòd in *Carlomanni* Filios peculiari aliquo odii impetu urgeretur, sed quià id malâ fide à *Desiderio* animadverteret postulatum,
114 nè scilicèt *Carolus*, cujus auxiliùm contrà *Desiderium*, jura, & ditiones *Romanæ* Ecclesiæ occupantem, imploraverat *Adrianus*, ultricia contra *Longobardos* arma inferre posset, mediâ Regni parte, & *Francorum* subsidiis destitutus. *Carolus* igitur qui per litteras, & Legatos, *Desiderium* in officio nequàquam potuerat continere, superatis *Alpibus*, atque bis fuso *Longobardorum* exercitu, tandèm *Desiderium* ipsum, qui *Adalgisium* seù *Aldegisium* Filium, *Carlomanni* Uxorem, ac Filios *Pipinum*, & *Syagrium* Veronam amandaverat, *Papiæ* obsedit, usquè ad diem solemnem Natalis Domini, quo annus DCCLXXIV. incipiebat, tùnc enim *Papiensi* obsidione alteri demandatâ, ipse *Veronam* cum delectâ Militum manu se contulit; Quam cum exercitu premeret, *Adalgisius* Urbe evadens, in *Græciam* profugit, *Berta* verò *Syagrii* Mater, cum Filiis, nullum salutis exitum superesse animadvertens, clementiam, quàm iram *Caroli* maluit experiri; in ejus siquidèm potestatem concedens, ejusque fidei se submittens, lenitèr increpita, quòd tutiorem rebus suis locum apud *Longobardum*, quàm apud se fore credidisset, à *Carolo* humanissimè accepta est, atque in *Franciam* cum Filiis, eo, qui Reges decebat, comitatu stipatis, transmissa.

Ranuc. Picus in Car. Mag. c. 7.

2. Ex eo tempore, *Carolo*, qui devictis *Longobardis*, Rex *Francorum*, & *Longobardorum*, ac Patricius *Romanorum* fuerat appellatus, acceptissimus *Syagrius* factus est, eoque comite credibile est in bellicis expeditionibus usum. Dùm autem aliquando idem *Carolus* ad partes *Narbonensis* Provinciæ *Italiæ* conterminas devenisset, ut non minùs veri Dei cultum, & sacram Religionem, quàm Regiam potestatem ubique Gentium stabiliret, *Nicæam*, & *Cemenelionem* venit, Urbes eo tempore non æquè florentes; nam *Cemenelionem*, ut suo loco superiùs dictum est, ex magnâ parte olim diruerant *Longobardi*. Supererat extrà ejus Urbis mœnia Ecclesia *D. Pontio* Martyri ab antiquis Christi fidelibus consecrata, sacro Martyris corpore celeberrima. Eò loci deveniens *Syagrius*, sæcularium rerum affectus tædio, militiâ abdicatâ, Deo militare in animum induxit, sectarique Monasticum institutum; quod animi sui votum cum Patruo *Carolo* aperuisset, ille, quâ erat præditus ergà Deum Religione, & pietate, non solùm annuit, sed instantissimis precibus exposcente *Syagrio*, Monasterium ibidem jussit ædificari, cui, ut Monachi futuris temporibus liberiùs Deo vacare possent, reditus multos cessit, ac inter cætera, Comitatum indulsit *Cemenelensem*.

3. In eo Monasterio *Syagrius* tonsuratus, & Monastico indutus habitu, sub Divi *Benedicti* Regulâ, cujus Ordo ea ætate ubiquè, in *Galliâ* præsertim florebat, cœteris Monachis Abbas præfectus est, quo in honore, ac Dignitate, humilitati, suique despectioni operam navans, omnibus virtutum radiis veluti clarum jubar effulsit, ex quo ejus sanctimoniæ bonus odor longè, latèque difundebatur; adeò ut ad *Syagrium* omnes, tanquàm ad efficacissimum apud Deum intercessorem confugerent.

4. Hæc, aliæque virtutum laudes Virum Dei adeò illustrabant, ut non Deo soli, sed Populo 115
etiam acceptus esset: quamobrèm cum Præsule orbata esset Ecclesia *Niciensis*, nihil antiquius habuerunt Cives, quàm *Syagrium* sibi in Episcopum deposcere. Adeunte igitur Monasterium Clero, & Populo, ex eo extractus est, & ad Episcopatus *Niciensis* cathedram, omnibus gratulabundis, assumptus, quippè quòd sibi Pastorem a Deo concessum cernerent, non minùs sanctitate, quàm nobilitate conspicuum. Annus ejus assumptionis notatur alicubi septingentesimus à Christo nato ac septuagesimus septimus, quod, ut infrà in notis dicetur, perperàm scriptum puto. Factus Præsul

A sul *Syagrius*, virtutum omnium idæam, & exemplar se cunctis præstitit, atque ea, quæ in Pastore Evangelico præcipit Apostolus, in se uno omnia exprimebat. Maximè autem Gregem suum prædicatione fovens, ac nutriens, errantium corda à viâ malâ ad salutis iter trahebat.

5. Nec solùm vitâ firmabat, moribusque quæ loquebatur, sed etiam signis, prodigiisque admirandis sæpiùs Deus, maxima pii Præsulis apud se merita confirmavit. Nàm præter quàm quod fretus signo Crucis, ægrotantium ad se confugientium languores curabat, cæcis visum, surdis au-
B ditum restituebat, solvebat mutorum linguam, & claudis præstabat gressum, mortuos etiam non semèl ad vitam, ejus intervenientibus precibus, Altissimus revocavit. Aliquandò equus, cui insidebat Puer, cursum arripiens concitatum, eundem Puerum ex ephippiis excussit, qui ad terram allisus, eo casu extinctus est. Tunc Populi ad spectaculum accurrentis clamor extollitur, qui cum ad aures *B. Syagrii* pervenisset, accedens confestim ad locum, in quo defuncti Pueri cadaver jacebat, genuflexus aliquantùm oravit, mòx salutiferâ Cruce signatum vivum, & incolumem reddidit Patri suo, admirante interim Populo, & præ gaudio lacry-
C mas emittente, atque hanc unam vocem personante: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

6. Quid simile cum alio Puero Deus operatus est per *Syagrium*. Cum enim lethali morbo extinctum Mater commotis visceribus ad sanctissimum Præsulem attulisset dicens: *O Beate Vir Syagri restitue mihi Filium meum*, atque easdem voces dolore nimio affecta flens, & suspirans sæpiùs inclamaret; misericordiâ motus, atque extendens ad Cœlum manus, Dei clementiam imploravit, statimque à morte excitatum Filium Mater exultans, & Deo gratias agens reduxit domum. Nec verò Beatus hic Vir, in maturiori
D ætate solùm, quando *Niciensibus* Episcopus præerat, hæc miranda operabatur, sed etiam adhùc Juvenis, & degens in Monasterio frequentissima ediderat miracula, Populo ut plurimùm vidente, & audiente; Numquàm tamen Mundi auram captans inani gloriæ succubuit; divinæ semper voluntati, atque postulantium fidei, non propriis meritis cuncta tribuens.

7. Postquàm autem integro decennio Ecclesiam *Niciensem* integerrimè gubernasset, volens Deus pro exantlatis laboribus dignam ei mercedem reddere, illum ex hâc vitâ ad se evocavit decimo Calend. Junii. Statim ac suo reddidit Spi-
E ritum Creatori, mœrens, & lacrymans Populus,
116 qui se tanto Pastore, & Patre viduum querebatur, ejus funus solemnissimè prosecutus est. Non solùm enim Clerici, & Monachi ut Episcopo, & Abbati Pontificales exequias celebrarunt, sed Laici etiam, utpotè *Caroli* Imperatoris Nepoti, & *Briensi* Comiti Regalia, & Militaria justa solverunt; equis, & armis, quibus quondàm valedixerat, ejus funus comitantibus. Sepultus est autem, non *Niciæ* in *S. Mariæ* Ecclesia Cathedrali, sed in suo *S. Pontii* Monasterio, in quo Abbas claruerat, ubi etiamnùm ejus veneranda lipsana cum
F *SS. Pontii*, & *Anselmi* ossibus asservari traduntur. Caput verò anno MCCCXCVIII. sumptibus *Raimundi de Agunto* Abbatis *S. Pontii*, maximo frequentissimi Populi concursu busto argenteo inclusum, instituto solemni supplicantis Populi agmine, ex *Niciensi* Civitate ad Monasterium reductum est, ut legitur in parvâ membranâ apposita, cujus hæc verba: *Caput S. Syagrii qui fuit Urbis Niciensis Primus Episcopus. Quod trelatatum fuit Die V. Mensis Septembris per Reverendissimum M. W Patrem & Dominum Dominum Raymundum de Agunto miseratione divinâ Abbatem Monasterii S. Pontii. Anno Domini M. CCC. LXXXX. octavo cum venerabili comitivâ.* In eodem *S. Pontii* Monasterio habetur officium proprium olim recitari solitum de *S. Syagrio*, ex quo nos in Lectoris, & antiquitatis gratiam hæc pauca delibavimus.

*Hymnus ad Vesperas.*

Siacrio Episcopo
Niciensium Domino
Psallat Mater Ecclesia
Colens ejus solemnia.
Hic Adolescens Nobilis
Usus Christi colloquiis
Adamavit Cœlestia
Parvi pendens terrestria.
Linquens Briensem Patriam
Venit apud Provinciam
Regi Francorum Principi
Corde junctus unanimi.
Cum quo Niciam petiit
Et Cimellenses convertit
Datus Pastor divinitus
Vita nitens, & moribus.
Sit in excelsis Gloria
Deo, qui fecit omnia
In terrâ pax Hominibus
Sursùm corda levantibus.

*Ad Matutinum.*

Jucundis pangat mentibus
Chorus Ecclesiasticus
Laudum Christo præconia
Hâc die celeberrima.
Quâ inclytus Siacrius
Vir Deo dilectissimus
Carnis solutus nexibus
Cœli successit Civibus.
Ejus præclaris actibus,
Ac divinis affatibus
Vana detestans Idola
Christum recepit Nicia.
Exultet ergò Patria
Tanto Patrono prædita
Plebs maximè de Niciâ
Læta depromat cantica.
Huic devota supplicet,
Hunc incessantèr invocet
Quo piis ejus precibus
Poli jungatur cœtibus.
O tu Siacri optime
Pastor, & Dux egregie
Pro nostris facinoribus
Interveni propitius.
Acquire nobis veniam
Apud Christi clementiam 117
Ut expiatis sordibus
Jungamur cœli sedibus.
Præstet æterna Trinitas
Eadem simplex Unitas,
Parens, Natus, & Charitas
Cuncta gubernans Deitas.

*Ad Laudes.*

Festiva lux emicuit
Dies præclara splenduit
Qua Siacrii Anima
Regna ascendit Cœlestia.
Hunc devotis obsequiis,
Honoribus ac congruis
Nostra caterva celebret,
Deoque gaudens jubilet.
Tantùmque Vir mirabilis
Inter Mortales claruit
Ut Niciensem Populum
Converteret ad Dominum.

Vitæ defunctos revocans,
Ægris salutem reparans,
Obsessis ex corporibus
Immundos pellens spiritus.
Cujus nos Christe meritis
Cunctis emunda vitiis
Et decorans virtutibus
Cœli conjunge Civibus.
Laudemus rerum Principem
Trinum Deum, ac simplicem
A
Cui Laus, Honor, Gloria
Æterna sit per sæcula.
Amen.

*OREMUS.*

DEus, qui Beatum *Siacrum* Confessorem tuum nobis Præsulem præfecisti, concede propitius, ut sicut illius interventu languores hominum vacuasti, ità ejus meritis, & precibus ad cœlestia Regna veniamus. Per Dominum, &c.

## NOTATIONES.

a DE Syagrio, *qui etiam* Siacrius, *&* Siacrus *pronunciatur*, *egerunt Baron.* in notis Martyrol. ad diem B 27. Aug. *dùm de* S. Syagrio *Episcopo Augustodunensi*; Claud. Robert. Ughellus, Martinengus, *Franc. Aug. ab Eccles.* in Episcopis Nicien. *Honoratus Pastorellus* in monumentis Monast. S. Clar. *Honor. Leotardus* lib. I. Hymnor. hymn. XI. *cujus initium:* O Heros atavis edite Regibus. *Jo. Bapt. Guesnay* in Annal. Massil. an. Christi DCCLXXXVI. pag. 245. *Ferrar.* in Martyrol. 23. Maji, *aliique non multi. Nos ex* S. Pontii *Monasterio* Syagrii *gesta accepimus M. S. & in compendium redacta*; *atque usi sumus etiam iis ejusdem Monasterii monumentis*, *quæ affert* Chronologia Lerinensis pag. 132. *utraque tamen in multis depravata apparent*, *cum aliqua insint*, *quæ veritati Historicæ*, *& rationi temporum adversentur. Ac primò de* Carolo Magno *hæc verba habet eadem Chronologia:* Qui *Carolus* divinâ inspiratione ad partes Provinciæ Provinciarum disponente pervenit, ut Paganos, & Infideles ex dictis locis expelleret, & ipsam gentem ad Fidem Catholicam reduceret, qui cum venisset ad fines *Cimellienses*, & *Nicienses*, Regem *Chimeriensem*, *Cimelliensem*, & *Niciensem* ope divinâ destruxit, & effugavit. *Hoc totum magnâ ex parte falsitatem sapit: tempore siquidèm* Caroli Magni, *id est circà annos* DCCLX. DCCLXX. *& deinceps*, *nulli in Provinciâ erant Pagani*, *& Infideles* [*nisi quis inibi* Maurorum *reliquias superfuisse contendat*] *quibus expulsis*, *Gens* C
118 *esset ad Fidem Catholicam reducenda*; *veriùs quis hoc diceret de* Carolo Martello, *Caroli Magno Avo*, *qui* Saracenos *Provinciam invadentes deleverat*, *sivè de* Saxonibus *sub* Carolo Magno, *aut de iis*, *qui* Pyrenæos *Montes insederant*, Saracenis; *atque hinc errandi ansam accepit Author Hymnorum quos suprà scripsimus in iis versiculis:* Cum quo Niciam petiit, ac Cimellenses convertit. Vana detestans Idola Christum recepit Nicia. *Illud porrò verbum* [Regem Chimeriensem] *chimæricum planè est*, *cum nulla sit in viciniâ Urbs* Chimera. *Quid autèm de Regibus* [*Regulis scilicèt*] Cimelliensi, *&* Niciensi *destructis*, *& effugatis? hoc satis inverisimile est*; *ac* Cemenelione *quidem tunc*, *non modò Reges*, *sed & infrequentes Cives fuisse probabiliùs dixerim*, *Urbe olim à* Longobardis *vastatâ*; Nicæam *verò advenisse* Carolum *ad expellendos Tyrannos*, *Scriptores reticent.*

b *Alius in eadem Historia error in eo versatur*, *quòd dicitur* S. Syagrius *factus fuisse Primus* Niciensis *Episcopus anno quinto* Adriani *Papæ* I. *quem ait fuisse Christi* DCCLXXVII. *Addunt monumenta M. S.* S. Pontii, *nondùm sex diebus ab obitu* Syagrii *elapsis*, Desiderium, *quem* Carolus Magnus *Ticini obsederat*, *captum* D *esse*, *& in* Franciam *cum Uxore ac Filiis abductum. Ac ut de errore illo*, *quo* Syagrius *Primus* Niciensis *Episcopus asseritur*, *hic nihil dicam*, *cum multa ea de re* in Prolegom. par. 2. *dicenda supersint*; *hoc tantùm innuo*, *calculos temporum falsò hic adnotari*; *Si enim* Carolus Magnus *Desiderium Regem vicit anno* DCCLXXIV. *quod cum* Sigonio, *&* Baronio *admittunt probati omnes Scriptores*, *qui fieri potuit*, *ut* Syagrio, [*quem cum* Carolo Magno *post eundem annum* Nicæam *venisse dicendum est*] *anno* DCCLXXXVII. *sepulto* [*decem siquidèm annis perhibetur sedisse Episcopus*] *post sex dies* Desiderius *victus asseratur? id enim si admittamus*, Caroli Magni *de* Longobardis *victoria post* 13. *annos necessariò retrotrahenda est!* Honor. Pastorellus *credidit* Carolum Magnum *cum* Syagrio *Nicæam venisse eodem tempore*, *quo contrà eundem* Desiderium *arma infesta movit: At multa hinc orirentur absurda*; Syagrius *enim tunc temporis non cum Patruo* Carolo Magno, *sed cum Matre* Bertâ, *& Fratre* Pepino *apud* Desiderium *degebat*, *si quæ de Stemmate*, *ac origine ejusdem* Syagrii *diximus*, *ac mòx dicturi sumus*, *admittimus*; *nec tunc* Carolus *per* Narbonensem *Provinciam*, *aut* Nicæâ *transivit*, *sed habitis* Genevæ Allobrogum *cum Proceribus Regni comitiis*, *bifariàmque per* Cinisium *Montem*, *& Montem* Jovis *diviso exercitu*, *recto itinere in* Insubriam *contrà* Desiderium *contendit.*

c *Ut hâc de re aliòqui satis implicitâ*, *& tenebris involutâ*, *quod sentio dicam*; *adventus* Caroli Magni, E *ac* Syagrii *Nicæam*, *post* Desiderium *superatum omninò statuendus*: *ejus autem occasio*, *iter in* Italiam *ex* Galliâ, *quo quartò* Carolus *Romam petiit. Quatèr siquidèm dicitur* Romanam *adiisse Urbem*; *primò post victum* Desiderium, *quo tempore Rex* Francorum, *&* Longobardorum, *ac Patritius* Romanorum *dictus est*: *secundò post* Saxones *domitos anno*, *ut* Sigonio *videtur* DCCLXXXI. *quandò* ab Adriano Pontifice, ejus Filii Pipinus *Italiæ*, ac Ludovicus *Aquitaniæ Reges inuncti sunt*: *tertiò post reductum ad officium*, *obedientiamque* Aragisum *Ducem* Beneventanum; *licèt bis eâ aditæ* Italiæ *occasione Urbem adierit*, *scilicèt antè*, *& post confectum idem bellum* Beneventanum *anno* DCCLXXXVII. *quartò*, *& ultimò ut* Leonem *Romanum Pon-*
119 *tificem Sedi restitueret*, *ac de calumniis à malevolis quibusdam ei illatis cognosceret anno* DCCC. *à quo Pontifice Imperator* Romanorum *creatus est. His sic stantibus*, Carolus Magnus, *antequàm quartò adiret* Romam, *verosimilitèr* Nicæam *venit*; *ac primâ quidem vice* Nicæam *non venisse*, *præter jam dicta probat inscriptio tumuli marmorei* S. Pontii, *quem construxisse idem* Carolus *dicitur*, *ubi titulo Regis* Longobardorum, *ac Patritii* Romanorum *decoratur*, *non autem Imperatoris*, *quod argumento est post primum* Romam *adventum* [*nàm anteà Rex* Francorum *tantùm dicebatur*] *atque antè quartum id fuisse factum*; *secundò*, *& tertiò non videtur* Nicæâ *iter fecisse*, *cum & superasse* Alpes, *&* Papiæ, *ac* Florentiæ *celebrasse Domini natalitia per-* F *hibeatur. Igitùr superest*, *ut quartò per* Alpes Ligusticas, *seù mari itinere instituto*, Nicæâ *transivisse dicamus*, *cùm*, *recto itinere*, *teste* Sigonio, *in* Liburniam *properavit.*

d *Certè de adventu* Caroli Magni *propè* Varum, *&* Lupum *fluvios fit mentio in Monumentis* Lerinensibus *apud* Vinc. Barral. 363. pag. *ubi est sermo de Monasterio* S. Verani *in agro* Venciensi *propè Ecclesiam ibidèm olim à* Carolo Magno *dicatam* B. Mariæ Deauratæ. *adstipulantur præter gesta* S. Syagrii, *& inscriptionem tumuli* S. Pontii, *chartæ*, *sivè diplomata antiquarum donationum*, *in quibus hæc verba inesse solent:* Do-

A no B. Pontio Martyri, & ejus Monasterio constructo à Piissimo Karolo Rege Francorum, & Langabardorum, nec non Patritio Romanorum &c. *ac antiquissima Civium traditio. Quòd si ad quartam* Caroli Magni *in* Italiam *expeditionem quis ægrè referat, aliâ occasione de quâ apud Scriptores non liqueat id evenisse suspicari licet; Nàm ab ejus ævi Historicis, atque etiam ab* Aeginardo *Vitæ* Caroli Magni *Scriptore multa longiori narratione digna cursìm narrata fuisse, ac quamplurima omninò omissa, resque ad tantum Regem spectantes, claras illas quidem per se, & illustres, sed multis tenebris ob historiarum defectum involutas queruntur passim recentiores rerum* Francicarum *Scriptores, undè fabulis asserendis circà res gestas ejus sequacium Militum, ut* Rollandi, Rinaldi, *&* Arnaldi de Bellandâ *materia data est.*

e *Filium Carlomanni* S. Syagrium *asseruimus, licèt in monumentis* S. Pontii *id nequàquam legatur. Accepimus ex* Arbore Genealogicâ Regiæ stirpis Francorum, *quàm descripsit Alphonsus Luscus* in Compend. Hist. *ubi* Carlomanni *Filii, ac consequentèr* Caroli Magni *Patrui Nepotes notantur* Pepinus, *&* Syagrius. *Quamvis verò apud Fratres de* S. Marthâ *dictos, aliosque* Syagrius *non indicetur in arbore eâdem genealogicâ; attamen apud* Volffgangum Lazium, *aliosque scriptores in confesso est, plures extitisse* Carlomanni *filios, quorum unum, adstipulantibus iis, quæ recensuimus monumentis, non abs re quis* Syagrium *dixerit. Non* B *mirum autèm de* Syagrio *Niciensi Episcopo tacuisse* Francos *Scriptores, quandò de aliis Sanctis Viris eidem* Carolo *affinitate junctis paucissima sunt locuti, ut de* S. Simperto *Præsule* Augustano *Caroli itidem Nepote, de quo Gonon. in* Vitis Pat. Occid. lib. IV. *aliisque, quorum gesta recensent monumenta Ecclesiarum.*

f *Quod superiùs de Infidelibus à* Carolo Magno *deletis in* Niciensi *confinio diximus, eatenùs salvari potest, si de* Mauris *ex* Hispaniâ *per* Occitaniam, *&* Provinciam *palabundis intelligamus; licèt à Scriptoribus sileatur ea* Caroli Magni *adversus* Saracenos *in* Provinciâ *expeditio, de ejus enim adventu, præter jam dicta, extant aliqua in eâdem Provinciâ monumenta, ubi inter cætera apud* Jo. Bapt. Guesnay ann. DCCLXXVIII. 120 *habetur vetus inscriptio innuens adventum ejusdem Regis* Arelatem, *ac contrà Infideles* Saracenos *expeditio. Ejus initium tale:*

NOVERINT VNIVERSI, QVOD CVM SERENISS. PRINCEPS CAROLVS MAGNVS FRANCORVM REX CIVITATEM ARELATEM, QVAE AB INFIDELIBVS DETINEBATVR, OBSEDISSET, ET IPSAM VI ARMORVM COEPISSET, ET SARACENI IN EADEM EXISTENTES PRO MAIORI PARTE AVFVGISSENT &c.

*ex his, & superiùs dictis fortasse venisse contrà* Saracenos *in* Provinciæ *fines* Carolum Magnum *non inverisimilitèr quis crediderit.*

---

## TIT. XII.

# B. JOANNES DE MATTA,

## FUNDATOR ORD. SS. TRINIT. REDEMP. CAPTIVORUM.

1. FALCONUM, vulgò *Faucòn* Comitatus *Niciensis* in Valle, Consulatuque *Barchinonæ* est Pagus, in eo natus est *Joannes de Mattâ*, seù dicere mavis *de Mattos*, die 22. Junii, anno Dominicæ Incarnationis MCLX. *Alexandro III.* Summo Pontifice, *Frederico Ænobarbo* Imperatore. Patrem habuit *Euphemium de Matthâ*, Matrem verò *Martham*, illustrem utrumque & genere, & pietate. Dùm autem *Martha*, adhùc *Joannem* utero gestans, aliquandò oraret, vidit apparentem sibi Beatam Virginem, & dicentem: *Puer, quem utero concepisti, ut primùm adoleverit, redemptor erit Christianorum, qui in Barbarorum, Christi Filii mei hostium, terris detinentur captivi.*

2. In rudioribus infantiæ, pueritiæque annis Parentes *Joannem*, optimæ indolis puerum, non minùs lacte, quàm probis, & Christianis moribus educarunt, qui cum sub doctis Præceptoribus Grammaticam, cæterasque inferiores artes edidicisset, factus adolescens, relictâ domo paternâ, heremum petiit non longè positam, ut Christo, quem super omnia diligebat, posset absque ullo obice famulari; in eâque tugurium sibi peranguстum construxit, in quo, hominibus ignotus, soli Deo, & cœlestibus rebus vacabat. Quia vero identidèm a Diabolicis suggestionibus
121 appetitus, ad domum paternam, quam semel reliquerat, repetendam invitabatur, & quià ex sacris litteris didicerat, Hominem solùm, cum ceciderit, non habere sublevantem se, auditâ famâ *Parisiensis* Universitatis, quæ tunc omni scientiarum laude florebat, decrevit eò gressum dirigere, ut vel sic Diaboli, persæpè in solitudine insidian-
C tis, vitaret incursus, ac ut litteris divinis instructus posset aliquandò ad cœlestem vitam capessendam Proximis præstò esse. Venit itaque *Lutetiam* Joannes, ibique cum primò operam dedisset Philosophiæ, Theologiam mòx est aggressus.

3. In divinarum rerum cognitione adeò profecit, tantùmque excelluit, ut dignus à Magistris judicatus sit, qui Magisterii, & Doctoratus titulo insigniretur: quem honorem cum ille, quâ erat præditus humilitate, prò viribus recusaret, admonente posteà, & imperante *D. Petro* Apostolorum Principe, æquo animo accipere passus est. D Divinâ etiam potiùs voluntate, quàm suâ, qui se eâ Dignitate indignissimum asserebat, effectum est, ut Sacerdotio insigniretur, in quo id mirandum accidit, quòd cum de more Sacrum Presbyteratus Ordinem susciperet ab Episcopo, columna ignea ejus capiti irradiavit, stupentibus cunctis, qui rem cominùs prospectabant, ac futuram Viri sanctimoniam eo prodigio auspicabantur. Primam Missam celebravit, maximo ad ejus Sanctitatis opinionem confluentis Populi concursu, atque E assistentibus *Mauritio de Soliaco* Episcopo *Parisiensi*, Rectore Universitatis, & Abbatibus *S. Victoris*, & *S. Genovefæ*. In eo sacerrimo ministerio Deus Hominibus alio prodigio notum fecit, quanti apud se meriti esset *Joannes*, & quot ejus auxilio non tàm corporis libertatem, quàm animi essent assecuturi: Dùm enim incruentum Sacrificium devotissimè celebraret, in ipsâ salutaris Hostiæ elevatione, Angelus veste candidâ indutus, & Cruce rubeâ, & cæruleâ insignitus ipsi apparuit, qui tenens brachia cancellata, captivum

Christianum videbatur hinc indè redimere ab Homine infideli: hoc idem Prælati, qui, ut diximus, aderant, spectaverunt, qui peracto Missæ Sacrificio, inter se quidnam hæc visio portenderet differentes, tandèm Servo Dei consultores fuerunt, ut hâc de re Summum Pontificem, ut potè divinæ voluntatis Interpretem, faceret certiorem, datis ei ad veritatem rei, quæ miranda acciderat, authenticis testimoniis.

4. Horum adhortationibus *Romam* versus ad Summum Pontificem iter agere instituerat, verùm cum posteà humilis Dei Servus apud se recoleret, eam legationem ad suum honorem vergere, seque ex eo, Mundo manifestandum, à quo summoperè abhorrebat, simùlque in mentem revocans Spirituales delicias, quas Adolescens in heremo positus degustarat, decrevit solitariam denuò vitam ducere, donèc Dei placitum clariùs, apertiusque haberet cognitum. Heremum igitur ingreditur iterùm *Joannes*, in quâ cum fuisset per tempus aliquod commoratus, studens meditationi, & lectioni, corpusque jejuniis, & castigationibus spontè susceptis macerans, apparente sibi iterùm Angelo, &, ut *Felicem* Heremitam, se Ductore, inquireret, admonente, tandèm in
122 agrum *Meldensem* concedens, non procùl à loco, in quo *S. Fiacrius* solitariam vitam duxerat, in Montis speluncâ invenit *Felicem* illum, quem tantoperè sitiebat, exactæ Sanctimoniæ laude jam celebrem.

5. Hic siquidèm natione *Valesiensis*, non autèm, ut aliis placet, ex Nobilissimâ *de Valois* stirpe progenitus, spreto eo, quod ad se natu maximum spectabat, amplissimo patrimonio, primò in Presbyterorum numerum cooptatus, in *Meldensis* d inde Diœcesis solitudinem secesserat, vitam victurus Angelicam potiùs, quàm humanam. Postquàm verò uterque sibi in osculo pacis salutem dixit, adventus caussam *Felix* à *Joanne* est percunctatus, simùlque eum humanitèr, & jocundè in tugurium introduxit, rogans ut super fœnum, eo quod defatigatus esset ex itinere, consideret. Tum verò inter *Joannem*, & *Felicem* ea innocens, & religiosa altercatio orta est, quis eorum sederet prior, quæ quondàm *Paulum* inter & *Antonium*, propter panis desuper à corvo allati divisionem. *Joannes* rogabat *Felicem*, utpotè seniorem, ut prior sedere vellet, *Felix* verò propter eximiam humilitatem, & ob reverentiam scientiæ, & doctrinæ, quâ *Joannem* ex ejus verbis præditum agnoscebat, quòdque honorem illum diceret hospitibus tribuendum, sedere priorem eum rogabat. Tandèm eo consilio lis sancta dirempta est, ut ambo sese manibus tenentes, eodem tempore sederent. Post quæ *Joannes* caussam sui adventus narrare exorsus, dixit, se jam diù vitam solitariam, atque à Mundi strepitu semotam amplecti desiderantem, eo quòd difficile sit vitare carnis illebras, & non hærere sæculi blandimentis, id ut assequeretur, requirere in animo habuisse Virum secundùm cor Dei, à quo viam mandatorum, & Monasticam perfectionem edoceretur; cum itaquè voti sui jam compos esset factus, præciperet quod meliùs, & utilius ex Dei beneplacito agendum foret, se enim ab ejus consiliis numquàm discrepaturum. Hæc audiens *Felix*, quâ erat animi demissione, vehementi rubore suffusus est, indignumque se tanto, ac tàm Sancto Hospite affirmavit, quià verò *Joannes* pari decertans humilitate, in eâdem petitione perseverabat, non recusavit *Felix* eum sibi adsciscere Socium, atque adeò per triennium ambo in eâdem solitudine perstiterunt, paribus votis Deum exquirentes, & consentiente in bonum animo, ad Spiritualia exercitia incumbentes.

6. Difundebatur verò ubiquè terrarum bonus odor virtutum, & Sanctitatis, quâ uterque fulgebat; quamobrèm Populi finitimorum Opidorum ad eos frequentèr ibant, eisque Sancti Viri, utpotè qui non sibi ipsis tantùm sed aliis etiam prodesse cuperent, mandata divina, atque iter salutis enunciabant. Eo tempore Deus Servos suos in jejuniis, orationibusque jugitèr perseverantes novo prodigio est consolatus; Nam cum juxtà locum, ubi eorum defixa erant tuguria, fons limpidissimus scaturiret, ad quem Cervus sitim compescendi gratiâ quotidiè adventabat [ undè posteà locus ille dictus est *Cervus frigidus* ] quadam die ultroneus, & blandus ad Viros Dei accessit, de rebus divinis, ut facere consueverant, colloquentes, qui, ut quondàm acciderat *S. Eustachio*, inter ejusdem Cervi cornua, Crucem viderunt irra- 123
diantem, Cervumque ipsum eorum pedibus provolutum, motu corporis adludentem, & blandientem. Permotus hoc spectaculo insueto *Felix* percunctatus est *Joannem*, quid sibi vellet portentum, & quid eo Crucis signo innuere vellet Deus? Tum ille enarrare exorsus est quod sibi acciderat, dum primum Missæ Sacrificium *Parisiis* celebraret: visum sibi fuisse tùm Angelum Splendidissimum candidâ indutum veste, ac in pectore ejusmodi, quam Cervus, Crucem gestantem, qui tenens brachia cancellata, videbatur duos, quos hinc indè habebat, captivos ad invicem permutare: hanc visionem, ait, usque modò silui, & cælavi, licèt Prælati *Parisienses* mihi authores essent Summum Pontificem consulendi, visum enarrandi, atque ejus placita audiendi. His auditis *Felix*, Deo authore evenisse, & in bonum omen tendere quæ uterque viderat, affirmavit; quamobrèm ferventiùs ambo jejuniis, orationibus, & corporis afflictationibus institerunt, ut Deus dignaretur, suum, quod omninò cupiebant, ostendere beneplacitum.

7. Quarè, nolente Domino ampliùs diferri, quod ab æterno disposuerat, novum Sanctissimi Ordinis institutum, tèr in somnis ab Angelo sunt admoniti, ut *Romanum* Pontificem adirent, certam ab eo vitæ regularis formam, & normam accepturi. Nec mora, sæviente quamvis rigidâ hyeme, iter aggressi, *Innocentii III.* Christianorum omnium Patris, & Monachorum maximè Patroni, pedibus provolvuntur. Eorum adventum Pontifici anteà aperuerat Deus, quamobrèm benignè, atque humanitèr eos excipiens, legensque litteras, quibus, ut suprà dictum est, *Joannem* jam pridèm muniverant Prælati *Parisienses*, ac caussam adventus ex amborum ore, qui supplices, pariturique adstabant, edoctus, in suo *Lateranensi* Palatio humanissimum eis præbuit diversorium, usque ad diem 28. Januarii, quâ festivitas *S. Agnetis* secundò agitur: eâ die *Innocentius* convocans Cardinalium cœtum, inter quos tunc temporis eminebant *Joannes* Episcopus Albanensis, *Joannes* Episcopus S. Albinæ, *Nicolaus* Costulanensis, *Quincius* tit. SS. Joannis, & Pauli, *Petrus* Presb. Cardinalis, *Benedictus* tit. S. Susannæ, *Rogerius* S. Anastasiæ, *Gregorius* S. Georgii ad vellus aureum, *Oddo* SS. Sergii, & Bacchi, *Joannes* SS. Cosmæ, & Damiani, & *Pelagius* S. Lucinæ Diac. Cardinalis. His inquam *Innocentius* rem tanti momenti exposuit, simùlque addidit, sibi videri, rem, non secùs, ac authore Spiritu Sancto evenisse. Cardinales sententiam rogati in hæc verba responderunt: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris; verùm, ut nihil temerè*, inquiunt illi, *in re tantæ gravitatis aggrediamur, exquirenda priùs est certior Dei voluntas orationibus, & jejuniis.* Annuit Cardinalium sententiis Pontifex: dixitque: *hâc pro*

*re die crastinâ Missam, si Deo placuerit, celebrabo. interim vos sollicitâ exomologesi vestram excutite conscientiam, ut purgatis animæ sordibus, gratiores Deo evadant vestræ orationes, dignetur que Altissimus, quod è re Ecclesiæ fuerit, aperire:* hoc idem *Joanni*, & *Felici*, ut facerent, imperavit, qui ab horâ
124 vespertinâ usquè in crastinum in assiduis orationibus, & lacrymis pernoctarunt. Die sequenti Summus Pontifex in *Lateranensi* Basilicâ sacra solemnia celebravit, ubi cum de more sacram elevaret Eucharistiam, ut Populo adorandam proponeret, Angelum vidit [quod Parisiis *Joanni* acciderat] candore niveo fulgentem, qui brachiis in diversa junctis, duos captivos hinc indè tenens, unum *Christianum*, & *Maurum* alterum, quasi eos ad invicem permutaret, Crucem rubei, cæruleique coloris eminentem gestabat in pectore. Mysterium itàque, supernè edoctus, intelligens Pontifex, peracto Sacrificio *Joannem*, & *Felicem* advocat lætabundus; quibus, *jam*, inquit, *Filii, animadverto, vos Spiritu Dei ductos Apostolicam sedem consuluisse! Dabo vobis vestes respondentes ei, quæ mihi celebranti oblata est, visioni, eritisque nostri Pontificatus primitiæ, sub quo Altissimo placuit novum Ordinem ad Sanctæ Matris Ecclesiæ incrementum, & utilitatem Fidelium instituere.*

8. Jussit igitur duas consui tunicas candidas, qualitèr indutus sibi visus fuerat Angelus, desupèrque Crucem rubei, & cærulei coloris aptari, iisque benedictione Apostolicâ munitis *Joannem*, & *Felicem* induit, conferens novo Ordini titulum Sanctissimæ Trinitatis, sivè Redemptionis Captivorum, declaravitque non absquè mysterio in vestimentis eorum, tria colorum genera inveniri: Albo videlicet exprimi Deum Patrem; sicuti enim albedo primùs est color alterius nequàquam admixtione compositus, ità Deus Pater omnium rerum Principium sive principio. Cæruleum, eo quod ex albo ad fuscum accedat, Filium indicare, cujus caro cruciatibus affecta, & vulneribus, livorem induit, quo omnes sanati sumus. Rubeum verò ardorem, & Charitatem exprimentem, figuram esse Spiritus Sancti. *Candor*, iterùm ait, *ò Filioli, vos docet animi munditiem, & conscientiæ puritatem, Crux verò quâ parte rubra, fervorem, quo excellere debetis, dilectionis in Deum, & Proximum, quâ verò cærulea, & contusæ carni similis, Christi Passionem designat, quam, Apostolo præcipiente, debetis assiduè, & mente recolere, & in vestro corpore circumferre. Quos verò Captivos dextrâ, sinistrâque mihi visus est Angelus commutare, eos sciatis Captivos indicare, qui vestrâ operâ, & studio, Barbarorum servitute, & catenis liberabuntur: Imitabimini scilicet Christum, qui à peccati vinculis nos redemit, facti Hominum redemptores, id est, dato pretio* Christianos è Saracenorum *manibus redimentes, seù Christianum Hominem pro eo, qui contrariæ Religionis est, commutantes. Et ut numquàm memoriâ excidat dies, quâ vestrum probavit Sedes Apostolica institutum, Beata* Agnes, *cujus solemnitatis octava dies* Romæ *hodiè celebratur, vobis Patrona erit, cujus in eo debetis esse imitatores, ut sicut illa divisit trifariàm bona sua, ità, qui deincèps ad hunc Ordinem assumentur, trifariàm bona sua similitèr dividant, parte unâ alendis Fratribus, alterâ, Hospitibus, Pauperibusque recipiendis, tertiâ verò Captivis Christianis ab Infidelium manibus redimendis assignatâ: ac idcircò volumus, ut Monachi Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione*
125 *Captivorum deincèps dicamini. Revertimini igitur ad locum pristinæ vestræ habitationis, atque ibi ædificantes Ecclesiam, & Monasterium, Ordinis vestri primum ponite fundamentum; dum ego aliud tibi ò* Joannes *in Monte Cœlio cœnobium Romæ ædificabo.* Post hæc remisit eos Pontifex ad Episco-

A pum *Parisiensem*, & Abbatem *S. Victoris*, quibus etiam Apostolicas direxit litteras, de iis, quæ *Romæ* acta fuerant, præstantes testimonium; simùlque *Joanni* præcepit, ut postquàm ad eosdem Episcopum, & Abbatem rediisset, qui, eorum vocatione cognitâ, certum vivendi modum, ac peculiares leges Ordini eorum congruas erant exhibituri, *Romam* ad Pontificiam sedem iteratò reverteretur, ut Apostolicæ authoritatis robore, certus ille vivendi modus, & Regula firmaretur. Demùm prospera cuncta est apprecatus, ac sacrâ Benedictione munitos dimisit.

9. Illi continuò *Parisios* redeuntes, quatuor sibi adjunctis sociis, *Bonifacio, Osberti, Matthæo*, &
B *Vitali*, postquam *Massiliæ* à *Fulcone* Præsule, ac *Hugone de Baucio* honorificè accepti, prima in eâ Urbe jecissent cœnobii fundamenta, supradictis Episcopo, & Abbati Pontificias litteras detulerunt, qui mandatis parentes, quod Divinæ Gloriæ, Apostolicique beneplaciti esse cognoverunt, promptè sunt executi, in primisque dederunt operam, ut ibi primùm Ordinis Monasterium ædificaretur, ubi Pontifex designaverat. Eam porrò ædificationem adjuvit maximè *Gualteri* Castilionensis, Principis Militiæ *Philippi Augusti* Regis *Galliæ*, liberalitas, qui ut primùm servorum
C Dei audivit adventum, Villam eis unicam, quam incolerent, cessit, mòx, temporis successu, cernens imparem confluenti in dies Fratrum numero excipiendo, ampliorem eis locum largitus est; qui *Cervus frigidus* est dictus, eum scilicet, ubi Sancti Anachoretæ, ut suprà diximus, anteà solitariam vitam duxerant, in deserto videlicet *Brodelio* Meldensis Diœcesis, atque ità factum est, ut juxtà *Innocentii* Summi Pontificis votum, primum inibi Ordinis Monasterium exsurgeret, quòd cùm ex aliis, tùm ex quodam inscripto ejusdem Ecclesiæ lapide comprobatur, in quo hæc duo, quæ sequuntur, leguntur carmina:

D MILLESIMO, CENTESIMO, NONAGESIMO OCTAVO
IN CERVO GELIDO FIT TRIADIS PRIMITUS ORDO.

Ex eo Monasterio, cujus ædes Comitissa *Burgundiæ* perhibetur amplificasse, reditibusque auxisse, *Joannes* emittebat identidèm Fratres ad Bellum sacrum, quod tùnc in *Palæstinâ* Christiani exercebant in *Saracenos*, ut pugnantibus assisterent, vulneratos foverent, morientium confessiones exciperent. Id autem Monasterium cum optimè *Joannes* constituisset Monachos inibi degentes *Felici* commendavit indè discessurus: quamob-
E rèm dum omnes in oscula ejus ruerent, obortisque lacrymis ejus discessum lamentarentur, descriptam ab Episcopo *Parisiensi*, & Abbate *S. Victoris* propriæ vitæ Regulam secum deferens ad *Innocentium* Pontificem remeavit.

10. Perfusus est non modicâ *Innocentius* voluptate, viso iterùm *Joanne*, & lectis, quas Prælati *Parisienses* ediderant, Regulis proprii instituti, easque mòx confirmans, Apostolico diplomate roboravit; quin etiam eidem *Joanni*, ejusque 126
in perpetuum successoribus Ecclesiam *S. Thomæ*, & *S. Michaëlis de Formis* in Monte *Cælio* assigna-
F vit: Prætereà Ecclesiam *S. Salvatoris* [ut constat ex confirmatione *Honorii III* quæ asservatur in tabulariis Vaticani] sitam ad Montem *Sanctum* in Castro *Verelatensi* Diœcesis *Spoletanæ*; nec non Ecclesiam *S. Mariæ de Lantano* in Diœcesi *Tudertensi*, Ecclesiamque S. Trinitatis in Diœcesi *Aniciensi*. In Urbe verò præter jam dictas *S. Thomæ*, & *S. Michaëlis*, addidit Ecclesiam *S. Isidori*, & totum Montem majorem post *Absidiam*. *Joannem* verò statim primum Ordinis Ministrum Gene-

Generalem constituit, qui incipiens ei ergà Proximos Charitatis officio dare operam, ad quod à Deo electus fuerat, intrà quatuor menses primam captivorum instituit Redemptionem, duosque ad rem faciliùs, & tutiùs peragendam Ordinis constituit Redemptores, qui cuncta celeriter, prudenterque disponerent.

11. Arrisit bono operis incepto Pontifex *Innocentius*, & *Joannem* non solùm ad Redemptionem faciendam magnâ pecuniæ summâ juvit, quod idem fecerunt alii Magnates, & Prælati, sed etiam ad *Marochitanum* Regem has, quas apponimus, direxit litteras:

*Innocentius Papa III. Illustri Miramolino Regi Marochitano, & Subditis ejus ad veritatis notitiam pervenire, & in eâ salubriter permanere.*

*INter opera misericordiæ, quæ Jesus Christus Dominus noster Fidelibus suis in Evangelio commendavit, non minorem locum obtinet Redemptio Captivorum; undè Personis illis, quæ circà talia occupantur, favorem debemus Apostolicum impertiri. Sanè Viri quidam, de quorum existunt numero præsentium gestitores, nupèr divinitùs inflammati, Regulam, ac Ordinem invenerunt, per cujus instituta, tertiam partem proventuum omnium, vel quæ nunc habent, vel in futurum poterunt obtinere, in redemptionem debent impendere Captivorum, & ut meliùs valeant suum propositum adimplere, cum faciliùs per commutationem, quàm per redemptionem de captivitatis ergastulo valeant liberari, ut Paganos Captivos à Christianis redimant est concessum, quos prò liberandis Christianis debent commutare. Cœterùm, quoniàm bona, quæ præmisimus, & Christianis expediunt, & Paganis, hujusmodi vobis duximus per Apostolicas litteras intimanda. Insupèr autèm vobis ille, qui Via, Veritas est, & Vita, det, ut cognitâ veritate, quæ Christus est, ad eam venire quantociùs sustineatis. Dat. Laterani VIII. Id. Maji Pontific. nostri Anno secundo.*

12. Per se ipsum autem multas perfecit *Joannes* redemptiones, quamobrèm sæpè ad *Aphricæ* littora, & *Tunetum* præcipuè navigavit, ubi anno MCCX. illud memorandum accidit, quòd cum *Mauros* convenisset, multos hominum illic in captivitate degentium redempturus, illumque multæ, quas pollicitus erat, pecuniæ deficerent, acti in iracundiam *Saraceni*, Virum Dei spoliantes, flagellis crudelitèr ceciderunt: àt ille semivivus relictus, paulò post vires non nihil resumens, imaginem Beatæ Virginis, quam semper secum deferebat, è sinu eduxit, & ab eâ obortis lacrymis subsidium postulavit, non tàm sibi, quàm miseris Christianis, quos in *Tunetanâ* captivitate relinquere cogebatur. Annuit piæ petitioni Mater
127 pietatis; in specie enim pulcherrimæ Virginis apparens, tot suppeditavit pecunias, quot ad redimendos Christianos necessè erant. Nec verò hic mirabilium finis; Nam vix Sociis, quos redemerat, Christianis, in navim ascenderat, ex *Aphricâ* in *Europam* navigaturus, cum *Mauri*, eo quòd scivissent illum verbis solatum fuisse eos, quos tùnc præ multitudine redimere non poterat, hortatumque eosdem ad patientiam in adversis, & in avitâ Christi Fide confirmasse, *Mauri* inquam perfidè in eum exardescentes, navim jam jam soluturam adeunt, atque in ipso *Tunetano* Portu omnia ipsius vela dilacerant, ut Christiani, qui in eo navigio vehebantur, frui nequirent eâ, quam tantopere exoptaverant, libertate, immò vix Portum egressi, in medio pelago naufragium paterentur. At verò imperterritus Servus Dei *Joannes*, divinæ providentiæ fidens, atque ora-

A tione munitus, velorum vice palliolum suum ex antennis suspendit, atque ità felicitèr navigavit, ut sex horarum spatio è *Tunctano* Portu ad Ostia *Tiberina*, incolumes omnes appulerint.

13. Aliquandò *Valentiam* venerat, multos à *Mauris* Christianos captivos redempturus, cùmque iterùm nummos, quotquot erant ad redemptionem necessarii, non haberet, Missam de Beatâ Virgine celebravit, cui necessitatem commendavit Pauperum Captivorum, ad quos liberandos *Valentiam* accesserat: quarè, peracto Missæ Sacrificio, abundè vidit suis precibus satisfactum, inventâ juxtâ altare eâ pecuniæ summâ, quâ in-
B digebat. Hæc, aliaque admiranda intuitu Servi Sui *Joannis* effecit Deus; ille autèm nihil habebat antiquiùs, quàm Divinæ gloriæ, & Proximorum, præcipuè Captivorum saluti studere: quam ob rem ab omnibus ut Pater pauperum diligebatur, imprimisque ab *Innocentio* Pontifice, qui non solùm eum propter eximiam sapientiam, rerum agendarum peritiam, & Sanctitatem, Capellani Pontificii titulo decoravit, verùm etiam Legatum Apostolicum cum omnimodâ authoritate ad *Dalmatas*, aliasque Nationes transmisit. Nàm cum *Vulcanus* ejus Oræ Rex pro vitiis ex-
C stirpandis, & reformandis moribus Legatos à *Romano* Pontifice exorasset, *Joannes de Mattâ*, & *Simon* ejus Socius illùc ab eodem Pontifice sunt directi, ubi authoritate Apostolicâ præsidentes, Provincialem Synodum celebrarunt, in quâ septem Episcopi, & unus Archipresbyter convenerunt. In eâ Synodo actum est adversùs Simoniacâ labe infectos, de Cœlibatu Sacerdotum, de gradibus, & temporibus Sacrorum Ordinum, aliisque pernecessariis. *Joannem* præterea *Antibarensem*, & *Dioclensem* Archiepiscopum, misso ab *Innocentio* Pontifice pallio insignivit, creavitque, fretus Pontificiâ authoritate, duos Metropolitas.
D Qualia autèm *Joannes* cum *Simone* Socio, eâ in Regione, virtutum dederit indicia, *Vulcani* Regis litteræ ad *Innocentium* datæ edocent.

Odoric. Rainaldus Annal. Eccles. tom. 13. ann. 1199. n. 55.

*Beatissimo, atque Sanctissimo Patri, & Domino Innocentio Dei gratiâ Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Summo Pontifici, & Universali Papæ, Vulcanus eâdem gratiâ Diocliæ, atque Dalmatiæ Rex salutem, & devotionis affectum.*

*VEnientibus ad nostram præsentiam Domino Joanne Capellano, & Domino S. Religiosis, & discretis S. Catholicæ, & Apostolicæ Sedis Legatis amodò jucundati sumus, quià sicut solis splendor in* 128
E *virtute suâ radians totum Orbem videtur illustrare, ità illorum sanctâ, & salubri prædicatione totum Regnum nostrum creditur fore illustratum. Undè meritò dicimus: Visitavit nos oriens ex alto. Illorum itàque probitate, & scientiâ nos informati, Deo, & Paternitati vestræ innumeras grates rependere curamus, quià tales ad nos misistis, quales in voto habuimus suscipiendos, divino munere præditos, quià omne datum optimum, & omne donum perfectum desursùm est. Præsentatis igitur litteris vestris, intelleximus, quià postulationibus nostris Apostolatus vestri Beatitudo misericorditèr acquievit. Undè nos cum magnâ animi devotione præcipimus, ut per to-*
F *tum Regnum nostrum omnia, quæ secundùm Deum sunt, ordinent, & confirment &c.*

14. Nec minus sibi ipsi *Joannes*, quàm aliis vixit, siquidèm prætcrquàm quod in vineâ Domini quotidiè laborabat, tàm Ordinem, quem instituerat, gubernando, quàm redemptionibus Captivorum operam dando, cibi ad inediam usque erat abstinentissimus, somno minimè obnoxius, horas ad summum quatuor, suppositâ humi brevi storeâ, quietem defatigato corpori indul-

dulgebat, reliquis noctis horis, nisi necessario negotio aliquo impeditus, assiduæ, nec intermissæ orationi intendebat. Interdùm etiam promens eam sapientiam, quâ adfluebat, verbum Dei Populo prædicabat, magno audientium fructu. His virtutum meritis, quantùm Deo evasit gratus, Hominibusque acceptus, tantùm fuit Dæmonibus metuendus, quos *Romæ* existens ex homine energumeno expulit, impositâ ejus capiti suâ veste, & invocato nomine Sanctissimæ Triadis.

15. Tandem postquàm laudabiliter annos sexdecim Generalis Minister Ordini præfuisset, ad superna gaudia ab Altissimo evocatus est, obdormivitque in Domino *Romæ* in Cœnobio suo *S. Thomæ de Formis* in Monte *Cælio*, anno ætatis suæ quarto, & quinquagesimo, seù, ut scribunt alii, sexagesimo, Christi verò anno MCCXIV. In ejus transitu splendor ingens de Cœlo descendens, & circà Sacrum ejus corpus irradians visus est. *Innocentius* verò Pontifex, qui *Joannem* tantoperè dilexerat, dum viveret, eò magis defunctum do-

A luit, voluitque ejus exequiis cum multis purpuratis Patribus interesse, quo etiam præcipiente, venerandum corpus quatuor diebus inhumatum relictum est, propter magnam hominum frequentiam, qui ejus contactu frui maximè cupiebant; quo tempore quatuor viri oculis destituti, ut Sacrum Corpus tetigerunt, luce donati sunt; & fœmina manum habens aridam, ut brachium *Joannis* corpori suo admovit, sanitatem est assecuta.
B Transactis quatuor, quos dixi, diebus, ipso Pontifice cum Cardinalibus assistente, corpus *B. Joannis* sepulturæ mandatum est, jussitque idem Pontifex, ut ob magnam, quâ excelluerat, sanctitatem, honorifico, sumptuosoque tumulo sublimis sepeliretur in Monasterio *S. Thomæ de Formis*. Ex eo tumulo per multos annos salutaris liquor in modum olei ad Infirmorum medicinam, & sanitatem fluere visus est. Porrò inibi ad æter- 129
nam rei memoriam apposita est in marmore hæc inscriptio:

ANNO DOMINICAE INCARN. M.C.LXXXX. VII. PONTIFICAT. VERO DOMINI INNOCENTII PAPAE III. AN. DEC. V. CAL. IANVAR. INSTITVTVS EST NVTV DEI ORDO SANCTISS. TRINITATIS A FRATRE IOANNE SVB PROPRIA REGVLA SIBI AB APOSTOLICA SEDE CONCESSA. SEPVLTVS EST IDEM F. IN HOC LOCO AN. DOMINI M. CC. XIII.

## NOTATIONES.

C a DE B. Joanne de Mattâ *scripserunt Robert. Gaguin.* in Histor. Francor. *in* Philip. Augusto, *&* in Chronicis Ord. SS. Trinitatis, *cujus, teste Gabriele Michaëlis* in Viris Illustr. Galliæ, *fuit Minister Generalis anno* MCCCCLXXIII. Jacob Burgensis *ejusdem Ord. Provincialis*, *Francisc. à S. Laurent.* in Compend. Vitæ Patriarcharum SS. Jo. & Fel. *Joan. à S. Bonavent. in Fascic. trium florum. Carolus Gente Nicien. in libello, cui titulus est :* La Santa Confraternità del Redentore *dicato Sereniss. Principi* Mauritio à Sabaudiâ; *Præterea Jo. Bapt. de Guesnay* in Annal. Massil. an. MCCII. Martyrol. Gallic. in supplem. 21. Decemb. *Ciacon.* in Innoc. III. *Aug. ab Eccl.* in Coron. Reg. par. 11. pag. 72. *Paulus Morigia* de Religios. Ordinib. *Odoric. Rainald. in Annal. Eccles. tom.* XIII. *Theoph. Rainaudus* in Scapulari Partenocarmel. par. 11. q. 7.

b *Nos ex eâ, quam affert Bened. Gononus* in Vitis Pat. Occidentis lib. VI. *ex antiquis monumentis Monast. SS. Trinit.* Avenionensis; *& ex iis quæ in Monasterio* Genuensi *habentur*, *Vitam hujus Sancti Viri descripsimus*, *alia*, *ex aliis supplentes* *Monasterii* Genuen. *monumenta R. P. F.* Jo. Bapt. Garrachius *Carmelita Nicien. in eâ Civitate degens, à Patribus SS. Trinit. benignè concessa ad nos transmisit.*

D c *Ordinis SS. Trinitatis extat Conventus*, *seù Monasterium in Castro* S. Stephani *Tineensis in Comitatu* Niciensi *olim fundatum.*

d *Inscriptionem*, *quam suprà adduximus*, *tumuli* B. Joannis, *afferunt etiam* Gonon. *& Author Gallus* in fine libri de Dominiis, & Imperiis, *ac alii*, *irrepsit tamen error*; *dum dicitur sepultus an.* MCCXIII. *&* MCCXIV.

e *Habuimus etiam Orationes proprias* SS. Jo. *&* Felicis *exhibitas* Romæ *superioribus Ordinis anno* MDCXLIX. ex *vetusto* Breviario Provinciæ Anglicanæ, *quas hic in gratiam Lectoris apponimus.*

DEUS, qui inter Beatos Patres nostros *Joannem*, & *Felicem* hunc Ordinem sub nomine Sanctissimæ Trinitatis, ad redimendos de potestate *Saracenorum* Captivos, cælitus instituere dignatus es, præsta quæsumus, ut eorum suffragantibus meritis, à captivitate corporis, & animæ, te adjuvante liberemur. Per &c.

Deus, qui nos Sanctorum Confessorum tuorum *Joannis*, & *Felicis* Patrum nostrorum confessionibus gloriosis circumdas, & protegis, da nobis, ex eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere: Per &c.

E *Hic* Joanni, *&* Felici *datur titulus Sancti*, *quem etiam præferunt aliquæ imagines*, *ac Ordinis SS. Trin.* 130
*Authores nonnulli*; *ego tantùm Beatum voco* Joannem de Matta, *non solum quià à sanæ mentis scriptoribus sic vocari animadverti*, *sed etiam quià ab Ecclesia nondùm syllabo Sanctorum nominatim inscriptum puto*, *ut ait* Gononus *in notis ad ejus Vitam.*

---

TIT. XIII.

# HUGO DE S. CARO,

## S. R. E. CARDINALIS.

1. B*archinona* in *Alpibus*, Comitatuque *Niciensi*, alia ab eâ, quæ est in *Hispaniâ*, peperit *Hugonem* Cardinalem, varie indigitatum:

F Dicitur enim Hugo *de S. Caro*, sivè Carensis, *de S. Theodorico*, *de S. Jacobo*, *de Celidorio*. Adolescens *Lutetiam* venit *Parisiorum*, ubi liberalibus disci-

disciplinis operam navans, & Sacræ *Theologiæ* studium aggressus, eâ floruit doctrinâ, & eruditione, ut Baccalaureus factus, sacras ibidem litteras, summo omnium plausu, Auditorumque frequentiâ sit publicè interpretatus. Nec minor in eo fuit pietas, & sanctimonia, quàm doctrina: ùt enim perfectiorem degeret vitam, præsertìm *Humberti de Romanis*, qui alibi *Romonensis* dicitur, Auditoris sui, posteà Quinti Prædicatorum Ordinis Generalis Magistri, piâ adhortatione, *S. Dominici* institutum amplexus est, quod non minùs sanctitate, quàm sapientiâ illustravit. Religioso habitu indutus est à Beato *Jordane* Secundo ejusdem Ordinis Generali Magistro, anno MCCXXVII. die festo Cathedræ Principis Apostolorum, ut ex *Gerardo Lemovicensi* ait *Vincentius Justinianus*.

Chron. Ord. Præd. lib. 4. de Vit. Frat. cap. 10. §. 2.

2. Monasticas leges adamussim excoluit, eaque simul præstitit probitatis, & ingenii documenta, ut sacris Ordinibus initiatus, mox omnium consensu, Doctoratus laureâ insignitus sit, tertius, qui ex Ordine Prædicatorum Theologiam summâ cum laude docuerit in Academiâ *Parisiensi*, & primus, qui [ut ex libro M. S. de fundatione Ecclesiæ *Lugdunensis* eruere se testatur P. *Theoph. Rainaudus*] ex eodem Ordine Doctor Theologus creatus sit. Eâ in cathedrâ constitutus, solemni disputatione, sub auspiciis *Guilielmi Parisiensis* Episcopi, cum aliis Sacræ Theologiæ Doctoribus, damnavit plura Ecclesiastica beneficia retinentes. Variis deindè in Cœnobiis Prioratus functus officio, postmodùm Provinciæ *Franciæ* Prior Provincialis creatus est, in quibus omnibus Officiis, ex vi obedientiæ susceptis, Pastorem vigilantissimum, & Disciplinæ Religiosæ,
131 cùm exemplo, tùm verbo, Custodem acerrimum se exhibuit, adeò ut, defuncto eo, quem dixi, *B. Jordane* supremo Ordinis Magistro, ad totius Ordinis Magistratum, dum anno MCCXXXVIII. Comitia generalia Fratrum, *Bononiæ*, pro novâ electione celebrarentur, paribus votis, ac suffragiis, cum *Alberto Magno* certaverit, non semèl, sed iterùm, ac tertiò. Idem de *Hugone* in Generalem Ordinis assumendo præstitum est, cum Dignitati cessisset *S. Raimundus* anno MCCXL. quo tempore ad novam usque electionem, quâ postmodùm *Joannes* Teutonicus in Generalem Magistrum est assumptus, Vicarii Generalis *Hugo*, magna cum laude est functus officio.

In Mantiss. ad Indic. SS. Lugd.

3. Cum ejus doctrinæ, & Sanctimoniæ fama ad aures *Gregorii Noni* Pontificis Summi perlata esset, in gravissimis Christianæ Reipublicæ negotiis eo sæpius usus est; atque inter cætera, accersitum, ut unionis Ecclesiarum caussam ageret, ad *Græcorum* Imperatorem destinavit, unà cum Fratribus *Petro* sui Ordinis Sacerdote, & *Aymone*, ac *Rodulpho* Minoribus *S. Francisci*, quos omnes virtus non minùs, quàm scientia commendabat. Hujus legationis anno MCCXXXIII. res gestas latè prosequitur *Odoricus Rainaldus*, ex narratione ab ipso *Hugone*, & Sociis ad *Gregorium* Pontificem missâ, cujus initium: *Anno Domini M. CC. XXXIII. mense Januarii Nos de Ordine Fratrum Prædicatorum, Fr. Hugo, & Fr. Petrus; de Ord. Fratrum Minorum Fr. Aymo, & Fr. Rodulphus Nuncii Domini Papæ, missi ad Archiepiscopum Græcorum, intravimus Nicæam* [Bithyniæ], *Dominicâ primâ post Octavam Epiphaniæ, hora quasi vespertinâ, &c.* pergit narrare qualia cum Archiepiscopo, & postmodùm cum ipso Imperatore egerint. *Gregorii* verò in Pontificatu Successor *Innocentius IV.* Hugonem Archiepiscopatus *Lugdunensis* infulis decoravit, anno MCCXLIV. mox in Concilio *Lugdunensi*, ubi primùm sunt Cardinales purpurâ insigniti, primum ex Prædicatorum Ordine *Innocentius* idem, summâ omnium lætitiâ

Annal. Eccl. an. 1233. nu. 5.

A S. R. E. Cardinalem creavit, sub tit. *S. Sabinæ*, in jejuniis quatuor temporum Adventus. Harum Dignitatum frequentiæ *Hugo* obstitit, quoad potuit, donèc Summo Christi Vicario ex obedientiâ præcipiente, *Galliarum* Rege expetente, & Ordine annuente, subire coactus est, ægro, & invito licèt animo. Sicuti verò ea Dignitatum munia prudentèr, exactèque administrabat, ità à pristinæ Vitæ studio deflexit numquàm, numquàm Religiosam observantiam est oblitus.

4. Erat *Hugo* Pontifici *Innocentio* acceptissimus, quippè qui ejus prudentiam, morum gravitatem,
B rerum peritiam, atque omnimodam sapientiam æquus rerum æstimator apprimè noverat, ejusque operâ, ad Orbis gravissima negotia administranda familiarissimè utebatur. Eo tempore post Concilium *Lugduni* in *Galliâ* celebratum, *Fridericum Secundum*, acerrimum Ecclesiæ Hostem, anathemate perculsum, Imperio etiam *Innocentius* abdicarat, cumque alium in *Friderici* locum præficere Imperatorem meditaretur, ad rem tàm arduam, totque implicitam difficultatibus peragendam, *Hugonem* credidit peridoneum, qui Legatus à latere ad Principes Electores in *Germaniam* missus est, ut eos ad alterius electionem adhorta-
C retur, seù veriùs, ut *Guilielmi* Hollandiæ Comitis, in *Romanorum* Regem assumpti, electionem ratam haberent. Id negotium, etsi multis septum undique angustiis, prudenter, & intrepidè tractavit, deindè *Germaniæ* partibus peragratis, *Leodium* in *Belgium* concessit, ibique non solùm in Ecclesia *S. Martini*, sermone ad Populum habito, de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento solidè non minùs, quàm piè disseruit, [multiplices fructus solemnitatis anniversariæ Corporis Christi enumerans, quam scilicèt, cum adhùc esset Provincialis, specialiùs quotannis in Ecclesiâ celebrari curarat] sed etiam Ecclesiam *Leo-* 132
D *diensem* ad formam Ecclesiæ suæ *Lugdunensis* composuit. Deindè ad Pontificem remeavit, à quo meritis laudibus, dignisque honoribus est acceptus, majorique postmodùm in pretio habitus.

5. Nec verò is erat *Hugo*, qui eâ Pontificis clientelâ [ut plerisque apud magnos Principes degentibus facere mos est] in suum privatum commodum uteretur; nihil enim habebat antiquiùs, quàm veritatis liberum, intrepidumque se præbere assertorem, publicum Ecclesiæ bonum curare, easque omnes boni Senatoris, & Consiliarii partes explere, quæ Cardinalem Summi Pontificis in Urbis regimine Coadjutorem de-
E cent. Nihili verò interim faciebat hominum in se odia, privatumvè quodvis incommodum, dummodò propositum justitiæ exequeretur: in quo genere, de eo inter cætera prædicatur, quòd oblatum aliquando magnum auri pondus, mille videlicèt *Turonensium* libras, ut verbum unum reticeret, magno, & invicto animo contempsit, nihil sibi acceptius esse affirmans, quàm divinam Gloriam, nihilque ingratius, quàm Christianæ Reipublicæ bonum proprio commodo metiri.

6. Porrò qui commune Ecclesiæ bonum ità sedulò curabat, non minùs erga peculiarem homi-
F num egestatem munificus erat, ac liberalis: Pauperibus enim semper ejus patebant fores, quos recreabat cibo, & indumento, Viduarum, & Orphanorum Patronus, eorum calamitatibus consilio, & pecuniâ præstò erat. Attamen sibi non minùs, quàm aliis vixit. Interdiù gravissimis implicitus negotiis, nocturnum tempus, post brevem somnum, orationi, meditationi, lectioni, & scriptioni reliquum tribuebat. Scripsit super *Genesim*, & universum *Bibliorum* opus, idque juxtà quadruplicem *sensum*, *litteralem*, *anagogicum*, *allegoricum*, & *moralem* est commentatus.

Lucu-

Luculento prætereà commentario illustravit *quatuor libros sententiarum:* Insuper *abbreviationem* quandam edidit in eosdem, *Speculum Missæ*, *Expositionem in Historiam scolasticam* per modum postillæ, aliaque multa: quod verò Hominum admirationem in se traxit, excogitavit infinitum, ut ità dicam, multi & laboris, & temporis plane opus, *Concordantias* videlicèt *Bibliorum*, Fratrum suorum Prædicatorum adjutus ope, incredibili Sacræ litteraturæ studiosorum utilitate, quod postea *Conradus Halberstadius* anno MCCXC. [facilè cum sit inventis addere, ut ait *P. Rainaudus*] admodùm locupletavit, addens dictiones Bibliorum indeclinabiles, nam *Hugo* declinabiles solùm
133 digesserat. *Compendium* prætereà scripsit *Theologiæ*, & *Speculum Sanctæ Ecclesiæ*, quod alii *Speculum Religiosorum* vocant. Regulas etiam *Carmelitarum* circà annum MCCXLVIII. *Innocentio* Pontifice imponente, unà cum *Gulielmo* Anteradensi Episcopo, glossis illustravit, & temperavit. Demùm Epistolam de Festo *S. Dominici* servando, per *Germaniam*, *Bohemiam*, *Daciam*, *Poloniam*, & *Moraviam*, cum ibi degeret Legatus à latere, evulgavit, in quibus omnibus, reconditam ingenio multiplicem sapientiam, divinarumque rerum notitiam posteris patefecit.

7. Demùm innumeris prò Ecclesiâ Dei exantlatis laboribus, cum multa scripsisset, multisque in toto vitæ decursu [quod caput est] virtutibus coruscasset, extremo morbo affectus, è vitâ lætus excessit, utpotè qui mortem fuerat semper præmeditatus, susceptis, antequàm animam Creatori redderet, ritè, devotèque Ecclesiasticis Sacramentis, quo tempore hæc ab eo dicta feruntur verba: *Maluissem morbo elephantino in Ordine meo Prædicatorio captum egisse vitam, quàm galero isto caput meum fuisse oneratum.* Obiit Urbeveteri 14. Kal. April. anno Domini MCCLXIV. sivè MCCLX. Ejus Corpus in Ecclesiâ *S. Dominici* ejusdem Civitatis primò humatum est, interfueruntque ejus funeri non solùm Ecclesiastici Prælati permulti, & Cardinales, sed ipse etiam Summus Pontifex, qui tunc temporis erat *Urbanus V.* ejus verò Sepulcrum his versibus est notatum:

ECCLIPSIM PATITVR, SAPIENTIAE SOL SEPELITVR,
FELICI FINE SANCTAE QVOQVE CARDO SABINAE
ISTE FVIT, PER QVEM PATVIT DOCTRINA SOPHIAE,
PRAECO DEI, DOCTOR FIDEI, CYTHARISTA MARIAE.
HVGO SIBI NOMEN, ET CARDO PRAESBITER OMEN,
PATRIA NATALIS BVRGVNDIA, ROMA LOCALIS.
SOLVITVR IN CINERES HVGO, CVI SI FORET HAERES
IN TERRIS VNVS, MINVS ESSET FLEBILE FVNVS.

8. Aliquibus postmodùm elapsis annis, cum apertus fuisset ejusdem tumulus, corpus integrum fermè inventum, & incorruptum, ex *Italiâ* in Galliam *Lugdunum* translatum est, cujus Civitatis quondàm fuerat Archiepiscopus, ibique, adstante ingenti Populi multitudine, nec non quamplurimis Clericis, & Prælatis, per Venerabilem Patrem *Guidonem*, qui posteà ad *Romanum* Pontificatum assumptus, *Clemens IV.* dictus est, iteratò sepultum, in Choro Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum, quâ parte respicit Aquilonem, mòx tumulus sequenti epigraphe est inscriptus:

HIC IACET D. HVGO DE S. THEODORICO ORD. FRAT. PRAED. HVIVS CONVENTVS, SACRAE THEOLOGIAE DOCT. ET PRAED. EGREGIVS, QVONDAM CARD. SABINENSIS. QVI OBIIT ANNO DOMINI M. CC. LXIV.
XIV. KAL. APRIL.

Diversam ab hâc, & prolixiorem tumuli inscriptionem affert *Vinc. Justinianus*, quæ talis est: 134

IN HOC SEPVLCRO IACET VIR VENERABILIS, DEO, ET HOMINIBVS GRATIOSVS F. HVGO DE CELIDORIO, VIENNENS. DIOECES. TIT. S. SABINAE QVONDAM PRAESB. CARD. LVMINARE MAGNVM ECCLESIAE, ORD. FR. PRAED. LVCERNA, THEOLOGIAE PARISIIS DOCTOR EGREG. FAMOSVS SCRIPTVRARVM TRADITOR, ET EXPOSITOR PRAELVCIDVS, VERBI DEI PRAEDICATOR EXIM. OLIVA PIETATIS, PALMA IVSTITIAE, SPECVLVM HONESTAT. RELIGIOSOR. PATRONVS, VERITATIS PRECO, PATER PAVPERVM, ET SOLATIVM MISERORVM. OBIIT AN. M. CC. LX. II.
XIV. KAL. APRIL.

In hâc inscriptione, acetiam in *Ciaconio* falsò ponitur illud verbum [*Viennens. Diœces.*] *Barchinona* enim *Hugonis* Patria est sub *Ebredunensi*, atque diversimodè à superiori designatur anno MCCLXII. obitus *Hugonis*, quem alii etiam sub anno MCCLX. constituunt.

## NOTATIONES.

a *De hoc non minùs Sancto, quàm docto Cardinali agunt non solùm omnes, qui de Cardinalibus, ac Viris Illustribus* Dominicæ *familiæ scripserunt, ut* Leand. Albert. Ciaconius, D. Antonin. Florentin. Michaël Piò, *& alii, verùm etiam quotquot de Viris, qui eo sæculo scientiâ excelluerunt, syllabum texunt. Locupletiùs tamèn omnibus* F. Vincentius Justinianus *Ord. Prædic. ex plerisque Auctoribus*, Hugonis *gesta collegit, apposuitque initio ejus operum. P. Theoph. Rainaudus* in Mantissâ ad Indic. SS. Lugdun. ac *Franc.*

*Augustinus ab Eccles.* in Cardinalibus Dominii Sabaudici *aliquantò succinctiùs de eo agunt. Ex his, utpotè* A
*qui ex probatis Scriptoribus videntur historiæ veritatem investigasse, accepi quæcunque de* Hugone *dixi.*

b *Patria* Hugonis *Cardinalis est, non* Barcino *Hispaniæ, ut aliqui allucinati sunt, sed in* Nicienſi *Comitatu, ut diximus,* Barchinona; *vocatur autem natione* Burgundus, *quià olim ea Vallis* Burgundiæ *veteri adjacebat, quam sub nomine* Sabaudiæ *compræhendit* Theodoricus Vallifcoris, *dum in Vitâ* Urbani IV. *enumerans Cardinales, qui eum in Summum Pontificem elegerunt, ait de Hugone:*

Totque Sacerdotes: genuiſſe Sabaudia primum
Dicitur Hugonem, qui Jacobita fuit.

*at* P. Jacobus Tirinus *in Indice Auctorum, ob Regionis viciniam, ortum asserit ex* Delphinatu, *cum tamen* Barchinona *nunc terminis* Delphinatus *non includatur.*

135 c Hugonem *non obiisse* Lugduni, *sed* Urbeveteri *tradunt plerique Scriptores ex* Dominicanis, *ut S. Antonin.* par. III. tit. XXIII. cap. XI. §. I. *Seraph. Razzus* de Vir. Ill. Ord. Præd. *Ciacon. Justinian. & alii contrà* Sixtum Senenſ. & Poſſevinum *apud P. Rainaud.* in mantiſſâ ad SS. Lugdun. *neque ex lapide ejus tumuli* Lugdunenſis *probari videtur obiisse* Lugduni, *ut iisdem placet, cum ex supradictis Auctoribus habeamus,* Lugdunum *translatum fuisse* Hugonis *defuncti* Urbeveteri *corpus.*

d *Martin. Polonus* in chronico an. Chriſti MCCXLIII. *in* Innocentio IV. *commendat* Hugonis *virtutes* B
*his verbis:* His temporibus floruit vitâ, & ſcientiâ Venerabilis Dominus *Hugo* Cardinalis, Frater Prædicatorum Ordinis, qui Doctor eximius, doctrinâ ſanâ, & perlucidâ, totam Bibliam poſtillis ornavit: Concordantiarum etiam Biblicarum primus Auctor fuit. Quem propter vitæ, & doctrinæ famam Papa *Innocentius* S. Sabinæ inſtituit Cardinalem. In quo ſtatu licèt eſſet de Ordine Prædicatorum, omnibus tamen Religioſis, ac etiam Sæcularibus placidus extitit.

---

## TIT. XIV.

# FRANCISCUS DE MAYRONIS,
## DOCT. THEOLOGUS ORD. MINORUM.

1. M*Ayronem*, ſivè *Mayronæ*, vulgò *Meironos* Vallis *Barchinonenſis* Pagus in Comitatu *Nicienſi*, Patria fuit *Franciſci*, unde *de Mayronis* ei cognomen dedit, qui neque ex *Scotiâ*, ut aſſerit *Bellarminus*, neque ex *Dignâ*, aut *Ciſterico* in *Provinciâ*, ut ſcripſit *Arturus à Monaſterio*, extitit oriundus. (In Seraph. Monum. Prov. S. Ludov.) Eo in Pago, teſte *Paulo Britio* Albenſi Epiſcopo, loci Incolæ vetuſta aliquot mapalia Religioſè adhùc noſtris temporibus venerantur, in quibus *Franciſcus* ortus, & à ſuis Parentibus cœteròquì piis, non multùm tamen divitiarum copiâ adfluentibus, in viridioribus annis enutritus eſt. Felicior longè fortuna Natalium humilitatem mòx ſubſecuta eſt: Nam, ut adolevit, Minorum Divi *Franciſci* Ordinem ingreſſus, & *Lutetiàm* miſſus *Pariſiorum*, tantùm ſub *Nicolai de Lyrâ*, ut ſcribit *Andreas Thevetus* Coſmographus, (Tom. 2. Coſmog. lib. 15. c. 10.) & *Joannis Duns Scotti*, [cujus *Franciſcus* in ſuis elucubrationibus grati animi ergò crebrò reminiſcitur] diſciplinâ profecit, ut in Scholaſticæ Theologiæ, & divinarum litterarum cognitione nulli ſecundus, omnium, qui de ipſo ſcripſerunt, calculo, eo ſæculo haberetur. Quamobrem in *Pariſienſi* Academiâ Doctorali laureâ illuſtratus, *Doctoris Acuti, & Illuminati* meritò appellationem ſortitus eſt. *Sorbonicæ* illius palæſtræ,
136 & exercitationis inſtituendæ primus omnium Author fuit anno Chriſti MCCCXV, quâ æſtivo tempore ſingulis diebus Veneris, morem in *Pariſienſem* Academiam invexit, objectis reſpondendi, ab Horâ quintâ matutinâ ad ſeptimam veſpertinam, ſine ſocio, ſine Præſide, ſine prandio, & paſtu, ſine ullâ emigratione, in eâdem perpetuò corporis ſede, & animi contentione, donec cunctis objicientibus ſatisfactum ſit, in cujus rei perpetuum monumentum, prima Scholaſticæ concertationis dies *Franciſcanis*, ſecunda verò *Dominicanis* eſt aſſignata, undè id tritum apud Gallos: *Franciſcanus aperit, Dominicanus Sorbonam claudit.*

2. Nec verò litteras ſolas *Franciſcus* profitebatur, at multò magis pietate claruit, & Sanctimoniâ; ſcientiâ enim, quâ Mortalium plerique ſuperbiunt, & tumeſcunt, humilior redditus, nulli non obſequebatur, omnes colebat venerabundus, & quod caput eſt, à Religioſæ Regulæ ob-
C ſervatione numquàm, ut deflecteret, adduci potuit. Hæc virtutum decora ſuſpiciens *S. Elzearius* Comes *Ariani* in Provinciâ *Narbonenſi*, non ſolùm eum ſemper amantiſſimè coluit, ſed animi ſui omnia ei arcana referans, in Confeſſarium adſcivit, atque ab ejus placitis numquàm divertit uſque ad vitæ terminum, quo, adſtante *Franciſco*, inter ejus manus animam ſuo tradidit Creatori *Pariſiis* anno Domini MCCCXXIII. Sancta item *Delphina* Elzearii Uxor magnoperè ejus virtutes ſuſpexit, ut ex utriuſque ſacris geſtis perſpicitur. Poſt mortem verò *S. Elzearii*, idem *Franciſcus* libel- (Sur. tom. 5. Baron. in Notis Martyrol. 27. Sept.)
D lum ſupplicem obtulit *Joanni XXII.* tunc *Avenione* ſedenti, nomine Cleri, & Populi *Aptenſis* [*Aptam* enim in Provinciâ *S. Elzearii* Reliquiæ translatæ fuerant] ut Commiſſarios pro Canonizationis ejuſdem Sancti proceſſu inſtruendo eligere dignaretur, quod pro tunc infectum, à *Clemente VI.* poſtmodùm perfectum eſt. Summis autem Pontificibus, ac Principibus *Franciſcus de Mayronis* valdè charus fuit; nam *Clemens VI.* in proceſſu Canonizationis *B. Delphinæ*, quem citat vita ejuſdem *Gallicè* conſcripta, vocat eum Socium ſuum: (Pa. 2. c. 7.) *Joannes* verò *XXII.* litteris ad *Pariſienſem*
E Cancellarium ſcriptis mandavit, ut juxtà ejus Univerſitatis morem ei Doctoratus lauream, & docendi facultatem concederet, idque ad inſtantiam *Roberti* Regis *Siciliæ*, & Comitis *Provinciæ.* (Tom. 3. Annal. Min. an. 1323. n. 23.) litteras affert *Wadingus* ex Regeſto *Vaticano* deſcriptas, quas in tanti Viri commendationem, & Lectoris gratiam hic ſubnecto.

Dilecto Filio Cancellario Pariſienſi.

V*Iri Sacræ lectionis ſtudio dediti, ac in lege Domini eruditi ſub Religionis habitu Domino mi-*
F *litantes, favoris Apoſtolici gratiam promerentur, & eo benigniùs decet honeſtis eorum deſideriis annui, quo ex eorum profectibus poteſt major utilitas provenire. Cum itaque. ſicut accepimus, Dilectus Filius* Franciſcus de Meyronis *de Dignâ Ordinis Fratrum Minorum Sacræ Theologiæ Baccalaureus, in prædictâ ſcientiâ adeò laudabilitèr profeciſſe noſcatur, quòd dignum ſe reddit ad obtinendum docendi licentiam in eâdem; idemque* Franciſcus *in* Pariſienſi *ſtudio more Baccalaureorum legendo in dictâ ſcientiâ, ſolitum curſum*

*sum perfecerit in lecturâ*; *Nos*, *cùm ob hoc*, *tùm obtentu Charissimi in Christo Filii nostri* Roberti *Re-*
137 *gis* Siciliæ *nobis super hoc pro eodem humilitèr supplicantis*, *eundem* Franciscum *in hac parte favoribus prosequi cupientes*, *discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus*, *quatenùs eidem* Francisco, *si ad hoc eum sufficientem*, *& idoneum esse repereris*, *Magistralem honorem*, *& docendi licentiam conferas in scientiâ memoratâ*. *Non obstantibus quibuscunque* Parisiensis *studii statutis*, *& consuetudinibus*, *vel observationibus solemnitatum contrariis*, *juramento*, *vel confirmatione Apostolicâ roboratis*, *per quæ nul-* A *lum præsentibus obstaculum ministretur*. Datum Avenione IX. Cal. Junii Anno VII.

3. Duobus post *S. Elzearii* mortem annis, *Franciscus* ex *Galliâ* in *Italiam* accersitus, cum fortè *Placentiæ* moraretur, ultimo morbo correptus, virtutum, & meritorum gravis, ad supernam Patriam evolavit anno MCCCXXV. 26. Mensis Julii, in eâque Civitate sepultus est, postmodùm verò ejus tumulus à Fratre *Francisco Samsone* Minorum Ordinis Generali Ministro his versibus est inscriptus:

B CLAVDITVR OBSCVRO LVMEN RES PVLCRA SEPVLCRO,
DOCTRINAE HIC SACRAE GLORIA, LVXQVE IACET.
DOGMATA FLETE QVIBVS FRANCISCVS DE MAIRONIS
EXTREMAM CONSTAT IMPOSVISSE MANVM.
VOS, QVIBVS ARMA DEDIT COELESTIA, FLETE MINORES,
EN CECIDIT VESTRI FIRMA COLVMNA CHORI,
QVI, QVANTO EXCIDIT COELESTIA SYDERA PHOEBVS,
TANTO ALIOS SVPERAT LVMINE. DOCTOR AVE.

Multos *Franciscus de Mayronis*, eosque doctissimos libros scripsit, quos recenset hoc ordine Bellarminus:

*Commentaria in libros* IV. *Magistri Sententiarum.*
Item *quodlibeta.*
*Formalitates.*
*De primo Principio.*
*De expositione divinorum nominum.*
Et *de univocatione.*

Quæ omnia simul edita sunt *Venetiis* anno MDXX. MDLVI.

Scripsit prætereà *Quadragesimale*, & *Sermones de Sanctis*.

C Item *de Paupertate Christi*, *& Apostolorum.*
*De Virtutibus*, *& vitiis capitalibus.*
*De Articulis Fidei.*
*De Baptismo.*
*De Humilitate.*
*De Indulgentiis.*
*De Corpore Christi.*
*De Angelis.*
*De Suffragiis defunctorum.*
*De Pœnitentiâ.*
*De Jejunio.*
*De ultimo judicio.*
*De 7. donis Spiritus Sancti.*

Quæ omnia jam olim impressa fuerunt *Basileæ*.

## NOTATIONES.

D a *De eo habetur in Martyrologio Franciscano ad diem 26. Julii:* Placentiæ Beati *Francisci Mayronis* Confessoris, Doctoris cognomento *illuminati*, vitâ, & Virtutibus, atque mirâ eruditione celeberrimi. 138
*De eodem agunt D. Antonin. Florentin.* par. III. histor. tit. XXIV. cap. VIII. §. 2. *Barptolom. Pisanus* lib. I. conformit. fructu 8. par. II. in Viris Illustr. Ord. Min. Provinciæ Bononiæ, *Genebrard.* lib. IV. Chronograph. ad an. MCCCXV. *Lucas Wading.* tom. II. an. MCCLXXVIII. §. 36. MCCLXXXIX. §. 45. *&* tom. III. an. MCCCXXIII. §. 22. *Spondanus ex Genebrardo* in Auctario ad Epitomen Annalium Baron. an. MCCCXV. *Trithem.* & *Bellarm.* de scriptoribus Eccles. *& alii*, *quos videas in* Martyrol. Franciscani notationibus 26. Julii; *nec non apud Paulum Britium* in Viris Illustribus Prov. S. Ludov. & S. Thomæ, *in Seraphicis ejusdem Provinciæ monumentis* pag. mihi 289. lib. III.

E b *Non est idem Scriptorum sensus circà* Francisci de Mayronis *Patriam*, *ut eruditissimè discussit* R. F. Antonius Pagis *Guardianus Fratrum Minorum scriptis* Avenione *litteris*. *Nam* Bellarmin. *quem sequitur Thomas Dempsterus Scotus* lib. XII. histor. Scoticæ nu. 905. *natione* Scotum *facit*, *sed perperàm*, *nullus enim antiquior Author hoc dixit*, *neque*, *ut ait* Wadingus, *alii rerum* Scoticarum *scriptores eum inter insignes Viros ejus Regni recensuerunt*, *licèt* Joannis Duns *Scoti Auditorem fuisse omnes admittant*. *Barptolom. Pisanus* lib. X. par. II. conformit. XI. *eum* Cistaricensem *putat*, *sed fallitur*, *quamvis enim fuerit de Custodiâ* Cistarici, *quæ Urbs est Episcopalis propè* Druentiam *in* Provinciâ, *non tamen fuit* Cistaricensis; *sin minùs*, *floruit tantùm* Cistarici *in Minoritano Cœnobio*, *teste Rodulpho* lib. II. fol. 286. Wadingus, *cui subscripsit* Arturus à Monast. *dixit eum esse de* Dignâ *Urbe itidèm Episcopali in Provincia sub Metropoli* Ebredunen. *idque probat ex litteris*, *quas suprà dedimus*, *à* Joanne XXII. *scriptis ad Cancellarium Parisiensem*, *& ex fine Vi-*
F *tæ* S. Elzearii, *in qua* Elzearius *vocatur* Francisci de Mayronis *conterraneus*, *maximè illis verbis:* Sentiens mortem impendere, Magistro *Francisco Maronensi* Minoritæ Conterraneo suo, qui tùm erat *Parisiis*, generalem fecit confessionem cum multis lacrymis &c. *Sed licèt* Wadingus *propiùs accedat ad veritatem*, *de* Dignâ *tamen nominatum credibile est juxtà receptum nonnullis sacris Ordinibus usum cognominandi Religiosos ab Urbibus*, *in quibus habitum sumpserunt*.

c *Claudius Robertus in sua* Galliâ Christianâ *in Archiepiscopatu* Ebred. *& Gebrard.* in Clemente V. *quem sequitur Gualterus* in Chronolog. sæc. XIV. *ex* Ebredunensi *Diœcesi originem traxisse meritò asserunt*, *quæ sententia cœteris omnibus præponenda est*, *cum præcipuè ex traditione habeatur*, *multique recentiores admittant ejusdem nominis Opidum* Mayronam, *quod est sub* Ebredunensi *Diœcesi in Valle* Barchinonæ, *ut suprà diximus*, *extitisse* Francisci de Mayronis *natale solùm*. *Quam sententiam admittens Jo. Bapt. de Guesnay* in Annal. Massilien. *ex* Genebr. *scripsit natale solùm* Francisci Mayronii *extitisse Pagum* Mayronensem *Ebredunensis Diœcesis*.

139 TIT. XV.

# B. ANTONIUS GALLUS, NICIENS. ORD. HEREMIT. S. AUGUST.

1. Beatus *Antonius*, cognomento *Gallus*, Niciæ natus post inceptum sæculum MCCC. Ordinem Heremitarum Divi *Augustini* ingressus est, in quo virtutum Religiosarum maximè studiosus adhæsit Congregationi *Ilicetanæ*. Hoc ei nomen dedit, *Iliceti*, tribus circitèr milliariis à *Senensi* Civitate dissitum Cœnobium in *Hetruriâ*, ubi jam dudùm, ex anno scilicèt ML. in arctissimâ degebant observantiâ, remotique à turbarum frequentia, ac sæculi fluctibus Fratres Heremitani. Hunc locum valdè noster *Antonius* illustravit, quod item fecerunt anno MCCCLXXXVII. *FF. Barptolomæus Venetus*, necnon deinceps *Nicolaus Cassinus*, & *Gerardus Ariminensis* utrique Priores Ordinis Generales.

2. Dum autem inibi degeret *Antonius* Spiritualibus virtutum exercitiis intentus, & vitam Cœlestem agens, ut de eo scribit *Thomas de Herrerâ*, cupiens Diva *Catharina Senensis* Ecclesiæ rebus consulere [quæ tunc, anno videlicet MCCCLXXVIII. sedente Romæ *Urbano VI.* Pontifice, & *Clemente VII.* Avenione itidèm pro Pontifice se gerente, perniciosо exorto schismate, diutissimè, ac ingenti Orbis Christiani scandalo affligebatur] piissimorum, prudentissimorumque Virorum operâ, qui tunc in Ecclesiâ cumulatæ virtutis laude florebant, uti decrevit. Hos inter ad ejus sæculi sedandos fluctus, aptissimum [ea erat apud tantam Virginem virtutum ejus existimatio] *Antonium* judicavit. Quamobrèm cum tunc, ut diximus *Iliceti* degeret, tres ad eum epistolas dedit, quæ adhùc extant in volumine, quod circumfertur, ejus Sanctæ Virginis litterarum. In illis hortatur *Antonium*, ut relictâ ad tempus solitudine *Romam* veniat, ut in mandatis acceperat ab *Urbano*, ibique pro communi Ecclesiæ bono eidem Pontifici collaborator assistat. Prima harum incipit: *Carissimo Figliolo in Christo dolce Iesù. Io Caterina Serva, e schiava de Servi di Iesù Christo scrivo à voi* &c. Paulò post ait: *Desidero vedervi concepire fame sù la mensa della Croce all'honore di* A *Dio, & alla salute dell' Anime, e riformatione della Santa Chiesa, la quale hoggi vediamo in tanta necessità, che per souvenirla è da uscire dal Bosco, & abbandonare se medesimo.* Et paulò infrâ: *Auvedrómi donque se in verità havete conceputo amore alla reformatione della Santa Chiesa, perche se sarà così in verità, venirete à seguire la volontà del Benefattore Nostro Sig. Iddio, e del Vicario suo. Uscite dal Bosco, e venite ad entrare nel campo della battaglia, mà se voi non farete questo, vi haverete* B *à scordare della volontà di Dio. E però vi prego per l'amor di Iesu Christo nostro Redentore, che prontamente veniate, e senza indugio alla richiesta che il Santo Padre vi fà &c.* In secundâ, tertiâque epistolâ eadem B. Virgo simili argumento insistit, ac proponit exemplum Fratrum *Andreæ de Lucâ*, & *Paulini de Nolâ*, qui statim ad nutum, etsi ægro corpore, *Romam* petierant; in aliis itidèm litteris ad alios Viros Religiosos missis de *Antonio* crebrò eadem meminit, cui identidèm salutem plurimam dicit. C

3. Quid peculiare tùm egerit *Antonius*, quidve responderit ignoratur, nullo enim certo monumento constat. hoc verò apud omnes compertum est, illum usque ad ultimum vitæ discrimen pro Apostolicæ sedis authoritate, ac communi Ecclesiæ bono maximè laborasse, non solùm virtutum suarum famâ, sed etiam doctrinæ beneficio. Ad extremum obiit *Iliceti* meritis conspicuus anno Domini MCCCXCII. ut habetur *in Elogiis Sylvæ Ilicetanæ*, licèt alibi multò antè, id est anno MCCCLXXVIII. ejus obitus consignetur. Corpus ejus adhùc *Iliceti* magnâ in veneratione servari intellexi ex litteris ad me transmissis, quas curante *R. P. M. Alberto Lascaris* Niciensi Carmelitâ R. P. Prior Heremitarum Cœnobii *Senensis* dedit ad P. Procuratorem ejus Ordinis Generalem, in quibus corpus alterius Beati *Antonii*, quod est in *Monticiano*, non *Antonii Galli Niciensis*, sed *Antonii* Patritii *Senensis* esse dicitur. D

## NOTATIONES. E

a De *hoc Beato Viro agunt ferè omnes, qui de Viris Illustribus, & Venerabilibus Ordinis Heremitarum* S. Augustini *scripserunt, & præcipuè Congregationis* Ilicetanæ, *cujus Caput est propè* Senas *vetustissimum, & Sanctorum Virorum fœcundum Monasterium dictum Hetruscis* Lucetta, *de quo scribit Author Gallus in libro, cui titulus* Estats, & Empires *tractat. de Ordinib. Religiosis pag. mihi* 1761. *Quæ nos de* Antonio Gallo *diximus, accepimus à F. Thomâ de Herrera* in Alphabeto Augustiniano, *& à F. Ambrosio Landuccio ejus Ordinis Vicario Generali* in Sacra Sylvâ Ilicetanâ Elogio XXII. *ubi citantur de eodem* Antonio *agentes multi Authores, interque alios Æsinas* lit. A. pag. 15. in Indice, *Ugurgerius* in III. orat. Relatio Beatorum Ilicetanorum, *Altesius* in Elogiis M. S. in Indice, Vita B Joannis Chisii, Torellus, *& alii, qui titulum Beati* Antonio *impertiuntur. De schismate inter* Urbanum, *&* Clementem *consule D. Antonin.* par. III. hist. tit. XXII. c. I.

141 TIT. XVI.

# EMANUEL LASCARIS, EX COMIT. TENDÆ, ORD. CARTUS.

1. Emanuel Entimelienfium Comitum genus, ac *Tendæ* in Maritimis *Alpibus*, qui ab *Irene* Theodori *Græcorum* Imperatoris superstite *Lascares* sunt dicti, *Antonii Lascaris* Tendæ Comitis, F ac *Margaritæ Carreto de Finario*, ut puto, Filius, unà cum *Luchino*, Fratre, *Cartusianorum* Ordinem ingressus post annum Christi MCCCC, Monasterium *Pisii* in eisdem *Alpibus* percelebre incoluit,

coluit, Religiosumque habitum indutus est temporibus *P. D. Antonii de Avilianâ*, magnâ tunc Sanctimoniæ famâ conspicui, *P. D. Bernardo de Cevâ* Priore, quem ejusdem Cœnobii tabulæ *Virum bonum* vocant, ac *multæ Religiositatis, qui plurimos Novitios suscipiens, Monasterium devotis Religiosis ampliavit*. Emanuel autem tantum in Regularis disciplinæ studio profectum edidit, ut coram Generali Ordinis totius Capitulo, communibus Monachorum suffragiis, in Monasterii Priorem sit expetitus; idque ex eo maximè, quòd cum Domini aliquot laici jura Monasterii invasissent, Viro non minùs provido, prudentique, quàm pio ad ea recuperanda, ac Religiosæ domus sartatecta servanda opus esse animadverterent. Qui cum manum acriter imposito muneri admovisset, divinâ fretus ope, ac persæpè non sine gravi vitæ periculo, quæcumque malè ablata fuerant, Monasterio iterùm adquisivit.

2. Nec minùs in spirituali ejusdem Monasterii ædificio laboravit! Virtutes siquidem quam maximè excoluit, Humilitatem in primis; adeò ut eximiæ suæ Nobilitatis immemor, licèt Prior Domus præfectus, cum famulis viliora, ac sordidiora ministeria operaretur; ex quo factum est, ut ad Prioratum Papiensis *Cartusiæ* electo eo, exiverit proverbium: *Num Furnarius Vallis Pisii Prior Papiæ?* Iterùm ad Prioratum *Pisii* accersitus, pietatis eximia præbuit documenta, atque à Summis Viris summo in pretio est habitus. Quos inter Sanctus *Bernardinus Senensis* opinionem de illo suam aliquando coram Populo patefecit: nam dum in Ecclesiâ *S. Francisci*, quæ *Monte Regali* in *Pedemonte* est, concionaretur, anno, ut conjicere licet MCCCCXXXVIII. [quo generalia Comitia Fratrum *Minoritarum* in eâdem Urbe sunt celebrata] contigit *Emanuelem*, ut verbum divinum ex Dei Homine exciperet, eandem Ecclesiam ingredi. Eum ut vidit *Bernardinus*, ac in spiritu 142
qualis esset agnoscens, licèt alias numquam vidisset, sermonem, quem exorsus fuerat, tamdiù interposuit, quousque eidem datus fuit ad concionem audiendam locus.

3. *Emanuele* Vallis *Pisii* Prioratum gerente, illustres quamplures sæculo Viri eò, arctioris vitæ studio, convolarunt; inter quos *DD. Guilielmus Petrus*, ac *Georginus*, ex Comitibus itidem *Entimelii*, & Dominis *Tendæ* ejus Nepotes, qui suis temporibus persæpè Monasterio præfecti, sedulòque navantes operam, de Ordine; ac pietate benèmeriti fuerunt. His, aliisque plurimis ritè actis, *Emanuel* fatis cessit, anno, ac die obitus mihi nequaquam comperto, eò quod in Chronicis ejusdem Cœnobii Vallis *Pisii*, undè supradicta ad nos transmissa sunt, sileatur.

---

TIT. XVII.

# MARCUS A NICIA,

## ORD. MINORUM.

1. SAcer Minoritarum Ordo multos Patriæ nostræ dedit Pietate illustres Viros; hos inter recensendus *F Marcus à Niciâ*: ità enim vocant, ac ex nonnullis Ordinis Scriptoribus inter nostrates numerant Illustriss. *Paulus Britius*, & *Augustinus ab Ecclesi.* licèt non nemo alienum fecerit. *Marcus* inquam *à Niciâ* Ordinis Divi *Francisci* Sectator, animarum Christo acquirendarum zelo flagrans, ad extirpandos ex *Indiarum* solo Gentilitios ritus, & Christianam Fidem diseminandam anno MDXXXI. in *Peruviam* Americæ Provinciam navigavit, ubi Commissarius Generalis Ordinis sui Cœnobiorum creatus, in resecandis vitiis, ac Idolorum cultu eliminando, nulli pepercit incommodo, aut labori. Postmodùm Sancti Evangelii Provinciam repetens, post multa emensa Terrarum, ac marium spatia, ejusdemque Provinciæ administrationi præfectus, cum membrorum usum, quæ assidui itinerum labores contraxerant, amisisset, in *Mexicano* solo vitâ functus est, doctrinæ, Regulis observantiæ, & Proximorum salutis curandæ laude illustris. Suæ *Indiarum* peregrinationis *Marcus* volumen edidit, quod adhùc extat apud Jo. Bapt. Ramutium *Relat. volum.* III.

---

TIT. XVIII. 143

# B. HIERONYMUS GARIBBI,

## NICIEN. ORD. MIN. CONV. S. FRANC.

1. BEatus *Hieronymus Garibbi*, sivè *Garibbus*, cujus Familiæ adhùc nonnulli supersunt Cives, *Niciæ* ex honestis Parentibus natus est, qui ut perfectiùs divinæ servituti se manciparet, Minorum Conventualium Ordinem ingressus, Conventui *S. Francisci* Niciensi, tunc temporis Fratrum numero, & Sacrarum litterarum studiis percelebri, est adscriptus. Studuit *Hieronymus* in primis Religiosæ observantiæ, & pietati, omnibusque probatissimum morum suorum specimen dedit. Sacris verò addictus litteris, cum in Theologicâ facultate maximè excelluisset, Doctoratus laureâ est insignitus: mòx ad Conventus *Niciensis* regimen Guardianus electus est, in quo munere monitis non minùs, quàm vitæ exemplo Subditos in officio continuit. Narratur de eo, quòd numquam calceis usus sit, numquàm interius indusium gestaverit, quamvis jàm tùm hoc Fratribus Conventualibus impunè liceret ex indulto Apostolico, sed semper austeram paupertatem, quæ decet Divi *Francisci* sectatorem, sit avidè amplexus.

2. In Conventu *Niciensi* tum Guardinus, cum Sacræ Theologiæ Lector ut plurimùm vitam duxit, donec ex Superiorum præscripto aliquandò *Bononiæ* degens, ejusdem Sacræ facultatis Magister, &, ut creditur, in eâ percelebri Universitate insignes habens Auditores, morbo correptus diem clausit extremum, non sine eximiæ Sanctitatis famâ, & opinione, quam, ut ait Illustriss. *Paulus*

A Paulus Britius, patrata ejus intercessione prodigia, ac derivata in homines ejus opem exposcentes beneficia apertè testata sunt. Obiit die 22. Octobr. anno MDXL. Ejus Corpus colitur nunc in Ecclesiâ Minorum Conventualium ejusdem Civitatis *Bononiensis* in Sacello Christi Domini Crucifixi, sub Altari Transitus *S. Joseph* aperto mediâ crate ferreâ, ex parte anteriori, ut commodiùs à Populo possit videri, & coli. In ejus Altaris renovatione, ut à Patribus *Bononiensibus* accepimus, *B. Hieronymi* Reliquiæ capsulæ ligneæ deforis pictæ decenter inclusæ sunt, cui addita est inscriptio: BEATUS HIERONYMUS DE NICIA MIN. CON. quod idem in parvâ membranâ intùs inclusâ legitur. Hæc porrò capsula sita est juxtà *Alexandri V.* Summi Pontificis ex Ordine Minorum depositum; certisque diebus venerationis ergò antè *B. Hieronymi* Reliquias lampadem ardentem teneri accepimus.

144

## NOTATIONES.

a. DE eo Martyrologium Franciscanum *ad diem* 22 *Octob. hæc habet:* Bononiæ Beati Hieronymi Garribæi Confessoris, qui doctrinâ, & virtutibus emicuit. *De eodem meminerunt Barez.* lib. III. cap. XIX. sub an. Christi MDXL. *& Tossinian* lib. I. Histor. Seraph. *apud* Arturum à Monast. *in notis ejusdem* Martyrol. Franciscani, *& Illustriss. Paulum Britium in* Viris Illustrib. Provinciæ S. Ludovici, & S. Thomæ, *qui tamen malè vocat* Hieronymum à Garribus, *dicendus est enim* Garibus, *sivè* Garibbi *cognomine proprio Familiæ, quæ adhuc* Nicææ *viget. De ejus sepulturæ loco non modò per litteras à Minoribus Conv.* Bononiæ, *sed etiam ab oculatis testibus facti sumus certiores.* B

b *Scripsit epigramma de* B. Garibbo *D. Pet. Andreas Trincherius J. U. D. Niciensis* Epigrammaton lib. I. epig. 10. *cujus hæc verba:*

Fundit Evangelicum dum semen ab ore Garibus.
Conteritur cordis vena, cruorque pluit. C
Et benè: duræ hominum mentes adamante resistunt;
Sanguine, quo frangat, prodigus Agnus erit.

*attamèn, quòd fractâ venâ sanguinem inter concionandum ejectaverit* Garibbus, *nulla est traditio, nec certum ullum, quod viderim, monumentum.*

c B. Hieronymi *non adeò recens, peritæque manus radiata effigies extat in atrio, sivè claustro Cœnobii Niciensi* S. Francisci *in fornicis summitate, ubi aliæ Minorum Ordinis Sanctorum visuntur per ordinem dispositæ icones.*

---

TIT. XIX.

# MAXIMINUS BERGALIA,

## ORD. CARMELIT.

D 1. MAximinus Bergalia Petri Filius, Patriâ *Niciensis*, in Ordine Carmelitarum, qui tunc in superiori Urbis parte, *B. Mariæ* dictæ de Monte *Carmelo* Cœnobium incolebant, vitam duxit magnâ probitatis, pietatisque famâ; de quo in eorundem *Carmelitarum Niciensium* monumentis hæc legimus: *Anno à Nativ. Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, hâc ipsâ die* [17. Februarii] *quæ tùnc erat Sabbati, Pater Frater Maximinus Bergaglia vitâ, & morum honestate præclarus, ut unum, & quinquaginta annos in Sacræ Religionis nostræ habitu sobriè, justè, & piè vivendo Religiosè peregerit, nec non suâ ipsius* 145 *diligenti curâ Calices, libros, & quamplurimâ pretiosa opera in Dei laudem, ac nostræ Religionis utilitatem simul, & Dignitatem fieri procuravit, hisque tandem feliciter, Deo favente, peractis, in Domino rectè confidens ab hoc sæculo laudabiliter transmigravit, &c.*

---

TIT. XX.

# PETRUS GUIRARDUS,

## ORD. CARMELIT.

E 1. PEtrus Guirardus ejusdem Patriæ, Ordinis, Cœnobiique Alumnus eâdem floruit sanctimoniæ laude: de eo ex eisdem *Carmelitarum Niciensium* tabulis sequens deprompsimus elogium: 20. *Maji* MDLVII. *Migravit ex hoc sæculo Venerabilis Pater* Petrus Guirardus *Vir maxima sanctimonia, & Religione præditus, qui videns dirutum Cœnobium belli causa* [ob bellum Turcicogallicum anno MDXLIII.] *Genuam versus adiens, multùm, diùque à Patribus Montis* Oliveti *exoptatus, vel invitus creatur Prior. Rursùs in hanc remeans Urbem, Prior est electus, in quo officio obiit. De cujus nomine, & fama perpetuò gloriari poterit* Carmelitana *Religio; Semper pauperem vitam degit, deque litteris benemeritus fuit, quadragesimum quintum annum natus quandò obiit.*

## TIT. XXI.

# B. ANDREAS ROBERTUS,

## MARTYR ORD. MIN.

BEatus *Andreas Robertus*, seù *Roberti*, Barchinonæ in *Niciensi* Comitatu Opido multorum illustrium Virorum fœcundo, natale habuit Solùm sub mediocris fortunæ Parentibus. Minoritas inter adscriptus est, ex eorum numero, qui partem *Marthæ* ministrantis sortiti vulgò Conversi, sivè Laici nuncupantur. Montis *Pessulani* in *Galliâ Phocensi* Cœnobii Alumnus ex- 146 titit, ubi, cum ob exactam, quâ pollebat Religiosæ Observantiæ normam, oculos omnium ad se attraheret, profundaque præsertim ei inesset humilitas, tantæ Virtutis præmium Martyrium à A Deo accepit. Cum enim furentes per totam *Galliam* Hæretici Calvinistæ, *Agathopolim* Civitatem aggressi, omnia pessum darent, necique darent Catholicos, maximèque Viros Religiosos, arreptum *Andream*, atque devinctum manibus, primò ludibriis, irrisionibus, & injuriis impetunt, tùm plumbeo globulo in os ejus vi pulveris tormentarii ex sclopo immisso, constantissimè in Fide Catholicâ persistentem, & dulcissima *Jesu*, *Mariæ*que nomina repetentem crudelissimè enecant die duodecimâ Octob. anno Domini MDLXVII.

## NOTATIONES.

B [a] DE *eo Martyrologium Franciscanum* 12. *Octobr.* Apud Montem Pessulanum in Galliâ Beati Andreæ Roberti Martyris, qui ab Hæreticis multa perpessus, tandèm globulâ plumbeâ à Sclopetariis in os ejus displosâ Martyrio est coronatus. *De eodem Gonzaga* III. par. Orig. Seraph. Religionis *in Conventu Montis Pess. Barezz.* IV par. Chron. Minor. lib. V. cap. VIII. *Gravina* in voce Turt. par. II. cap. XXIV. *& alii ejusdem Ordinis Scriptores, ex quibus Arturus à Monast.* in notis Martyr. *Barchinonam in Alpibus* Andreæ Roberti *Patriam statuit, ubi ejus cognominis familiam adhùc vigere audivimus.*

---

## TIT. XXII.

# JOSEPH MARTINI,

## E SOC. JESU.

1. JOseph, cui cognomen *Martinius*, seù *Martini*, illustris inter *Nicienses* familiæ, in Societatem Jesu adscitus, consummatus in brevi explevit tempora multa. Ejus gesta, ac virtutum præmaturos flores describit Franciscus Sacchinus *Histor.* ejusdem *Societatis par.* IV. *lib.* VI. *ad ann. Christi* MDLXXVIII. *Soc.* XXXIX. his verbis:

*Parmæ* Josephus Martinius *omni cumulatus laude adolescens, ad cœlestes, quibus erat similior, quàm terræ accolis, emigravit.* Niciæ *illustri ortus genere, ac præter cetera ornamenta in arithmeticâ disciplinâ à puero excellens, in* Emmanuelis Filiberti *Allobrogum Ducis aulâ primùm, tùm quatrien-* 147 *nium in* Taurinensi *Nobilium Convictu educatus, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, ætatis suæ duodevigesimo Societatem iniit. Jam in Convictu, tanquàm singulare exemplar, in oculis omnium, & ore versabatur. Itaque Patres quo fervidiores adolescentes in officio continerent, nihil habebant ejus auctoritate potentius. Nec minori statim in Societate venerationi fuit. adeò ut jussi aliquandò Tyrones Novellariæ publicè effari, si quid emendandum in* Josepho *notassent; nihil planè quisquam protulerit: cum tamen adeò sagax, ac delicatus in hoc genere Novitiorum sensus sit. Quin etiam affirmabant privatis sermonibus, ne per imprudentiam quidem ipsorum judicio, excidisse umquam* Josepho *verbum, quod vel minus religiosum, vel otiosum vocari posset. Ab Tyrocinio traductus ad studia litterarum* Parmam, *sensim intabescens, tertiodecimo tandem mense consumptus est, numquam languore ad virtutem operosam languidior factus. Obedientiam, præsertim eam, quæ prudentissimâ quâdam cœcitate mentem Deo Sacrificat, adeò coluit; ut miraculo Deus eam comprobasse narretur. Antequam* Parmam *ab Tyrocinio discederet, ad Patrem Rectorem præmisit epistolam in hanc sententiam.* Parmam mittor ex obedien- C tiâ: rogo, Pater, sic excipias me, sic tractes, quasi mente imminutum: neque aliam mei curam suscipias, quam, ut contrà voluntatis meæ appetitiones cunctis in rebus tendens, ad memet pervincendum assiduè exerceas. *Sub mortem roganti Socio, ut aliquod monitum sibi relinqueret; duo commendavit: primum, nullum ut diem sine Christi Domini Passionis memoriâ labi sineret: deindè obedientiam unicè amaret: addens experimento se didicisse hanc viam esse, quâ homo divinæ providentiæ singulares effectus sentiret. Inter morbi initia interrogatus, num crederet sibi natale solum fore salubrius; nequaquam se tàm valetudinem optare respondit, quàm inter* D *Fratres, Patresque amantissimos spiritum ultimum exhalare. Inde ab studiorum occupatione ad corporis labores translatus, Cœnaculoque apparando appositus, id non tanquam pro aberratione à graviore opere suscepit, egitque molliter; sed planè tanquam opus Dei, cui in ejus famulis serviebat: non cetera modò diligentissimè procurans; sed angulos omnes, & subter ipsa subsellia cuncta diligenter rimans, ne quicquam sordium, vel aranearum è telis resideret. Quæ mihi, & id genus sæpè in hoc opere persequenti, subiit interdum vereri, ne ego, resque ipsæ risui sint mortalium quibusdam, grandia quæ-* E *dam, quæ stupet vulgus in profanis historiis, eversiones Regnorum, excisa Oppida, oppleta classibus maria, constrata cadaveribus arva, cruoris flumina legere assuetis. Sed veri æstimatores è Christi, non è Mundi disciplinâ, quàm grandia in illis sublimibus narrationibus scelera, tanta in his minutis actionibus decora veræ laudis agnoscunt. Eoque me minus piget, infinita prætereuntem hæc interdum aspergere; quod ne profani quidem Judices minus in subtilissimis operibus, quàm in vastis molibus eximiorum artificum laudes magnificant. Ergò, ut cœpta persequar, plenus Deo adolescens non tantum suum in ministerio pensum sedulus persolvebat; sed etiam*

P. Jofredus.

A *Fratrum præveniebat officia, quamquam præ imbecillitate vix sustineret se, quicquid erat laboriosum sibi præripiens. Eâdem constanti caritate in morbo graviore, quoad aliquid virium superfuit, præripuit infirmario labores, ipse sibi furtim ministrans, cum vultus serenitate perpetuâ indice animi, in afflicto corpusculo vigorem integrum conservantis: Ubi verò extenuatis viribus afflictus lecto est; ne tum quidem caritatem, aut genus ullum religiosæ virtutis remisit.*
148 *Adeuntes ad se consolandum Fratres, si quando purus, ac serenus dies esset, rogabat, ut in hortum ad respirandum concederent: pusillum illud laxamenti ipsorum fore sibi solatio suo longè jucundius. Paupertatis verò studium itá retinuit; ut tàm diuturno in morbo nihil in cubiculo, quo utebatur, esse voluerit ex iis, quæ solent adhiberi ad levandos, hilarandosque ægrotos: non mala punica, aut medica, non bellaria. Et quamquam rogatus à Rectore, ut indicaret, si cujus rei appetentiâ tangeretur; nihil tamen umquam petiverit. Imò cum jam per imbecillitatem non valens carnes mandere, juberetur eas, ut fit, in succum tundendo solutas exsorbere; ne id fieret cum lacrimis institit deprecari, pane, ac vino se affatim contentum dicens. Porrò innocentiâ quantâ fuerit, indè æstimetur, quod etiam in scriptionibus, quas Rhetoricæ studiosus condebat, verba quasi trutinâ examinabat, ut congruerent rebus, non studio artis, sed religione conscientiæ: ne in speciem mendacii transirent, si suprà, vel infrà materiam essent. Quâ trutinâ in rebus aliis attentè utens, raró ad Confessarium noxam, cui Sacramentalis absolutio ritè posset impendi, referebat; Quin Pater* Marius Sardus, *cui confitebatur, & ipse virtutis eximiæ, dixit, numquam se tredecim spatio mensium [tamdiù enim audierat] existimasse ab eo oblatam idoneam absolutionis materiam. Alius item vir gravis amplius elogium protulit. Quamvis Divus* Gregorius *diceret, non solere Deum cunctas virtutes in unum conferre; videri tamen hâc liberalitate cum* Josepho *usum. Ergò his ornamentis cognitis moribundo Fratres magnâ se commendabant fiduciâ, ut cum in Cœlum venisset, memor ipsorum esset: atque alii alia committebant. Ubi Confessarius, ne Satan ingerendæ suorum meritorum fiduciæ rimam inveniret:* Hi Fratres, *inquit*, pro suâ hæc bonitate differunt: tu, mi Joseph, conservare humilitatem memento. *Quam ad vocem statim ille conjunctis antè pectus manibus, subjecit:* Pater, præter illum preciosissimum sanguinem, nihil mihi spei est. *Idque eo gestu, eâ vocis, ac totius oris figurâ dixit; ut lacrimas Confessario plurimas excusserit: nec posteà ferè posset sine lacrimis recordari. Cum mentio incidisset de Sacerdote, qui post diuturnos labores in Societate vitam finiverat, quidam ad* Josephum *conversus:* Multis ille, *inquit*, non paucorum annorum laboribus Cœlo vim intulit, & expugnavit: sed tu mi Joseph, parum admodùm hac ætate facere potuisti: *cui ille statim solutus in lacrimas respondit:* Et hi mei Fratres tàm securum Cœli aditum mihi spondent. *Non defuit tamen Diabolus, quin supremo tempore conaretur ad magnam de suâ Sanctitate opinionem impellere: cui tantâ vi humillimus Dei famulus restitit; ut in ingentem clamorem eruperit: ex quo exciti Fratres, cum propè omnes accurrissent; collecto paulisper spiritu, insidias inimici calcaneo insidiantis aperit gemebundus: & sumptâ in manus Christi è Cruce pendentis effigie, defixis in Dominum oculis, admirandum cunctis cum eo colloquium instituit: frequentèr ingeminans, spem omnem suam Cruci affixam hærere: nihil in se præter eam meritorum agnoscere. Summè cupiebat die Sancti* Joannis *Baptistæ natali terras relinquere: ac voti propè compos est factus. Pridiè ejus pervigilii Sacramentis communitus, votisque clarâ voce instauratis, longâ perfunctus morte, novissimum Spiritum inter dulcissima* Jesu, & Mariæ *nomina immiscuit. Primus è Societate* Parmæ *mortuus: quem ipsemet* Petrus Angelus *Consul in tumulo collocavit, peculiaris ergà* 149
*eum studio pietatis.* Hactenùs de *Joseph* virtutibus *Sacchinas* loc. cit. à num. 17. usque ad 37. Fuisse alius ex eadem Societate *P. Joseph Camossus* Sacerdos *Niciensis* traditur, eximiæ Sanctimoniæ Vir, ex iis, qui primi, Collegii *Niciensis* fundamenta jecere.

TIT. XXIII.

# ANSELMUS PARIS,

## ORD. MINIMORUM.

1. ANselmus Paris, sivè *Parisius*, Patriâ *Luceramensis* in Comitatu, & Diœcesi *Niciensi*, Minimorum *S. Francisci de Paulâ* Ordinem ingressus, ac ut plurimùm in Provinciâ *Provinciæ*, seù *Occitaniæ* diversatus, Vir fuit summæ simplicitatis, ac in dignoscendis spiritibus prudentiæ singularis, præceptum Evangelicum in se explens, quo Christus dixit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut Columbæ.* quamobrem, ut in viam salutis dirigerentur, non ex Plebe tantùm, sed sæculo illustriores sibi in Confessarium adsciscentes, ad eum quotidiè adventabant, quorum multos olim in vitiis enutritos in melius mutavit persæpè, ac pietati Evangelicæ lucrifecit. Nec à Laicis tantùm, sed à suo Ordine maximo in pretio est habitus, in quo præter cœtera, Magistri Novitiorum munus ut plurimùm maximâ cum sanctimoniæ laude obivit. Obiit *Aquis Sextiis* in *Provinciâ* circà annum Domini MDCXVII. die 17. Junii, ejusque corpus propter eximiam, quâ floruerat, pietatem peculiari loco, atque à cœteris defunctis Fratribus secreto tumulatum dicitur. Multa ab eo antè, & post mortem patrata feruntur mirabilia, quæ tamen liquidò hucusque ad nos deferri non licuit. De *Anselmo Paris* Stephanus Isnardus *in Codice Minimo* hæc ait loquens de Cœnobio Aquensi: *Requiescit in illo R. P. Anselmus Paris, quem vidimus miræ simplicitatis, & pietatis Virum.*

2. De eodem *Franciscus Lanovius* in Chronico generali Minimorum ad annum MDCXVII. hæc addit num. XVIII. *Præmortuus* Antonio *Vir æternâ memoriâ dignus, ac pro Sancto creditus,* R. *nimirum* P. Anselmus Paris, *qui* Aquis Sextiis *mortalitatem ad* XVII. *Junii, cœlo jam maturus deposuit.* Isnardus *miræ simplicitatis, & pietatis Virum prædicat,* Malivernius *noster in litteris, quas ad me dedit, exemplaris admodùm vitæ hominem, summæ abstinentiæ, & comparatæ Dei gratiam simplicitatis eximiæ profitetur. Et reverâ Cœlitibus additum sui non dubitant, & nos, ut piè credamus, non horum solummodò, sed omnium, qui eum noverunt, sensu adducimur.*

TIT. XXIV.

150 # PETRUS VENTO, ORD. CAPUCCINORUM.

1. PEtrus Vento, Prænobilis non solùm inter nostrates olim, sed etiamnùm inter Gallophocenses, ac Ligures familiæ germen, Luciani, & Margaritæ Civium Nicienſium Filius, inter Minores Capuccinos adſcitus eſt, poſtquam rei medicæ ſeù potiùs Cæſareo juri in ſæculo dediſſet operam Àquis Sextiis in Provinciâ. In juventute, reliquâque ætate, adverſâ ut plurimum valetudine laboravit, quam patientèr, atque hilari animo ſemper tulit. Vitam egit irrepræhenſibilem, neque facto umquàm aliquem læſit, aut verbo, immò neque otioſa umquam loqui auditus eſt. Chori frequentiſſimus, ac diutiùs protractæ meditationis: Factus Sacerdos Miſſæ Sacrificium maximo pietatis ſenſu perficiebat, quam longiùs productâ oratione præveniebat; ſequebaturque. Innocentiæ ſtudioſiſſimus non ſolùm antè ejuſdem Miſſæ celebrationem animi maculas ſedula exomologeſi expiabat; verùm etiam antequàm luſtralem aquam in Eccleſiâ apponi ſolitam benedictione ſanctificaret. Paupertatis amator acerrimus, in veſtibus præcipuè, quas ſemper tritas voluit, ac laceras; nec umquàm proprium ſibi habere voluit pallium; quòd ſi urgente frigore pallio humeros tegere cogeretur, id ex communi penu quotidiè aſſumebat, eòque ſtatim poſtmodùm referebat. In comitiis anno MDCXVIII. Ticini celebratis; in quibus nova Pedemontana Provincia â Genuenſi diſcreta eſt, ut ſibi in Genuenſi locum ac ſedem habitationis ſtatuerent, Fratres, in iiſdem Comitiis adunatos rogavit; quod cum impetraſſet, tandèm Conventui S. Romuli in Liguriâ maritimâ adſcriptus, ac aſſiduis morbis defatigatus, ſeptuagenarius anno MDCXXXI. migravit ad Dominum.

2. In ejus obitu aliqua notatu digna contigerunt. Inter cætera dùm ejus cadaveri, quod Religioſo more in Eccleſiâ ſepeliendum proſtabat, exequiæ ſolverentur; Vir quidam laicus, qui dentium dolore impatientiſſimè affligtabatur, deoſculans devotionis ergò ejus manum, illicò doloris expers fuit. Alius quis incurabili laborans, & diuturnâ infirmitate, cum in eodem, quo F. Petrus ſitim compeſcere conſueverat, cyatho bibiſſet, id ſibi concedi fidei, ac ſpei plenus eflagitans; eodem modo convaluit. Alia multa præter conſuetum acta dicuntur ejus mortis tempore. Quamobrèm hic Vir Dei, & vivens, & poſt mortem, utpotè qui vitam ſemper innocentiſſimam vixerat, non ſolum à Domeſticis Fratribus, ſed etiam ab extraneis magni apud Deum meriti eſt habitus. cujus geſta in compendium redacta accepimus ex Relatione M. S. quam de eo edidit R. P. F. Cherubinus à Niciâ ejuſdem Ordinis, & quam alii oculati teſtes omni exceptione majores præſtitere.

151 # NICÆÆ CIVITATIS SACRIS MONUMENTIS ILLUSTRATÆ, PARS SECUNDA.

# DE EPISCOPIS NICIENSIBUS, ET CEMENELENSIBUS.

## PROLEGOMENA.

### CAP. I.

*Antiquorum de Epiſcopis Nicienſibus ſilentium; Quinam de iis ex recentioribus ſcripſerint.*

1. EPiſcoporum, qui Nicææ, & Cemenelione floruerunt, res geſtas quantâ brevitate licuerit aggreſſuri, id præmonemus, rem eſſe multis tenebris involutam, meſſemque, in quam ex antiquis nemo falcem adhùc immiſerit. Noſtri Cives aliena ſuſpicere aſſueti, propriæ Urbis decora, inter quæ non ultimo loco habenda antiquiſſima ſucceſſio Epiſcoporum, vel ſiluerunt, vel ſtylo extraneo commendarunt; immò forſitan olim *quiſque maximè negotioſus erat* [effari liceat de Nicienſibus quod Saluſtius de Romanis] *& facere, quàm dicere, & ſua ab aliis benefacta laudari, quàm ipſe aliorum narrare malebat.* Ex importuno veterum ſilentio factum eſt, ut qui ex recentioribus, Præſulum Nicienſium annotandæ ſucceſſioni deſudarunt, multorum nomina, vel omninò omittere, vel ſupplere ex conjecturâ coacti ſint. Primus, qui Nicienſium Epiſcopo- 152 rum ſeriem recenſere aggreſſus ſit, fuit Reverendiſſ. D. Franciſcus Martinengus Epiſcopus Nicienſis, qui in iis, quæ edidit, ſtatutis Synodalibus, Prædeceſſorum ſuorum indicem appoſuit, annotatis, quà exactè, quà perperàm, Typographi, ut puto, incuriâ, annis: at non omnium, quo-

rum nomina extant, meminit, sed aliquorum tantùm; adeò ut secundum à *S. Basso* statuat *S. Syagrium*, cum tamèn inter utrumque quingentorum eò amplius annorum spatium intercesserit. *Claudius Robertus* in suâ *Galliâ Christianâ* idem præstitit occasione Archiepiscopatus *Ebredunensis*, *Niciensis*que Episcopatus. Multa de iisdem scripsit *Ferdinandus Ughellus* Abbas *tom.* IV. *Italiæ Sacræ.* Exactiùs rem cœteris attigit Reverendissimus *D. Franciscus Aug. ab Ecclesiâ* Præsul Salutiensis, dum recenset Episcopatus Dominii *Sabaudici*; attamèn in eo etiam multi desunt, quorum nomina in iis, quæ ad manum ipsius devenerunt, monumentis, non extabant.

2. Nos igitur, Deo auspice, non actum agemus, brevitatique in primis consulentes, non solùm Episcoporum seriem, sed etiam res *Niciensis* Ecclesiæ notatu digniores, ex antiquitatis claustris aperiemus. Hoc ut ad calcem liceret ducere, non modò insigniores Bibliothecas, ac omnes, qui præstò fuerunt, lustravimus cusos Codices, qui tamen de Ecclesiasticis *Niciæ* rebus agentes non multi sunt, verùm etiam vetera Cathedralis Ecclesiæ, Monasterii *S. Pontii*, finitimarumque Civitatûm asservata in publicis tabulariis monumenta. Præsulum nomina partim in subscriptionibus Conciliorum, partim apud adducendos Authores sum expiscatus. Et quià, ut habetur lib. I. Hist. tripert. cap. III. *si quamlibet scripturam invenire potuero propter probationem veritatis, eam ponere non omitto*, afferam, dum de Ecclesiasticis rebus agam, aut integras, aut sin minùs id necessè fuerit, mutilatas chartas donationum plerasque, privilegiorum, conventionum, ac in iis nihil prorsùs, ne verbum quidem ullum, aut apicem immutare mens est, immò nec ipsos, quibus scatere consuevit veteris ævi ruditas, & barbaries, solœcismos, licèt oratio impolita, ac delicatis auribus futura sit absona, ut indubius historicæ veritati sit locus. At verò, non erit elucubratiuncula hæc numeris omnibus absoluta, eritque quod desideret Lector; attamen fuit antè quod ego desiderarem; in arduis incepisse sat est! Præstabunt exactiùs quòd me fugiet ii, quibus plus fuerit otii, plura ad rem perficiendam suppetent instrumenta.

153 CAP. II.

*Antiquitas Episcopatus Niciensis, & Cemenelensis, Quis Primus Niciensis Episcopus?*

1. AB antiquissimo tempore Episcopos numerat utraque Civitas *Nicæa* scilicet, & *Cemenelion*, de quo fidem facit epistola *S. Hilari* Papæ ad *Leontium*, *Veranum*, & *Victurium*, de quâ infrà. Nec mirum videri debet ea, in tam modicâ Civitatum ipsarum distantiâ, cathedrarum frequentia, cum id potiùs harum Urbium tunc temporis æquè florentium splendorem arguat; nec sit id etiam nostris temporibus prorsùs inusitatum, ut in *Panormitano*, ac *Montis Regalis* in *Siciliâ* Archiepiscopatu videre est, ac in *Venciensi*, & *Grassensi* in *Provinciâ* Episcopatu, iisdem fermè contiguis. Antiquissimus, inquam, est *Cemenelionis*, & *Nicææ* Episcopatus; & quamvis de primo *Cemenelensi* Episcopo non constet, in quâ Urbe tamen Petrus de Natal. & Maurolycus *S. Pontium* Martyrem Episcopum factum fuisse dicunt, *Niciensium* tamen primus Præsul meritò statuendus est *S. Bassus*, qui Episcopatum gessit ante annum Christi CCLIII, quo anno, *Decio* imperante obiit, si nullus *Basso* antiquior adducatur.

2. At hìc nodus solvendus est; antiqua enim *Niciensis* Ecclesiæ, ac Monasterii *S. Pontii* monumenta, adstipulante vetere Civium traditione,

A asserunt, non *S. Bassum*, sed *S. Syagrium* Carolo Magno Synchronum primum fuisse *Nicææ* Episcopum, immò a nostris Civibus hic ei titulus passim datur. Cum autèm inter *Bassum*, & *Syagrium* quingentorum annorum spatium fluxerit, quo medio tempore multi inter *Nicienses* Episcopos recensentur, ut *Amantius*, *S. Valerius*, *Auxianus*, *Magnus*, *Austadius*, *Catholinus*, aliorumque multorum nomina excidisse credendum sit; disquirendum superest, quâ id ratione factum sit, ut *Syagrio* primi *Niciensis* Episcopi titulus datus sit, cum tamen talis re verâ non fuerit. Putant aliqui non simplicitèr, & absolutè, sed cum addito
B id dictum: *Syagrium* scilicet primum ex Abbate *S. Pontii* Episcopum, vel primum ejus Monasterii Abbatem, ac deindè Episcopum, seù mavis dicere primum Episcopum simùl, & Abbatem. Fuisse dicunt alii primùm *Niciensem* Episcopum tantùm, id est non etiam *Cemenelensem*, quià factâ, decreto *S. Leonis* Papæ, cathedrarum *Cemeliensis*, & *Niciensis* unione, ut animadvertunt *PP. Sirmondus*, & *Rainaudus*, Episcopi utroque titulo insigniebantur, seù *Cemelii*, seù *Niciæ* potiùs sedem figerent, ut videre est ex subscriptione *Magni* in Concilio *Aurelianensi* Quinto, quod alii Episcopi *Nicienses*, quando aliàs actis Concilio-
C rum subscripserunt, non præstiterunt semper. quamobrem deletâ à *Longobardis* ex magnâ parte *Cemenelione*, simul cum Urbis splendore periit ti- 154
tulus ejus Urbis Episcopatus; atque adeò evenire potuit, ut *Syagrius* dictus sit Primus, post decretum *S. Leonis Magni*, qui *Niciæ* tantùm sedem tenuerit. At verò inverisimilis satis mihi postrema hæc videtur opinio: nam ab adventu *Longobardorum* usque ad *Syagrii* in Episcopum assumptionem CC. annorum spatium intercessit, quo alii *Nicienses* Episcopi enumerantur, ut *Austadius*, & *Catholinus*, quibus potiùs fuisset is titulus adducendus. Nec magis verum quod superiùs ex
D denominatione Abbatis *S. Pontii* dictum est; ex eo enim quod *Syagrius* fuerit primus ex Abbate *S. Pontii* Episcopus, vel primus Episcopus, & Abbas, non benè primus *Niciensis* Episcopus dicitur.

3. Ut meum hâc super re sensum aperiam, revocanda sunt hùc quæ superiùs *par.* I. *in proleg. cap.* XIII. de *Saracenorum* in *Narbonensem* Provinciam, ac verosimillimè in *Niciensem* Oram invasione adduximus conjectanea. Deleverunt illi siquidèm totam in viciniâ Regionem, ex quo factum puto, ut, deletâ etiam *Nicæâ*, ab anno cir-
E citèr DCCXXIX. usque ad tempora *Caroli Magni*; anno scilicet DCCLXXVII. Episcopis Urbs caruerit. Restitutâ verò sub eodem *Carolo Magno* Civitate, *Syagrius* primus Episcopus dictus, ex quo videlicet Præsulibus iterùm *Nicæa* est decorata. Quapropter, si primum omnium, cujus memoria habeatur, Episcopum spectes, is certè non *Syagrius*, sed *Bassus* est statuendus.

4. Hinc facilè Ecclesiæ *Niciensis* antiquitatem animadvertere est, quæ maturè adeò proprios Pastores à Deo acceperit, qui non solùm omnes finitimarum Urbium Episcopatus tempore præcesserint, sed multos etiam, nobilissimosque Archiepiscopatus. Hos inter *Taurinensem*, *Taren-*
F *tasiensem*, *Genuensem*, *Ebredunensem* numero, excipio tamen *Aquas Sextias*, ac *Massiliam* in *Provinciâ:* Episcopos enim *Taurinum* numerat, ut eos recenset eruditissimus D. Franc. August. ab Ecclesi. anno CCCX. à *S. Victore*. Tarentasia anno CCCCXLV. à *S. Jacobo* Lerinensi. Genuenses verò primum Episcopum statuunt *S. Salomonem*, qui à multis Auctoribus relatis à *Jo. Savarone* in comment. epist. XV. lib. XVII. *Sidonii Apollinaris* creditur idem esse cum *Salonio* coævo *S. Eucherii* Lugdunen-

dunensis circà annum CCCCLX. quod tamen in dubium meritò revocant alii, quià eo admisso, *Diogenes* Episcopus *Genuensis* numero posterior in syllabo Episcoporum *Genuensium*, qui anno CCCLXXXIII. adfuit Synodo *Aquilejensi*, præivisset *Salomonem*. *Ebredunum* autem juxtà Martyrologium *Romanum* 20. April. & Petrum de Natal. *lib.* IV. *cap.* LXIX. habuit *S. Marcellinum* primum Episcopum, qui vixit, ut narrant *SS Vincentii*, & *Orontii* gesta, sub *Diocletiano*. *Nicæa* autem his omnibus antiquiores Episcopos numerat ab anno CCLIII. quorum nomina, & res gestas chronologicè digestas in sequentibus per numeros recensebimus.

---

I.

Anno Christi 253. S. BASSUS Primus Episcopus *Niciensis*, cujus martyrium, ac gesta *part.* I. *tit.* II. descripsimus; obiit anno Christi CCLIII. 5. mensis Decembr. sub *Decio*.

II.

155 S. PONTIUS scribitur factus fuisse Episcopus *Cemenelensis* à nonnullis Authoribus superiùs adductis in notis ad ejus gesta, quam rem inibi discussimus. Obiit Martyr sub *Valeriano*, & *Gal*-
261. *lieno* anno Domini CCLXI. II. Maji.

314. *SS. Bassi*, & *Pontii* successores multi desiderantur, quo medio tempore, anno scilicèt CCCXIV. in Concilio *Arelatensi* primo, jussu *Constantini Magni* celebrato, numerati sunt *Innocentius* Diaconus, & *Agapius* Exorcista ex Portu *Nicæensi*, licèt alia editio vocet Carpentoractenses, *Sirmond. in Concil. Gall.*

III.

AMANTIUS, antè quem, ut dixi, multorum Episcoporum *Niciensium* memoria intercidit,
382. anno, juxtà *Baronium* CCCLXXXII. vel sequenti CCCLXXXIII. ex *Genebrardo*, adfuit auspiciis *S. Damasi* Summi Pontificis Concilio *Aquilejensi* adversùs *Arrianos* unà cum *S. Ambrosio* Mediolanensi, *Domnino* Gratianopolitano, *Diogene* Genuensi, *Limenio* Vercellensi; aliisque Episcopis.
390. Postmodùm anno CCCXC. sub eodem *S. Ambrosio* ad aliam Synodum *Mediolanum* evocatus est, cui subscripsit, nec non epistolæ à Patribus Concilii ad *Siricium* Papam transmissæ, quæ est inter *D. Ambrosii* epistolas num. 81.

IV.

S. VALERIANUS Episcopus *Cemenelensis*; de eo superiùs *part.* I. *tit.* VII. floruit circà annum
450. Christi CCCCL. sub *S. Leone Magno*, qui cathedras *Cemeliensem*, & *Niciensem* ad unius Episcopi regimen reverti mandavit, ut mox ex *S. Hilari* epistolâ videbimus.

V.

S. VALERIUS Episcopus *Niciensis* hic post *Valerianum* locatur, cum certus, quo floruit, annus nobis minimè innotescat. de eo plura *part.* I. *tit.* VIII.

VI.

AUXIANUS, qui alitèr vocatur *Auxanius*, sivè *Auxamius*, non immeritò inter Præsules *Nicienses* recensetur ab *Augustino ab Ecclesiâ*. Floruit
465. 490. circà annum CCCCLXV. usque ad CCCCXC. tempore *Fausti Rhegiensis*, cujus epistolæ ad *Lucidum* Presbyterum subscripsit primo loco cum aliis multis *Gallicanis* Episcopis. *Baronius* putat eum esse, qui apud *Sidonium* mendosè dicitur *Aulianus*, sivè *Julianus*. De eo habetur epistola IV. *S. Hilari* Papæ, quam, eo quod agat de eâ, quam sæpiùs diximus, conjunctione *Cemeliensis*, & *Niciensis* Episcopatus, hic subnectimus:

A *Dilectissimis Fratribus Verano, Leontio, & Victurio Episcopis Hilarus Papa.*

MOvemur ratione justitiæ, quæ licèt ab omnibus, qui recta sapiunt, debeat custodiri, tamen præcipue Domini Sacerdotibus non est temerè negligenda, quorum cæteros informari convenit institutis. Frater igitur, & Coëpiscopus noster Ingenuus *Ebredunensis*, *Alpium Maritimarum Provinciæ Metropolitanus*, *semper honore subnixus*, *in præjudicium suum*, *sicut adnexa declaravit querimonia*, *quædam nos*, *petente Fratre*, *& Coëpiscopo nostro* Auxamio, *statuisse commemorat*, *quæ universis in hac eâdem*
B *caussâ defensionibus contrairent*. *Siquidem relationibus in nostro judicio recensitis*, *quas Frater*, *& Coëpiscopus noster* Veranus *ad Sanctæ memoriæ Decessorem meum cum cæteris Provinciæ Sacerdotibus misit*, *& Apostolicæ Sedis*, *quæ tunc directa fuerat*, *patefactâ responsione*, *manifestatum est*, *nihil posteà debuisse tentari*, *nec ad injuriam Synodalium Regularum quicquam per obreptionem*, *quæ proximè facta est*, *debere constitui*. *Nam licèt ex hoc etiam*, *quod à nobis est illicitum censeatur infirmum*, *quià ex eo ipso insinuatum est exequi noluisse qui meruit*; *tamen ne odio*, *vel gratiâ moveamur*, *quæ in caussarum disceptationibus esse non debet*, *ità vestræ Cha-* 156
C *ritati cognitionem adnexæ querimoniæ delegamus*, *ut nihil adversùs venerandos canones*, *nihil contrà Sanctæ memoriæ Decessoris mei judicium valeat*, *quicquid obreptum nobis esse constiterit*. *Nolumus itaque*, *Fratres Charissimi*, *Ecclesiarum privilegia*, *quæ semper sunt servanda*, *confundi*, *nec in alterius Provinciâ Sacerdotis alterum jus habere permittimus*, *quià per hoc non minùs in Sanctarum traditionum delinquitur Sanctiones*, *quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur*, *cum expectatio fructus nostri ministerii*, *non in latitudine Regionum*, *sed in acquisitione ponitur animarum*. *Habeat itàque Pontificium Frater*, *& Coëpiscopus noster* Ingenuus *Provinciæ*
D *suæ*, *de cujus dudùm ab Apostolicâ Sede est illicitâ cessione culpatus*, *& custoditis omnibus*, *quæ super Ecclesiis* Cemeliensis *Civitatis*, *vel Castelli* Nicæensis *Sanctæ memoriæ Decessoris mei definivit authoritas*, *nihil Ecclesiarum juri noceat*, *quo in alterum memoratorum à prædicto Fratre ad excludendam cupiditatem quendam modum prohibuit ambitionis alienæ*, *proximè est Episcopus consecratus*, *sed statutæ correctionis forma permaneat*, *ut ad unius Antistitis regimen prædicta loca revertantur*, *quæ in duos dividi non decuit Sacerdotes &c. Dominus vos custodiat Fratres Dilectissimi.*

E In hac epistolâ *Hilarus* Papa *S. Leonis* Magni Successor committit *Verano* Venciensi Episcopo, *Leontio* Forojuliensi, & *Victurio*, cujus sedes me latet, nisi fortè est *Antipolitanus*, is certè, cujus nomen habetur in epistolâ Episcoporum *Gallorum* ad *S. Leonem*, iis inquam committit caussam *Ingenui* Metropolitæ *Ebredunensis*, adversùs quem *Auxianus* obreptitiè impetrarat, seù Provinciam ipsam, ut putat *Severinus Binius*, sivè jura *Ingenuo* competentia suprà *Cemeliensem*, & *Niciensem* Episcopatus, quos *Auxianus* Episcopus, nisi fallor, *Cemeliensis* potiùs, quàm *Niciensis* ab *Ebredunensi* Provincia distraxerat, & in harum Ur-
F bium alterâ, *Niciæ* scilicèt, Episcopum consecrarat; ut ex illis verbis colligitur: *quo in alterum memoratorum à prædicto Fratre proximè est Episcopus consecratus*. undè ne imposterùm quid simile tentaretur, præcipit ratum haberi *S. Leonis* decretum, *ut ad unius Antistitis regimen prædicta loca* [Cemelium, & Nicæa] *revertantur*, *quos in duos dividi non decuit Sacerdotes*. Nec verò hærendum est in eo, quòd in hac epistolâ *Nicæa* dicatur *Castellum*, alias *Castrum*, non Civitas; potuit enim eo sæculo tantus Civitatis *Cemenelensis*

esse splendor, ut *Nicæa*, quæ tamen, ut initio *in prolegom. part.* I. diximus, *Plinio*, *Ptolemæo*, & *Strobone* testibus, jure Civitatis gaudebat, non nihil exciderit, ac inferiori loco habita sit.

VII.

S. DUTHERIUS *Niciensis* Præsul, cum *S.*
157 *Gratiano*, *Telone Martio* Martyr, immolatus est
394. pro Christo anno à Nativ. ejusdem CCCCXCIII. sepultus v. Calend. Septemb. De eo prolixiùs *part.* I. *tit.* IX.

VIII.

554. MAGNUS Episcopus *Niciensis*, & *Cemenelensis* floruit anno DLIV, quo interfuit Concilio *Arelatensi* Quinto, eique subscripsit octavo loco. Ejusdem nomine *Aëtius* Presbyter subscribitur Concilio *Aurelianensi* itidèm Quinto, ut in gestis *S. Dutherii* dictum est.

IX.

580. AUSTADIUS sedebat *Niciæ* circà annum DLXXX. alicubi malè scribitur *Austodius*. Corpus *S. Hospitii* tumulavit; ab eodem *Hospitio*, antequàm moreretur, accersitus, ut dictum est suprà in *Hospitii* gestis. De eo ex veteribus nullus, præter *Gregorium Turonensem* meminit.

X.

585. CATHOLINUS, sivè *Catulinus*, vixit anno
588. DLXXXV. seù DLXXXVIII. successitque *Austadio*. Eo anno, *Pelagio II.* Summo Pontifice, & *Guntranno* Rege *Francorum* indicentibus, evocatus est in *Galliam* ad Concilium Secundum *Matisconense*, cum *Optato* Episcopo Antipolitano, *Deuterio* Venciensi, *Desiderio* Tolonensi, *Agriccio* Glandatensi, *Emerito* Metropolitâ suo *Ebredunensi*, multisque aliis finitimarum Diœcesium Episcopis.

XI.

S. SYAGRIUS etsi undecimo loco enumeratur, verisimile tamen est, post *Catholinum* alios sedisse Episcopos *Nicienses*. Episcopatum auspicatus est, ut asserunt Mon. *S. Pontii* monumenta,
777. anno DCCLXXVII. Decennio post, anno scilicèt
787. DCCLXXXVII. ad supernam Patriam evolavit, tumulatus in eodem *S. Pontii* Monasterio, in quo olim Abbas præfuerat.

Hìc etiam desiderantur multorum Præsulum *Niciensium* nomina, qui ab anno DCCLXXXVII. usque ad DCCCCXCIX. floruerant, eo quod vastatâ iterùm hisce temporibus à Barbaris Saracenis *Nicæâ*, omnia fermè antiqua monumenta naufragium passa sint, atque dispersæ tabulæ, ut *part.* I. *in prolegom. cap.* XIII. *num.* 5. ostendimus: undè non mirum, quòd multa ad *S. Syagrium* spectantia nos lateant, ac præcipuè Charta donationis, seù fundationis Monasterii *S. Pontii* à *Carolo Magno* Rege.

Interim quo tempore armis Saracenorum *Nicæa*
970. laniabatur, ex *Fraxinetto* Peninsulâ [ si *Fraxinetti* nomine Arcem *S. Hospitii* intelligamus] non verò Insulâ, ut refert *Philippus Ferrarius*, nullibi enim est *Fraxinettum* Insula, *Niciensem* tractum *S. Bobo* illustrasse creditus est. Is enim *Nuglerii* in *Provinciâ* natus, *Arcem Bobonis*, in Montis, qui nunc fortassè de illius nomine, corruptè *Mon Borón* dicitur, editioris fastigio, *Fraxinetto* finitimam contrà eosdem *Saracenos* tutatus est, quos etiam è *Fraxinetto* expulisse dicitur, Arcem *Bobonis* demoliri nitentes, Apostolorum *Petri*, & *Pauli*, quibus se voto obstrinxerat, præsidio. Qui
158 post multa piè acta, miraculis antè, & post mortem percelebris, apud Vicum *Iriæ* Derthonensis Diœcesis Opidum obiit die 6. Februar. inde *Ticinum* translatus. *Ex Philip. Ferrar. de SS. Ital.* 24. *Maji.*

XII.

FRODDONIUS Episcopus *Niciensis* vixit anno Christi DCCCCXCIX. refloruitque, eo maximè

A adjuvante, status Monasterii *S. Pontii*, cui *Miro*, & *Odila* Conjuges, ac Nobiles *Nicienses* Castri, quod olim dicebatur *Rocca*, nunc *S. Andreæ* quartam partem largiti sunt: Donationis charta hæc est:

*Auctoritas enim jubet Ecclesiastica, & lex consistit* Romana, *ut qui rem suam in qualicunque potestate transfundere voluerit, per paginam testamenti eam infundat, ut prolixis temporibus soluta, & quieta permaneat. Quapropter ego* Miro, *&* Odila *cogitamus pariter de Dei misericordiâ, vel de æternâ Christi retributione, & expavescimus diem judicii, & ut mereamur illam vocem audire, quam Dominus*
B *noster Jesus Christus dicturus est:* Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi, *& ut nos S. Petrus, qui habet potestatem animarum ligandi, atque solvendi, absolvat nos ab omni vinculo delictorum, pro ipso amore, atque timore, Domino Deo, & à Sancto Monasterio, qui est constructus in honorem* S. Pontii *Martyris à piissimo* Carolo *Rege* Francorum, *seù Patritio* Romanorum *in Comitatu* Niciensi *propè loco, qui dicitur* Cimella *suprà fluvium* Pallionis, *donamus ad jam supradicto Monasterio, seù ad Monachos, qui ibidem diù, noctuque inserviunt: hoc*
C *est quarta pars de Villâ, que nominant* Rocca *cum omnibus appendiciis, & adjacentiis suis. id est terris, campis, silvis, vineis, pratibus, pascuis, arboribus fructiferis, & infructiferis, molendinis, aquarumque cum decursibus earum, & quodcunque ibidem pertinere legitimè videbitur. Et est ipsa Villa in Comitatu* Niciensi *subtus Castro antiquo, qui dicitur* Revello, *ut ab hac die præsenti, & in perpetuis temporibus hæc omnia, quæ supradiximus, sint in potestate de prædicto Monasterio, ut firmiter teneant, & possideant servitores illius, & delectentur quotidiè orare Dominum, & deprecare pro animabus nostris,*
D *& pro omnibus Orthodoxis, omnibus Deo timentibus, & ibidem benefacientibus. Sanè si quis &c. Facta chartula ista Eleemosinaria sub die Sabbati V. Idus Decembris Anno Dominicæ Incarnationis*
*DCCCC.XC.VIIII. Indictione duodecima. Anno* 999
*VII. Regnante* Rodulpho *Rege feliciter. Facta in Castro* Juris *in præsentia Domini* Froddonii *Episcopi.*

*Signum* Mironi, *&* Odilæ, *qui chartulam istam scribere fecerunt, & Testes firmare rogaverunt.*

Pontius, *&* Bernardus, *&* Myro *Filii eorum firmaverunt.*

Rainoaldus *Præsbiter relegit, & subscripsit.*
Lambertus *Præsbiter firmavit.*
E Salvator *Levita firmavit.*
Bermundus *Præsb. fecit.*
Pontius *firmavit.*
Inghilbertus *fecit.*
Joannes *Præsbiter scripsit.* Ex Archiv. Mon. & Abbat. S. Pont.

Supradicti *Miro*, & *Odila* conjuges, de qui- 159
bus mox alius erit agendi locus, & qui propè confinia Abbatiæ *S. Pontii* multa olim prædia possidebant, creduntur fecisse nomen Regioni ibidem sitæ dictæ nunc corrupto vocabulo *Mirindol.*

F XIII.

BERNARDUS successit *Froddonio* in Episco- 1004
patu *Niciensi*. Anno MIV. ratam habuit electionem *Joannis* Abbatis *S. Pontii*, quem ex Monachis elegerunt *Adalmandus*, *Eiterius*, *Guigo*, *Honoratus*, *Alboinus*, *Ricardus*, *Ainaldus*, *Dominicus*, *Pontius*, *Teodebertus*, *Barnardus*, adstantibus alio *Bernardo* Episcopo *Antipolitano*, ac firmantibus *Rodbaldo* Comite, & *Ingardâ* Comitissâ, *Wilelmo de Niciâ*, *Autrico*, *Bonfilio* cum Uxoribus suis, *Salvatore de Forcalquerio*, aliisque Proceribus. *Ex diplom. in Archiv. S. Pont.*

Hoc tempore *Odila*, de quâ suprà, pia de mo-

res

re, & munifica ergà Monachos *S. Pontii*, cessit A ipsis nonnullas terras Monasterio contiguas, de quâ re barbariem maximè redolentem chartam nacti sumus: *Ego* Odila, *& Filii mei* Pontius, *&* Bermundus, *&* Mironi *cogitamus de Dei misericordiâ, & de æternâ Christi retributione, & ut* S. Petrus, *qui habet potestatem ligandi, atque solvendi absolvat nos ab omni vincula delictorum, & per remedium animarum* Wilelmo *magnifico Comite, &* Mironi *Genitori nostro, &* Lodgerio *Rectore nostro, pro ipso amore donamus ad Monasterio* S. Pontii *Martyris Terra, qui est in circuitu ipsius Ecclesiæ: est ipsa Terra cum Monasterio suprascripto* S. Pontii *in Comitato* Niciensis, *in territorio propè Civitate* B Cimela, *& ab ipsa terrâ consortes ex omni parte nos ipsos donatores de superiore fronte in gyrum, sicut terra pendet à parte meridie, à parte Ecclesiæ* S. Mariæ, *qui est in* Cimella, *usque in strada publica, qui vadit ad Monasterio, ab Oriente ipsa strada suprascripta, vel si qui alii sunt consortes.* Ex Archiv. S. Pont.

XIV.

1018. PONTIUS dictorum *Mironis*, & *Odilæ* Nobilium *Niciensium* Filius sedebat anno MXVIII. anno verò MXXV. cum Genitrice suâ *Odilâ*, *Leodegario*, secundo, ut videtur, *Odilæ* Marito, aliisque Affinibus multa bona largitus est Ecclesiæ C suæ Cathedrali *Niciensi*: ejus genus, & Consanguineos ut sciamus, chartam ipsius donationis exscribimus, quæ talis.

*Ego* Pontius *gratiâ Dei Episcopus dono ad Ecclesiam* S. Mariæ *Sedis* Niciensis, *& ad Canonicis, qui ibidem die, & nocte serviunt, qui ibi sunt, & qui venturi sunt, pecia una de terra, & vinea in loco, qui vocatur fonte calida, per remedium, & liberationem animæ meæ, & anima Genitore meo* Mirone, *& Genitrice meâ* Odilâ, *& Germano meo* Mirone, *&* Guiglielmo. *Consortes de uno latere de Oriente rivo currente, & dominico de alio latus de Occidente terra de franca, & de Marino de Austro, & Guntardo, ad meridie terra de stabile, vel si qui alii. Sane si quis, ego, aut ullus homo de propinquis Parentibus meis, qui contrà hanc donatione ista irrumpere voluerit, aut Episcopus, aut Abbas, aut Comes, aut qualiscunque persona maledicatur maledictione perpetuâ, & cum* Judâ, *qui Dominum tradidit, in Infernum damnetur &c. Factâ autem donatione ista in Mense Martio in die Martis hora III.*
1025. *Anno XXV. Regnante* Rodulpho *Rege Indict. III.*

160 *Signum.* Domnus Pontius *Episcopus, qui donationem istam scribere jussit, & testes firmare rogavit manu suâ firmâ.*
*Signum.* Domnus Leodegarius *firmavit.*
*Signum.* Domna Odila *firmavit.* Adalfredo *firm.* Bonusfilius *firm.* Bertrannus *firm.* Signerius *firm.* Dodo *firm.* Petrus *firm.*
Alenco *TT.* Gumberto *TT.* Valdeberto *TT.* Agamo *TT.* Rainaldo *TT.* Bermundus *T.* Boso *TT.* Vitalis Scrimanus, *rogante* Undula *Præsbitero scripsit, atque subscripsit.* Ex Arch. Eccles. Cathed.

1027. Anno porrò MXXVII. idem *Pontius* firmavit cum *Duranto* Episcopo *Venciensi* donationem loci *de Revesto* in Comitatu *Niciensi* cum duobus mansis factam Monasterio *S. Pontii* ab iisdem *Leodegario*, & *Odilâ* Conjugibus. *Ex Arch. Mon. S. Pont.*

XV.

1027. GAUFREDUS post *Pontium* eodem anno MXXVII, quo ille obiit, statim assumptus est ad *Niciæ* Episcopatum: de eò, quòd citò obierit, pauca inveniuntur notatu digna. Subscripsit Nonis Decemb. tanquàm testis unà cum *Astorgio Vapicensi*, ac *Benedicto* Abbate *Clusensi* chartæ donationis, quâ *Bertrandus* Comes *Forcalquerii* multis bonis sitis in Diœcesi *Ebredunensi* ditavit Monasterium *S. Michaëlis de Clusa* in *Pedemonte*, de quo consulendus *Antonius Ruffi* in Historiâ *Gallicâ* Comitum *Provinciæ*, qui tabulas ipsas donationis affert.

XVI.

PONTIUS hujus nominis *Tertius*, successit *Gaufredo*, brevique, ut ille, ab humanis excessit. Hic ex Nobilibus, opulentisque ortus Parentibus, statim ac cathedram intravit, anno scilicet MXXX. Opidum *Castrinovi* sibi ex paterna hæreditate obveniens cum Villis adjacentibus cessit Monachis *S. Pontii*, ut sequenti paginâ edocemur.

*Omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium cognoscat præsentia, qualitèr ego* Pontius *gratiâ Dei humillimus Antistes Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis* Mariæ *Ecclesiæ* Niciensis, *Domini poscendo clementiam, pro remedio animæ meæ, vel Parentum meorum, aliquid ex meo in Monasterio* S. Pontii *Martyris Christi spontè, voluntarièque dono, ut post hanc vitam apud Dominum intercessorem cum obtineam. Igitur dono illo Opido, que nominatur* Castellonovo *cum omnibus ad eum pertinentibus, cum territoriis suis in gyrum præordinatis, cum Villâ, quæ nominatur* Salsa framarico, *& alia, quæ nominatur* Ben de juno *&c. Hæc omnia ego* Pontius *Episcopus dono, & cedo &c. Si quis igitur &c. Facta est autem hæc charta Anno Millesimo 30. Kal. Jun. Indict. XII. Regnante* Rodulpho *Rege Alamandorum.* Archiv. S. Pont. 1030.

XVII.

ANDREAS *Pontium* in Episcopatu *Niciensi* proximè subsecutus, anno MXXXII. interfuit donationi, quâ *Leotgerius*, sivè *Leodegarius*, ejusque Uxor *Odila*, ac Filii *Raimbaldus*, *Petrus Episcopus*, & *Rostagnus*, Nobiles, primariique Viri *Nicienses*, Monasterio *S. Verani*, & Ecclesiæ 1032.
D *S. Mariæ Deauratæ* propè fluvium *Lupum* in Diœcesi *Venciensi* multa largiti sunt, quæ *Odilæ* ex 161
Marchione *Guillelmo*, & *Atalis* Comitissâ obvenerant. Idem *Andreas* alii donationi, quâ à supradictis *Raimbaldo*, & *Rostagno* Fratribus, [quorum Filii, ut infrà videbimus, valdè pii, munificique fuerunt ergà Monasterium *S. Pontii*] idem *S. Verani* Monasterium ditatum est, subscripsit cum *Petro* Episcopo Sistaricensi, *Aldeberto* Antipolitano, & *Pontio* Abbate. *Chronol. Lerin. Vinc. Barral. pag. 365. 366.*

XVIII.

E NITARDUS, seù *Nectardus*, Patriâ *Niciensis*, Episcopatum gessit anno MXXXVII. ut colligimus ex donatione facta à *Raimbaldo* Monachis *S. Pontii*, quam *Nitardus* confirmavit. *Archiv. Mon. S. Pont.* 1037.

Hujus Episcopi habetur cum laude mentio in confirmatione dotis Ecclesiæ *S. Joannis de Olivo* propè rudera Monasterii *S. Hospitii* sitæ: ea autem talis est:

*In Dei nomine. Ego* Laugerius Rostagni *Ecclesiam* S. Mariæ, *&* S. Joannis de Olivo *reddo Ecclesiæ* S. Mariæ, *Nicensi Episcopo in primis, & suis Canonicis præsentibus, & futuris, & dotem reddo,*
F *& confirmo, quâ Pater meus* Rostagnus *dotavit Ecclesiam* S. Joannis, *tempore* Nitardi *Nicensis Præsulis, & Ecclesiæ Sanctæ boni Pastoris, & hoc bonâ fide &c. Istius autem Ecclesiæ* S. Joannis de Olivo, *& dotis, quam reddo* S. Mariæ, *Nicensi Præsuli, & Canonicis sunt testes* Cebaldus, Durannus, *&* Lambertus *frater ejus,* Wilelmus, *&* Bonifacius *Filii* Lotardi de Monte Olivo. Raimbaldus de pal *testis,* Petrus *Episcopus,* Pontius Bonfol, *& omnes Homines* Niciensis *Civitatis sunt testes recti verborum Laugerii Rostagni.* Archiv. Eccles. Cathed.

*Anno*

1040. *Anno* MXL. Nitardus *Niciensis Præsul* Massiliam *accersitus interfuit Idib. Octob. cum reliquis Provinciæ Episcopis solemni Ecclesiæ* S. Victoris *consecrationi.* Jo. Bapt. Guesnay.

XIX.

1050. ANDREAS II. *Nitardi* successor anno ML. subscripsit cum *Duranto* Vencensi, & *Aldeberto* Antipolitano Episcopis donationi sivè unioni, quâ *Pontius* Abbas *S. Verani*, suum Monasterium, consentientibus Monachis, uniebat, seù submittebat Monasterio *S. Honorati* Lerinensis. *Chronol. Lerin. pag.* 366.

XX.

1064. RAIMUNDUS Episcopus *Niciensis* anno MLXIV. multis bonis donatus est pro Ecclesiâ *B. Mariæ* Castri de *Terio* nunc *Tieri* in Comitatu *Boleano* à *Baldone*, *Martino* Presbytero, *Martino Rostagno*, & aliis quibusdam. Anno verò MLXVI. alii pii Viri alia multa largiti sunt, cujus donationis chartam libentèr adducimus, eo quod in eâ fiat mentio de Episcopatu *Cemeliensi*, cui forsitàn olim illæ parœciæ suberant:

*Ego* Petrus, *& Frater meus* Milo *prænomine* Lagito, *& nostræ Uxores unà cum Filiis, & Filiabus nostris non immemores sumus &c. donamus Deo omni-*
162 *potenti, & ejus Genitrici perpetuæ Virgini* Mariæ *de nostra honore, quod habemus in Episcopatu* Cimilensis *in Comitatu* Tiniensis, *in loco, qui dicitur* Clansis, *ubi Ecclesia* B. Mariæ *semper Virginis ædificata esse videtur, donamus ad ipsam Ecclesiam modiatas in ipso territorio, & vinea una optima in locum q. dicitur* Gardia, *& alia vinea q. fuit de quondam Fabro nomine* Petro, *& hortos duos, qui sunt juxtà pratum* Arnaldi *cum ipso defenso, qui dicitur altare. Adhùc etiam donamus ad ipsam Ecclesiam duos homines cum omnibus ad ipsos pertinentibus, cum terris, vineis, pascuis, silvis, garriciis, cum omni servitio ad ipsos pertinentibus. Adhùc etiam concedimus ad præfatam Ecclesiam, si aliquod mercatum, aut feriam ibi fuerit factum, totum ab integrum illi concedimus in dominium. Et ego* Petrus, *& Uxor mea* Aufresa *adhùc donamus Deo, &* B. Mariæ *Virgini, &c. medietatem decimi de Castro, que nominant* Poietto, *& alia medietate de Castro, quæ nominant* Maria *&c. Hæc omnia verò donamus Deo, &* B. Mariæ *pro redemptione animarum nostrarum, & parentum nostrorum. in tali verò conventu, ut Episcopus* Niciensis *teneat, & possideat in servitio Dei &c. Facta autem charta IIII. Kal.*
1066. *Januar. Anno M. LX. VI. Incarn. Domini nostri Jesu Christi &c.* Archiv. Eccles. Cathed.

1067. Anno sequenti MLXVII. à *Rostagno Rainardi*, & *Adalaixi* Uxore ejus recuperavit decimas de Venatione, *Andobio*, *S. Dalmatio* in Valle *de Blorâ*, *Pedastas*, *Rege placito*, *Rorâ*, *Falcario*, *Leudolâ*, *S. Stephano Tiniensi*, Ecclesiamque *B. Dalmatii.*

Demùm anno MLXXIII. donatus est Castro *Drappi*, quod nunc Comitatus titulum præfert, à *Petro Vasensi* Episcopo, Patriâ, *Niciensi*, cujus donationis diploma hic adducere libuit, ut Lector agnoscat ejus dominii titulum, & antiquitatem:

*In Dei nomine, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ego* Petrus *Vasensis Episcopus, scilicet Filius* Raimbaldi, *dono, atque transfundo Omnipotenti Deo, & ejus Genitrici Perpetuæ Virgini* Mariæ *de meâ hereditate, quæ mihi obvenit, vel obvenire debet, Castrum unum, quod nominant* Drapo, *cum omnibus ad se pertinentibus, hoc est in Comitatu* Niciensi, *scilicet in campis, vineis, hortis, pascuis, silvis, gariciis, montibus, collis, pratis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, vallis. Omninò dono quæ ibidem possideo, videlicet prò remedio animæ meæ, & Genitori meo, seù Genitrici meæ, & Parentum meorum; Ut Do-*
A *minus Jesus Christus dimittat nobis delicta nostra. Tali verò tenore, ut Episcopus, scilicet* Raimundus, *qui ibi nunc famulatur ad præsens, & Successores sui habeant, & possideant in sæcula sæculorum. Indè accepi munus cappas duas optimas, & virgam optimam Episcopalem. Sanè si quis, ego, aut ullus ex Hæredibus meis, vel ulla apposita persona, qui hanc donationem irrumpere, aut inquietare voluerit, non hoc valeat vindicare, sed ira Dei Omnipotentis maneat super eum, & sit maledictus, atque excommunicatus, & auctoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti à corpore, & Sanguine nostri Redempto-*
B *ris sit separatus, & à consortio Sanctæ Religionis Christianæ disrumpimus, & à liminibus Sanctæ Dei Ecclesiæ sequestramus. Cum* Judâ *verò proditore partem habeant in Infernum, & cum* Beelzebub *Principe Dæmoniorum in claustris Inferni retrudantur omnes qui illi, aut illæ consilium dederint, vel adju-* 163
*torium præbuerint ab hodiernâ die, & deinceps maledicti, & excommunicati permaneant. Ego igitur* Petrus *gratiâ Dei* Vasensis *Episcopus dono, atque concedo, sicut omnia suprascriptum est, ad Beatam Dei Genitricem* Mariam, *cujus Ecclesia fundata est in Urbe* Niciensi, *& ad præfatum Episcopum, & omnibus ejus successoribus, liberam habeant potesta-*
C *tem tenendi, possidendi, omnique tempore sine ullâ inquietudine, & perturbatione à me factâ, vel Hæredibus meis, & ità manu meâ firmo, atque corroboro, & ad salutem animæ meæ super Sanctum altare manu meâ impono in præsentiâ Fratrum meorum, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ, quorum hæc nomina,* Wilelmus, Tetbaldus, Saramandus, Joannes, Allio, *& alii plures. Facta charta ista donationis XI. Kal.*
*Majas, Anno M. LXX. III. ab Incarn. Domini no-* 1073
*stri Jesu Christi Regnantis in sæcula sæculorum Amen.*

*Sig.* Leodegarius *Frater firmavit.*
*Sig.* Rostagnus *Frater firmavit.*
D *Sig.* Bertrannus *Frater firmavit.*
Bertrannus *firm.* Francus *firm.* Ugo de Coaarossa *firm.* Bertrannus *firm.* Fredulus *firm.* Amicus *firm.* Isoard. *firm.* Aldebertus *firm.* Rodulphus *firm.* Pontius *Ecclesiæ Vasensis Canonicus & docuit, & firmavit.*

*Tali verò conditione, ut nec iste Præsul* Raimundus, *nec Successores sui alienare, nec vendere, nec in vadimonium nihil possint facere, nisi in servitio Dei, Matrisque Mariæ,* Niciensis *Sedis, atque omnium Sanctorum.* Archiv. Eccles. Cathed.

Vides Lector quo jure, & titulo jam fermè per DC. annos *Drappum* possideant Episcopi *Nicienses*
E dicti nunc *Drappi* Comites, cujus jurisdictionem, ut infrà dicetur, emerunt posteà à *Raimundo Berengario* Comite Provinciæ. At verò *Raimundo* Episcopo *Niciensi*, statim ac *Drappi* possessionem adeptus est, ejusdem loci Consules, & incolæ fidelitatis sacramentum, atque hominium persolverunt in Ecclesiâ Cathedrali *Niciensi*, quod idem aliis ejusdem successoribus præstiterunt. *Antiqua chartular.*

XXI.

BERNUS sedisse videtur in *Niciensi* cathedrâ antè *Archinbaldum*, de quo mòx: argumento est quædam donatio ipsi *Archinbaldo* successori facta,
F in quâ habetur mentio de ipsius Prædecessore *Berno*, cui *Wilelmus* Comes mansum unum largitus
fuerat. Vixit circà annum Christi MLXXV. 1075

XXII.

ARCHINBALDUS præfuit Ecclesiæ *Niciensi* anno MLXXVIII. Testatus est suam ergà Monasterium *S. Pontii* pietatem, ac munificentiam, eidem attributis Ecclesiis *de Olivo*, scilicet *B. Mariæ* de pulcro loco, & *S. Joannis*, ut ex sequenti donationis paginâ edocemur.

*Omnium*

*Omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium cognoscat præsentia: Qualiter ego* Archinbaldus *gratiâ Dei Humilissimus Antistes Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis* Mariæ *Ecclesiæ* Nicienfis, *Domini poscendo clementiam, prò remedio animæ meæ, una consentientibus, & donantibus Canonicis ejusdem*
164 *sanctæ Matris Ecclesiæ, dono, & reddo cum ipsis Canonicis Ecclesiam* S. Mariæ, *sivè* S. Joannis *in potestate* S. Pontii *Martyris, in Monasterio videlicet, qui est constructus in Comitatu* Cimilliensis, *sivè* Nicienfis *à Piissimo* Charolo *Rege* Francorum, *&* Longobardorum, *seù Patricio* Romanorum. *Ego* Archinbaldus *jam prænominatus* S. Mariæ *Niciensis Ecclesiæ Antistes auctoritate ejus transgredere nequiens, Ecclesiam* S. Mariæ, *sivè* S. Joannis *cum omnibus appendiciis suis, cum terris cultis, & incultis, reddo ipsam Ecclesiam, qui est sita in territorio, que nominatur* Olivum *juxtà Portum, que nominant* Fossas de Astingo *Beatissimo Martyri Christi* Pontio *in manu Domini* Ebrardi *Abbatis, sivè Monachorum præsentium, sivè subsequentium. Facta*
1078. *quarta ista anno Incarnat. Dominicæ Millesimo* LXX.VIII. *Indict.* I. *Mense Aprile. Regnante in nobis Domino Jesu Christo. Nos igitur supradicti donatores, ego* Archinbaldus *Pontifex unà cum Canonicis nostris* Petro, Joanne, Wilelmo, Teudebaldo. Ugo. de Petro *Episcopo* SS. Pontius. Ugo. Petrus de Epm. Isnardus, Pontius Petrus *&c.* Archiv. S. Pon.

Florebat maximè hoc tempore *S. Pontii* Monasterium, quamobrem pii Fideles eò identidèm sua donaria conferebant, novasque Ecclesias ædificantes, aut jam ædificatas instaurantes jurisdictioni, & dominio ejusdem Monasterii addicebant, seù fortasse olim malè ablatas restituebant. multas hujusmodi Ecclesias recenset chartula antiqua, quam exhibemus:

*Brevem eleemosinæ, quam faciunt Filii* Raimbaldi, *& Filii* Rostagni *Fratris ejus.* Petrus *Episcopus, &* Leodegarius Russus, *& Filius ejus,* Rostagnus *cum Filiis suis,* Raimbaldus, *&* Leodegarius Rostagnus *de honore* S. Pontii *ipsius Monasterii, & Villæ propè præsentis, & de Villa de* Matos, *sicut* S. Pontius *tenuit, & habuit in vita Domini* Raimbaldi, *& Domini* Rostagni *Fratris ejus, & medietatem de* Collomaris, *& Monasterium* S. Mariæ Alagaudæ *cum propria Villa, & Villam* S. Blasii, *&* S. Mariæ de Leven *cum Villa sua, &* S. Petrum de Escarena *cum Villa sua, & Ecclesiam* S. Martini *cum Villa sua, &* S. Mariam de Luceram *cum Villa sua, &* S. Mariam de gordolón *cum Villa sua, & cum manso* de gordolo, *& cum manso* de gasto, *& Ecclesiam* S. Simeonis de ongranio, *& mansum* de oira, *& Ecclesiam* S. Deivotæ, *& Ecclesiam* S. Laurentii, *& Ecclesiam* S. Hospitii, *& Ecclesiam* S. Reparatæ, S. Mariæ Cimelinenfis, S. Michaëlis de barbalatâ, *Ecclesiam* S. Teclæ *suprà* Drapum, *Ecclesiam* S. Margaritæ *cum manso, quem emerunt Monachi* S. Pontii, *& ipsas honores, quæ habet* S. Pontius *in Villis, & in Castris, & quem hodiè habet* S. Pontius, *sivè Monachi ipsius loci, aut nullus homo propter illos &c.* Archiv. S. Pont.

Porrò *Archinbaldus* Episcopus *Niciensis* quamplurimum Ecclesiam suam auxit ex decimis *Leventii, Rupettæ, Villarii,* & *Mirindolii,* quas à *Laugerio Rostagno,* & Uxore ejus *Ermengardâ* recuperavit. Sacravit præterea Monœci Ecclesiam *S. Mariæ,* quam aliquot pii Viri ex *Augusti Trophæis,* seù loci *Turbiæ* Incolæ ædificarant. *Archiv. Eccles. Cathed. Mon. S. Pont.*

XXIII.

ISNARDUS Episcopus *Niciensis*, anno MCVIII, [quo in Catalogo *Martinengi* malè locatur ex affinitate vocabuli, & temporis *Isoardus*] initio suæ assumptionis videns mala è bonis Eccle-
A siæ, ut loquitur nuperùs, & eruditissimus scriptor, id est malè utentes Clericos bonis, & redi- 165
tibus Deo dicatis, eorum in melius reformationi studere cupiens, constitutionem edidit, in quâ Canonicis, ut commodiùs Deo servire queant, reditus Ecclesiæ multos partitur, ut sequens diploma continet.

*Ego Fr.* Isnardus *Dei nutu factus* Nicenfis *Episcopus, videns Ecclesiæ nostræ beneficia non prò utilitate ipsius Ecclesiæ, sed prò voluntate Clericorum nostrorum inter se dividentium, & malè utentium consumpta, nimio cordis dolore commotus, & Dei timore, & amore compunctus, quæsivi, & quærendo, Deo*
B *gratias, ordinavi, ut Ecclesiastici reditus usibus Fratrum Deo servientium, & in Canonicâ Societate normaliter viventium cederent, quos, ut eis perpetuo tenore sine ullâ retractione provenirent, hâc subscriptione notari feci. Sunt autem Ecclesiastici fructus Canonicorum, omnes Decimæ totius* Niciæ, *exceptâ, quæ reservanda est Episcopo, decimarum sexta parte, & præter decimas Pontificalis Dominicaturæ. Mortalagium verò totum: & ut breviter concludam, omnes oblationes* Nicienfis *Ecclesiæ, exceptis oblationibus Episcopalium Missarum pro defunctis. Medietatem autem omnium Synodalium redituum, sed &*
C *omne mortalagium, & receptus horum Castellorum subscriptorum,* Levenni, Caudærasæ, Comitis, Rupis, Toeti, Comitis, Berræ, Lucerami, Ungraini *superioris,* Turbiæ, Hesæ. *Itemque decimæ* Comitis, *&* Comitis, *decimæ* Levenni. *Præterea si decimas Episcopatus, annuente Dei bonitate, recuperare potero, partem earundem decimarum Canonicæ nostræ Ecclesiæ concedere statuo.*

*Hujus autem nostræ institutionis si quis refragator fuerit, sciat nostræ maledictionis, & excommunicationis se subjacere periculo. Statuti verò nostri facta est descriptio VI. NN. IVL. Frã. V. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* M.C.VIII. 1108.
D Petrus *Senecensis Episcopus TT.*
Petrus *Vencienfis Episcopus TT.*
Ubertus *Glandatensis Episcopus TT.*
Datilo *Præpositus Glandat. TT.* Wilelmus *domus S. Jacobi Prælatus TT.*

Anno sequenti MCIX. sublato jam ex humanis 1109.
*Isnardo* Episcopo, filii cujusdam *Petri Isnardi* cesserunt *Joanni* Præposito *Nicienfi*, cœterisque Canonicis Ecclesiam *B. Mariæ Villæveteris* sitam propè Castrum novum. *Archiv. Eccles. Cathed.*

XXIV.

ISOARDUS *Isnardo* successit, vixitque anno
E circitèr MCX. Iste, ut arguitur ex quodam suc- 1110.
cessoris sui *Petri* diplomate, curavit, ut Canonicos Regulari vitæ sub divi *Augustini* institutis subjiceret, quod ab ipso infectum, præoccupante forsitàn morte, ab eodem *Petro* successore perfectum est.

XXV.

PETRUS præfuit Ecclesiæ *Nicienfi* post *Isoardum.* Anno Domini MCXV. tàm ipse, quàm *Niciensis* Ecclesia à *Pascali II.* Summo Pontifice his, quæ sequuntur privilegiis est decoratus.

Pascalis *Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabi-* 166
F *li Fratri* Petro *Nicienfi Episcopo, ejusque Successoribus Canonicè substituendis in perpetuum.*

*Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est diferenda petitio. Tuis igitur, Frater in Christo Charissime, precibus annuentes, ad Sanctæ* Nicienfis *Ecclesiæ, cui Deo auctore præsides, pacem ac stabilitatem perpetuam, præsentis decreti vigore sancimus, ut tibi deinceps, tuisque legitimis successoribus Episcopali jure regendum, ac disponendum perpetuò maneat quicquid intrà fines* Nicienfis *Parochiæ continetur. Vi-*

*delicèt Monasterium* S. Pontii, *cum Ecclesiis ad ipsum pertinentibus, quas videlicèt in eâdem* Niciensi *Parochiâ legitimè possidere cognoscitur. Ecclesiam* S. Mariæ de Clancio, *& Ecclesiam* S. Mariæ de Piliâ. *Castrum, quod vocatur* Drappum. *Et reliqua omnia, quæ ad vestram* Niciensem *Ecclesiam noscuntur legitimè pertinere. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona in futurum liberalitate Principum, oblatione Fidelium, vel aliis justis modis, largiente Domino, poteris adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus, & illibata permaneant. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, tam tuis, quàm Clericorum, & Pauperum usibus profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica quælibet, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contrà eam temere venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autèm eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.*

✠ *Ego* Pascalis *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus SS.*
*Ego* Petrus *Portuensis Episcopus SS.*
*Ego* Cono *Prænestinæ Ecclesiæ Episcopus SS. legi, & scripsi.*
*Ego* Rainerius *Cardinalis tit. SS. Marcellini, & Petri legi, & SS.*
*Ego* Teodericus *Cardin. tit. S. Grisogoni legi, & SS.*

*Datum* Tiberiæ *per manum* Grisogoni *Agentis vice Domini* Joannis *Cancellarii Anno Dominicæ Incar.* M.C.XV. *Indict. VII. Pontificatus autem Domni*
1115. Pascalis Secundi *Anno* XV. VI. *Id. Junii.*

Porrò ad *Petrum* Niciensem Episcopum, in gratiam *Petri* Abbatis *Lerinensis*, ejusque Insulæ Monachorum, *Pascalis* Papæ successores *Calixtus*, & *Honorius* Summi Pontifices rescripserunt. *Vincent. Barral. in Catalogo Abbatum Lerin. pag.* 158. 159. Quos inter, *Honorius II.* privilegium à Prædecessore suo *Pascali* olim concessum, ite-
1129. rùm renovavit, & ampliavit anno MCXXIX. diplomate, cujus initium: In Apostolicæ Sedis speculâ. *Archiv. Eccl. Cathed.*

Hoc tempore Equites *Templarii*, & *S. Joannis Hierosolymitani*, quorum Ordo non multis antè annis fuerat à Sede Pontificiâ approbatus, in Ci-
167 vitate *Niciensi* multis bonis donati sunt, præcipuè à *Petro* Episcopo, accipiente *Arnaldo* Equitum
1135. *S. Joannis* Legato sub anno MCXXXV. *Archiv. Eccl. Cathed.*

Hoc item tempore, eodem curante Episcopo, institutum, ac fundatum fuit *Niciense* Xenodochium pauperibus excipiendis. Placet *Raimundi Ausanni* donationem exscribere hujus rei comprobandæ ergò:

*Ego* Raimundus Ausanni *dono Domino Deo, & Gloriosæ Beatæ Virgini* Mariæ, *& tibi Domino* Petro *Niciensi Episcopo, & Canonicis præsentibus, & futuris, & Hospitali, qui vestro laudabili studio ad caput Ecclesiæ Christi pauperibus paratus est, totum ex integro quicquid juris habeo in* Petro Gausmar, *& in Hæredibus suis, quos nomine pignoris à Domino* Asallido *pro octo libris* Melgoriensium *acceperam pro redemptione animæ meæ, & parentum meorum. Reddunt enim supradicti homines annuatim*
A XVIIII. *denarios* Mergolienses, *& medallam, &* IIII. *sext annonæ, & iminam, & decimam piscium &c. Factum est autem hoc donum anno ab Incarn. Domino* M.C.XXXVI. *Frã.* VI. *In præsentiâ* Petri 1136.
*Niciensis Episcopi hoc donum Pauperibus Hospitalis tradidit, & in signum anulum in valvis Ecclesiæ Beatæ* Mariæ *deposuit, & firmavit.* Wilelmus Ermenaldi, *&* Wilelmus S. Martini; *qui pro hâc eleemosinâ* XX. *sol. Valentinensium ei dederunt. Testes sunt Ioannes Dodo. Loterius. Petrus Michaël. Raimundus Ugoleni. Stephanus Badati. Milo Badati. Bernardus Gener ipsius. Raimundus Boza.* Archiv. Eccles. Cathed.

B Anno MCXXXVII. sequenti, *Petrus* Episcopus inceptam à Prædecessore *Isoardo* Regularium Canonicorum institutionem planè perfecit, qui sub Divi *Augustini* Regulâ vitam communem ducentes, per quingentos circitèr annos floruerunt, quousque Ecclesiâ *B. Mariæ* novæ Arcî inclusa, esse desiit Cathedralis. Id Canonicorum Regularium institutum Summi Pontifices suis privilegiis confirmarunt, inter quos *Innocentius II.* statuit ne de cœtero aliquis Ecclesiæ *Niciensi* Præsul præponatur, nisi ex eisdem Canonicis Regularibus assumptus. Litterarum Apostolicarum exem-
C plar tale est.

Innocentius *Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri* Petro, *ejusque Successoribus canonicè promovendis in perpetuum.*

*OFficii nostri nos hortatur auctoritas pro Ecclesiarum statu satagere, & earum quieti, & utilitati salubritèr, auxiliante Domino, providere. Dignum nàmque, & honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas à pravorum hominum nequitiâ tueamur, &* B. Petri, *atque Apostolicæ Sedis patrocinio muniamus.*
D *Eà propter, Venerabilis Frater* Petre *Episcope, petitionem tuam clementer admittimus, &* Niciensem *Ecclesiam, cui Deo Auctore præesse dignosceris,* S. Romanæ *Ecclesiæ privilegio roboramus. Statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Beati* Augustini *Regulam, tuo laudabili studio, est in* Nicensi *Ecclesiâ, Deo gratias, institutus, ibidèm futuris temporibus irrefragabilitèr observetur. Decedentibus Clericis, qui in præsentiarum in eâ Domino famulantur, nullus eis, nisi Regularem vitam professus Canonicus subrogetur. Obeunte quoquè te nunc ejusdem loci Episcopo nemo ibi, præterquam Regularis Episcopus præponatur, qui eidem Ecclesiæ, cooperante Domino, præesse valeat, & prodesse. Decernimus etiam,*
E *ut quæcunque bona, quascunque possessiones eadem* 168
*Ecclesia in præsentiarum justè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seù aliis justis modis, operante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus in perpetuum, & illibata serventur. In quibus hæc propriis nominibus adnotanda subjunximus. Ecclesiam videlicèt* S. Mariæ de Clancio, *Ecclesiam* S. Laurentii de Ilonciâ, *Ecclesiam* S. Mariæ de Pileâ, *Ecclesiam* S. Teclæ. *Castrum, quod vocatur* Drappum, *Ecclesiam* S. Mariæ Villæveteris. *Monasterium* S. Pontii *cum*
F *Ecclesiis ad ipsum pertinentibus, quas in* Niciensi *Episcopatu legitimè possidere cognoscitur, Ecclesiam* S. Mariæ de Olivo, *Ecclesiam* S. Hospitii. *Nulli ergò &c.*

✠ *Ego* Innocentius *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus SS.*
✠ *Ego* Guiglielmus *Prænestinus Episcopus SS.*
✠ *Ego* Ubaldus *Card. Diacon. S. Mariæ in via lat. SS.*
✠ *Ego* Grisogonus *Diac. Card. S. Mariæ in porticu SS.*

✠ *Ego* Anselmus *Præsb. Card. tit. S. Laurentii SS.*

✠ *Ego* Lictifredus *Præsb. Card. tit. Vestinæ SS.*

✠ *Ego* Lucas *Præsb. Card. tit. SS. Joan. & Pauli SS.*

*Data* Pisis *per manum* Aimerici *S. R. E. Diac. Card. & Cancellarii* 3. *Kal. April. Indict. XIIII. In-*
1137. *carnationis Dominicæ anno* MCXXXVII. *Pontificatus Domini* Innocentii *Papæ* Secundi *anno* VII.

Idem *Innocentius* datis litteris ad Clerum, & Populum *Niciensem*, eos arguit, atque increpat, qui *Petri* Episcopi mandatis nequaquàm obtemperabant. *Archiv. Eccles. Cathed.*

Idem Præsul beneficus de more in Equites *Hierosolymitanos*, concessit ipsis, accipiente eodem, qui suprà, *Arnaldo* Legato tunc *Niciæ* commorante, Ecclesiam dictam *de Gasto*, ex cujus tamen reditibus retinuit censum solidorum trium *Mergo-*
1141. *liensium*; id autem actum est anno MCXLI. Quià verò Deus largientibus retribuit abundantèr, sequentibus annis, ipsi *Petro* à Civibus *Niciensibus* primariis, aliisque, multa oblata sunt, præcipuè à *Gaufredo* Canonico, & à quodam *Giraldo*, de quo extat sequens monumentum ex *Archiv. Eccles. Cathedralis.*

*In nomine Domini, in præsentiâ horum subscriptorum Canonicorum* G. Ermenaldi. P. Michaëlis. Loterii. Joannis Dodo. Ugoni Ademaris, Rollandi, *& reliquorum:* Giraldus *Hierosolymam profecturus cum consilio Domini* Petri *Episcopi veniens, Filium suum parvulum nomine* Joannes *pro Canonico cum medietate totius hæreditatis suæ in domibus, vineis, hortis, campis, pratis, in terris cultis, & inhermis dare promisit, & diem, in quo coram vicinis suis reddendo Filium suum hoc plenariè faceret statuit. Adveniente autem die, habito Canonicorum cum Episcopo consilio*, Ugonem Ademaris, & Rollandum *ad Castrum* Drappi *miserunt. Quibus prædictus* Giraldus, *sicut promiserat Canonicis cum voluntate Domini sui Episcopi P. coram vicinis suis Filium suum* Joannem *cum medietate totius hæreditatis suæ tradidit, eosque in possessionem introduxit. Medieta-*
169 *tem verò aliam Domino suo Episcopo P. in pignore pro quinquaginta sol. melguriensium obligavit. Actum est hoc in Mense Feb.* IIII. *fer. Nono ejusdem. Anno ab Incarn. Domini* MCXLVIII. *Guill. Gauceran T. Laugerius T. Isnardus T. Laugerius T. Guill. Rollandi. Daniel Richelmus.*

Anno MCXLIV. statim ac assumptus fuit ad summum Ecclesiæ regimen *Lucius II.* multis eundem *Petrum* Præsulem, ac *Niciensem* Ecclesiam privilegiis illustravit, seù jam concessa renovavit, ac clariùs explicavit. lubet Apostolicum diploma proponere.

Lucius *Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Petro* Niciensi *Episcopo &c.*

præmissis aliquibus in proœmio ait:

EA proptèr, *Venerabilis Frater* Petre *Episcope, petitiones tuas clementer admittimus, &* Nicensem *Ecclesiam, cui, Deo Auctore, præesse dignosceris, S. R. E. privilegio roboramus. Statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundùm* B. Augustini *Regulam, tuo laudabili studio, est in* Nicensi *Ecclesia, Deo gratias, institutus, ibidem futuris temporibus irrefragabiliter observetur, & decedentibus Clericis, qui in præsentiarum in ea Domino famulantur, nullus eis, nisi Regularem vitam professus Canonicus subrogetur: Obeunte quoquè te nunc ejusdem loci Episcopo, nullus ibi, nisi quem ipsi Fratres de sua, si idoneus ibi repertus fuerit, sivè de alia Canonicorum Regularium Congregatione canonicè elegerint, Episcopus statuatur, qui eidem Ecclesiæ, cooperante Domino, præesse valeat, & prodesse. Decernimus etiam, ut quæcunque bona, quascunque possessiones eadem Ecclesia in præsentiarum justè, & canonicè possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seù aliis justis modis, operante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus, & eisdem Religiosis Fratribus in perpetuum, & illibata serventur. In quibus hæc propriis nominibus annotanda subjunximus. Ecclesiam videlicet* S. Mariæ de Clancio. *Ecclesiam* S Laurentii de Ilonciâ. *Ecclesias* de Brau. *Ecclesiam* S. Mariæ de Piliâ. *Ecclesiam* S. Teclæ. *Castrum, quod vocatur* Drappum. *Ecclesiam* S. Mariæ Villæveteris. *Ecclesias* de Olivo. *Ecclesiam* S. Mariæ *de Portu* Monacho. *Monasterium* S. Pontii *cum Ecclesiis ad ipsum pertinentibus, quas in* Nicensi *Episcopatu legitimè possidere cognoscitur. Præterea mandamus ut in eodem Monasterio Abbas à Monachis Regulariter eligatur, & per manus* Niciensis *Episcopi benedicatur. Prædecessoris quoquè nostri* Urbani *Papæ vestigiis inhærendo statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent Monachi in eodem Episcopatu, absque vestro assensu Præsbiteros collocent, quibus, si idonei fuerint, cum eorundem Monacorum consensu Parochiæ curam committatis: ut ejusmodi Sacerdotes de Plebis quidem curâ vobis respondeant, Monachis verò pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Nulli ergo hominum liceat &c.*

✠ *Ego* Lucius *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus SS.*

✠ *Ego* Conradus *Sabinensis Episcopus SS.*

✠ *Ego* Teodewinus *S. Ruffinæ Episcopus SS.*

✠ *Ego* Albericus *Ostiensis Episcopus SS.*

✠ *Ego* Ismarus *Tusculanus Episcopus SS.*

✠ *Ego* Petrus *Albanensis Episcopus SS. &c.* 170

*Datum* Laterani *per manum* Baconis *Capellani, & Scriptoris Non. April. Indict. VII. Incarn. Dominicæ Anno* MCXLIIII. *Pontificatus verò Domini* Lucii 1144.
Secundi *Papæ anno primo.*

Eccinè in allatis Pontificiis litteris jura, quæ suprà Monasterium *S. Pontii* competebant Episcopo *Nicienfi:* at re verâ Monachi persæpè id jugum tentarunt è suis cervicibus amoliri; quin immò *Guilielmus* per hæc tempora Archiepiscopus *Ebredunensis*, approbationem Abbatis electi, ejusque benedictionem, seù consecrationem, in eo Monasterio, sibi adjudicabat: quamobrem *Petrus* Niciensis Episcopus videns se injustè antiquo jure spoliatum, rem acritèr in *Romanâ* curiâ prosecutus, in integrum à Summo Pontifice est restitutus. Ut autem rei gestæ ordo clariùs innotescat, id ex sequentibus licebit agnoscere monumentis, in quibus *Lucii* Papæ, & Successoris sui *Eugenii III.* litteras exhibemus.

Lucius *Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri* Guiglielmo *Ebredunensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem.*

FRatrum Niciensis *Ecclesiæ querelam accepimus, quòd consecrationem Abbatis* S. Pontii, *quæ ad jus* Niciensis *Ecclesiæ pertinet, atque* Romanorum *Pontificum*, Pascalis *videlicèt*, Honorii, Innocentii *privilegiis eidem Ecclesiæ confirmata, necnon à Prædecessore tuo* Benedicto, *& te ipso concessa est, injustè sibi conaris auferre. Quià ergò tui Officii est eidem Ecclesiæ justitiam conservare, & ab aliis etiam defensare, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenùs ejusdem Ecclesiæ Abbatis consecrationem Venerabili Fratri nostro* Petro *Episcopo, & Ecclesiæ* Niciensi, *sicut hactenùs habuisse dinoscitur, in pace dimittas. Illi verò, qui in eâdem Ecclesiâ* S. Pontii *electus fuerit, firmitèr præcipias, ut à præfato Fratre nostro* Niciensi *Episcopo, quemadmodùm Prædecessor suus fecisse dinoscitur, debitam benedictionem susci-*

*suscipiat. Si verò aliquam ibidèm te confidis habere justitiam, congruo loco, & tempore, ordine judiciario poteris obtinere.*

Eugenius *Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri* Guiglielmo *Ebredunensi Archiepiscopo Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

V*Enerabilis Frater noster* Petrus Niciensis *Episcopus ad Sedem Apostolicam veniens conquæstus est, quòd Abbatiam* S. Pontii, *quam* Niciensis *Ecclesia* 30. *annis & ampliùs quietè possedit, ei abstuleris. Ad majorem itemque contemptum Sedis Apostolicæ, absque cujus authoritate Episcopum deponere nulli licitum est, in refutationem Episcopatus, anulum de ipsius Episcopi manu susceperis. In quo quantum excesseris, si sollicitâ consideratione pensasses, nequàquam ad tàm illicita manum porrigere præsumpsisses. Quià ergò tantum excessum irrequisitum, & impunitum præterire nolumus, nec debemus, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenùs proximâ Beati* Lucæ *festivitate, nostro te conspectui repræsentes, eidem Episcopo de supradictis respondere, & nobis de tanta præsumptione satisfacere præparatus. Præfatum verò* S. Pontii *Abbatem, omni occasione remota, tecum adducas. Datum* Viterbii v. *Kal. Maji.*

171 Eugenius *Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis B. Priori* S. Pontii, *ejusque Fratribus Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Q*Ualitèr Frater noster* Petrus *Niciensis Episcopus pro recuperanda justitia suâ in Ecclesia vestra personam suam magnis laboribus exposuerit, vobis non credimus esse incognitum. Ideòque nos, quorum præcipuè interest, suam unicuique justitiam conservare, consideratâ justitiâ ejusdem Fratris nostri, & diligenter cognita, & Fratrum nostrorum communicato consilio, possessionem ejusdem Monasterii, sicut fuerat antequàm Frater noster* Guiglielmus *Ebredunen. Archiepiscopus Abbatem, in eodem Monasterio benediceret, sibi restituimus. Ipsum verò Abbatem, quoniam contrà Sedis Apostolicæ privilegia, & Niciensis Episcopi prohibitionem, à quo non debuit benedictionem suscepit, omni Abbatiæ Officio, Apostolica authoritate, irrefragabiliter privavimus. Ideòque per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenùs tàm in eligendo Abbatem, quàm in aliis Ecclesiasticis negotiis in eodem Monasterio statuendis, debitam obedientiam, ac reverentiam eidem Episcopo vestro, sicut hactenùs fecistis, absque contradictione aliqua exhibeatis. Dat.* Viterbii VI. *Id. Novemb.*

Eugenius *Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri* Petro *Niciensi Episcopo Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Q*Uæ judicii veritate decisa sunt litterarum debent memoriæ commendari, ne pravorum hominum valeant imposterùm refragatione turbari. Prò controversia, quæ inter te, & Venerabilem Fratrem nostrum* Guiglielmum *Ebredunensem Archiepiscopum super Abbatia* S. Pontii *diutiùs agitata est, nostro te conspectui per multos labores sæpiùs præsentasti, & causa ipsa per te, & ipsum Archiepiscopum per peritos nostræ Curiæ Advocatos bis in nostra præsentia, tàm de possessione, quàm de proprietate ventilata est. Testes quoquè hinc invicem producti sunt, & à Fratribus nostris diligentèr examinati. Undè nos, auditis utriusque partis rationibus, & testibus, & scriptis attentè inspectis, communicato Fratrum nostrorum consilio, te ipsius Monasterii possessorem omninò constituimus, & eidem Archiepiscopo possessionem repetendi facultatem intercludimus. Et*

A *quamvis juxtà Testium tuorum assertionem, & privilegiorum Sedis Apostolicæ tenorem, proprietatem ipsam tibi liberè possemus adjudicasse, ne tamen eidem Archiepiscopo conquerendi occasio imposterùm remaneret, tàm tibi, quàm ipsi, præterita Omnium Sanctorum festivitate, diem præfiximus, ut tunc utraque parte nostro conspectui præsentata, si quid Archiepiscopus de proprietate haberet audiremus, & quod justitia dictaret exin statueremus. Quòd si ipse Archiepiscopus neque per se, neque per sufficientes responsales interesset, nihilominùs diffinitivam super hoc sententiam proferremus. Statuto verò termino cum testibus tuis præsens fuisti; ipse autem Archiepisco-*
B *pus, nec eodem termino, nec XX. diebus, & ampliùs post terminum venit, vel misit, nec aliquam excusationem prætendit. Licèt itaque secundùm privilegiorum Prædecessorum nostrorum tenorem proprietatem ipsam tibi liberè possemus adjudicasse, nos tamen, ex abundanti cautela, duorum testium juramenta de quadragenaria possessione inconcussa ex tua parte recepimus; & te, Successoresque tuos ab impetitione ejusdem Archiepiscopi, & Successorum suorum de proprietate ejusdem Monasterii omninò absolvimus, eisque super hoc perpetuum silentium imposuimus. Si quis autem hujus nostræ Sententiæ paginam sciens,* 172
C *contrà eam temerè venire tentaverit, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum* Petri, & Pauli *incurrat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Dat.* Viterbii VII. *Cal. Decemb.* Archiv. Eccles. Cathed.

His, atque aliis, pro retinendis Ecclesiæ suæ juribus, laboribus exantlatis, *Petrus* Episcopus Regularium Canonicorum suorum institutum pleniùs stabilivit, quibus etiam anno MCXLVIII, qui ejus vitæ videtur fuisse ultimus, totum id pro claustro ad inhabitandum dimisit, quod intrà con-
D fines Ecclesiæ Cathedralis *B. Mariæ*, *B. Joannis* Baptistæ, *B. Pauli*, & Aulam Episcopii includebatur, ut inibi iidem Canonici faciliùs litterarum studiis, ac Ecclesiæ ministerio communem vitam ducentes vacarent. Postremò iisdem Canonicis, qui numerantur inter cœteros, *Petrus Michaëlis*, *Joannes Dodo*, *Ugo Ademaris*, *Rodlandus*, Magister *Durandus*, *Raimundus Ugoleni*, *Raimundus Laugerius*, *Raimundus à Bollenâ*, *Bertrandus de Ilonciâ*, *Willelmus Rollandi*, eis inquam, quâdam laborans infirmitate, dono dedit Ecclesiam *B. Mariæ Villæveteris*, de quâ statim fuit *Arnaldus* Canonicus investitus eodem anno MCXLVIII. adstan- 1148.
E te *Petro* Episcopo Antipolitano; post quæ indefessè, & sollicitè acta, verisimile est *Petrum* Niciensem Episcopum annorum, & meritorum gravem excessisse è vitâ.

XXVI.

ARNALDUS, alias *Arnaudus* ex Canonico Sacrista Aurasicensi *Niciensis* Episcopus factus est anno MCLI. juxtà mentem privilegiorum Apostolicorum, quæ suprà recitavimus: Canonici enim *Aurasicenses*, sicut & *Magalonenses* eandem, quam *Nicienses*, Regulam Divi *Augustini* profitebantur, ac invicem communicabant in multis. Eo autem anno, & officio *Arnaldum* obtinuisse Epi-
F scopatum, eruo ex remissione decimarum factâ ab Uxore *Bermundi Giraldi*, quæ scriptis consignata est his verbis.

*In nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum sit omnibus hominibus tàm præsentibus, quàm sequentibus, quod de controversiâ, quæ longo tempore fuerat inter Episcopum* Niciensem, *&* Bermundum Giraldi, *& Filios ejus, pro decimis, quas Ecclesiæ* Niciensi *auferebat, talis pax, & talis concordia, auxiliante Domino facta est. Anno ab Incarnato Domino* MCLI. *eodem ipso anno assumpto* Arnaldo Aurasi- 1151.

rasicensi *Sacristâ in Episcopatu* Niciensi, *post trinam, vel quartam vocationem, in Festo Beati* Petri *Apostoli ad vincula, coram universo Clero, & Populo, celebrante jam dicto Episcopo Missarum solemnia, Uxor Bermundi Giraldi* Alisendis *nomine, & Filii sui* Aubertus *nomine, &* Raimbaldus, *omnes præfatas decimas in manu ipsius super sacrosancta quatuor Euangelia perpetuâ dimissione reliquerunt: & ubicunque decimas haberent, vel quocunque modo detinerent, ex toto, amore Dei, & B. Virginis* Mariæ *supradicto Episcopo A. & Canonicis præsentibus, & futuris in perpetuum dimiserunt. Factâ dimissione istâ in manu jam dicti Episcopi anno q. 5. intrante Aug. Lunâ XV. Videntibus, & audientibus Clericis, & Laicis.* Ugo Ademar. R. Ugoleni. Rollandus. Stephanus. R. Laugerii. R. de Abolenâ. G. Rollandi. Fulco Nicolaus. R. Boza. G. Badat. Milo Badat. Fulco Badat. Guill. Raimbald. Petrus Raimbaldi. Raimundus Raimbaldi.
173 Pontius Gisberni. Guill. Ricardi. Petrus Ricardi. Raimundus Serena. Fulco Ugoleni. Petrus Raimberti. Raimundus *Præsb.* Pontius Garnerii. *Archiv. Eccles. Cathed.*

Eodem anno *Arnaldus* Episcopus, quæcunque Prædecessor ipsius *Petrus* Canonicis fuerat elar-
1152. gitus, in Capitulo confirmavit.

Sequenti MCLII. operâ *S. Lamberti* Venciensis, & *Petri* Antipolitani Episcoporum, in Portu *Canoæ* facta est amica conventio inter *Arnaldum* Episcopum, & *Laugerium de Graoleriis*, qui juribus Ecclesiæ *Niciensis* in aliquibus detraxerat, eidemque Episcopo *Nicæam* veniens, non solùm antè januam Ecclesiæ Cathedralis sacramentum fidelitatis persolvit, sed etiam successivè anno
1154. MCLIV. Hospitali *Niciensi* multa donaria, ac eleemosynas cessit.

Hoc tempore non solùm Summi Pontifices, sed etiam laici Principes sub protectionis suæ munimine susceperunt Ecclesiam *Niciensem*, quos inter *Raimundus Berengarius* Barchinonensis Comes, & Marchio Provinciæ in gratiam *Arnaldi* Niciensis Præsulis hujusmodi diploma edidit.

*In Domini æterni Regis nomine. Ego* Raimundus Berengarii *Dei dignatione* Barchinonensis *Comes, Dux* Tortosæ, *Marchio* Provinciæ, & Aragonum *Princeps, omnibus scripturam hanc legentibus, vel audientibus perpetuâ pace gaudere.*

*ILlum, qui Mundum salvificat, per quem Reges regnant, & Principes justa decernunt præ oculis habentes, Ecclesias sub ditione nostrâ constitutas debito potestatis à Deo nobis traditæ honorare, defensare, & ampliare desideramus semper, & ubique. Ea propter præsentibus cognitum fiat, atque sequentibus, Quod* Arnaldus *Niciensis Ecclesiæ Episcopus ad nostram præsentiam veniens, ut Ecclesiam sibi commissam sub protectionis nostræ munimine susciperemus, & à pravorum hominum inquietudine tueremur humiliter postulavit. Ejus itaque justis petitionibus impertientes assensum, præfatam Ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus in defensionis nostræ tutelâ, speciali dilectione, & patrocinio recipimus. Statuentes, ut Canonica Beatæ* Mariæ, *& Canonici ibi Regulariter viventes, & Domus, quæ dicitur Episcopalis liberè, & absque ullâ perturbatione de cætero in Dei servitio permaneant, nullis in anteà cujuslibet Potestatis, vel Consulatus gravaminibus inquietari posse, vel opprimi. Tibi verò* Arnalde *Nicensis Episcope, tuisque Successoribus canonicè in* Nicensi *Ecclesiâ substituendis, Clericorum tuorum omnium justitias absque refragatione nostri, vel successorum nostrorum Comitum, sivè etiam Consulatus, ex integro conservamus. Hominum insupèr Ecclesiæ domos inhabitantium, vel terras incolentium placita,*

A *sive querelas laicalis, quælibet persona discutere, vel terminare nequàquam præsumere audeat mandando præcipimus. Prætereà si quæ in futurum quæstiones de rebus, vel possessionibus Ecclesiasticis inter Ecclesiam tibi commissam, & ipsius Civitatis Consules, aut Cives emerserint, in tuæ cognitionis, vel successorum tuorum, sivè Comprovincialium Episcoporum, vel etiam duorum, vel trium de ipsa Civitate prudentium Virorum arbitrio ventilari, & terminari jubemus. Absurdum est enim, & omni æquitati contrarium esse cognoscimus, ut Episcopus, vel Clerus sibi commissus pro disceptandis Ecclesiæ suæ negotiis per Consulatum districtus, ad Curiam Consulatus pertrahatur invictus.*
B *Ampliori denique Religionis, & honestatis tuæ gratia incitati, donum, quod Potestates* Niciæ, *Ecclesiæ tibi commissæ concessisse noscuntur, ut videlicet cuique Civium licentia pateat de rebus suis, & possessionibus, quamlibet absque impedimento partem offerre, confirmando laudamus.* 174 *Intereà adjicientes, si quas in futurum præfata Civitas pro hospitio Comitis, vel cujuslibet alterius imminentis necessitatis collectas publicas fecerit, vel expensas,* Niciensem *Ecclesiam, teque, & Successores tuos ab hujusmodi indebitis exactionibus immunes, & liberos perpetuâ scripturæ hujus attestatione prohibendo volumus, atque sancimus.*
C *Facta carta hujus concessionis, & laudationis Anno ab Incarnato Salvatore* M.C.L.III. *mense Aprilis Feriâ* IV. 1153.
*Lunâ X. præsentibus subscriptis personis,* Petro *Antipolitano Episcopo.* Rostagno de Tarascone. Arnaldo de Lercio. Petro de Cabannis *Judice Domini Comitis Raimundo Laugerio.* Bertrando de Ilonciâ. Joanne *Præsbitero* Nicensibus *Clericis, & multis aliis Clericis, & Laicis.*

S. ✠ RAIMUNDI COMES *Arch. Eccles. Cathed.*

D Sed ut ad *Arnaldum* Niciensem Episcopum redeam, eodem anno MCLIII. profectus est *Venciam*, ubi adstitit cum *Petro* Antipolitano Episcopo *Sancto Lamberto* morienti, ejusque tumulationi, qui quadraginta annis *Venciensem* Ecclesiam rexerat, & paulò antè obitum, Mulierem quandam *Niciensem* quinquennio cæcam sanaverat. *Chron. Lerinensis.*

Anno MCLVIII. *Adrianus* Papa *IV.* concessa à 1158.
suis Prædecessoribus *Niciensi* Ecclesiæ privilegia confirmavit, datis litteris, quarum est initium: *In Apostolicæ Sedis specula.*

E Sequenti verò MCLIX. ad Synodum Provincialem *Arnaldus* Ebredunum perrexit, in quâ, inter alia Ecclesiæ bono agenda, solemnem fecit cum Canonicis bonorum Ecclesiasticorum divisionem: eam placet integram proponere.

*OMnibus hominibus præsentibus, atque futuris notum fieri volumus, quòd Dominus* Arnaldus Niciensis *Episcopus, atque* Nicienses *Canonici prò controversiâ, quam habebant ad invicem, de bonis Canonicorum dividendis à bonis Episcopalibus, & è converso, religione sacramenti se astringendo in manibus nostris satisdederunt, videlicèt* Raimundi *Venciensis Episcopi, atque* Raimundi *Antipolitani Episcopi, &* Benedicti *S. Pontii Abbatis, & Magistri* Durandi,
F *ità scilicèt, ut nostro proprio arbitrio cum consilio, & authoritate Domini* Gullielmi *Ebredunen. Archiepiscopi Sedis Apostolicæ Legati, prædictæ controversiæ debitum finem imponeremus. Quod ità factum est, ut cum Dominus nos, & ipsos vocasset,* Ebredunum *perreximus, ibique mandato ipsius, auditis utriusque partis allegationibus, consilio, & authoritate ejus, & consilio* Guiglielmi *Præpositi, & Canonicorum* Ebredunensium, *in domo ejus propriâ talem finem imposuimus. Mandavimus enim, ut Episcopus donaret, laudaret, & confirmaret omnes*

*cartas, seù donationes, quas Dominus* Isnardus, *& Dominus* Petrus *Prædecessores sui Canonicæ contulerant, & quod ipse alterâ vice in Monasterio* S. Pontii, *mandato nostro, eis dederat. Et ut multiplicitatem verborum evitemus, singula denotamus. in primis Ecclesia* B. Mariæ *cum omnibus ejusdem Civitatis, & omnem decimam* Niciensis *territorii, excæpta quarta parte panis, & vini, & quarta parte mortalagii, quas quartas partes Episcopo attribuimus.*
175 *Oblationes quoquè omnes* Niciensium *Ecclesiarum, excæptâ tertiâ parte auri, & argenti, & omnibus candelis, quæ in unâ Missâ offeruntur in die Natalis Domini, Paschæ, & Pentechostes. Omnes primitias, & omnes pannos, & lectos, sivè reditus, sivè recæptus mortuorum, & ipse dedit Canonicis, & nos adjudicavimus. Omnes administrationes, sivè balias, consilio Episcopi disponendas, similitèr adjudicavimus Canonicis; & Hospitale cum honore suo, & palmarium, excæpta illa parte inferiùs, & superiùs, quam ædificavit Episcopus, prout columnæ consistunt, ab angulo suæ domus usque ad angulum parietis, quià Episcopo attribuimus; & omnem* Niciensis *Civitatis territorii ad Ecclesiam pertinentem, præter domum Episcopalem cum Curia. & II. Episcopales condaminas, vineam, hortum, atque pratum, Canonicis adjudicavimus. Insuper Ecclesiam* S. Torpetis *cum honore suo, & Ecclesiam* S. Martini. *Ecclesiam* S. Margaritæ *cum honore suo. Ecclesiam* S. Stephani de Olivo *cum honore suo. Ecclesias* de Olivo *cum territoriis suis. Ecclesiam* S. Mariæ de Monacho *cum honore suo. Ecclesiam* Villæveteris *cum honore suo. Ecclesiam* Castrinovi *cum reditibus suis, quam ipse dedit eis. Medietatem verò Synodalium nummorum. Prætereà Ecclesias subscriptorum Castellorum, & mortalagium, & recæptus, & decimas, & quod in futurum tempus adquiri poterit. Castellorum nomina sunt hæc:* Levens, Caudarasa, la Rocca, Tohet, Contes, & Contes, Berra, Luceram, Ungran Superior, Torbia, Esa. *Impositiones etiam Sacerdotum in prædictis Castris eis Episcopus concessit. Prætereà adjudicavimus Episcopo, ut cum præsens in Civitate fuerit, ipse solus in refectorio honorificè recipiatur, & comedat. Si autem cum eis comedere noluerit, libra, ei, & justitia cum pulmentis, quibus Clerici vescuntur, deforis mittantur. Si verò Episcopus à Summo Pontifice, vel ejus Legato ad Concilium vocatus fuerit, ei Canonici unum de Canonicis Socium, & servientem propriis expensis parabunt. Si autem Dominus Papa, vel ejus Nuncius, vel Dominus* Ebredunensis *supervenerit, dimidium impensarum Canonici faciant. Hanc decisionem confirmavit Dom.* G. Ebred. *Arch. &* G. *Præpositus.* Raimundus *Antipolitanus.* Raimundus *Vencienfis Episcopi. B. S. Pontii Abbas. Magister* Durandus, *quibus hæc causa commissa erat. Testes sunt* I. Glandatensis *Episcopus, & ejus Canonici,* Amedeus P. Autrici. G. Saramanni. Ugo Ademarii. G. Rollandi. G. Muretus. Langerius S. Stephani. *An. ab Inc. Dom. M.C.L.VIIII.*

1159. Discedens Ebreduno *Arnaldus* detulit secum Epistolam *Guiglielmi* Archiepiscopi *Ebredunensis* ad Consules, & Populum *Niciensem*, in quâ *Nicienses* Cives arguens de nonnullis temerariis vexationibus, quas Ecclesiæ intulerant, ipsius in multis violantes immunitatem, eosdem hortabatur, ut eandem Ecclesiam tanquàm Matrem complecterentur, eique de cœtero debitam reverentiam exhiberent, abstinerentque ab illicitis quibusdam quæstibus. Quamobrem iidem Cives, ut censuris, quibus fortassè innodati fuerant, solverentur, Ecclesiæ, atque *Arnaldo* Episcopo, modo, qui sequitur, fecerunt satis:

*Nos Consules* Niciæ *Civitatis, ego scilicèt* Fulco Badati, Petrus Ricardi, Petrus Aldebranni, Wi-
A lelmus Rufi, *pro multis, & magnis contumeliis, & injuriis, quas contrà Dominum, & justitiam ejus in* 176
*Matrem nostram* Niciensem *Ecclesiam, &* Arnaldum *Episcopum, & Clericos ejus, Prædecessores nostri Consules,* Raimbaldus *videlicèt Judex,* P. Raimbaldi, Franco Raimbaldi, Pontius Gisberni, *spreto Dei timore, & amore commiserunt, communi consilio, & voluntate prudentium Virorum Civitatis nostræ, Deo, & præfatæ Ecclesiæ, & Episcopo talem satisfactionem, & emendationem facimus. Primùm jam dictam Ecclesiam, & omnes alias pertinentes ad ipsam liberas, & quietas ab omnibus publicis, & temerariis vexationibus reddimus, & omnes*
B *pravas consuetudines, & violentas exactiones, quas olim Antecessores nostri tàm in domibus Episcopi, quàm in Canonica faciebant, omninò relinquimus, & perpetuò refutamus, & sivè pro hospitio Comitis, sivè pro clausura Civitatis, sivè pro alio aliquo supereminenti negotio, ne amodò aliqua fiat eis in æternum à nobis, vel successoribus nostris Consulibus violentia, in verbo fidei, & veritatis promittimus. Prò hac itàque libertate, & conventione remisit nobis, & Antecessoribus nostris tàm vivis, quàm defunctis Episcopus omnes offensas, quas illi, & Ecclesiæ, sivè de confractione portarum, & horreorum, sivè de direptione bonorum suorum, & violatione Ecclesiarum, &*
C *domorum intuleramus. Prætereà, ut Dei, & ipsius gratiam abundantiùs mereamur, cryptam illam, quam super viam publicam diù ædificare intenderat, nec poterat, nunc liberè, & absque omnium hominum impedimento, quandòcunque ei placuerit, faciat volumus, & consentiendo laudamus. Si autem, quod non speramus, aliquis de Civibus nostris præsumeret, nos, ut in pace fieret, & quietè profectò efficeremus. Prò hac autem constructione cryptæ, & liberatione Ecclesiæ, dedit Communi Civitatis Episcopus septingentos solidos nostræ probatæ* Januensis *monetæ. de omnibus verò illis querelis, vel clamoribus, sivè de honoribus, & possessionibus, sivè etiam pecunia-*
D *riis actionibus, quas Ecclesia adversus Cives, sivè Cives adversus Ecclesiam movere de cœtero voluerint. sic voluntate Episcopi, & Clericorum constitutum est, ut præsidente Episcopo cum Consulibus, & quasi Judicis locum tenente, causa hinc indè ventiletur, & judiciario ordine, vel amicali compositione terminetur, & præmium Judicis, pro modo, & æstimatione negotii ab utrâque parte à Consulibus assumatur. . . . Factâ pace, & concordiâ istâ Idib. August. Fer. III. Lun. VIII. mediantibus* Raimundo *Vencienfi Episcopo, & Magistro* Duranto *in Ecclesia* S. Reparatæ *Virginis, in præsentia Episcoporum* Arnaldi *Niciensis Episcopi, per osculum fidei, veritatis, & pacis, quod sibi dederunt Consules prænominati,* Rai-
E mundi *Antipolitani Episcopi; & Abbatum* Bertrandi *S. Pontii, &* Pontii *Abbatis Toronneti,* Bertrandi *Monachi Socii sui, &* Raimundi *Prioris S. Pontii; &* Raimundi Laugerii *Canonici Præsbiteri, & Sacristæ Ecclesiæ Niciensis, &* Bertrandi de Iloncia *Canonici Niciensis, & Diaconi, &* Stephani *Canonici Præsbiteri.* Auberti *Monachi Prioris de Sancta Reparata.* Petri de Lantusca *Monachi Præsbiteri S. Pontii.* Wilelmi de Andaon *Canonici Præsb. Ecclesiæ Vencienfis.* Wilelmi *Præsbiteri de Canea, & Consulum Civitatis,* Fulconis Badati, Petri Ricardi, Petri Aldebrandi, Guillelmi Ru-
F fi, *& Consulum* de Grassa, *qui ibi erant cum Episcopo suo.* Malivicini, & Raimundi Riperti. Raimbaldi *Judicis* de Nicia, & Guillelmi Ricardi, Fulconis Ugoleni, Guillielmi de Esa, Bertrandi, & Atbaldi, Guigonis Mainerii, Rostagni Badati, 177
Petri Lamberti, Guillielmi Martini, Petri Cais, Bertrandi Avundi, Trencherii Amalvinæ; Pontii *Subdiaconi, qui fuit Filius* Milonis de porta, *& aliorum multorum, quorum hic non est numerus, vel memoria.* Arch. Eccl. Cath.

His

His temporibus Heremitæ incolebant Ecclesiam *S. Stephani de Olivo*, sivè *de cortina*, ad Portum *Villæliberæ*, ubi deinceps Moniales *Cistercienses* subditæ Abbati *Toronneti* floruerunt. Porrò fuerintne ii Heremitæ Divi *Augustini*, qui, successu temporis pomœrium extra *Pairoleriam* por- A tam incoluerunt, ac *S. Martini* Parochialem Ecclesiam, an verò Heremitæ laici? hucusquè habeo incompertum. Vetus in Ecclesia ejusdem *S. Stephani* lapis hac, id indicante, notatur inscriptione:

1161. ✠ ANNO. AB. INCARNATO. VERBO. M. C. LX. I. IN. III.
INDIT. EPS. S. NICENSIS. ECCLE. DONO CONTRIBVIT.
VT. NEMINE. SIBI. SVBICIAT. RAIMVNDVS. AVSANNVS.
DONVM. CESSIT. HVIC. ECCLE. S. STEFANI. MRIS
XPI. TERRAS. QVE. SVNT. CIRCA. ECCLAM. VT. OMNI.
TEMPORE. HEREMITE. IBI. DESERVIENTES. DEO.
HABEANT. ET. POSSIDEANT. FELICITER. ✠

Hunc *Raimundum Ausannum* Civem *Niciensem*, cujus nomen in antiquo chartulario persæpè occurrit, præcesserat *Guilielmus Bouza*, a quo, anno MCLIV. terris aliquibus sitis in loco dicto *Mongros* eadem Ecclesia ditata fuerat, donationem recipiente *Arnaldo* Episcopo. Cœterùm idem Præsul anno Christi MCLXIV. emit à *Guilielmo de S. Albano* jus, ut vocant, *albergi* in Castro *Drappi*. Fidem facit charta remissionis, quam exhibemus.

I*N nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Notum sit &c. quòd ego* Guiglielmus de S. Albano *relinquo, dimitto, & perpetua refutatione refuto quicquid in Castello de* Drappo *requirebam, tàm per me, quàm per Antecessores meos, quocunque jure, vel quacunque ratione ibi albergum requirebam, totum, & ex integro, perpetua dimissione, Deo, & B. Virgini* Mariæ, *& tibi* Arnalde *Niciensis Episcope, per osculum fidei, & veritatis in manu tua. Ut autem hæc nostra memorialis dimissio firma, & stabilis apud te, & successores tuos remaneat inconcussa, trecentos solidos* Genuen. *monetæ à te accipio, de quibus in debitum non remansit denarius. Prætereà notum fieri volo, quòd anteà Fratri meo* Petro Balbo, *& mihi pro eodem alberco, ut in pace tibi dimitteremus, centum solidos à te habuimus. Facta est hæc dimissio, & laudatio in* Nicensi *Civitate, in*
1164. *domo Episcopi Anno M. C. LX. IIII. V. Id. Februar. L. XIII. in præsentia* Ysuardi *Glandatensis, &* Raimundi *Vencensis Episcoporum: &* Laugerii *Præpositi Glandatensis, &* Rollandi *Capellani ejusdem Episcopi Præsbiterorum: & Consulum* Niciæ *Civitatis*, Raimundi Serene, *&* Guiglielmi Travache, *&* Guiglielmi Richerii, *&* Fulconis Badati. Rostagni, Guill. *&* Ugonis de Levens. Guill. de Amirato, *&* Guill. de Villaplana. Petri Ricardi de Nicia, *&* Petri de Rocca *Præsbit.* Bertran. de Levens *Diaconi*, Bertranni Aucelli, *&* Petri Viviani, *& Consulum de Drappo.* Archiv. Ecclesf. Cathed.

178 Idem albergum, hoc eodem anno, remisit *Guido Guerra* Comes Entimelienfis; ex charta remissionis hæc pauca afferre libet.

E*Go* Guido Guerra *Comes de* Vintimilia *mitto tibi* Arnalde *Niciensis Episcope, & successoribus tuis albergum Castelli tui de* Drappo, *quod habebam pro* Raimundo *Comite* Arelatensi *in pignore, pro* 500. *solidis* Januensis *monetæ &c. Insuper quoquè certo pacto, & convenientia tibi promitto, quòd à memorato Comite* Arelatensi *hanc pignorationem laudare, & confirmare tibi fecero, cum ad partes istas pervenerit, vel ad* Forojuliensem *Civitatem. &c. Prætereà ab hac hora in anteà, amoris tui gratia incitatus, te, & tua omnia, & Castellum, & homines, & res eorum salvare, defendere, ubicunque posse habuero, bona fide, suscipio, & in manu tua* B *per osculum fidei, & veritatis promitto. Hæc omnia supradicta ego, & Filii mei tibi, & successoribus tuis ità tenebimus, & observabimus, sic Deus me adjuvet, & hæc Sacrosancta Euangelia, sine omni fraude, & malo ingenio. hæc sunt nomina obstagiorum, quos prò hâc firmitate, & securitate tibi dono*, Raimundus de Bravo, Olivarius de Crassa. Petrus Focacccia de Hospitello, *&* Faraldus Borrojona. Conradus Rufi, Petrus Fabri, Fulco Richelletti, *& Filius ejus*, Steffanus *Clericus, & Filius ejus*, Bonifilius Bertina, Anfossus Veronicus. *Isti de* Roccabruna, Raimundus Rivelli, Joannes Antiquus, Petrus Novelli, Petrus Agnelli, Joannes Guiglielmi.
C *Isti de* Podio Rainaudi, Guiglielmus Stacho, Martinus Bonici, Petrus Auberti, Joannes Austadi, Guiglielmus Ascheri. *Isti de* Pina. *Et Domina Comitissa* Ferraria *confirmando laudavit, in manu* Raimundi *Sacristæ* Nicensis, *&* Guiglielmi de Brellio *Præsbiterorum, in Podio, præsentibus Marito suo* Guidone *Comite, &* Petro Revelli *homine suo, Facta sunt hæc Anno ab Incarn. Dei Filio C. LX. IIII. p. Millesimum M. V. Junii feria prima Luna XIII. in præsentia Canonicorum, & Consulum, & Burgensium, &c. In claustro de* Nicia *hora III. die Dominica. Regnante* Frederico *impiissimo* Alemannorum *Rege.* 1164.
D Arch. Eccles. Cathed.

XXVII.

RAIMUNDUS LAUGERIUS hujus nominis II. Civis *Niciensis*, & Canonicus Sacrista ejusdem *Niciensis* Ecclesiæ, cujus nomen sæpè superiùs habetur, Episcopus factus est post *Arnaldum*, sedebatque anno MCLXVI. immò eo anno ad 1166.
Episcopatum videtur assumptus, ut ex inventario rerum mobilium Sacristiæ, quas in Episcopum electus, successori Canonico Sacristæ custodiendas tradidit, arguere licet. Hoc tempore pauca extant memoratu digna, in quibus recensendis
E diutiùs oporteat immorari.

XXVIII.

PETRUS II. vivebat anno MCLXXXIV. Hujus Præsulis sollicitudini commendavit *Lucius III.* Pont. Maximus sartatecta, & administrationem temporalem Monasterii *S. Pontii*. literarum Apostolicarum talis est forma: 1184.

Lucius *Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri* Petro *Niciensi Episcopo Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

A*D nostram noveris audientiam pervenisse, quòd Monasterium* S. Pontii *Diocesana tibi lege subjectum, tantùm in Religione defectum, & in substantia*
F *jacturam incurrit, quòd modica ibi vestigia Monasticæ professionis appareant, & paucissimi Monachi vix utcunque possunt de illius redditibus sustentari. Quià ergò ad hoc es ad Pontificalem sollicitudinem, Domino disponente, vocatus, ut evellas, & destruas quæ videris destruenda, ædifices, & plantes quæ plantanda cognoveris, fraternitati tuæ, authoritate Apo-* 179

*Apostolicâ*, *indulgemus*, *ut ascitis Religiosis*, *&* *prudentibus Viris*, *Monasterium ipsum*, *secundùm Dominum*, *& rationabiles institutiones*, *valeas*, *contradictione*, *& appellatione postpositâ*, *in melius ordinare.* *Datum* Velletri *XIIII. Kal. Feb.* Archiv. S. Pon. & Eccles. Cathed.

Aliis tamen litteris idem Pontifex eosdem *S. Pontii* Monachos jura Episcopi Parochialia usurpantes increpuit:

Lucius *Episcopus Servus Servorum Dei Priori de Gordolo*, *& S. Reparatæ*, *& aliis Monachis S. Pontii.*

QUòd *vobis salutationis alloquium non impendimus*, *non ex nostrâ duritiâ*, *sed ex vestrâ iniquitate processit. Cum enim Venerabilis Frater noster* Petrus *Nicensis Episcopus vos sæpè monuerit*, *ut non attentaretis ejus jura Parochialia usurpare*, *& quià monitis ejus tàm in his*, *quàm in aliis*, *contumacitèr restitistis*, *excommunicationis in vos sententiam promulgavit. Vos nec emendare quod nequitèr egeratis*, *nec sententiam ipsam*, *quod grave gerimus*, *& indignum*, *voluistis aliquatenùs observare. Nolentes igitùr dimitti vestram contumaciam incorrectam*, *per Apostolica vobis scripta mandamus*, *& districtè præcipimus*, *quatenùs redeuntes ad cor*, *eandem sententiam inviolabilitèr observetis*, *& de tanto excessu satisfactionem congruam exhibentes*, *præfato Episcopo*, *tanquàm vestro spirituali Patri*, *debitam exhibeatis reverentiam*, *& honorem. De quæstionibus etiam*, *quas habetis ad invicem*, *in personâ Venerabilis Fratris nostri Vencienses Episcopi*, *justitiæ illi curetis plenitudinem exhibere. Aliòquin noveritis nos eidem Episcopi litteris mandavisse*, *ut sententiam*, *quam præscriptus* Nicienſis *tulit*, *vel tulerit in vos*, *authoritate nostrâ suffultus*, *sine appellationis obstaculo*, *usque ad satisfactionem*, *publicè nuntiet observandam. Dat.* Veron. *II. Kal. April.* Arch. Eccles. Cathed.

Vidén quàm acritèr *Lucius* Papa in contumaces Monachos invehatur? qui non solum Parochialia usurpabant, sed antiquam querimoniam renovantes, concessa Episcopo *Nicienſi* à Sede Apostolicâ suprà Monasterium jura ægrè patiebantur: quamobrèm ipsos aliquandò ad cor rediisse, mandatisque Pontificis, ac *Nicienſis* Præsulis paruisse, argumento sunt, quæ anno MCLXXXIV. scriptis sunt consignata, adhùc superstite *Petro* Episcopo, in hunc modum.

NOtum *sit tàm præsentibus*, *quàm futuris*, *quòd Monachi* S. Pontii, *post multas contentiones*, *quas cum Domino P. Episcopo habuerunt*, *tandèm redeuntes ad cor cognoverunt in Capitulo* S. Pontii, *coram Consulibus* Petro Ricardi, Guidonis Ricardi, *&* Fulconis Bernardi, *multis aliis ibidèm assistentibus*, *ipsum esse Dominum*, *& Episcopum Monasterii*, *& quòd ad eum spiritualiter jus*, *& potestas pertinet*, *confirmationem Abbatis*, *& benedictionem facere*, *correctionem tàm in capita*, *quàm in membris. Quòd etiam in Monasterio*, *& in Ecclesiis ipsius possit Ecclesiasticam ponere sententiam. Sed hujus capituli recognitio Abbatis justitiam impedire*
180 *non debet. Cognoverunt quoquè*, *quòd in Parochialibus Ecclesiis Præsbiteros absque assensu Episcopi habere non debent. Quòd Abbatem possit Episcopus interdicere*, *& excommunicare*; *Monachos etiam*, *si eos Abbas corrigere nollet*, *vel non posset. Omnia prætereà jura quæcunque Prædecessores prænominati Episcopi in capita*, *& in membris habuerunt*, *vel posset ostendi ipsum de jure debere habere*, *vel quod aliquis Episcopus habet in aliquo Monasterio Provinciæ ad ipsum de jure spectanti. In recognitione dominii reddiderunt Episcopo claves in Capitulo*, *& fue-*

A *runt in potestate ejus pro illatis injuriis*, *præstito juramento. Testes sunt* Fulcosius. Bonifacius. Rostagnus. Wilelmus Raimbaudi. Bertrandus de Concâ. Wilelmus Bonpar. Bertrandus Badati. Milo, *&* Fulco *Fratres. R. Præpositus* Massilienſis, *& multi alii. Facta sunt ista in Capitulo* S. Pontii, *& ibidèm electio coram Episcopo celebrata*, *& postmodùm in* Nicienſi *Ecclesia confirmata. Anno M. C. LXXX. IIII. Mense Septemb. Monachi persolverunt Episcopo expensas factas in itinere Romano.* 1184.
Arch. Eccl. Cathed.

## XXIX.

B JOANNES Episcopus *Nicienſis* notatur in Catalogo *Martinengi* anno MCXCVII. adhùc super- 1197.
stes anno MCC, quo, agentibus Archiepiscopo 1200.
*Ebredunensi*, Episcopo *Senecensi*, *S. Pontii* Abbate, Præpositis *Nicienſi*, *Senecensi*, *Glandatensi*, Archipresbytero *Clantii*, aliisque Ecclesiasticis, & prudentibus Viris, quæstio sopita est, inter ipsum, & *Guglielmum* Præpositum *S. Jacobi*, super decimis *S. Stephani Thineensis*, & *de Remas.* Ex diplomate.

## XXX.

HENRICUS præerat Ecclesiæ *Nicienſi* MCCX. 1210.
Arguo, cùm ex aliis, tùm ex confirmatione pri-
C vilegiorum Civitatis *Nicienſis* factâ à *Sancio* Fratre *Raimundi Berengarii* Comitis Provinciæ, præsentibus Consulibus, in plano (verba sunt diplomatis) *Arizanæ*: quibus privilegiis, inter cœteros, veluti testes subscripsere, *Henricus* Episcopus Nicienſis, & *Gilibertus* S. Pontii Abbas. Idem *Henricus* Episcopus cum Monachis *S. Pontii* amicè convenit, definitis terminis Parœciæ S. Reparatæ. *Archiv. publ. Civit: Archiv. Frat. Carmelit.*

## XXXI.

SANCIUS signatur ab Illustriss. Augustino ab Eccles. *in syllabo Præsulum Nicienſium ad annum* MCCXII. de eo tamen, neque ille peculiare ali- 1212.
D quid affert, neque ego quid nactus sum in veteribus monumentis. Nomen conjecturam præbet nequàquam fuisse Patriâ *Nicienſem*, sed ex *Arragonibus* tunc temporis *Nicienſium* Dominis oriundum.

## XXXII.

HENRICUS II. hujus nominis, si *Sancius* admittatur, Episcopatum gerebat anno MCCXV. 1215.
non autem *Antepolicanus*, ut perperàm ex Justiniano *in annal. Genuen.* scripserunt Ludovicus ab Eccles. *in Histor. Pedemont.* ac Franc. August. itidem ab Ecclesiâ *in Serie Præsulum Nicienſium*, aliique, qui asserunt eo anno MCCXV. *Antepolicanum*
E Episcopum Nicienſem, unà cum *Mirone Badato* Civitatis *Nicienſis* dominium *Genuensibus* tradidisse, rejectis Comitibus *Provinciæ*: hoc cùm ex aliis, quæ nunc non vacat in medium proferre [proferentur autem forsitàn aliquandò], tùm ex 181
falso nomine Episcopi, falsitatis mihi valdè suspectum est. Nec dicas eodem anno priorem sedisse *Henricum*, eoque defuncto, nec dùm anni circulo emenso, *Antepolicanum* potuisse substitui. Nam *Henricus* multis post MCCXV. annis adhùc degebat in humanis; siquidèm præterquàm quod, eodem anno, indicente *Innocentio III.* Summo Pontifice,
F interfuit Concilio *Lateranensi*, ubi pridiè celebrationis Concilii, operâ *Arriaudi* Nemausensis, & *Bertrandi* Antipolitani Episcoporum, definivit controversiam prò Ecclesiâ, & decimis Piliæ, cum *Falcone* Abbate *S. Ruffi*; eadem etiam conventio ad ipsius *Henrici* Episcopi, & *Falconis* Abbatis petitionem confirmata est non solùm ab eodem *Innocentio III.* Laterani V. Id. Novemb. Pontificatus sui anno XII. [eodem scilicèt mense, quo *Antepolicanus* asseritur *Genuenses* accersivisse, sed etiam successivè à *Gregorio IX.* Perusii XIX. Cal. Februar.

Februar. Pontificatus sui anno II. id est anno Christi
1228. MCCXXVIII. Immò ad hæc tempora *Nicienses*, amicos, fœderatosque habebant *Pisanos* Genuensium Hostes; hùc enim refero Epistolam nomine P. Archiepiscopi, Consulum, Vicecomitum, universique Populi *Pisani*, ad Episcopum, Consules, & Populum *Niciensem*, asservatam in tabulario Ecclesiæ Cathedralis, in quâ renovatur antiqua *Pisanorum*, & *Niciensium* amicitia, quam minimè fuissent amplexi *Nicienses*, si partibus *Genuensium* studuissent. Quod si dare velimus aliquid tunc *Niciæ*, privatâ authoritate aliquorum Civium, in *Genuensium* gratiam actitatum, crediderim ex affinitate nominis deceptum *Justinianum* scripsisse *Antepolicanum*, legendumque *Antipolitanum*, id est finitimæ Civitatis *Antipolis* Præsulem, qui tùnc erat *Bertrandus*, de quo suprà; *Antipolitano* enim Episcopo, ac *Mirone Badato* Authoribus id potuit evenisse. Sed pro hâc re satis nunc, pluribus aliàs.

XXXIII.

MEYNFREDUS, cujus nominis alicubi [ut persæpè in diplomatibus ejus ævi Præsulum nomina signabantur], apponitur tantum prima litera M. anno MCCXXVIII. à *Romæo de Villanova* [sic vocant Franciscus de Clapiers *lib. de Provinc. Phocens. Comitibus*, Antonius Ruffi *in eâdem Comitum Provinciæ Historiâ* Gallicè conscripta, aliique, licèt alicubi malè scriptus sit *Barenus*] agente vice *Raimundi Berengarii* hujus nominis IV. *Provinciæ* Comitis, emit jurisdictionem Castri Episcopalis antiqui *de Drappo*. Hujus emptionis exemplar hic inseruimus:

1238. IN *Christi nomine. Anno à Nat. Domini M. CC. XXXVIII. Indic. X. Mense Julii die tertiâ. Notum sit omnibus tàm præsentibus, quàm futuris: Quòd ego* Romæus de Villanovâ *Vicarius, & Bajulus in loco, & Comitatu* Provinciæ *constitutus à Domino R. B. Ill. Comite* Chiege *Provinciæ, & Comite* Forcalquerii *pro dicto Domino Comite, & ejus nomine, & pro necessitate ejusdem, vendo, trado, & concedo vobis Domino M. Episcopo* Niciensi *percipienti nomine ipsius, & successorum ipsorum, omne jus, quod Dominus Comes habet, vel habere visus est, possidere, seù quasi in Castro* de Drapo, *vel in hominibus ejusdem Castri, seù ejus territorio, scilicèt*
182 *in pascuis, nemoribus, aquis, terris cultis, seù incultis, silvis cæduis: in herbâ, in alberguâ, seù alberguis: cavalcatâ, seù cavalcatis: quistâ, seù quistis, ex quibuscunque causis Domino Comiti competentibus, seù competendis: & specialitèr in quista, seù quistis, in quibus tenentur ei homines Bajulis* Forojulii *dare sex solidos prò foco, saltem pro Filiabus maritandis, seù pro eundo ad Imperatorem, ex quacunque causa, seù pro transferendo eum. . . . . vel si ipse Dominus Comes, vel ejus Filius Major novus Miles efficeretur, vel ex quacunque alia causa ipse posset facere quistam. Item vendo, & trado nomine dicti Domini Comitis vobis Domine M. superiùs nominate, percipienti nomine ipsius, & successorum ipsorum, omnes exactiones ex quacunque causa provenientes, vel ad Dominum Comitem pertinentes in prædicto &c. Transferens in vos ex prædicta causa generalem, & specialem jurisdictionem &c.*

*Hæc autem omnia vendo vobis Domine Episcope pretio octuaginta librar.* Jannen. *quas confiteor &c. Actum* Niciæ *in porticu Palatii in præsentia* B de Aquis. Alberti. B. Tadæi. Pontii Dadani. B. Gajeri. R. Calige *Canonicorum Ecclesiæ* Niciensis. Tornafort P. de Ysia. Isoardi de Biratregi. R de trientis. G. Cabreji *Prioris Piliæ*. Salmonis *Jurisperiti Testium rogatorum Et ego* Bertrandus de Comps *Notarius Domini* Raimundi *B. Dei gratia Illustris Comitis, & Marchionis interfui; & hanc chartam rogatus scripsi, & hoc meo signaculo confirmavi.*

Hanc venditionem idem *Raimundus Berengarius* Comes confirmavit *Papiæ* in Cœmeterio *B. Petri in Cœlo aureo*, eodem anno MCCXXXVIII. IV. Id. Julii coram signatis testibus. *Archiv. Eccles. Cathedr.*

*Romæus de Villa novâ*, cujus hìc nomen habetur, non solùm *Niciæ* diversatus fuisse per multum tempus, sed ibidem etiam obiisse, fuisseque tumulatus in Templo Divi *Dominici* Fratrum Prædicatorum traditur.

Anno MCCXLI. Legatus à latere *Gregorii IX.* 1241.
Summi Pontificis, *Genuensium* triremibus vectus, *Nicæam* appulerat, ubi inventos quamplurimos Præsules Pontificiis partibus contrà Imperatorem studentes in *Italiam* traduxere eædem triremes. *Justinianus in annal. Genuens.*

Hoc tempore, atque sub regimine ejusdem *Meynfredi*, ut videtur, Episcopi, Fratres, quos diximus, Prædicatores *S. Dominici* Nicææ fixerunt sedem, rem acriter adjuvante *Jordano Richerio* Niciensi Cive, & Fratre *Lanfranci Richerii*, de quo Justinianus *in annal. Genuens. ann.* MCLXXXII. & MCCXXIX. Is enim locum cœnobio extruendo largitus est: Donationem ipsam exscribam, maximè quià *Michaël Piò*, aliique rerum ejus Ordinis scriptores antiquitatem *Niciensis* Cœnobii videntur ignorasse.

EGo Jordanus Richerius, *mera, & pura donatione inter vivos, & pro animæ meæ remedio, & Fratris mei quondàm* Lanfranci Richerii, *donò tibi Fratri* Raimundo Laurentio *Priori Fratrum Prædicatorum* Avinionensium, *recipienti nomine Ordinis Fratrum prædicatorum, quatuor sexteratas de terra, quam habeo in Civitate* Niciensi, *loco, qui dicitur* Seleya, *videlicet ab una parte via publica* Seleya, *ab alia parte locus ille, in quo consueverunt morari leprosi, & aquari à terra nostra. ità quòd ipsæ quatuor sexteratæ non excedant ultrà fossatum molendini, & quòd mensurari debeant ad sex-* 183
*teratam terrarum mearum de* Columberio, *vel ad mensuram terræ putei* Nitardi, *qui fuit* Petri Richerii *quondàm, in electione tua ad quam sexteratam illarum duarum volueris prædictam donationem, promitto tibi recipienti nomine Ordinis dictorum Fratrum habere ratam, & firmam perpetuò per me, & hæredes meos, nec eam aliquo modo de cœtero retractare. Et insuper quòd faciam, & curabo sic, quod hæredes mei eam ratam habebunt. Et si in aliquo contrafecero, vel contrafactum fuerit per hæredes meos, pœnam dupli de quanto valet ipsa donatio, & pro tempore melior fuerit tibi stipulanti spondeo. prò quà pœna, & ad sic observandum omnia bona mea habita, & habenda tibi recipienti nomine dictorum Fratrum pignori obligo; possessionem quoquè, & dominium confiteor me tibi dicto nomine tradidisse, & quamdiù possedero me constituo, tuo nomine, & nomine Fratrum dicti Ordinis tenere, & possidere, dans tibi pro ipso Ordine licentiam appræhendendi corporalem possessionem dictæ terræ donatæ, quandòcunque volueris. Et abrenuncio legi dicenti, quòd donatio facta non valeat ultrà quingentos aureos, nisi insinuetur, & omni alii juri, quo contravenire possem. Actum* Januæ *sub porticu domus dicti* Jordani, *anno Dominicæ Nativitatis Millesimo Ducente-* 1243.
*simo, Quadragesimo tertio, Indic. quintadecima, die quartodecimo Aprilis, inter nonam, & vesperas. Testes Frater* Jacobus de Modoetia *Prior Fratrum Prædicatorum de Janua.* Bonifacius Pançanus. Obertus Aurie, & Zacharias Draparius.

✠ *Enricus de bisanine* Not. Sacri Imperii Rog. scripsi.

Hoc in loco prope viam *Seleyam*, nunc vulgo
*Magna platea* usque nunc idem cœnobium persi-
stit, Fratrumque semper numero pietate, & sa-
pientia conspicuorum crevit. *Archiv. Frat. Præ-
dicat. Niciensium.*

1247. Anno MCCXLVII. Monachi *S. Pontii*, ut infrà
1248. dicetur, sequenti vero MCCXLVIII. Canonici Re-
gulares *D. Augustini* Hospitale *de Varo* incolentes
privilegiis donati sunt *Lugduni* ab *Innocentio IV.*
Summo Pontifice. *Archiv. publ. Civit.*

Non multis post annis, Minoritis Divi *Fran-
cisci*, quos primùm, vivente eodem Ordinis Fun-
datore *D. Francisco*, Ecclesiam *S. Recuperati*, vul-
gò *S. Recoubre*, nunc solo tenus eversam, inco-
luisse fama est, datus est ab *Augerio Badato* ad
Monasterium extruendum locus: Lucas Wadin-
gus *in annal. Min. ann.* MCCCCXXIX. antiquitatem
hujus Conventus ignoravit; ait enim: *Niciæ Ur-
bis in littore maris Ligustici propè Varum fluvium
Conventum Fratrum Minorum vetustum satis fuisse
mihi constat ex diplomate, quo Pontifex concedit, ut
ex facultatibus Joannis Talhaferri* [fuerat hic Con-
sul Niciensis loco ultimus anno MCCCLXXXVIII.]
*Civis Niciensis in pios usus relictis, domus illa jam
ruinosa restauraretur.* Quamobrem ut certum an-
num sciamus, adducenda est ipsa *Augerii Badati*
donatio, quæ talis est.

*IN nomine Domini Amen. Notum sit omnibus ho-
minibus tàm præsentibus, quàm futuris, hanc
cartam audientibus, quòd* Augerius Badatus *dedit,
& tradidit intuitu Dei, & pietatis amore* Raimun-
do Ricardi *recipienti nomine Fratrum Minorum
quantitatem infrascriptam Terræ suæ sitæ ad molen-
dinum suum de ponte juxtà bedale molendinorum di-
cti* Augerii, *& juxtà Terram suam ex duabus par-
184 tibus, & taliter terminatam, videlicet à mari can-
nas XXXV. à septentrione cannas XLVI. ab Occi-
dente cannas XXX. ab Oriente cannas XXX. ut di-
ctum est, dedit, & tradidit præfatus* Augerius *di-
cto* Raimundo Ricardi *nomine supradicto recipienti
in perpetuum, ad ædificandum in dictâ Terrâ domum,
& Ecclesiam ad opus doctorum Fratrum, cùm con-
ductu aquæ à bedali dicti* Augerii Badati. *Undè &
Frater* Guiglielmus *nomine Fratrum Minorum re-
cepit dictum* Augerium, *& Uxorem suam, & Filios,
ut sint participes omnium orationum, & benefacto-
rum dictorum Fratrum, & dictam donationem præ-
fatus* A. Badati *fecit prò redemptione animæ suæ, &
omnium Prædecessorum suorum. Actum fuit in dictâ
1250. Terrâ. Anno à Nativitate Domini Millesimo CC. L.
Indict. IX. Novembris Die XVII. Testes rogati fue-
runt* Petrus Pauli. Ugo Rocha. *&* Raimundus de
Marsilia. *Ego* Petrus de Arexano *Not. Publicus
authoritate Domini* Ottonis *Imperatoris interfui, &
rogatus scripsi.* Archiv. FF. Min. Convent. Nicien.

Hoc Cœnobium, sacrarum litterarum studiis
olim celebre, unà cum Templo sæpiùs instaura-
to, nunc magno concursu Populi frequentatur.
Anno sequenti MCCLI. idem *Innocentius* Papa
1251. *IV.* ex Concilio *Lugdunensi* redux, *Nicæam* venit,
ibique aliquandiù moratus est. *Aug. Justinian. in
annal. Genuens. M. S. authentica.*

XXXIV.

PETRUS BONUS [id ei forsitàn ex morum
integritate, & bonitate vitæ cognomen obtigit]
hujus nominis III. indicatur ab Illustriss. *Marti-
1261. nengo*, anno Christi MCCLXI. Hic brevem in E-
piscopatu videtur duxisse vitam; nam obiisse se-
1262. quenti MCCLXII. tradit vetus mortuarium Sacri-
stiæ Ecclesiæ Cathedralis.

XXXV.

JOANNES II. numeratur inter Episcopos *Ni-
cienses* anno MCCLXX. quo tempore confirmata
A est antiqua Societas inter Canonicos *Nicienses*, &
*Magalonenses*, ut docemur ex sequenti epistola
Prioris Claustralis *Magalonensis* ad Capitulum *Ni-
ciense.*

*VIris Venerabilibus providis, & discretis Domi-
nis suis spiritualibus, & Amicis, universis, &
singulis Canonicis* Niciensibus, *& toti Capitulo e-
jusdem Ecclesiæ* Bertrandus de Campaneis *Prior
Claustralis* Magalonensis *salutem, & se totum eo-
rum beneplacitis inclinatum. Cum Venerabilis Vir
Dominus* Raimundus Calverie *vester Præpositus di-
gnum duxerit* Magalonensem *Ecclesiam visitare, su-
B per antiqua societate, & Amicitia inter nos, & vos
plenariè reformanda, ipsum, sicut decuit, cum toto
nostro Conventu recepimus animis lætabundis. Et
quià in amplitudine charitatis adquiritur Regnum
Dei, ipsumque Regnum vim patitur, & violenti ra-
piunt illud, nobis evidentèr constitit per relationem
præfati Domini Præpositi, vos velle nobiscum Do-
mino irrepræhensibilitèr famulari, & ad vitam cæ-
libem felicitèr properare, dignum fuit ipsius, & ve-
stris beneplacitis obedire, quià juxtà Dominicas San-
ctiones dignum est, ut ii consequantur stipendium, qui
pro tempore reperiuntur suum obsequium commodasse;
C Per ipsum, & cum ipso vobiscum antiquam Societa-
tem, & amicitiam renovantes. Curramus ergò simul
in Domino confidentes, ut æternæ felicitatis bravium 185
attingere mereamur. Conservet vos Dominus Eccle-
siæ suæ Sanctæ, & virtutes in vobis adaugeat, &
bonorum operum tribuat incrementum. In cujus rei
testimonium præsentes litteras duximus sigilli nostri
pendentis munimine roborandas. Dat.* Magalonen.
*Anno Domini* M. CC. LXX. *Nono Kal. Novemb.* 1270.

Eandem amicitiam renovarunt *Joannes Nicien-
sis*, & *Guiglielmus Magalonensis* Episcopi, cum
D suis uterque Canonicis, datis litteris, in quibus
gratiæ aguntur Canonicis *Niciensibus*, eo quod
honorificè acceperint Archidiaconum *Magalonen-
sem*, & alios ipsius socios, conceduntque, ac vo-
lunt, ut eodem Capitulo, ac eadem mensâ, quan-
dò advenerint hinc indè Canonici, uti possint.
*Arch. Eccles. Cathed.*

XXXVI.

HUGO Episcopatum gerebat anno MCCXCI. 1291.
cujus Officialis, seù Generalis Vicarius extitit
*Bernardus de Turretis* ejus in Episcopatu Succes-
sor. De hoc autem Præsule, sicut & de non-
nullis sequentibus, pauca ex veteribus monumen-
E tis memoratu digna nobis eruere licuit. *M. S. au-
thentica.*

XXXVII.

BERNARDUS DE CHIABAUDIS ex Do-
minis *de Turretis*, Comitatus *Niciensis* antiquo
Castro, hujus nominis *II. Hugoni* successit, vive-
bat anno MCCC. quo etiam obiisse videtur die IV. 1300.
Aprilis, ut tradit mortuarium vetus Ecclesiæ Ca-
thedralis.

XXXVIII.

NITARDUS II. cujus nomen nudum invenio
in quodam vetere M. S. sedebat sequenti MCCCI. 1301.
F *Arch. Eccl. Cathed.*

XXXIX.

ROSTAGNUS anno MCCCXVI. numeratur 1316.
inter Præsules *Nicienses* à *Martinengo*: ejus nomen
per primam tantùm litteram *R.* signatur *in Char-
tulario Eccles. Cathed. fol.* 34.

Anno MCCCXXX. die VI. Augusti, duabus trire- 1330.
mibus vectus *Nicæam* pervenit F. *Petrus Raynal-
dutius à Corbaria* Minorita, *Reatinæ* Diœcesis,
qui *Ludovico Bavaro* pro Imperatore se gerenti
studens, *Romæ* à quibusdam Ecclesiasticis creatus
fuerat Pseudopapa, contrà *Joannem XXII.* Ave-
nione sedentem. *Niciæ* verò idem *Petrus* in ce-
lebri

lebri Præsulum, ac Virorum Nobilium corona, solemniter abjuravit Antipapatum, ut *Pisis* egerat, ac post multos dies iter prosecutus, *Avenionem* ingressus est, misericordiam legitimi Pontificis imploraturus. *Odoric. Raynald. tom.* XV. *ad annum* MCCCXXX.

XL.

JOANNES III. *Rostagno* suffectus est, eodem indicante Martinengo *in syllabo Niciensium Episcoporum*, qui Joannem *Fratrem* nominat: nescio tamen an fuerit ad Episcopatum ex aliquo Religioso Ordine assumptus, & vixisse notat anno
1333. MCCCXXXIII.

XLI.

GUIGLIELMUS inter Episcopos *Nicienses*
186 adsciscitur *ab Augustino ab Ecclef.* qui eum subscripsisse ait Concilio *Avenionensi* sub auspiciis *Gasperti* Archiepiscopi *Arelatensis*, alibi *Gasberti*, seù *Gisberti*, de quo Odoricus Raynaldus *in annal. Ecclef. an.* MCCCXXXVI. & floruisse ann. Christi
1337. MCCCXXXVII. *Guiglielmi Niciensis* cœterorumque qui ei Synodo adfuerunt, nomina recitat *Guesnay* in nuperrimè editis *Annal. Massil. pag.* 402.

XLII.

PHILIPPUS GASTONIUS, de quo idem, qui suprà scribit *August. ab Ecclef.* ex Episcopo *Sedunensi*, vulgò *Sion* in *Alpibus Helveticis*, quam
1338. Ecclesiam anno MCCCXXXVIII. moderabatur, ad Episcopatum *Niciensem* assumptus est; eique præ-
1342. erat anno MCCCXLII.

XLIII.

GUIGLIELMUS AMESINI hujus nominis II. Civis, & Præpositus *Niciensis* Episcopatum
1345. auspicatus est circà annum Christi MCCCXLV. Cum alio *Guiglielmo* Abbate *S. Pontii* transegit super decimis Abbatiæ. *Arch. Ecclef. Cath. & S. Pon.*

Hic valdè pius, & munificus ergà Ecclesiam suam, impetratâ à *Clemente VI.* Summo Pontifice facultate condendi suum ultimum testamentum,
1348. anno MCCCXLVIII. eidem Ecclesiæ multi pretii sacram supellectilem legato dimisit, seù potiùs jam anteà oblatam confirmavit, cui, si à successuris Episcopis, vel Canonicis extrà usum Ecclesiæ transferretur, ex tunc substituit Dominum Papam. Atque in eo se omni humano affectu, quo plerique Ecclesiastici Præsules aliquandò ducuntur, expertem ostendit, quòd non Consanguineos, aut Fratrem suum *Joannem Amesini*, sed sibi in Episcopatu successurum instituit Hæredem bonorum suorum universalem. Quæ omnia morbo correptus jacens egit coram *Laurentio Pictoris* Præposito, & *Petro Sardine* Priore *Villæveteris*, qui postmodùm in eodem *Niciensi* Episcopatu proximè successerunt, ac coram alio *Guiglielmo Amesini* Priore Claustrali, Canonicis, & aliis Viris Ecclesiasticis. *Tabulæ testam. ex arch. Eccl. Cath.* Obiit eodem anno MCCCXLVIII. die VI. mensis Septemb. *Mortuar. antiquum ejusdem Ecclesiæ.*

XLIV.

PETRUS SARDINE, IV. ejus nominis, non autem *Sardiniæ*, ut malè scripsit in suo Catalogo *Martinengus*, nec natione *Sardus*, ut ex eodem *Martinengo* ait *August. ab Ecclesia*, sed cognomine dictus, *Sardine*, sivè *Sardina* Nobilis Civis *Niciensis*, ex quâ olim familiâ multi ad Canoni-
1348. catus assumpti sunt, eodem anno MCCCXLVIII. quo *Guiglielmus Amesini* obiit, ex Canonico *Niciensi* Priore *B. Mariæ Villæveteris*, Episcopus factus est.

1355. Coram hoc Præsule, anno MCCCLV. XVI. Maji Capitulum celebrantes *Guiglielmus Amesini* Prior Claustralis, *Joannes Ruffi* Sacrista, & Præceptor de Fenestris, *Raimundus Revelli* Præcentor, *Joannes Roterii*, *Nicolaus Sardine* Prior Villæveteris Canonici, eligunt *R. D. Laurentium Pictoris* Præ-

A positum, ad transigendum cum *F. Petro Nielli* Ord. Prædicatorum. Et vice versâ sequenti MCCCLVI. 1356.
congregati in Capitulo, de mandato Fratris *Roquasalvæ de Soleriis* Provincialis Provinciæ *FF. Michaël Perdigassii* Lector, *Petrus Ruffini*, *Joannes* 187
*Feniculi*, *Girochus de Mediolano*, *Guiglielmus Negrelli*, *Rostagnus Chiabaudi*, *Julanus Franqui*, *Isoardus Scurlamassa*, *Joannes Retolli* eligunt Procuratores Fratres *Petrum Nielli*, *Petrum Ruffini*, *Beconum Guiglielmi*, *Vincentium de S. Petro*, ad transigendum cum eodem Præposito, super controversiâ legatorum relictorum Conventui *S. Dominici*. Quæ transactio facta est *Avenione* in Refe-
B ctorio Monialium *S. Laurentii* coram *Stephano* Archiepiscopo *Arelatensi*, & *Guiglielmo* Patriarchâ *Hierosolymitano*, anno MCCCLVII. *Tabulæ trans-* 1357.
*actionis.*

Cœterùm *Petrus* Episcopus reparare, atque augustiorem facere cupiens Ecclesiam Cathedralem, ædificavit inibi odæum, sivè chorum; actisque multis aliis laude dignis, obiit die 8. Martii incerto anno. *Mortuarium vetus.*

XLV.

LAURENTIUS PICTORIS Civis *Niciensis* ex Præposito Ecclesiæ Cathedralis, ad ipsam
C Cathedram evectus est, in eâque sedebat anno MCCCLX. quo tàm ipse, quàm Canonici *Guiglielmus Amesini* Prior Claustralis, *Joannes Ruffi* Sacrista, *Raimundus Revelli* Præcentor, *Joannes Clerici* Præceptor de Fenestris, *Stephanus Clerici* Prior de Leventio, *Bertrandus Sardine* Prior Villæveteris, *Daniel Riquerii*, *Guiglielmus Chiabaudi*, *Raimundus de Valletis*, absentibus *Ludovico Cais* Archidiacono, & *Joanne Revoeri* Priore B. Mariæ de Pulcro loco, pro bono Ecclesiæ regimine statuta egregia condiderunt. *Arch. Ecclef. Cathed.* 1360.

Eodem anno MCCCLX. cupiens *Laurentius* sui 1360.
D Episcopatus primordia Sanctorum auspiciis ordiri, adiens Monasterium *Lerinense*, ibi devotionis ergò totâ perstitit Quadragesimâ, & rogante *Guiglielmo* de Blevis Abbate, non solùm Monachos Sacris Ordinibus initiavit, sed etiam in Ecclesiâ majori *S. Honorati*, sacravit altaria *S. Andreæ*, *S. Stephani*, *S. Catharinæ*, *SS. Cosmæ*, & *Damiani*, & *S. Martini*, varias in eisdem recondens Sacras Reliquias. *Nicæam* rediens, postquàm suprà biennium tenuisset Episcopatum, excessit è vivis die 12. Aprilis. *Vinc. Barral. in Chron. Ler. Mortuar. Eccl. Cath.*

XLVI.

JOANNES IV. *Laurentium* proximè est sub-
E secutus; ejus nomen, ac interventio exprimitur in antiquâ conventione inter *Joannem* Abbatem *S. Pontii*, reliquosque Monachos ex unâ parte, ac Consules *Nicienses* ex aliâ anno MCCCLXII. *Archiv.* 1362.
*pub. Civitat.*

XLVII.

ROCCASALVA, cujus me latet origo [nisi fortassè est ille *F. Roquasalva de Soleriis* Ord. Præd. Provincialis Provinciæ, de quo suprà in *Petro IV.* anno MCCCLVI. *Roccasalva* inquam *Niciæ* sedebat 1374.
anno MCCCLXXIV.

Sequenti MCCCLXXV. *Nicæam* advenit *Gregorius* 1375.
F *XI.* Pont. Max. dum ex *Avenionensi* Urbe, Pontificiam sedem referret *Romam*. In *Niciensi* tractu, ab eodem Pontifice gesta descripsit in itinerario *Petrus Amelius*, qui præsens aderat: inter cætera iis verbis:

*Die Jovis clarificata, Antè Niciam velox fuit* 188
*noster transitus.*
*Cum hilaritate nimia Villamfrancam, ceù Portum*
*Olivæ intravimus,*
*Prandium, cœnamque abundè, lætè, quasi famelici avidè suscepimus;*

*P. Jofredus.* M 2 *Nocte*

*Nocte eadem in tranquillitate, & silentio, clarescente hemisphærio, quievimus.*
*Die Veneris minùs benè consulti mare intravimus, vento flante;*
*Propè Monachum manè perventi, retrò reversi fuimus, mare impellente*
*Ad locum, unde recesseramus, Olivæ, applicuimus, fortuna objiciente,*
*Dispensat Pontifex in gradu tertio consanguinitatis, lege contradicente.*
*Gaudet exercitus, credit ad propria cum gaudio remeare,*
*Sed non finit Altissimus corda Principum sine caussa mutare;*
*Expergiscit plebs Niciæ ad pedum oscula cum hilaritate;*
*Mansit ibi usque Mercurium Præsul cum humilitate. &c.*

1377. Anno MCCCLXXVII. solemniter consecratur in TemploFratrum Minorum *Niciensium* Sacellum *B. Mariæ*, Apostolique *Matthæi*, inclusa, in media ara, parva membrana his verbis inscripta: *Anno Domini M.CCC.LXXVII. die ultima mensis Madii, fuit consecratum hoc altare existens infrà Ecclesiam Fratrum Minorum Civitatis* Niciæ, *ob reverentiam, & honorem B. Virginis* Mariæ, *&* B. Matthæi *Apostoli, & Evangelistæ per me* F. Guiglielmum *Episcopum* Urbinensem. *Sequuntur reliquiæ, & primò de Reliquiis* B. Blasii, *item de Reliquiis* B. Ludovici. *Item de Zona* B. Mariæ *Virg. Item de lapide, ubi* B. Maria *migravit, & de columna* Nazareth, *ubi Angelus salutavit* B. Mariam. *Item de Reliquiis* B. Francisci, *Item de Reliquiis* B. Antonii, *Item de Reliquiis* B. Claræ.

1381. Anno MCCCLXXXI. VI. Cal. Septembris, dum, ex Italiâ *Avenionem* peteret, *Niciæ* excessit è vivis *Simon de Borsano* Civis, & Archiepiscopus *Mediolanensis*, ac demùm sub *Gregorio XI.* Pont. Maximo Presb. Cardinalis *SS Joannis*, & *Pauli*, tit. *Pammachii*, qui super *Clementinas* volumen edidit, celebratus à *Francisco Petrarcha* in Epistolis, ut ait *Ciaconius* in *Gregor. XI.* Ejus corpus conditum est in Choro Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum, ubi etiamnùm Cardinalitius galerus, ac ejus gentilitia insignia conspiciuntur.

1388. Sub *Roccasalva*, ut credibile est, Præsule, *Nicæa* Civitas, anno MCCCLXXXVIII. albo lapillo signando, *Sabaudorum* Principum Imperio ultrò subdita est, cum id sibi ex voluntate *Ladislai* Neapolitani Regis impunè liceret, initis inter *Amedeum* Sabaudiæ Comitem, & *Girardum à Roccamaura* Jurisperitum, *Antonium Blasii*, *Ludovicum Talloni*, *Joannem Taliaferre* Consules conditionibus antè Ecclesiam Monasterii *S. Pontii* extrà Urbis mœnia. *Archiv. Civitatis.*

XLVIII.

JOANNES DE TORNAFORTE hujus nominis V. ex *Lantusca* in Comitatu *Niciensi* oriundus, Monasterii *S. Pontii* Monachus, ejusdem Abbas creatus est, eique præsidebat anno MCCCLXII. ut suprà in *Joanne IV.* dictum est. Indè ab *Urbano V.* Summo Pontifice ad Abbatiam *S. Honorati Lerinensis* translatus, ubi cum in omnibus Monasticæ observantiæ Custodis, ac solliciti Pastoris specimen præbuisset, interque alia, quæ sub fe-
189 lici ejus regimine evenerunt, anno MCCCXCI. XIII.
1391. Cal. Februarii, *S. Honorati* primævi ejus Monasterii Patris, ac Archiepiscopi *Arelatensis* Corpore fuisset locupletatus, quod translatum fuerat ex *Arelatensi* Urbe ad Monasterium *Garegobiæ*, atque inde ad Insulam *Lerinensem*, postmodùm anno se-
1392. quenti MCCCXCII. obtinuit *Niciensem* Episcopatum, retenta tamen eadem *Lerinensis* Monasterii Abbatiâ, in quo, eodem anno, Sacellum novum *S. Crucis* sacravit, reposito inibi *S. Honorati* corpore, multisque aliis Sanctorum Reliquiis. Insuper ejus Cœnobii sartatecta apprimè curavit, variaque eidem, ac egregia à Sede Apostolica privilegia impetravit. *M. S. Auth. Chronol. Lerinensis.*

*Niciæ* cum degeret, compescuit authoritate Pontificia suffultus *Raimundum de Agunto* Abbatem S. Pontii, qui juribus suis non contentus, propria Episcopalis Dignitatis munia usurpabat, anno MCCCXCIX. *Archiv. Eccles. Cathedralis.* 1399.

Anno vero MCCCC. XV. Martii, potestate sibi facta ab *Amedeo* Sabaudiæ Duce, *Nicææ* Judicem 1400. constituit, prò caussis incolarum *Drappi:* ab eodem insuper Duce litteras obtinuit, eo anno MCCCC. datas *Chamberiaci* 2. Januarii, contrà Laicos Magistratus, jurisdictionem Episcopalem impedientes. *Arch. Eccl. Cathed. Martineng. Decr. Synodalium pag.* 281.

Ecclesiæ Cathedrali *B. Mariæ* idem Joannes Episcopus multa donaria obtulit, ex argento elaborato, multosque sacros Codices, recipiente *Joanne Andreæ* Canonico Præcentore, præsentibus *F. Jo. Alberto* Magistro Ordinis Prædicatorum, *Bertrando Sardine* Præposito, *Antonio Bonifacii* Priore, & Archidiacono, Mag. *Ludovico Tornaforte de Lantuscâ.* Postquàm verò triginta quatuor annis Monasterium *Lerinense* Abbas, & novennio Ecclesiam *Niciensem*, Episcopus, esset moderatus, defunctus est circiter annum Christi MCCCCI. Vir undequàque laudandus, atque à 1401. Summis Pontificibus, & Principibus magno in pretio habitus. *Arch. Eccles. Cathed.*

Anno MCCCCIV. Fratres Minores *D. Francisci* 1404. Nicæam ad comitia Provincialia, ex Provincia *S. Ludovici* conveniunt. *Arch. Frat. Minoritarum.*

XLIX.

FRANCISCUS *Benedicti XIII.* Referendarius, *Joanni à Tornaforte* suffectus est. Is anno MCCCCV. introduxit intrà Urbis mœnia Fratres Heremitas Divi *Augustini.* 1405. Nam cum vi bellorum, inter *Nicienses*, & *Andegavenses* flagrantium, dirutum fuisset eorum Cœnobium, quod propè *Paulonem* fluvium, extrà Portam vulgò *Pairoleriam* situm erat [aliud à Canonicorum Divi *Augustini* Regularium Monasterio, in loco *S. Laurentii* ultra *Varum*, ac postmodùm in *Niciensi* agro, vt videtur, proxime eundem fluvium sito]; ne imposterùm Hostium, & exundantis fluminis paterent casibus de consensu Canonicorum, tradidit Fratribus Magistro *Bertrando de Alsario* Procuratori Generali, *Petro Gauterii* Priori, *Michaëli Gilbaudi Biblico*, *Joanni de Orthecâ* in Theologiâ Lectori, & Baccalaureo in Decretis, *Joanni Barberino* Procuratori, *Petro Laurentii*, *Laurentio Liontii*, ac *Gaspari Borelli*, Ecclesiam Parochialem *S. Martini* positam ad Campum *Martium*, nunc *Camâs.* 190

Eodem tempore Moniales *Cistercienses*, quæ olim Ecclesiam *S. Stephani de Cortina*, seu *de Olivo*, incolebant; ac deinceps ad locum dictum *Richies*, ubi posteà Nobilium *Varletorum* hortus, migraverant, sub regimine ac jure Abbatis *Torronneti*, [quare hoc ipso anno MCCCCV. *Guiglielmus Gairaudi* Monachus *Toronneti* ipsis Monialibus præerat], intrà mœnia, ob illata bellis irruentibus, incommoda, etiam ipsæ admissæ sunt; Monasteriumque in superiori Urbis parte ædificarunt, cui adhùc nomen restat *lo Monastié*, intrà Arcem temporis successu conclusum. *Arch. Eccl. Cath. Hon. Pastorellus in Monast. S. Claræ hist.*

Religiosi quoque *B. Mariæ de Monte Carmelo* sedem mutare coacti sunt: nam ex loco dicto *lo Carme Vuiell*, qui *Paradisus* aliter nuncupatur, prope leprosorum *S. Lazari* Xenodochium, intra ipsa mœnia translati sunt, cessitque ipsis ad Cœnobium construendum, *Podium de Costâ*, ex parte

te Urbis tunc inferiori, nunc superiori; unde etiam successu temporis aliò commigrarunt.

Cum ipsis Carmelitis Fratribus, *F.* scilicet *Milone de Villanis* Priore, *Salvatore Isnardi* Lectore, *Jacobo Guigonis*, *Petro Liontii*, & reliquis anno
1406. MCCCCVI. XXVI. Julii idem *Franciscus* Episcopus, *Bertrandus Sardine* Præpositus, reliquique Canonici, pro habendo cœmeterio pepigerunt. *Arch. S. Jacobi.*

Anno MCCCCV. MCCCCVI. contigit adventus *Benedicti XIII.* pro Summo Pontifice se gerentis, qui ob schisma, quod tunc Ecclesiam divexabat, *Avenione* discedens, ubi, nondùm *Pisanâ* Synodo congregatâ, à multis Provinciis, ac Principibus legitimus Pontifex credebatur, *Nicæam* venit, acceptusque est à *Francisco* Episcopo, ac Consulibus Civitatis, pro cujus partibus ad extremum usque *Nicæa* stetit; ex quo forsitàn iratum Deum, multis incommodis publice tunc, privatimque afflicta, experta est. Portenta visa refert *Ludovicus Revellus* his verbis: M.CCCC.V. *Die quinta Januarii Vigilia Epiphaniæ, dum ibi adesset* Benedictus XIII. *apparuit* Niciæ, *pluribus videntibus, globus ad modum Lunæ clarus, & resplendens valdè, discurrens, ad modum certi hominis, per aërem, plano modo inferiùs versus Aquilonem protendens.*

1406. Anno eodem MCCCCVI. Beata *Coleta* Virgo Clarissarum Sanctimonialium instauratrix, ad eundem *Benedictum* Nicæam venit; quid *Nicææ*, agente *Coleta*, contigerit, ex *Stephano Juliano* scribit Benedictus Gononus in *Vitis Patrum Occidentis lib.* VI in actis ejusdem B. Virginis: *Deindè venit* [cujusdam Nobilis Matronæ opera] *Nicæam* Coleta, *ubi tunc Pontifex morabatur. Quam ut vidit Pontifex, clementer eam intuitus, accessit propiùs, & crumenulam quoque ab ejus zona pendentem sua manu abstulit, in qua erat chartula, cui inscripserat Pontifici proponenda. Itaque chartam ille legit, cognovitque totum ejus negotium. At nihilominùs illa quoque ore suo exposuit ei caussam itineris sui, & quid expeteret. Duo autem potissimùm ab illo petebat, scilicet ut liceret ei* S. Claræ *amplecti in-*
191 *stitutum, & ut reformarentur Ordines* S. Francisci. *Et quidem visa sunt ea Pontifici rationi consentanea: sed quod non deessent qui contradicerent, distulit assensum in aliud tempus. Et ecce pestis sævissima invadit eam Urbem, moriunturque subito inter alios & ii, qui vel maxime negotium illud diferendum cen suerant. Quæ res apud Homines non stupidos id effecit, ut existimarent, id quoque accidisse propter injectas ancillæ Dei moras. Et Pontifex sanè iis, quæ quotidiè fiebant, permotus, noluit eam protrahere diutiùs, sed ad se accitam coram multis & Ecclesiasticis, & laicis, eam recepit ad professionem instituti* S. Claræ, *ejusque capiti, suis manibus, velum imposuit. Deinde & Abbatissam constituit earum omnium Sanctimonialium, quas ipsa reformatura esset, vel quæ se darent vitæ Monasticæ Clarissarum.* Similia in Chronicis Min. *Wadingo*, aliisque, qui propter dilatum *Coletæ* votum, *Nicæam* Urbem divinitùs sævissimâ peste correptam fuisse affirmant: veriùs autem quis propter *Niciensium* ergà non legitimum Pontificem studium id evenisse dixerit. De contagiosâ lue, per hos annos, *Italiam*
A fermè totam sævissimè lacerante, plura *Matthæus Villanus* ejus ævi scriptor.

Eodem anno MCCCCVI. in Ecclesia *S. Francisci* 1406. Niciensi, exhumatum est, jussu *Benedicti XIII.* in sua Obedientia Summi Pontificis, corpus *Michaëlis de Salva Navarri*, Episcopi *Pampilonensis*, & Cardinalis Diaconi tit. *S. Georgii ad Vellus aureum*, alterius Cardinalis *Martini de Salva*, Nepotis, qui in Arce *Monœcea* excesserat è vivis, translatumque ad Cœnobium Avenionense *S. Mariæ de bono passu.* Ea de re confectas publicas tabulas in tabulario Minorum Conventualium *Niciensium* asservatas hic proponimus:

B

*IN Christi nomine nati de Virgine Amen. Ex tenore hujus veri, & publici instrumenti, cunctis tàm præsentibus, quàm futuris sit notum, & appareat manifestum. Quòd anno à Nativitate ejusdem Christi Millesimo quatercentesimo, sexto, Indictione decima quarta, & die vigesima prima mensis Octobris, Pontificatus verò Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri,* D. Benedicti, *divina providentia, Papæ* XIII. *anno decimotertio, in mei Notarii publici, & testium infrascriptorum, ad hæc vocatorum specialiter, & rogatorum præsentia, exi-*
C *stentes, & personalitèr constituti Venerabiles, & Religiosi Viri Fratres,* Franciscus *Prioris de* Nicia *Guardianus Fratrum Minorum Conventualium* Niciæ, *pro se, & dicto Conventu ex una, &* Albertus *Clerici Ordinis Cartusiensis Procurator, & Procuratorio nomine Monasterii, seù Conventus* Boni passus *Religiosorum Virorum Dominorum Prioris, & Conventus domus de* Bono passu *dicti Ordinis Cavallicen. Dioc. pro se, quantùm eum infrascripta tangunt, & dictis Priore, & Conventu de* Bono-passu *ex parte alia. Eædem partes dictis nominibus dixerunt, atque spontanea voluntate sua confessæ fuerunt: Cum nuper corpus Bonæ memoriæ Reverendissimi in Christo Patris, & Domini,* D. Michaëlis *tit.* S. Georgii ad Vellum aureum *Diac. Cardinalis* Pampilonensis *vulgariter nuncupati, qui dies suos finiverat in Monacho* Nicien. *Diœces. Domino nostro Papa inibi tunc residente, repositum extitisset, ac sepultum in dicto Conventu Fratrum Minorum* Niciæ, *sub spe recuperandi ossa, pro transferendo alibi, pro, de voluntate, & ad mandatum dicti Domini nostri Papæ, & ex præcepto per discretum Virum* Hugonem Novelli 192 *ipsius Domini nostri Papæ Cursorem, & ex parte ejusdem Domini nostri, Frater dictus Guardianus, & Conventus Minorum, ipsi, tanquam Filii obedien-*
E *tiæ, hujusmodi ossa, in præsentia fide dignorum testium, solemniter exhumaverunt de proprio loco, ubi dictum corpus fuerat sepultum, & tradiderunt dicto Fratri* Alberto Clerici, *ad transferendum ad* Cartusiam *Boni passus &c. Acta fuerunt hæc* Niciæ *in carreria publica appellata* del Malonat *præsentibus inibi discreto Viro Religioso* F. Bernardo. . . *Priore Domus Cartusiensis Conv. Castren. &* Durando de Colmarzo *Clerico Notario publico Claromontem. Diœces. testibus.*

*Garzias de Bavares* Clericus, Pampilonen. Dioc. Not.

Addit *Ciaconius* eadem comprobans inscriptum tu-
F mulo hujusmodi Epitaphium.

HIC JACET REVERENDISSIMVS PATER MICHAEL DE LA SALVA LEGVM DOCTOR NATIONE NAVARRVS, S. GEORGII AD VELVM AVREVM DIACONVS CARDINALIS. OBIIT APVD MONACHVM NICIENSIS DIOECESIS DIE XVI. AVGVSTI, ANNO MCCCCVI. ET FVIT NEPOS DOMINI MARTINI CARDINALIS PAMPILONENSIS VVLGARITER NVNCVPATI, IN HAC CAPELLA ETIAM SEPVLTI, QVORVM ANIMAE REQVIESCANT IN PACE AMEN.

Eadem in addition. ad Ciacon. *Ferdinandus Ughellus.*

Cœterum *Benedictus XIII.* aliquo tempore *Niciæ* commoratus, quò, *Massiliâ*, ac postmodum ex Insulâ *Lerinensi* discedens, appulerat, in *Villæfrancæ* portu aliquibus diebus subtitit, consentiente, qui tunc summam rerum moderabatur, *Amedeo* Septimo *Subauaiæ* Duce *I.* indè *Savonam*, ut de concordia cum *Gregorio XII.* ageret, *Venerisque Portum*, navigaturus. *Philib. Pingon. in Amed. VII. Ciaconius*, *aliique*.

L.

1408. LUDOVICUS sedebat post *Franciscum* anno circitèr MCCCCVIII. at paulò post videtur fuisse vita functus. *M. S. authentica*, *Archiv. S. Franc.*

1409. Anno MCCCCIX. I. Maji consecratur, eâ, quâ nunc est, formâ, instaurata Ecclesia Cathedralis *B. Mariæ*, pro cujus instauratione, *Martinus* Papa *V.* concesserat Canonicis postulantibus portiones ex legatis, & restitutionibus incertis. *Arch. Eccles. Cathed.*

LI.

1410. JOANNES VI. curante Nobili *Petro Martini* Cive *Niciensi*, Ecclesiam *S. Francisci* in ampliorem formam redactam sacravit anno MCCCCX. Hujus *Petri Martini* impensis, prægrandis illa, & multorum Sanctorum imaginibus insignis icon constructa est, quæ visitur in ejusdem Ecclesiæ Choro, à *Joanne de Francino* de *Pinairolio* celebri ejus ævi Pictore. *Marmorea inscriptio*, & *Arch. Conv. S. Franc.*

LII.

ANTONIUS Patriâ *Bellicensis*, quæ est Urbs in *Beugesio* Episcopalis sub Metropoli *Vesontionensi*, à *Martino V.* Summo Pontifice anno
1422. MCCCCXXII. *Niciensi* cathedrâ donatus, eidem per aliquod breve tempus præfuit, verùm ab eo-
193 dem *Martino* ad Patriæ suæ *Bellicii* infulas postmodùm translatus est. *Ex litt. Mart. V. in Arch. publ. Civit.*

Eo anno, die ultima Novemb. exordium habuit Venerabile sodalitium *B. Mariæ* dictæ *de Misericordia*, cui in Ecclesiâ *S. Reparatæ* erigenda, *Ludovicus Azo* Abbas, *Franciscus Cravi* Prior S. Blasii, *Bertrandus Goyani* Prior S. Reparatæ, *Jacobus Graglieri* Vice Prior Claustralis, ac reliqui Monachi *S. Pontii* locum cessere, recipientibus *Giraudo Boccoleni*, & *Tropeto Macarii*, suo, & Confratrum nomine. In eadem *S. Reparatæ* Ecclesiâ adhuc eadem Societas magno totius Urbis commodo, & virtutis exemplo operibus Misericordiæ intendit; undè eam non solum Summi Pontifices, communicatis privilegiis Societatis Florentinorum *S. Joannis Decollati* de Urbe, sed etiam Serenissimi *Sabaudiæ* Duces egregiis, ac specialibus privilegiis decorarunt. *Archiv. ejusdem Sodalitii.*

LIII.

HAYMO Civis *Gratianopolitanus* Nobili genere ortus, in Decretis Licentiatus, ac Prior Prioratus de *Cassiano*, Ordinis *S. Augustini*, Biterrensis Diœcesis, ab eodem *Martino* V. anno eodem MCCCCXXII. sui Pontificatus Quinto, *Niciensibus*
1422. Episcopus datus est. Pontificii diplomatis exemplar hujusmodi invenimus.

Martinus *Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Populo Civitatis*, & *Dioc.* Nicien. *salutem*, & *Apostolicam benedictionem*.

*Apostolatus officium, quamquàm insufficientibus meritis, nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini præsidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur, & solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores præficere studeamus, qui commissum sibi gregem Dominicum*
A *sciant non solùm doctrinâ verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, Duce Domino, salubriter regere, & feliciter gubernare. Dudùm siquidem provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium, ex tunc in anteà vacaturarum, per translationes de Prælatis earum ubilibet constitutis per nos faciendas ad alias Ecclesias Cathedrales tunc vacantes, ordinationi, & dispositioni nostræ duximus reservandas, decernentes irritum, & inane, si secùs super iis, per quoscunque, quavis authoritate, scientèr, vel ignorantèr contingeret attentari. Postmodùm verò Ecclesia* Niciensi *ex eo vacante;*
B *quòd nos Venerabilem Fratrem nostrum* Antonium Bellicensem, *tunc* Niciensem *Episcopum, licèt absentem, à vinculo, quo eidem Ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio, Apostolicæ potestatis plenitudine, absolventes, ipsum ad Ecclesiam* Bellicensem *tunc vacantem duximus authoritate Apostolicâ transferendum, præficiendo eum eidem Ecclesiæ* Bellicensi *in Episcopum, & Pastorem. Nos ad provisionem ipsius Ecclesiæ* Nicien. *celerem, & felicem, de quâ nullus præter nos eâ vice se intromittere potuerat, sivè poterat, reservatione, & decreto obsistentibus supradictis, ne Eccle-*
C *sia ipsa* Niciensis *longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & sollicitis studiis intendentes,* 194
*post deliberationem, quam de præficiendo eidem* Niciensi *Ecclesiæ personam utilem, & etiam fructuosam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad dilectum filium* Aymonem *electum* Nicien. *tunc Priorem Prioratus* de Cassiano *Ord.* S. August. *Biterrensis Diœcesis, Licentiatum in Decretis, de Nobili genere procreatum, & in Sacerdotio constitutum &c. providimus. &c. Datum* Romæ *apud* S. Petrum *XII. Cal. Maji Pontificatus nostri anno quinto.* Ex Arch. publ. Civ.

D LIV.

LUDOVICUS BADATUS hujus nominis II. Nobilis Civis *Niciensis*, ex Abbate S. Pontii, *Niciensis* Episcopus factus est. Sedebat anno MCCCCXXVIII. usque ad MCCCCXLV. In Synodo 1428.
*Florentina* coram *Eugenio IV.* ac postmodùm in Synodo *Basileensi* contrà Religiosos, Ecclesiæ Cathedralis jura usurpantes, rescripta obtinuit. Sub ejusdem Præsulis regimine *Gulhermus Felicis* in sua obedientia Papæ V. Legatus à latere, ac in Provincia *Provinciæ* Vicarius Generalis, *Niciæ* existens, declaravit, Cameræ Apostolicæ nullum deberi spolium super bonis Canonicorum *Nicien-*
E *sium* defunctorum, utpotè Regularium. Hujus porrò Præsulis obitum consignat vetus mortuarium 19. Junii incerto anno. *Archiv. Eccles. Cathed.*

Anno MCCCCXLII. in Templo Fratrum Mino- 1442.
rum *Niciensium*, solemni ritu, multa altaria consecrantur. Extat eâ de re monumentum hujusmodi: *Anno Domini M.CCCC.XLII. & die XXVIII. Mensis Decembris Noverint universi præsentes pariter, & futuri, quòd nos* Raimundus *divinâ gratiâ Episcopus* Sulcitanus *in* Sardinia, *Ordinis Fratrum Minorum, benediximus, & conse-*
F *cravimus altare* S. Antonii de Paduâ, *infrà Ecclesiam dictorum Fratrum Civitatis præsentis* Niciæ, *demùm subsequentèr die crastina, altare* S. Laurentii. *& alio die, altare undecim millium Virginum, & decem millium Martyrum. & alia altaria, videlicèt* S. Francisci, *Annunciationis Virginis gloriosæ, Apostolorum* Petri, *&* Pauli, B. Mariæ *retrò portam dictæ Ecclesiæ*, B. Mariæ *Capellæ Sardinorum retrò Chorum*, S. Joannis, & Ludovici *cùm consecrassemus, sicut in omnibus signa, quòd consecrata fuerunt, faciendo respici, reperimus, scilicèt Reliquias Sanctorum in Columnis conditas, & in testimo-*

*monium veritatis, hanc cedulam scribi jussimus, & propriâ manu nos subscripsimus, & sigillum Episcopale cum nostris armis, quo utimur, apponi fecimus.*

## L V.

HAYMO PROVANA hujus nominis II. na-
1446. tione *Pedemontanus*, ex Dominis *Lainiaci*, Decretorum Doctor Ord. *S. Benedicti*, anno MCCCCXLVI. præerat Ecclesiæ *Niciensi*, in qua XIV. circitèr annis vixit.

1459. Anno MCCCCLIX. die penultima Augusti, *Haymo* Episcopus transegit cum Consulibus *Niciensibus*, prò decimis.

1460. Iterùm sequenti MCCCCLX. idem *Haymo* Præsul, *Antonius Badati* Præpositus, *Joannes Blanqui* Archidiaconus, *Joannes Columbi* Præceptor de Fenestris, *Paulus Grassi* Prior de Isia, *Bessius de Nono* Præcentor, *Guillelmus Michelotti* Sacrista, *Joannes Laugerii* Prior Villæveteris, *Rostagnus Pondole* Prior S. Jacobi, *Petrus Cais* Prior de Leven-
195 tio, *Petrus Caroli*, & *Baptista de Solario* Canonici pepigerunt cum Consulibus *Petro Badati*, *Petro Busquete*, *Ludovico Arnaudi*, & *Antonio Robaudi*, ac *Francisco Jofredo* J. U. D. Assessore, & *Constantino Andree* in Decretis Licentiato, pro eisdem rebus decimabilibus. *Arch. publ. Civit. & Eccles. Cathed. Franc. A. ab Eccles.*

## L VI.

HENRICUS III. olim *Aconensis* Episcopus, *Haymonem* subsecutus est, ex provisione *Pii II.* Summi Pontificis: attamèn ipso Episcopatus ex-
1461. ordio, anno MCCCCLXI. videtur cessisse è vita. *Archiv. publ. Civitatis.*

Hoc anno MCCCCLXI. constructum fuit Cœnobium *S. Crucis*, Minorum *D. Francisci* de Observantia, *Pauli III.* Summi Pontificis, sequenti sæculo, celebratum hospitio; de quo dejiciendo, non nemo perperàm scripsit, multo anteà, anno scilicet MCCCCVI, dùm *Niciæ* adesset *Benedictus XIII.* actitatum. Id porrò sumptibus publicis *Nicienses* ædificarunt, loco dicto [*au Carme Vuiell*] annitente *Anna de Lusignano* Ducissæ *Sabaudiæ*, & recipiente vice Ordinis *F. Francisco de Ravennâ*. Hâc super re hujusmodi ad *Nicienses* litteras expedivit:

Anna ex Regalibus Cypri, Ducissa Sabaudiæ, &c.

U*Niversis serie præsentium facimus manifestum, quòd cum Sanctissimus Dominus noster* Pius *Papa* Secundus *nobis licentiam contulerit, duos Ordinis* S. Francisci *de Observantiâ erigendi, fundandi, & stabiliendi, ubicunque voluerimus, in Ditione Ducali, Conventus, constantibus de præmissis gratiis, litteris Apostolicis, debitè, ut convenit, cordono serico impendenti, plumbatis, & signatis, ac munitis solemnitatibus in talibus fieri consuetis, quarum tenor sequitur, & est talis:*

Pius *Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri* Annæ de Cypro, *Ducissæ* Sabaudiæ, *Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

I*Nter cœtera desiderabilia cordis nostri &c. Datum* Bononiæ *Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIX. Septimo Id. Maji Pontificatus nostri Anno Primo.*

Joannes Baptista. A. de Qusspero.

*Hinc est, quòd nos supplicationi Benedilectorum nostrorum, Hominum, Consulum, & Communitatis Civitatis* Niciæ, *super iis nobis factæ, signatè contemplatione Venerabilis Fratris* Georgii de Plozascho, *Præceptoris* Vercellarum, *Gubernatorisque dictæ Civitatis* Niciæ, *necnon* Carloni *ex Comiti-*

A *bus* Vintimilii, *& ex Dominis* Brigæ, *qui præmissis ergà nos sedulè intercesserunt, benignitèr inclinata, præfatis Hominibus, & Communitati dictæ Civitatis* Niciæ, *authoritate, ut præfertur, super hoc concessâ, licentiam, & facultatem concedimus per præsentes, unum Conventum dicti Ordinis, infrà, vel extrà mœnia dictæ Civitatis, loco congruenti, & honesto, erigendi, creandi, fundandi, sub, & cum honoribus, privilegiis, & indultis, in dictis litteris Apostolicis latiùs descriptis; ità quòd fundationem hujus Ordinis incipere debeant hinc ad unum annum ad tardiùs, & indè ad illam complendum diligenter, &
B sollicitè intendere, quantum fuerit possibile, has litteras nostras eisdem in testimonium concedentes Datas in Monte* Calario *Die XVII. Aprilis Anni Domini M.CCCC.LX. Per Dominam, præsentibus Dominis A. ex Marchionibus Romagnani Cancellario. De* 196
*Duyno Domino Vallesiæ. Bollomer.* Arch publ Civit. *Paulus Brit.* in Monum. Seraph. Prov. S. Ludov.

## L VII.

BARTHOLOMÆUS CHUETTI oriun- 1462.
dus ex *Sabaudiâ*, seù veriùs ex *Delphinatu*, ab eodem *Pio II.* Episcopatum *Niciensem* accepit, anno MCCCCLXII. XVII. Cal. Maji. Hic cunctis sæ-
C culis, ob beneacta, celebrandus Præsul, diutiùs, per triginta novem scilicet annos, *Niciensem* rexit Ecclesiam, atque insuper, postulante Domina *Yolante* Ducissâ *Sabaudiæ*, Monasterii *S. Pontii* anno MCCCCLXXIII. à *Sixto IV.* Summo Pontifice, Abbas Commendatarius factus est. *Arch publ. Civit. Eccles. Cathed. Mon. S. Pontii.*

Anno MCCCCLXVII. Julio mense, laborante *Ni*- 1467.
*ciensi* Urbe morbo epidimiæ, *Antonius Badati* Præpositus, cernens Canonicos ad duodenarium numerum redactos, qui olim quatuor, & viginti numerabantur [refero quæ tunc fuere, de Canonicorum numero, publicis tabulis consignata] ab-
D dicavit se administratione bonorum, & redituum Capituli, quæ hactenùs penès Præpositum fuerat. *Arch. Eccles. Cathedralis.*

Fratrum *S. Augustini* Niciensium Cœnobium 1472.
anno MCCCCLXXII. vetus institutum amplectitur, ac in arctiori observantiâ reformatur, Authore *F. Jo. Baptistâ à Genuâ*, ex cujus nomine dicti sunt, *Baptistini*, qui adhùc *Genuæ*, in *S. Mariæ de Consolatione*, alibique, ejus Congregationis institutum arctiùs profitentur, quod tamen apud *Nicienses* jam in desuetudinem abiit. Idem eodem pio Viro curante præstiterunt *Oneliæ* Conventus, ac
E Tendæ. *August. Justinian in Annal. Genuen. Marian. de Grimaldis in Sanctuar. Genuen.*

*S. Crucis*, Fratrum de Observantiâ, Ecclesiam, sumptu publico ædificatam, *Bartholomæus* Epi- 1474.
scopus sacravit, die quintâ Maji, anno MCCCCLXXIV. dùm ab eisdem Fratribus Capitulum Provinciale ibidem celebraretur, duodennio videlicèt, postquàm eidem Cœnobio extruendo principium factum est. *Ludov. Revelli in veter. Monumentis.*

Eodem ritu *S. Dominici* Templum anno MCCCC- 1482.
LXXXII. XXI. Septembris, ampliori formâ perfectum, consecratur, sumptibus Nobilis *Christophori Jofredi*, Cosmæ Filii, qui eidem Ecclesiæ insignes est eleëmosynas elargitus, erexitque ibi-
F dem elegans *D. Mariæ Magdalenæ* Sacellum, quod nunc hæreditario jure Nobilibus Capellis Civibus Niciensibus cessit. *Archiv. FF. Prædic. & Inscriptio in Templo S. Dom. M. S. authen.*

In hoc Divi *Dominici* Templo, per hos annos, mirabile quid, eique, quod *Parisiis*, præsente *S. Brunone*, acciderat, persimile, contigisse refert F. Michaël Pió, *lib. I. cap. LI. Histor Ord. Præd.* ex *Ambrosio Taegio* 6. par. Cùm enim defuncto cuidam Magistro in Theologiâ, exequiæ, de more, publicè celebrarentur, surgens ille è feretro, in quo

quo jacebat, horribili voce exclamavit: *Damnatus sum*, quo audito, cum omnes propemodùm, qui aderant, metu correpti difugissent; percunctantibus ex eo paucis, qui remanserant, ejus infortunii caussam: *Meo judicio*, inquit, *vestroque exemplo damnatus sum, ob vitium proprietatis; &*
197 *nullus est, qui me ex hoc æterno supplicio possit eruere:* his dictis iterùm in feretro jacere est visus.

1483. Anno MCCCCLXXXIII. *F. Ludovico Terreni*, S. Francisci Ecclesiam, ex piorum eleemosynis, vetere collapso, novo fornice instauravit. *Inscriptio in Eccles. S. Franc. M. S. authen.*

Sed ut ad *Bartholomæum* Præsulem revertar,
1499. postquàm anno MCCCCXCIX. cum Consulibus *Niciensibus*, eas, de quibus olim sæpiùs fuerat actitatum, atque pactum, decimas stabilisset, ad sartatecta Ecclesiæ Cathedralis, ac divini cultus ornatum animum intendit. Insculptis enim, ære suo, Christi Domini, ac duodecim Apostolorum iconibus, singulis Ecclesiæ columnis appendi voluit, ac, ut antè illa, venerationis ergò, in solemnioribus anni festis, cereæ faces accenderentur, recipiente, nomine Capituli, *Matthæo Laugerio* Canonico Sacristâ, reditus perpetuos deputavit. Idem in Abbatiali suâ *S. Pontii* Ecclesiâ actum voluit. Eandem præstereà Ecclesiam Cathedralem non solùm ex parte instauravit, sed etiam pulcherrimum in illa Sacellum, non minùs annuis proventibus, quàm insignibus Christi Domini, *B. Mariæ*, *SS. Joannis Baptistæ*, *Bartholomæi*, aliorumque Sacris Reliquiis exornatum, Divo *Bartholomæo* Apostolo dedicavit. In eo, ut commodiùs Missarum Sacrificia, ac Divini Officii laudes peragerentur, sex Sacerdotibus in commune viventibus peculiaria statuta, à Sede Apostolica approbata conscripsit. Idem *Bartholomæus* Sacristiam Ecclesiæ Cathedralis, non modò argenteis multis signis [quod etiam in *D. Bartholomæi* Sacello effecerat] vasisque ad divinum cultum pretiosissimis, sed sacrâ etiam omnis generis supellectile locupletavit, eâ præsertim, quâ Episcopi utuntur Pontificalia exercentes: addiditque sibi, & Canonicis affabrè facta in Choro sedilia, ac in Ecclesiâ organorum sublime resonantium fistulas: ac, ut uno verbo dicam, divino semper intendens cultui, ut bonum Ecclesiæ Præsulem decet, Ecclesiasticos reditus non sibi, aut Consanguineis, sed Pauperum subsidio, Ecclesiarum ornatui impendit; multaque alia piè fecit, quæ hujus epitomes angustiis complecti nequeo. Postquàm autem multis annis præfuisset Ecclesiæ *Ni-*
1501. *ciensi*, defunctus est anno Christi MDI. die XII. Julii, ac in eo, quod extruxisse diximus, S. *Bartholomæi* Sacello est tumulatus. *Archiv. Sacelli S. Bartholom. Ecclesiæ Cathed. Mon. S. Pontii, Civitatis Niciens.*

LVIII.

JOANNES URIOLUS aliàs *Orcoli*, Viennâ in *Delphinatu* oriundus, *Bartholomæo*, tàm in *Niciensi* Episcopatu, quàm in *S. Pontii* Abbatiâ successit, fuitque hujus nominis VIII. vivebat anno
1503. MDIII. vel MDIV. non autèm MCCCCXCV. ut mendose legitur in Catalogo *Martinengi*. De ejus gestis pauca admodum nancisci licuit.

LIX.

AUGUSTINUS FERRERIUS Bugellensis, *Bonifacii Ferrerii*, de quo infrà, Cardinalis Frater, *Julii II.* Summi Pontificis Cubicularius,
198 *S. Stephani* Rodobii Præpositus, ac multarum in *Pedemonte* Abbatiarum Commendatarius, *Niciensis* Præsul factus est, quam Ecclesiam rexit usque
1511. ad annum MDXI. quo tempore, *Niciensi* Episcopatu dimisso, ad *Vercellensem* transfertur. *Martinengus*, *Aug. ab Eccles. in Catal. Episcoporum Nicien. aliique.*

A LX.

HIERONYMUS ARSAGUS, sive *de Arsago* Mediolanensis, Ord. *S. Benedicti*, Abbas *Bremetensis*, cum anno MDXIV. præesset Ecclesiæ *Ni-* 1514
*ciensi*, à *Leone X.* ad Concilium *Lateranense* accersitus est, eique subscripsit.

Anno MDXVII. longe degente, in eadem *La-* 1517.
*teranensi* Synodo, Episcopo *Niciensi*, per Reverendiss. *Antonium Barraji* Episcopum in partibus celebratur consecratio Ecclesiæ recens constructæ, *B. Mariæ* Carmelitarum, sumptus præstante Nobili *Petro Busqueto* Patrino; ut vocant.
B *Archiv. Frat. Carmelitarum.*

Idem sequenti MDXVIII. per *Matthæum Lauge-* 1518.
*rium* Canonicum Sacristam, in Ecclesia, seu Oratorio Sodalitii *S. Crucis* præstitum est, quorum institutum à *Genuensibus* jam olim anno MCCCVI. XX. Martii in Cœnobio Fratrum Prædicatorum inceperat. *Monum. Sodal. S. Crucis.*

LXI.

NICOLAUS anno MDXVIII. gessisse *Nicien-* 1518. 1519.
*sem* Episcopatum, & sequenti MDXIX. obiisse perhibetur ab *Aug. ab Ecclesiâ.* Nihil tamen nos de eo nacti sumus in domesticis nostræ Ecclesiæ monumentis.

C LXII.

PHILIPPUS II. statim post *Nicolaum*, eodem anno MDXIX. ad cathedram assumptus est, 1519.
juxtà eundem, qui suprà, Scriptorem *Augustinum ab Eccles.* at de hisce postremis Præsulibus, *Nicolao*, & *Philippo* mirum silentium in tabulis Ecclesiæ Cathed. *Niciensis*. Quamobrem is, qui mox sequitur, *Hieronymus Arsagus*, fortassis idem est cum superiore.



D BONIFACIUS FERRERIUS *Bugellensis*, multarum in *Pedemonte* Abbatiarum Commendatarius, Episcopus *Eporediensis*, ac posteà *Vercellensis*, unde à *Leone X.* Summo Pont. S.R.E. Presb. Cardinalis tit. *Nerei*, & *Achillei* creatus, & ad Episcopatum *Portuensem* assumptus est, perhibetur Episcopatum *Niciensem* per aliquod tempus administrasse. De eo ait *Ludov. Revelli*,
anno MDXXI. die Festo S. Hieronymi, *Niciæ* in 1521.
Templo Divi *Dominici* Sacro solemniter peracto, Serenissimo *Carolo* Sabaudiæ Duci *Beatricem*, Emanuelis Lusitani Regis Filiam, in matrimonium conjunxisse. Obiit *Romæ* anno MDXLIII. men-
E se Januario: inde *Bugellam* delatus. *Ciacon. Ughell. August. ab Eccles.*

LXIII.

HIERONYMUS ARSAGUS, sive hujus nominis, & cognominis II. ut vult *Augustinus ab Eccles.* aliusque à superiore, sive idem adhuc superstes, abdicavit forsitan, & per regressum resumpsit *Niciensem* Episcopatum.

Hic Cathedram ad Ecclesiam *S. Reparatæ* transtulit, pro qua re publicas tabulas hic ex parte adducere operæ pretium fuerit:

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. An-* 199
F *no à Nativitate ejusdem Domini millesimo, quingentesimo, trigesimo primo, Indictione quartâ, cum eodem anno sumptâ, die verò decimâ nonâ mensis Octob. Ex hujusmodi veri, & publici instrumenti tenore universis, & singulis, tàm præsentibus, quàm futuris, fiat, & sit notum. Quòd cum superioribus annis, Illustrissimus Dominus noster, Dominus* Karolus *Sabaudiæ &c. Dux, Comes* Niciæ, *pro bono publico, & sui status tranquillitate, construi, ac de novo ædificari fecerit quoddam Fortalitium, in præsenti Civitate* Niciæ; *& intrà illius muros, & mœnia introclusa fuerit Cathedralis Ecclesia* Nicien-

sis

sis Canonicorum Regularium Sancti Augustini; ob quod, Capitulum, & Canonici eiusdem Ecclesiæ non valent commodè ibidem in divinis deservire, tractatumque fuerit de transferendo dictam Ecclesiam Cathedralem ad Parochialem Ecclesiam S. Reparatæ dictæ Civitatis Niciæ, quæ à Sacro Monasterio S. Pontii Ordin. S. Benedicti propè, & extrà muros dictæ Civitatis dependet, & solita est regi, teneri, & gubernari per unum ex Monachis prædicti Monasterii, qui Prior, seù Rector ejusdem Ecclesiæ vocatus, de illius fructibus, redditibus, & proventibus solitus est disponere prò libito voluntatis, illosque in suos proprios usus convertere: in quâ dicti Domini Canonici, & Capitulum commodiùs, ut prætenditur, in divinis deservire poterunt, quàm in dictâ eorum Ecclesiâ, ut præfertur, introclusa. Cumque in eadem Niciensi Civitate sit quædam alia Parochialis Ecclesia S. Jacobi dependens à Capitulo, & Ecclesia Niciensi prædictis, solita teneri, regi, & gubernari per unum ex ejusdem Ecclesiæ Canonicis, qui Prior, seù Rector nuncupatus, de illius fructibus, & proventibus solitus est disponere, & in suos proprios usos convertere. Tractatumque fuerit, mandato, ac contemplatione præfati Illustrissimi Domini nostri Ducis, tàm per Magnificos Dominos dictæ Civitatis Gubernatorem, & Fortalitii Capitaneum, quàm per Dominos Ludovicum Cayssii, Liontium Carde, Hugonem Gapeani, & Ginetum Barrase Syndicos, & spectabilem Dominum Petrum Larde legum Doctorem, & prædictæ Civitatis Niciæ Assessorem, ac Nobiles Bartholomæum de Grimaldis, Gasparem Flote dictæ Civitatis Niciæ Condefensoros, & Cives, quod dicta Parochialis Ecclesia de S. Reparata detur, & assignetur præfatis Dominis Canonicis, ut ibidèm in divinis commodiùs deserviant, & è converso, dicta Ecclesia S. Jacobi detur, & assignetur, & in omnibus, & per omnia succedat in locum illius S. Reparatæ, habita ratione plurisvalentiæ, & majoritatis Parochiæ dictæ Ecclesiæ S. Reparatæ, taliterque, quantùm fieri poterit, res ad æqualitatem perducatur, ut divinus cultus hinc, & inde celebretur, & non minuatur. Propterea cupientes dictæ partes dictum tractatum ad suum debitum effectum perduci, in omnibus, & per omnia, Sanctissimi Domini nostri Papæ, & Sedis Apostolicæ, ac prælibati Illustrissimi Domini Nostri Ducis beneplacito semper salvo. Congregato Venerabili Capitulo dicti Monasterii S. Pontii, ad sonum campanæ, & in Capitulo dicti Monasterii, ut moris est, de mandato Reverendi Domini Honorati Martelli J. U. D. Abbatis, perpetui Commendatarii, & Administratoris ejusdem Monasterii ibidèm præsentis. In quo quidem Capitulo interfuerunt ipse Reverendus Dominus Abbas, Venerabiles, & Religiosi Viri, Dominus Henricus Co-
200 lumbi Sacrista, Petrus Isoardi Vice Prior, Franciscus Oquini, Petrus Pellicerii, Dominicus de Belmundis, Bartholomæus Ragus, Petrus Moreti, Georgius de Bronera, Simon Maynfredi, Ludovicus Jaucelleti, & Carolus Coperii, Monachi dicti Monasterii S. Pontii, majorem, & saniorem partem Capituli facientes, cœteris Dominis Monachis absentibus, & in remotis degentibus, Capitulantesque, & Capitulum facientes, gratis, & spontè, omnes simul, unanimiter, concorditèr, nemine eorum in aliquo discrepante, & tàm nominibus eorum propriis, quàm aliorum Monachorum, ut suprà, absentium, citrà tamen quorumcunque aliorum Procuratorum suorum, & dicti Monasterii, per eos quomodolibèt hactenùs constitutorum revocationem, omnibus modò, viâ, jure, caussâ, vel formâ, quibus meliùs, tutius, & efficaciùs de jure potuerunt, sciverunt, & debuerunt, fecerunt, constituerunt, creaverunt, & deputaverunt, & solemnitèr ordinaverunt eorum, & dicti Monasterii veros, certos, legitimos, & indubitatos Procuratores, actores, factores, & negotiorum suorum, & dicti Monasterii

A infrascriptorum gestores, Syndicosque, & Yconomos speciales, & generales; ità tamen, quòd specialitas generalitati non deroget, nec è contrà, videlicèt Venerandos, & Egregios Viros, Joannem de Niciâ, Lazarum Tornexii, Franciscum Lamberti Monachum dicti Monsterii, & Barthòlomæum Alberti Romanam Curiam sequentes, & ipsorum quemlibet in solidum; Ità tamen, quòd non sit melior conditio primitùs occupantis, nec deterior subsequentis, sed quod unus ipsorum incœperit, alter eorundem id prosequi mediatè valeat, & firmitèr, ac ad effectum totalitèr perducere; & expresse ad ipsius Reverendi Domini Abbatis, & Venerabilium Dominorum Mona-
B chorum constituentium, vel eorum Monasterii, ac Capituli nomine se præsentandum coram sanctissimo Domino nostro Papa, vel altero ad id potestatem habente, & in suis manibus [in eventum, in quem, prædicti Domini Canonici Regulares, & Capitulum Ecclesiæ Niciensis cedat, & resignet omne jus, omnemque dependentiam ejusdem Dominis Canonicis, & Capitulo competentem in, & super dicta Parochia Ecclesiæ S. Jacobi, ac de eodem jure, ac dependentia, dictis Monachis, qui prò nunc sunt, & prò tempore perpetuò erunt, provideatur, tradaturque, & effectualitèr assignetur eadem Ecclesia S. Jacobi præli-
C batis Dominis Monachis, ad fines & effectus, ut perpetuò uniatur mensæ dicti Monasterii, sic, & talitèr, quòd succedat in locum dictæ Ecclesiæ S. Reparatæ, & deincèps, regatur, & gubernetur per eosdem Dominos Monachos, & de eadem Episcopus, Capitulum, & Canonici prædicti nullo modo se intromittere possint; ac in eventum, in quem dictum Capitulum, & Canonici consentiant, & consensum præstent, quòd carreriæ, & domus in eisdem carreriis sitæ, & situatæ, incipiendo à Portali S. Allodii usque ad domum, & cantonum Egregii Leonardi Guisolis, antè quam venduntur herbæ, & inde à domo Hæredum Magist. Bartholomæi Morel-
D li usque ad Cantonum del Sarrayn, sivè de Dono Giachetto, in quo sita est domus Egregii Isoardi Dragui. Quarum quidem domorum anterior facies respicit meridiem, & perindè aliæ facies domorum respicientium de retrò partem tramontanæ, de longo in longum, tàm à parte interiori respiciente meridiem, quàm posteriore respiciente tramontanam dictæ Parochiæ S. Jacobi, ac sub ejusdem Parochiæ juribus, & emolumentis, modis, & formis infrascriptis, per eandem sedem Apostolicam admittantur; Videlicèt, quòd si contingat aliquas domos infrà dictas carrerias existentes, habere, & facere eorum ingressum, & egressum per dictam carreriam, sivè faciem domorum 201
E respicientem tramontanam, & dictæ domus non prætendantur usque ad aliam partem, versus meridiem, hoc est usque ad carreriam plateæ, sivè Seleyæ, illæ tales domus, & omnes ibidèm habitantes sint, & esse censeantur de Parochiâ S. Reparatæ. Aliæ verò domus, & habitationes, in dictâ carreriâ existentes, de longo in longum, & de alto in bassum, sint, & esse censeantur de Parochiâ S. Jacobi. De quâ quidem Parochiâ S. Jacobi, prædicti Dominus Episcopus, Canonicorum Capitulum, & Rector dictæ S. Reparatæ, qui pro nunc sunt, & in futurum pro tempore fuerint, nullo modo se intromittere possint.
F Et ulterius in eventum, in quem præfati Domini Canonici, & Capitulum prædictæ Nicien. Ecclesiæ, pro majori valentiâ fructuum, & redituum dictæ Ecclesiæ S. Reparatæ, excedentis alios fructus, & reditus dictæ Ecclesiæ S. Jacobi, dent, tradant, & effectualiter expediant Monachis prædictis, annis singulis, in festo omnium Sanctorum, summam quindecim scutorum auri solis, ad signum Regis Franciæ, in bono, perpetuo, & annuo reditu, in litteris Apostolicis desuper conficiendis exprimendo, & designando, & non aliter, aliàs, nec alio modo &c.] petendi, supplicandi, & obtinendi, litterarumque desuper necessariarum, cum clausulis in tali apponi solitis, &

*consuetis*, *confectioni*, *& expeditioni consentiendi*, *& consensum liberaliter præstandi &c. Actum extrà*, *& prope muros* Niciæ *in Capitulo dicti Monasterii* S. Pontii, *præsentibus ibidem Nob.* Georgio de Grimaldis *Cive* Niciæ, *& Venerab. Domino* Joanne . . . . . . . *Capellano de* S. Martino *Nicien. Diœces. testibus ad præmissa vocatis*, *& rogatis.* Isoardus Baudoyn *Not.*

1532. Anno MDXXXII. ab aliquibus piis, & Nobilibus Civibus scilicet *Joanne Badati*, *Andrea Capelli*, *Michaële de Judicibus*, *Ludovico Martelli*, & *Gabriele Capelli*, pro Pauperibus Leprosis, novum Nosocomium, sub invocatione *S. Lazari*, ædificatur; cum vetus, quod propius mare erat, sub eodem *S. Lazari* titulo, ob crebras *Paulonis* fluvii eluviones, damna non modica accepisset. *M.S. Authentica.*

Quam superiùs diximus, de permutandis Ecclesiis, Canonicos inter, ac Monachos *S. Pontii*,
1533. pactio, perfecta est, anno MDXXXIII. XII. Februarii, *Bononiæ*, coram Serenissimo *Sabaudiæ* Duce *Carolo*, qui eò, ut *Caroli V.* Imperatoris coronationi adesset, advenerat, missis iterum à *Hieronymo Arsago* Episcopo *Niciensi*, ac Monachis *S. Pontii* legitimis rei gestoribus. *Arch. Eccles. Cathed. S. Pontii*, *& Carmelitarum.*

1533. Anno eodem MDXXXIII. die VII. Octobris, *Clemens VII.* Pont. Max. stipatus à duabus, & viginti triremibus, in quibus vehebantur Purpurati Patres XI. *Portum Herculis Monœci*, seù *Villæ-liberæ* ingressus est, undè, die Jovis sequenti, *Massiliam* versùs navigationem instituit, ubi à *Francisco I.* Christianissimo Rege exceptus est. *Ludov. Revel. in miscel. Paul. Jovius*, *& alii.*

1535. Anno MDXXXV. sub eodem Præsule *Hieronymo Arsago*, in Cœnobio Fratrum de observantia, *S. Crucis*, celebrantur, in festis solemnibus Pentecostes, ejusdem Ordinis Comitia Generalia, ad
202 quæ dicuntur tria millia Fratrum convenisse, qui *F. Vincentium de Lunellis* natione Hispanum, in Generalem Ministrum elegerunt. *M.S. auth. Regist. Capitulor. Fratr. Obser. Ludov. Revelli*, qui oculatus testis ait fuisse inibi plus quàm quingentos Fratres, non verò, quod ajunt alii, tria millia, cujus numeri exiguitatem, præ amplitudine Ordinis jam tùm amplissimi, satis improbabilem crediderim.

Tribus indè annis, videlicet MDXXXVIII. mense
1538. Maji, *Nicæam* venit Summus Pontifex *Paulus III.* unà cum *Carolo V.* Cæsare, ac *Francisco I.* Gallorum Rege, maximis Orbis Christiani Principibus, pacem inter eosdem conciliaturus. Pontifex, ob exortas inter *Nicienses* nonnullas suspiciones, intrà Arcis ambitum non admissus, in Sanctæ Crucis Cœnobio, cum Pontificia aulâ, hospitium elegit. Imperator ex *Hispaniis* maritimâ classe vectus, in *Portus Herculei* Opido est diversatus. *Gallorum* Rex in *Villanovano* prius Opido ultrà *Varum*, ac postmodùm loco dicto *la baumeta* substitit, in agro *Niciensi*. Et quandoquidem inter ipsos Reges firma pax obtineri non potuit, inducias in decennium decreverunt. *Relatio Legati Veneti. Paulus III. in Bull. indict. Conc. Trid. Henric. Spondan. Auctar. epit. Paulus Jov. Honoratus Pastorell. & alii.*

Circà hoc tempus obiisse videtur is, de quo a-
1538. gimus, Episcopus *Niciensis*. Testamentum quidem consignavisse hoc anno MDXXXVIII. XVI. Septembris *Mantuæ*, tabulas testamenti rogante *Joanne Jacobo* Notario *Mantuano*, ac Hæredem suum universalem instituisse Nobilem Virum *Romanum de Arsago*, comprobant authentica manuscripta. Fuisse censetur ultimus omnium, qui vetus Ecclesiæ Cathedralis Beatæ *Mariæ* Episcopium incoluerint, quas ædes etiam, magnâ ex parte, instauravit, ubi etiamnum ejus Gentilitia stemmata, nomenque insculpta aspiciuntur.

Obiit his annis Niciæ *Beatrix* à Lusitaniâ Sere-
A nissimi *Caroli* cognomento *Boni*, Sabaudiæ Ducis Uxor, ejusque Corpus aromatibus conditum, in eàdem vetere Ecclesiâ Cathedrali est tumulatum, in Sacello Divi *Bartholomæi*, ubi etiamnum visitur.

## LXIV.

JO. BAPTISTA PROVANA hujus cognominis II. *Francisci* Senatoris, *Condomini Lainiaci*, & *Mariæ de Aladio* Filius, Protonotarius Apostolicus, Canonicus *Taurinensis*, ac Magnus *Caroli* Ducis *Sabaudiæ* Eleëmosynarius, circà annum
MDXL. ad Episcopatum *Niciensem* assumptus, an- 1540.
B nis octo eidem præfuisse videtur. Hic primis in novo *S. Reparatæ* Episcopali palatio sedem fixit, ubi antiquitùs erat domus *S. Pontii* Abbatialis, pro cujus Ecclesiæ regimine, egregia statuta à Capitulo Canonicorum edi curavit. *Aug. ab Eccles. Archiv. Eccles. Cathed.*

Anno MDXLIII. *Turcarum*, sub *Ariadeno* Pyratâ, ac *Gallorum*, terrâ, marique, obsidionem, 1543.
sub Duce *de Anghien* passa est *Nicæa* Civitas, non minùs viginti duorum dierum spatio, Urbeque demùm captâ, sed numquàm expugnatâ Arce, non solùm ædes privatorum permultæ, immisso
C ab Hostibus, dum festinanter abirent, igne conflagrarunt, sed sacra etiam loca non pauca vorax
flamma labefactavit, plerique insuper utriusque 203
sexus Cives in captivitatem à *Turcis* abducti sunt. Eâ de re sic *Geuffreus* apud *Jo. Bernardum Venerosum* in Genio Ligure: *Barbarussa classem ad* Nicæam *Provinciæ admovet*, *Urbem graviter oppugnavit*, *ac cepit*, *eamque Milites* Turcæ *diripiunt*, *& incendiis deformant* 5200. *captis*, *inter quos* 200. *Virgines Deo consecratæ*, *& præda ducatorum* 60000. *capta.*

Narrantur hoc tempore multa divinitus acta, & mirabilia contigisse; visam aliquandò à *Turcis* ap-
D parentem in sublimi aëre, mulierem humana specie augustiorem, B. Virginem scilicet, antiquissimam *Niciensis* Urbis Tutelarem, ferreas ingentis ponderis pilas, ex *Turcicis* bombardis emissas, à *Nicææ* mœnibus avertentem, atque in ipsos Barbaros retorquentem. Quin immò impium cujusdam Militis *Turcæ* factum eadem B. Virgo miraculo vindicavit. Aditâ is *B. Mariæ Gratiarum* Ecclesiâ, quæ est propè *Herculis Portum*, ubi nunc Fratrum Capuccinorum Monasterium, plumbeam pilam in oculos statuæ ejusdem intemeratæ Virginis, per contemptum, ex sclopo emisit: nec impunè
E cessit sacrilego militi audax factum, nam ex eàdem statuâ, quasi quâdam contrariâ vi eadem glans plumbea repercussa, in alterum ex ipsius *Turcæ* oculis reflexa est, eumque protinùs, acerbo vulnere, excæcavit, in evidens prodigii testimonium. Factum narravit *R. D. Antonio Camosso* Caudærasæ Priori olim in *Turcicis* triremibus catenato, dum aliquando ad *Eubœam* Insulam devenisset, idemmet, cui id contigerat, *Turca*, eodem adhuc captus oculo, ut refert *F. Cherubinus* à Niciâ in Relatione ejusdem Cœnobii *S. Mariæ gratiarum.* De eâ obsidione scripsere *Paulus Jov. in Historiis*, *Joannes Botterus in Carolo III. Duce*, *Spondanus in Auctar. Jofredus in Chron. Hon. Pastorell. & alii multi.*

F Sævierunt autem in primis impii, ac Barbari Milites, in *S. Crucis*, Fratrum de Observantiâ Cœnobium; quamobrem, ut ad locum tutiorem reducerentur Religiosi, diruto à fundamentis adeò illustri Monasterio, ipsâque elegantis formæ Ecclesiâ, cum nondùm ex primâ fundatione integrum sæculum defluxisset, ad Ecclesiam *B. Mariæ Cemeliensis*, juris, ab antiquissimo tempore, *S. Pontii* Monachorum, ex privilegio Apostolico, sunt translati; non sine publico luctu Civium, qui *S. Crucis* Ecclesiam, ac ejusdem Religiosas ædes, publicis impensis olim, ut diximus, erexerant.

*Arch.*

*Arch. publ. Civit. Paul. Britius in Seraph. Monum. Prov. S. Ludovici.*

Hæc omnia sub *Joannis Baptistæ Provanæ* Præsulatu contigisse verosimile est, qui postquàm Boni Pastoris implevisset officium, & Cathedralem *S. Reparatæ* Ecclesiam, multâ, ad divini cultus ornatum, supellectile decorasset, dùm aliquandò *Vercellis* degeret, vitâ functus est, Anno Christi
1548. MDXLVIII. XI. Septemb. *vetus mortuarium Ecclesiæ Cathed.*

LXV.

HIERONYMUS DE CAPITE FERREO Nobilis *Romanus*, Patrem *Recinetensem* ex *Ciaconio*, ac *Bernardinam de Capite ferreo* Matrem ha-
204 buit, ex nostris domesticis monumentis. Initio inter familiares *Clementis VII.* ac *Pauli III.* adscitus est. Et quidem in solemni *Pauli III.* coronatione primus Conservator Urbis electus, eleganter coram ipso, quam Pontifex summè laudavit, recitavit orationem.

Indè Thesaurarius, ac Datarius Apostolicus ejusdem *Pauli III.* à quo ad *Lusitanos* ac anno MDXLI. ad Regem Galliæ *Franciscum I.* Nuncius, posteà *Æmiliæ* Legatus, ac demùm S. R. E. Diac. Cardinalis creatus est die XXVI. Augusti, anno MDXLV. sub tit. *S. Georgii in Velabro.* Inter cœtera autem hic Cardinalis, quem enituisse magnâ, in rebus gerendis, prudentia, ac corporis, & fortunarum damna passum esse ob fidelem navatam operam scripsit *Andreas Victorellus*, Niciensem, incerto mihi anno, Episcopatum obtinuit, additis, pen-

A sionis jure, nummis aureis 100. super *Niciensi* Præpositurâ, qua tunc temporis *Joannes de Provanis* gaudebat. Ejus autem in *Niciensem* Episcopum inauguratio videtur contigisse, non anno MDXLII. quo adhuc in humanis degebat *Jo. Baptista Provana*, sed circa MDXLIX. Obiit autem *Romæ* Calendis Octob. anno Christi MDLIX. in Templo *B. Mariæ de pace* sepultus, relictâ superstite, ac hærede *Bernardinâ* Matre. 1549.

Ex quo anno uno, aut altero, non ampliùs, gessisse infulas *Nicienses*, quis arguat, ex cessione videlicet, quandò, anno MDL. alius Præsulis nomine, ejusdem Ecclesiæ tabulæ consignantur,
B *Philippi* videlicet.

LXVI.

PHILIPPUS III. cujus cognomen, & Patriam *Aug. ab Ecclesia* reticet, circà MDL. infulis *Niciensibus* est ornatus. De eo nihil admodùm nancisci licuit in iis, quæ ad manus nostras devenere, monumentis. 1550.

LXVII.

FRANCISCUS LAMBERTUS, II. ejus nominis, Patriâ *Chamberiacensis* in Sabaudiâ, *Philiberti*, & *Philippæ de Lotherio* Filius, *Petri Lamberti* Episcopi *Maurianensis* Frater, ac alterius *Pe-*
C *tri Lamberti* Episcopi *Casertensis* agnatus, à *Paulo III.* extremo sui Pontificatus anno, scilicet MDLII. gregi *Niciensi* præpositus, sedulò demandatum sibi munus est executus. Ejus gesta marmoreæ tabulæ juxta marmoreum ipsius simulacrum inscripta huc affero: 1552.

D. O. M.

FRANCISCVS LAMBERTVS CHAMBERIACENSIS EPISCOPVS NICIENSIS, QVI POSTQVAM ROMAE, REFERENDIS SVPPLICIBVS LIBELLIS, IN VTRAQVE SIGNATVRA, PAVLO III. AC IVLIO ITEM III. PONTIFICIBVS MAXIMIS, PLVRES ANN. OPERAM NAVARAT, AB IPSO PAVLO HVIC POPVLO NICAENO, IN EPISCOPVM PRAEFECVS, SPIRITVALI EIVS REGIMINI, IAM ANNOS XXXII. INCVBVIT; LEGATIONEQVE INTEREA, PRO STRENVO PRINCIPE SVO EMANVELE PHILIBERTO SABAVDIAE DVCE INVICTISS. APVD VENETOS BIENNIO HONORIFICE FVNCTVS, SACRO MOX GENERALI TRIDENTINO CONCILIO ADFVIT. NVNC LXV. ANNVM AGENS, ET INFIRMVS EX GRAVI, ET DIVTVRNO MORBO, IDEO NOVISSIMA SVA MEMORANS, HVNC SIBI LAPIDEM IN SEPVLTVRAM PONI LVDOVICO BALDVINO EIVS VICARIO MANDAVIT, HIC IN FIDE, ET SPE MORTVORVM RESVRRECTIONEM EXPECTATVRVS, ET VITAM AETERNAM. TV VERO PIE LECTOR, SI NON ELEEMOSINIS, AT SALTEM TVIS AD DEVM PRECIBVS, ILLVM IVVA. ANN. REDEMPT. N. M. D. LXXX. III. MENS. AVG. 205

Ipso ejus Episcopatus initio, non immemores Cives *Nicienses*, Beatæ Virginis potissimùm patrocinio, pulsos, fugatosque sævissimos Hostes *Turcas*, ac *Gallos*, conceptum votum, grati ani-
D mi ergò, eidem Virgini posuerunt, ibidem Sacellum erigentes, ubi acrior eorundem Hostium conflictus extiterat; inscriptis, ad æternam rei memoriam, in lapide his verbis:

DIVO CAROLO III. SABAVDIAE DVCE, SVBALPINOR. PRINCIPE, NICIAE COMITE. ANNO M. D. XLIII. NICIA A GALLIS, ET TVRCIS, TERRA, MARIQVE OBSESSA, IN ACERRIMO VTRIVSQVE INIMICORVM EXERCITVS AGGRESSIONIS CONFLICTV, MIRA DEI OPT. MAX. GRATIA, EIVSDEMQVE MATRIS INTEMERATAE MARIAE PIIS PRECIBVS, VIRILITER REPVLSIS HOSTIBVS, XVIII. KAL. SEPTEMB. EIDEM VIRGINI, SACRO TOTIVS CLERI, DECVRIONVMQVE SCITO, ANNVIS SVPPLICATIONIBVS AMBVRBIIS DECRETIS, SACELLVM HOC OMNIP. DEO, DEIPARAEQVE VIRGINI IN COELVM ASSVMPTAE DICATVM ANNO M. D. LII.

1555.

Sed ut ad *Franciscum Lambertum* Niciensem Præsulem revertar: Anno MDLV. sub ejus auspiciis, Fratres Capuccini, qui jam antè annum MDLII. extrà *Niciæ* mœnia Monasterium ædificarant, Ec-
E clesiam inibi sitam *D. Bartholomæi* instaurant, in quorum gratiam idem Episcopus sequens diploma edidit:

*P. Jofredus.* N 2 FRAN-

FRancifcus Lambertus *Dei, & Apoftolicæ fedis gratiâ, Epifcopus* Nicien. *& Comes. Univerfis, & fingulis Chrifti Fidelibus, quibus præfentes pervenerint, notum facimus, & manifeftum, quòd corruente, propter ejus antiquitatem, Ecclefiâ rurali fitâ in præfenti territorio Civitatis* Niciæ, *& in* Campolongo, *fub titulo Beati* Bartholomæi, *dependens à Monafterio* S. Pontii *extrà muros ejufdem Civitatis, humiliter requifiti, parte Venerabilium Fratrum,* Francifci Januenfis *in facrâ pagina Magiftri,* & Guardiani, Petri de Nicia *Vicarii,* Simonis de Cofta, Antonii Gardareti, Cherubini Saonenfis, Michaëlis de Sarravale, Archangeli de Gavio, Pantaleonis de Vafino, Marini Sicilienfis, *ac* Jacobi Januenfis *Religioforum* B. Francifci *Capuccinorum, præfentaliter obtinentium eandem Ecclefiam, ex Monachorum ejufdem Monafterii confenfu, & beneplacito, pro divinis inferviendis, & celebrandis; quatenùs novam Ecclefiam, juxtà, & prope ipfam Ecclefiam antiquam, attentâ ipfius ruinâ, erigi, conftrui, & de novo ædificari permittere dignaremur, & licentiam illis concedere, ac Crucem in areâ ædificii erigere, locumque, & primum*
206 *lapidem benedicere, fecundùm facrorum Canonum, & Sanctæ Matris Ecclefiæ ftatuta, & ordinationes. Propereà eorum fupplicationibus inclinati, cupientes in hac parte devotionem Populi augere, dictam Ecclefiam fub eodem titulo* S. Bartholomæi, *& cum dependentia ab eodem Monafterio, conftrui, erigi, & ædificari, falvis juribus Parochialibus, faciendi, plenam, & liberam, authoritate noftra, licentiam, & facultatem concedimus, & elargimur. Atteftantes, nos ad eundem locum* S. Bartholomæi, *die ultima Novembris, acceffiffe, & locum benedixiffe, Crucem erexiffe &c. Datum* Niciæ *die ultima menfis*
1555. *Novembr. Millefimo, quingentefimo, quinquagefimo quinto.*

 *Milonis* Notar.

In eâ *D. Bartholomæi* Apoftoli Ecclefiâ, religiofiffimè affervatur antiqua Beatæ Virginis de *Filelmo* icon, doctæ manus mirandum opus, ac apud *Rhodum* Urbem olim prodigiis celeberrima. Ejus *Niciam* allatæ hiftoriam defcripfit *F. Cherubinus à Nicia*, ac *Honoratus Paftorellus*. Cum enim anno MCCCCLXXX. *Turcarum*, fub *Mahomete II.* claffis inftructiffima obfidionem adverfùs *Rhodienfes* pararet, anxius animi *F. Petrus de Aubuffone* tunc Equitum *S. Joannis* Magnus Magifter, ne Barbari Montem *Filelmum*, ubi eadem B. Virginis imago colebatur, invaderent, inde Urbem oppugnaturi, eam quantocius in Divi *Marci* Templo depofuit, quo item vi bombardarum diruto, occifisque qui ibidem divinum precibus exorabant numen, illæfa nihilominùs poftmodùm ea facra Imago educta eft, undè in *D. Catharinæ* Templum *Rhodii* Equites transtulerunt. Anno vero MDXXII. iterata obfidione *Rhodus* aggreffa eft ab iifdem *Turcis*, Sultano *Solimano* imperante, quam cùm diù fuftinuiffent invictiffimi Equites, tandem menfe Decembri Urbem dedere coacti, æquis conditionibus; inter cœtera, quæ, pacto inito, *F. Philippus Wiliers Liladamus*, fupremus Equitum Magifter *Rhodo* fuftulit, eandem B. Virginis de *Filelmo* iconem, nec nōn *SS. Joannis Baptiftæ*, ac *Sebaftiani* in *Italiam* fecum detulit. Anno MDXXVII. XIV. Novembris, comitantibus Equitibus, *Nicæam* appulit idem *Philippus Wiliers*, poftquàm diutiùs navigaffet, variifque in locis *Cretæ* Infulæ, atque *Italiæ* fubftitiffet. Cum autem ex *Caroli V.* Imperatoris dono, poft biennium *Melitam* peteret, antequàm ex *Nicienfi Herculis Portu* XII. Julii anno MDXXIX. triremem confcenderet navigaturus, antè eandem B. Virginis iconem interfuit Miffæ folemnis officio, quam etiam in perenne grati animi monumentum *Nicienfibus* dimifit, unà cum fupradictis *SS. Joannis Baptiftæ*, & *Sebaftiani* Imaginibus. Succeffu temporis, ea facra pignora ad eam, quam dixi, *D. Bartholomæi* Ecclefiam funt tranflata, ubi adhuc maximo in pretio habita piè, & religiosè fervantur. Extat nunc *Melitæ* in Majori Ecclefia infigne B. Virginis de *Filelmo* Sacellum, de quo in Conftitutionibus Ordinis *S. Jo. Hierofolym.* de anno MDCIII. tit. III. *de Ecclefia*, ad imitationem Ecclefiæ *Rhodienfis*; imago autem B. Virginis inibi nunc appofita, alia à *Rhodienfi* eft, quæ, ut diximus, penes *Nicienfes* Capuccinos fervatur, ejusdem *Philippi Wiliers* gentilitio ftemmate notata.

Anno eodem MDLV. Religiofi Carmelitæ, pro- 1555.
pter Bellorum incommoda, ac *Nicienfis* Arcis vi- 207
ciniam, tutiorem fedem quærere coacti, ad Ecclefiam Parochialem *S. Jacobi*, ex ceffione Monachorum *S. Pontii* traducti funt.

Anno verò MDLVIII. idem *Lambertus* Præful, ex parte fua, & Canonicorum, transegit cum Fratribus Minoritis de Obfervantiâ, pro Ecclefia *S. Jofeph.*

Hoc tempore floruit *Jacobus Puteus*, fivè à *Puteo* Civis Nicienfis, S.R.E. Cardinalis, ac Archiepifcopus *Barenfis*, quem Archiepifcopatum, anno MDLXII. *Antonio à Puteo* Nepoti fuo dimifit. Fuerat autem Summus hic Vir, ut *Ciaconius*, & *Franc. Aug. ab Ecclefia* teftantur, non folum generis nobilitate, fed juris omnimoda fcientiâ, morumque probitate confpicuus. Quamobrem in Sacræ *Rom.* Rotæ Auditores adlectus, in eo munere, per annos quindecim ftrenuè fe geffit, atque ad Decanatum ejusdem Rotæ pervenit. Mox anno MDL. Archiepifcopus, ut diximus, *Barenfis* in Regno *Neapolitano* electus, demum à Summo Pontifice *Julio III.* Presb. Cardinalis tit. *S. Simeonis* creatus eft, quem titulum fub *Paulo IV.* in *S. Mariæ in via* mutavit. Exercuit fignaturæ juftitiæ, ac poftea gratiæ, ut vocant, præfecturam, infuperque Regni *Poloniæ* Protector, Ordinis *S. Joannis Hierofolymitani*, ac Carmelitarum Patronus, Sacro Generali *Tridentino* Concilio interfuit Legatus. Dùm viveret, Decifiones Rotæ *Romanæ* doctiffimè compilavit, ac de mutatione monetarum fcripfit. Inftituit infuper, in fua *Barenfi* Ecclefia, Corporis Chrifti Sodalitium, eique facras veftes pretiofiffimas dono dedit. His ritè, laudabiliterque actis obiit *Romæ* VI. Cal. Maji anno MDLXIII. fepultusque eft antè primarii Altaris gradus, Templi Fratrum Prædicatorum ad *Minervam*, eique additum ab *Antonio à Puteo* ejus Nepote fequens Epitaphium:

D. O. M.
IACOBO PVTEO NICIENSI S. R. E. PRAESB. CARD.
PRAECIPVO. AC INTEGERRIMO VIRO. QVI SVMMAM
I. V. SCIENTIAM ITA CVM SVMMA PROBITATE
CONIVNXIT. VT VNVS REIP. CONSTITVENDAE. DI-
SCIPLINAEQVE VETERIS REVOCANDAE PRAECIPVVS
AVCTOR VOTIS BONORVM EXPETERETVR. OBIIT VI.
KAL. MAII. ANNO M.D.LXIII. 1563.
ANTONIVS PVTEVS ARCHIEP. BARENSIS
NEPOS POSVIT.

Cele-

Celebrat *Andreas Victorellus* in addit. ad Ciaconium *Jacobi à Puteo* Cardinalis laudes, quem totius pietatis, & optimarum artium amatorem, Virum amplissimæ dignitatis, eximiæque virtutis, Pontificii, Civilisque Juris scientiâ clarissimum prædicat, ex aliis Scriptoribus; additque edita super illius stemmate gentilitio hujusmodi carmina:

*Hesperidum vigili fama est, Custode Dracone,*
*Pendere intactis arbuta in arboribus,*
*Et foveis congestum aurum, abstrusumque latebris*
208 *Servare immunes Gryphis Hyperboreis:*
*Ecce tuas gemini cohibent Jacobe Dracones*
*Divitias, quibus est vilior omnis Onyx,*
*Hic Puteus claras tibi fert uberrimus undas,*
*Cui cedat laudes Pegasis unda suas,*
*Accipit humani documenta immensa decoris*
*Quisquis ab hoc dulci pocula fonte bibat.*
*Jure igitur gemini servant pretiosa Dracones*
*Munera, ne vulgus tot sibi quærat opes.*

Cœterum pius Præsul, quo de agimus, *Fran-* A *ciscus Lambertus*, in suo obitu, qui, ut superius allata inscriptio indicat, contigit anno MDLXXXIII. 1583. Augusto Mense, Pauperibus, Domibusque Religiosis, magnam pecuniæ summam legato dimisit. *Manuscript. Authent.*

LXVIII.

JOANNES LUDOVICUS PALLAVICINUS *Pedemontanus*, ex Marchionibus Cevæ, *Julii Cæsaris* Filius, *Salutiarum* primo electus Episcopus, postea *Niciensis* Præsul est consecratus B anno MDLXXXIV. sub Summo Pontifice *Sixto V.* 1584. Hic, ut natalibus, ità Religione, ac pietate in Deum, & Sanctos illustris, postquàm anno MDLXXXV. XIX. Junii Serenissimum *Carolum Emanuelem* Sabaudiæ Ducem, cum *Catharinâ Austriacâ* Uxore, ex *Hispaniis* reducem excepisset, 1585. instaurasletque ædes Episcopales; multas postmodùm anno MDXCIII. exornavit Sacras Reliquias, quæ anteà in Ecclesiâ Cathedrali, minori, quàm par erat, cultu, asservabantur, apposuitque lapidem his verbis inscriptum:

SANCTAE CRVCIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, S. IOANNIS BAPTISTAE, PETRI, ET PAVLI APOSTOLORVM, LAVRENTII PRAETEREA, AC MVLTORVM SANCTORVM MARTYRVM, VIRGINVM, ET CONFESSORVM RELIQVIAS, QVAE HACTENVS MINVS DECENTER, ET IN ABSCONDITO TENEBANTVR, PER NOS DILIGENTER VISITATAS, ET RECOGNITAS, IN HOC SACRARIO REPOSVIMVS, PROPRIIS SVMPTIBVS LAMPADEM ANTE ILLAS ARDENTEM PERPETVO DEPVTAVIMVS, QVO FIDELES AD EORVM SVFFRAGIA INVOCANDA DEVOTIVS PROVOCENTVR; DEI, ET DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI MISERICORDIAE, GLO. VIRG. PROTECTIONI, ET PRAEDICTORVM SANCTORVM INTERCESSIONI, ANIMVM NOSTRVM HVMILLIME COMMENDANTES. DIE XXIX.
1593. DECEMBRIS M. D. LXXXXIII.
IO. LVDOVICVS PALLAVICINVS EPISCOPVS. NICIEN.

Demùm, cum visitandæ Diœcesi operam daret, extremo morbo affectus obiit *Ysiæ* XXV. No-
1598. vemb. MDXCVIII. cum decennio *Niciensi* Ecclesiæ præfuisset. *Martinengus in Catal. Episcoporum Nicien. Monum. Domest.*

LXIX.

1601. FRANCISCUS RASINUS dictus MARTINENGUS, in gratiam [ut animadvertit *August. ab Eccles.*] Comitis *Martinengi*, hujus nominis III. Patriam sortitus est *Cercenascum* in *Pedemonte.* In primævâ ætate, Ordinem Minorum de Observantiâ ingressus, in eo laudabilem vitam duxit, disertus evasit Concionator, Lectoris,
209 generalis, Guardiani, Definitoris, ac Ministri Provincialis munera, summâ cum laude obivit. Tùm audiendis, ut ait *Paulus Britius*, Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis confessionibus addictus, primò ad Archiepiscopatum *Taurinensem* C est nominatus, cujus spe destitutus, *Niciæ* Episcopus creatur. Vir equidem vitæ innocentissimæ, atque animarum zelo in primis flagrans. Assiduus erat in Diœcesis visitatione, Ecclesiarum cultu, morum reformatione, Doctrinæ Christianæ explicatione, verbi Dei prædicatione. Egregias scripsit Constitutiones Synodales, quas omnibus, ac præcipuè Ecclesiasticis, & Parochis observandas proposuit, ubi inter cœtera, nonnullorum Prædecessorum syllabum edidit, quo nos alicubi D usi sumus, licet in eo multorum Præsulum nomina desiderentur.

*Martinengo* Præsule, ædificatur Monasterium *S. Claræ*, quod anteà Ordini *Cisterciensi*, Abbatique *de Toroneto* annexum variis, tàm extrà, quàm intrà Urbem, locis, bellorum causâ constiterat: primo lapidi in rei perpetuum monumentum hæc verba inscripsere Consules Nicienses:

D.O.M. DEIP. VIRG. ET BEATAE CLARAE. CLEMENTE
VIII. P.M. CAROLO EMAN. SAB. DVCE SVBALP. PRINCIP.
NICEAE COM. REGNAN. F. FRANC. MARTINENGO EPISC.
ANNIBALE GRIMALDO BOLEI COM. GVBER. FRANCISCO
CAISSOTO PRAEF. HONORATO PASTORELLO I.V.D. IO: FRAN-
CISCO PEIIRE. GVIGLIELMO SVCCONO, ET HENRICO VI-
1603. RELLO COSS. NICAENA CIVITAS, D. A. D. M. DC. III.
IV. KAL. NOVEMB.

Hujus Monasterii Templum nobilitatur, inter cœtera, *S. Agapiti Martyris*, & Diaconi corpore, religiose inibi asservato, ex Vrbe *Româ* deinceps
1606. transmisso, anno MDCXVI.

Sub ejusdem auspiciis anno MDCVI. Societatis Jesu Religiosi, Fundatore *Pontio Cevâ* Cive Niciensi, quem, in extremâ senectâ, cœcitate captum, *Cæcum videntem*, alicubi, in Triade Fortium *David*, vocat eruditiss. P. *Theophilus Rainaudus*; & cui litteræ ejusdem Societatis annuæ, Viri non E minùs pecuniosi, ac divitis, quàm pii, & liberalis nomen faciunt; Ac, ære publico, quotannis stipendiis decretis Grammaticæ, Humanitatis, Rhetoricæ, Philosophicæque Facultatis Collegium *Niciæ* erexerunt, informandæ Juventuti, ac disseminandis litteris oportunum; cujus Templum Sacro Jesu nomini dicatum, *S. Justi* Martyris corpore *Româ* transmisso, est decoratum.

Anno MDCXII. XI. Maji, *Niciæ* dierum suorum 1612. cursum emensus est Reverendiss. *Clemens Isnardus*

Civis *Nicienfis*, Præful *Glandatenfis*, qui jam decemnovennio, ab anno fcilicet MDXCIII. quo, *Niciæ* itidem ab Epifcopis *Nicienfi*, *Vencienfi*, & *Entimelienfi*, die XIX. Decemb. fuerat ordinatus, maximâ cum laude illi Ecclefiæ præfuerat.

1619. Anno verò MDCXIX. claruit facris infulis ornatus *Ludovicus Martini* Nicienfis, Auguftæ Prætoriæ Epifcopus. *Aug. ab Ecclef. in Epifcopis Auguften.*

Demùm, poftquàm decem, & novem annis

A [ab anno fcilicet MDCI. XIX. Januarii, quo Epifcopatum aufpicatus eft], *Francifcum Martinengum* 210
habere Præfulem *Nicienfis* Ecclefia meruiffet, carne folutus eft XXII. Augufti, anno MDCXX. Ejus 1620
corpus humatum eft in Sacello Corporis Chrifti, quod à fundamentis erexerat, ac ubi fepulcrum fibi, fuisque in Epifcopatu fucceſſoribus pofuerat. Inibi, grati animi ergò, à piis Sodalibus hoc monumentum infcriptum eft.

D. O. M. VIRGINIQVE DEIP.

PERILL. AC REVERENDISS. D. D. FRATRI FRANCISCO MARTINENGO PEDEMONTANO, E CERCENASCO, EPISCOPO NICIEN. ET COMITI DRAPPI, QVI QVAMPLVRIMIS, SVB REGVLA S. FRANCISCI MIN. OBSERV. PRAEFECTVS OFFICIIS, CONCIONATORIS, LECTORIS GENERALIS, GVARDIANI, DEFINITORIS, AC PROVINCIALIS, POSTMODVM IN THEOLOGVM, TVM VERO IN CONSILIARIVM, AC A SECR. CONFESSION. INVICTISSIMI, SERENISSIMIQVE CAROLI EMAN. SABAVD. DVCIS ASSVMPTVS, VARIISQVE LEGATIONIBVS, PRAESERTIM AD BELGAS, GALLIAM, HISPANIAS, ET ROMAM FVNCTVS, TANDEM, CVM AB EODEM SEREN. IN EPVM NICIENSEM PRAESENTATVS, MAGNVSQVE ELEEMOSINARIVS CREATVS FVISSET, QVOD HOC SACELLVM, DECORI ECCLESIAE SVAE CONSVLENS, IN HONOREM SANCTISS. EVCHARISTIAE SACRAMENTI, ET PRO SVIS, ET SVCCESSORVM IN EPISCOPATV CINERIBVS, AERE PROPRIO, A FVNDAMENTIS EREXERIT, DE CONFRATERNITATE SANCTISS. CORPORIS CHRISTI BENE, OPTIMEQVE MERITO, EIVSDEM PII SODALES, IN GRATI ANIMI MEMORIAM, POSVERE.

AN. DOMINI MDC. XX. IDIB. OCTOB.

LXX.

PETRUS FRANCISCUS MALLETUS *Vercellenfis*, inter Canonicos Regulares *Lateranenfes* adfcitus, primò Abbas *S. Andreæ de Vercellis*, ac poftmodùm anno MDCXV. ejufdem Ordinis Generalis creatus eft. Interim fcripfit gefta *B. Amedei* Sabaudiæ Ducis, unà cum præcipuis, ejus interceſſione, patratis miraculis, ac Indice Auctorum, qui in fcriptis fuis de eodem Beato Viro
1622. meminerunt; poft quæ, anno Chrifti MDCXXII. *Paulo V.* Summo Pontifice, fit Epifcopus *Nicienfis*, Nicæamque Urbem XV. Maji ejusdem anni ingreſſus eft, ubi in gregis fui excubiis aſſiduus
1631. novennio vixit, videlicet usque ad annum MDCXXXI. quo, tabificâ lue *Nicæa* correpta eft. Obiit verò ille die IV. Decembris.

1632. Anno MDCXXXII. *Niciæ* admiſſi fuerunt Fratres Minimi *S. Francifci de Paulâ*, & *Auguftiniani Difcalceati*, quorum illi intrà Urbis mœnia, ifti in pomœrio, fub titulo Divi *Joannis Baptiftæ*, fua Cœnobia, accedentibus piorum Civium eleëmofynis, brevi ftabilierunt.

LXXI.

JACOBINUS MARENGUS à *Monte Regali* in *Pedemonte*, primò Rector Monalium *S. Margaritæ Cherii*, tùm Archipresbyter Ecclefiæ *Carmagnoliæ*, poftremò anno MDCXXVII. factus eft Epifcopus *Salutienfis*, quo in Epifcopatu, cum jam annum octavum ageret, eo dimiſſo, intercedente Sereniſſimo Sabaudiæ Duce *Victorio Amedeo*,
1635. anno MDCXXXV. ad cathedram *Nicienfem* transfer-
211 tur, quam ingreſſus eft Dominicâ in Ramis palmarum ejufdem anni.

1635. Hoc anno MDCXXXV. Moniales *B. Mariæ* Vifitationis, Viri Dei *Francifci Salefii* Præfulis *Gebennenfis* Fundatoris Sacrum germen, *Niciæ* conftruunt Parthenonem; quo etiam tempore, aucto piorum Civium, ergà Charitatis opera, ftudio, novum Xenodochium, fub Confratrum *S. Crucis* regimine, conftructum eft.

Eodem anno, Ecclefia Cathedralis infignibus Reliquiis *S. Rofaliæ* Virginis donata eft, quas, ut fuperiùs in *prolegom. par.* I. diximus, maximi muneris loco, acceperant *Nicienfes* à Senatu *Panormitano*.

B Sequenti MDCXXXVI. aſſumpto Eminentiſſimo 1636
Principe *Joanne Paulo Lafcaris*, fummæ Nobilitatis, admirandæque integritatis Viro, Cive *Nicienfi*, ad fupremum Equitum *S. Joannis Hierofolymitani* Ordinis Magiftratum, poftquàm in eo omnes honorum, dignitatumque gradus, fummâ cum laude, feliciter decurriſſet; ab eo, in perenne amoris fui ergà Patriam monumentum, anno
MDCXLII. Sacrum Corpus *S. Vincentii* Martyris 1642
eft transmiſſum; atque die XIV. Octobris, quâ decuit pompâ, & folemnitate acceptum, præfente Sereniſſimo Principe, tunc S. R. E. Cardinali
C *Mauritio à Sabaudiâ*, Cathedrali Ecclefiæ cuftodiendum traditum eft, argenteæ thecæ affabrè factæ inclufum.

Hæc fub aufpiciis *Jacobini Marengi* Præfulis acta funt, qui ex *Hifpanicâ* Aulâ rediens, paucis poft menfibus, dierum fuorum curfum emenfus eft,
obiitque die II. Januarii, anno MDCXLIV. 1644

LXXII.

DESIDERIUS PALLETIS, Patria *Vercellenfis*, cum in Ordine Canonicorum Regularium *Lateranenfium*, Religiofæ obfervantiæ, ac prudentiæ laude clarus, fuos egiſſet annos, interque
D alia, *S. Mariæ novæ* Aftenfis, *S. Sebaftiani* Bugellenfis, ac demum Monafterii *S. Andreæ de Vercellis* fuiſſet creatus Abbas, Vifitator Generalis, & Definitor perpetuus, poftulante Sereniſſimâ Duciſſâ Sabaudiæ *Chriftianâ Borboniâ*, ad *Nicienfem* Epifcopatum aſſumitur. Confecratus *Romæ*, eo-
dem anno MDCXLIV. quo ejus Prædeceſſor obie- 1644
rat, die undecima Decembris, *S. Damafi* Papæ
fefto, fequenti MDCXLV. XXIV. Februarii, die *S. Mat-* 1645
*thiæ* Apoftolo Sacro, *Nicienfem* fedem ingreditur.

Hic Præful, quo femper flagravit, cultus divini ftudio, videns Cathedralem *S. Reparatæ* Ec-
E clefiam minùs decoram, atque ornatam, in eam femper intendit curam, ut illam à fundamentis
quantocius inftauraret. Quamobrem anno MDL. 1650
VII. Januarii, manum alacriter operi admovens, fubminiftratis largè fumptibus neceſſariis, elegantem primò extruxit Chorum, mox, eodem authore, præcipua Templi pars in novam formam exfurgere vifa eft, admirantibus, qui operis molem, temporumque anguftias feriò perpenderunt. Tan-

Tanto sui Pastoris exemplo *Nicæa* Civitas morem gerens, Divis suis Tutelaribus pulcherrimum Sacellum erexit. Aliud ejusdem penè formæ, ac operis statuerunt Sanctissimo Christi Corpori ejus Sodalitii pii Fratres. Aliud *D. Joseph* Sacellum
212 exstruxit, instruxitque, quotquot sacrum altare decent, pretiosissimis ornamentis, *D. Petrus Turatus* Canonicus Præcentor; Nec non huic simile Divo *Bartholomæo* Apostolo erectum est, ex *Bartholomæi Rubei* Civis *Niciensis* legatis piis. Idem Episcopus, vetere dejecta, novam, ac decoram curavit erigi sacristiam, quam multis ad divinum cultum necessariis ornamentis instruere orsus est. Nunc ejusdem Ecclesiæ ædificio acriùs incumbit, eique, Deo dante, ultimam admovere manum meditatur, adeo ut constans omnium opinio sit, tanti Præsulis vita superstite, fore ut ea moles brevi dedicatur ad perfectionem, & culmen.

1652. Sub ejus auspiciis, signum magnum apparuit *Niciensibus*, Mulier amicta sole, Virgo scilicet Beatissima *de Laghetto*, quæ anno Domini MDCLII. *Drappum* inter, *Piliam*, *Trophæa Augusti*, *Isiam*que Opida, sex circiter *Nicæâ* milliariis, miraculis celeberrima, hominum eo loci adventantium admirationem exhausit. Et cum id Templum anteà, spinis vepribusque obsitum, prorsùs ignotum esset, Virgine Deiparâ [cujus ibidem inerat vetus signum] illustrante, adeò frequentes habuit undique confluentium Populorum accursus, ex remotissimis etiam Regionibus, ut, rem urgente eodem *Niciensi* Episcopo, ex plurimis, quas pii Fideles contulerunt, donariis, atque eleemosynis, novum, ac sumptuosum à fundamentis Templum eidem Beatæ Virgini, novæque ingentis operis ædes, Clericis, advenisque peropportunæ exstructæ sint. *Nicæa* Civitas, ergà eandem Beatam Virginem antiquissimam Urbis Patronam, grati animi debitum testatura, cum anno MDCLIV. coacto post Festa Paschalia Synodali conventu, idem Illustriss. 1654.
ac Reverendiss. Episcopus, una cum iis, qui ex totâ Diœcesi, ad Synodum evocati fuerant, cœterisque Urbis Ordinibus Religiosis, ad eandem Beatæ Virginis *de Laghetto* Ecclesiam, institutâ publicâ supplicatione, accederet; per Consules, qui simul cum Consiliariis, ex communi consulto, ei Religioso agmini, accensis ubique facibus, collucenti, longo ordine, interfuerunt, necessarios sumptus ære publico, obtulit, fontibus irriguis in contiguam Ecclesiæ aream peregrinorum solatio deducendis. Quæ omnia triennio gesta, eleganti inscriptione, in ipsius Templi fronte appositâ, hominum memoriæ his notis placuit commendari:

BEATISS. VIRGINI DE LAGHETTO
NOVVM NOMEN, NOVVM CVLTVM, NOVIS PRODIGIIS
EMERITAE
POPVLORVM, PROVINCIARVM,
ORA LIGVRIAE OMNIBVS PRAEEVNTE,
PIO, ET MVNIFICO CONCVRSV,
TEMPLVM, HOSPITIVM, AREAM, VIAM, FONTEM,
TRANSLATIS, DEPRESSIS MONTIBVS,
CONSTRVXIT, APERVIT, DEDVXIT,
PVBLICO COMMODO, PROPRIO, ET PVBLICO AERE
D. DESIDERIVS DE PALLETIS
213 EPISCOPVS
ANNO DOMINI M.DC.LVI.
PRODIGIORVM ANNO TERTIO
DIE XXI NOVEMBRIS.

Nec minor, ergà eandem Virginem, *Sabaudis* Principibus cura, quos inter, Serenissimi Principes *Mauritius*, ac *Eugenius*, Invictissimi Principis *Thomæ à Sabaudiâ* Filius, cupientes B. Virginem sibi aliquo peculiari obsequio devincire, pretiosissimis, maximique ponderis, ex argento affabrè factis votis *Laghettum* missis, animi sui vota
1656. intemeratæ Matri commendarunt anno MDCLVI.
1657. ejusdem Annunciationis solemni die, XXV. Martii.
Obiit porrò anno MDCVII. Augusto mense, *Melitæ*, ferme centenarius *Joannes Paulus Lascaris*, cujus nomen, ob morum innocentiam, regiminis prudentiam, ergà Christianam Rempublicam pium affectum, ergà Religiosum suum Ordinem munificentiam, utpotè qui, non modò *Melitam* Urbem novis propugnaculis muniverit, sed maritimam etiam classem triremium numero auxerit, nulla umquam ætas non recolet: postquàm summo *S. Joannis Hierosolymitani* Equitum Magistratui, per unum, & viginti annos integerrimè præfuisset.

Verùm, ut cœptum persequar, vivit etiamnùm, jam duodennio dum hæc anno MDCLVIII. 1658.
scribimus, idem Illustrissimus, ac Reverendiss. Dominus *Desiderius* Niciensis Præsul, postquam, inter cœtera præclarè acta, Episcopales ædes refecerit, reditusque Episcopatus in multis plurimùm auxerit, cui, pervigili, ergà gregem suum Pastori, boni omnes annos vitæ plurimos apprecantur.

MONA-

214 # MONASTERII S. PONTII NICIENS. ABBATUM SERIES CHRONOLOGICA.

Licet plura de Monasterio *S. Pontii* superius, quando se se obtulit occasio, attigerimus, hic tamen peculiariter de eo meminisse, operæ pretium fuerit; præcipue cum Illustriss. & Reverendiss. *D. Franc. Augustinus ab Ecclesia* Episcopus *Salutiensis*, in recensione Abbatiarum Dominii *Sabaudici*, hanc omiserit, ob monumentorum, ut reor, quæ ad ipsum ex nostratibus tabulariis delata non fuere, defectum. Hoc igitur Monasterium, inter antiquissima, sub Divi *Benedicti* Regulâ numeratur [ licet alterius multò antiquioris rudera adhùc extent in confinio *Niciensi*, ejusnimirùm, cui circà annum DL. *S. Hospitius* Abbas præfuit, quod superiùs *par.* I. *in notis* ad ejus gesta disquisivimus ]. Fundatorem agnoscit *Carolum Magnum* Imperatorem; Primum verò Abbatem *S. Syagrium* ejus Nepotem, & Comitem *Briensem* anno DCCLXX. Circà annum DCCCC. quo tempore *Nicæa* à *Mauris* pessumdata est, videtur ab eisdem fuisse dirutum, quod vel ipsa ædificii structura docet. *S. Victoris* Massiliensis aliquandò annexum est jurisdictioni, disjunctum postmodùm. Ejus Ecclesiam quamplurimæ Sanctorum Reliquiæ commendant, quod fatetur *in Hist. Genuens.* Augustinus Justinianus Episcopus Nebiensis. *S. Pontii* Abbatia majori dominio olim suberat Episcopi *Niciensis*, ut in Pontificiorum diplomatum privilegiis videre est, cujus erat, Abbatis à Monachis factam electionem ratam habere, ipsumque benedicere, & consecrare. licet id aliquandò sui esse juris, Archiepiscopus *Ebredunensis* frustra contenderit. Anno MCCCCLXXIII. à *Sixto IV.* Pontifice, hæc nobilis Abbatia in commendam, ut vocant, redacta est, quam nondùm usque ad hoc tempus excussit. Mensæ Episcopali *Niciensi* ab eodem *Sixto IV.* addicta; obnitente in Pontificia, ac *Sabaudica* Aula *Nicæa* Civitate, iterum disjuncta est. Verùm, ut ejus Monasterii antiqua dignitas innotescat, exarandas hic duxi privilegiorum, ab *Innocentio IV.* Summo Pontifice concessorum litteras.

Innocentius *Episcopus Servus Servorum Dei.*
*Dilecto Filio Abbati* S. Pontii *extrà muros* Nicien. *ejusque Fratribus, tàm præsentibus, quàm futuris, Regularem vitam professuris in perpetuum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

*Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut ro-*
215 *bur, quod absit, sacræ Religionis infringatur. Ea propter, Dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, Monasterium* S. Pontii *extra muros* Nicien. *in quo divino estis obsequio mancipati, sub* B. Petri, *& nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum, &* B. Benedicti *Regulam, in eodem Monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiter observetur. Prætereà quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium impræsentiarum juste, ac canonice*

A *possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda: Videlicet locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. In Civitate* Niciensi *Ecclesiam* S. Reparatæ, *cum omnibus juribus, & aliis pertinentiis suis, Ecclesiam* B. Mariæ Cimelensis, *cum omnibus pertinentiis suis,* S. Bartholomæi, S. Silvestri, S. Michaëlis de barbalatâ, S. Mariæ de Falicono, *&*
B S. Mariæ de Villa vetulâ *Ecclesias, cum pertinentiis earundem.* S. Mariæ de Bello loco, S. Laurentii de Ysiâ, S. Deivotæ, *&* S. Mariæ de Aspremonte *Ecclesias, cum pertinentiis earundem.* S. Martini de Rupe, S. Mariæ de Levens, S. Martini de Castro Monaco, *&* S. Blasii *Ecclesias, cum pertinentiis earundem.* S. Helenæ, S. Martini, S. Petri de la Escarena, S. Valentini de Berrâ, *&* S. Mariæ de Gordolón *Ecclesias. In Diœcesi Vigintimiliensi Ecclesiam* S. Nicolai de Cespitello, *cum pertinentiis suis. In Diœcesi* Venciensi, S. Mariæ de Gatteriis, *&* S. Petri de Oliva *Ecclesias, cum pertinentiis earundem. In Diœcesi* Glandatensi, *Ec-*
C *clesiam* S. Mariæ de Annoto, *cum pertinentiis suis. In Diœcesi* Forojuliensi, S. Armentarii, S. Jacobi, S. Mariæ de Salis, *&* S. Blasii de Vercellis *Ecclesias cum pertinentiis suis. Burgum* S. Pontii *in Civitate* Niciensi, *cum juribus, & aliis pertinentiis suis. Burgum* de Mas, *cum juribus, & aliis pertinentiis suis. Decimas, possessiones, & domos, furnos, molendina, & prata, quæ habetis in Civitate, & Diœcesi* Niciensi. *Medietatem Castri* de Falicono, *Quartam partem Castri* de Rupe, *cum pratis, terris, vineis, nemoribus, usuagiis, & pascuis, in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus*
D *suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus hactenus aliquis non percæpit, sive de ipsorum animalium nutrimentis, nullus in vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis, Clericos, vel Laicos, liberos, vel absolutos, è sæculo fugientes ad conversionem recipere, & absque contradictione aliquâ retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in Monasterio vestro professionem, liceat, sine Abbatis sui licentiâ, nisi arctioris Religionis, obtentâ, de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum, authorita-*
E *te nostrâ, generale interdictum latum fuerit, liceat vobis, clausis janùis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, dummodo caussam non dederitis interdicto, suppressa voce, divina officia celebrare. Chrisma vero, Oleum Sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipiatis Episcopo, siquidem Catholi-* 216
*cus fuerit, & gratiam, & communionem sacrosanctæ* Rom. *Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut intra fines Parochiæ, nullus, sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellam, seu Oratorium de novo*

*novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum* Romanorum. *Ad hæc novas, & indebitas, exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, sivè Diaconis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, sæcularibus, sivè Regularibus personis, à vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoquè ipsius loci liberam esse determinamus, ut omnium devotioni, & extremæ voluntati, qui se ibi sepelire deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas prætereà, & possessiones, ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis, de nostra authoritate, facultas: Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibidem præponatur, quavis subreptionis astutia, seu violentia personarum, nisi quem Fratres, communi consensu, vel Fratrum major pars consilii sanioris, secundùm Deum, & B.* Benedicti *Regulam providerit eligendum. Paci quoque, & tranquillitati vestræ, paterna imposterum sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolica prohibemus, ut infrà clausuras locorum, sivè grangiarum vestrarum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, capere, vel interficere, seu violenter audeat coërcere. Prætereà omnes libertates, & immunitates, Officialibus vestris à* Rom. *Pontificibus, ac Monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium actionum, à Regibus, & Principibus, vel aliis Fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica, confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat, præfatum Monasterium temere perturbare, vel ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate, ac Diœcesanorum Episcoporum canonica justitia, & in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem in eodem loco sua jura servantibus sit Pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.*

✠ Ego *Innocentius* Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ Ego *Petrus* EE. Sancti Marcelli Præsb. Card. S.

✠ Ego *Wilelmus* Basilicæ duodecim Apost. Præsb. Card. S.

✠ Ego Fr. *Joannes* EE S. Laurentii in Lucina Præsb. Card. S. 217

✠ Ego Fr. *Ugo* EE. S. Sabinæ Præsb. Card. S.

✠ Ego *Oto* Portuensis, & S. Ruffinæ Episcopus S.

✠ Ego *Joannes* S. Nicolai in carcere Diac. Card. S.

✠ Ego *W.* S. Eustachii Diac. Card. S.

Datum *Lugduni*, per manum Magistri *Marini* Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Vicecancellarii, Idib. Junii, Indict. V. Incarnationis Dominicæ Anno M. CC. XL. VII. Pontificatus Domini *Innocentii* Papæ *IIII.* anno quarto.

---

# ABBATUM S. PONTII,

## QUÆ EXTANT, NOMINA.

Anni Christi.

770. *S. Syagrius* Primus Abbas Monasterii *S. Pontii*, cujus successorum multorum nomina desiderantur.

. . . . .

. . . . .

. . . . .

1004. *Joannes*, cujus electioni v. Idus Maji interfuere *Bernardus* Episcopus *Niciensis*, necnon *Bernardus* Episcopus *Antipolitanus*, *Rodbaldus* Miles, & Comes, *Ingarda* Comitissa, *Wilelmus de Niciâ*, *Salvator de Forcalquerio*, Judex de Genuâ, aliique proceres. *Archiv. S. Pontii.*

1078. . . . . .

*Ebrardus*, cui *Archinbaldus* Episcopus *Niciensis* largitus est Ecclesias S. Mariæ, & S. Joannis de Olivo. *Ibidem.*

. . . . .

1151. . . . . .

*Bertrannus*, sub quo à *Gisleno*, & *Adalaise* multa donaria Monasterio *S. Pontii* oblata sunt. *Ibidem.*

1159. *Benedictus*, qui interfuit concordiæ inter *Arnaldum* Episcopum, & Canonicos *Nicienses*, quæ facta est Ebreduni. *Archiv. Eccl. Cathed.*

1200. . . . . .

*Guiglielmus*, cujus consilio lis inter Episcopum *Nicienf.* & Præpositum *S. Jacobi* sopita est. *Ibidem.*

1201. *Gilibertus*, al. *Guilabertus* subscripsit, veluti testis, privilegiis concessis *Niciensibus* à Sancio Comite Provinciæ. *Archiv. publ. Civit.*

. . . . .

1249. *Bartholomæus* transegit cum Capitulo *Nicienf.* super juribus Parochiæ S. Reparatæ.

1250. *Bertolotus.* Archiv. S. Pontii.

1279. *Guiglielmus de Berra* definivit terminos Castri, & territorii *S. Blasii* cum *Petro*, & *Raimundo Chiabaudis* Fratribus Dominis de Aspromonte. *Regesta Abbatiæ S. Pont.*

. . . . .

1337. *Manuel* testis quibusdam actis Niciæ à *Bertrando* Archiepiscopo *Ebredunensi* pro Hospitali S. Laurentii de Varo. *Archiv. Publ. Civit.*

1343. *Guiglielmus*, inter quem, & Cives *Nicienses* multæ lites, & controversiæ exortæ sunt. *Ibidem. Regest. Abbatiæ S. Pont.* 218

1362. *Joannes*, inter quem, & *Nicienses* amica conventio pro antiquis controversiis facta est. *Ibidem.*

1366. *Alphonsus.* Archiv. S. Pontii.

1378. *Joannes de Tornaforte* ex *Lantusca*, postea Abbas *Lerinensis*, ac demùm Episcopus Niciensis. *Arch. S. Pont. & Eccles. Cathed. Chronolog. Lerinens.*

1390. *Jacobus Provana* à Cariniano. *Franc. Aug. ab Eccles.*

Anni Christi. *Raimundus de Agunto*, alius à *Raimundo de Agunto* Seneſchallo, ſuper jurisdictione, ſæpiùs
1398. cum *Nicienſi* Epiſcopo diſceptavit; Caput *S. Syagrii* argenteo buſto incluſit. *Arch. Eccl. Cathed.*

1400. *Robertus de Rupecula.* Arch. S. Pont. Regeſt. Abbatiæ.

1422. *Ludovicus Azo* locum dedit Sodalibus Miſericordiæ in Eccleſia *S. Reparatæ*, pro Oratorio conſtruendo. *Monum. ejuſdem Sodalitii.*

1425. *Ludovicus Badatus*, ſeu *Badati*, poſtea Epiſc. *Nicienſis.* De quo plura in Epiſcopis.

. . . *Ludovicus de Ponte* Aſtenſis, inde Abbas S. Petri Saviliani, & S. Mariæ de Pinerolio. *Aug. ab Eccleſ. in recenſione Abbatum dominii Sabaud.*

1439. *Robertus*, qui Synodo *Baſileenſi* interfuit. *Arch. Eccleſ. Cath.*

1468. *Sebaſtianus de Orliaco.* Regeſt. Abbatiæ S. Pont.

1470. *Joannes de Quercubus.* Ibidem.

*Bartholomæus Chuetti*, Primus *S. Pontii* Abbas
1473. Commendatarius, & Epiſcopus *Nicienſis.* De eo pluribus ſuprà in Præſulibus Nicienſ.

1504. *Joannes Vriolus* Epiſcopus Nicienſis. *Arch. publ. Civit.*

1509. *Claudius de Ceyſello* poſteà Archiepiſcopus *Taurinenſis*, olim Epiſcopus Maſſilienſis. *Regeſt. Abbatiæ Aug. ab Eccl. Jo. Bapt. Gueſnay in Annal. Maſſil.*

1520. *Innocentius Cybo* S. R. E. Cardinalis, *Innocentii VIII.* ac *Leonis X.* Pontificum Nepos. *Regeſta Abbatiæ S. Pont.*

*Paulus Medici* S. R. E. Cardinalis Cæſis tit. S. Anni Chriſti. 1523.
Euſtachii. *Ibid.*

*Honoratus Martelli* ex *Lantuſcâ*, qui antè, & 1531.
poſt *Turcogallicam* obſidionem, alicubi disjectas Monaſterii ædes inſtauravit. *Monum. Authent.*

*Honoratus Martelli* Superioris ex *Ludovico* Fra- 1550.
tre Nepos, itidem ex *Lantuſcâ*, qui *SS. Pancratii, Honorati*, & *Ludovici* Sacellum ſuis, & Patris ſumptibus, in Eccleſiâ *S. Pontii* perfecit. *Monum. Authent.*

*Ludovicus de Grimaldis* à Boleo, Magnus Eleemoſynarius Ducis *Sabaud.* qui fuerat Epiſcopus 1592.
*Vencienſis*, & *Graſſenſis*, interfueratque Concilio *Tridentino.* Obiit die V. Februar. MDCVIII. Niciæ.


*Honoratus Laugerius* Nicienſis, ex Dominis *Ru-* 1609.
*peculæ.* Obiit III. Decemb. MDCXLVIII.

*Eugenius Mauritius à Sabaud.* Sereniſſimi *Thomæ* 1649.
*à Sab.* Filius, anno MDCXLIX. ad hujus Monaſterii infulas evectus, poſtea anno MDCLVI. Abbatiam dimiſit.

*Gaſpar Laſcaris*, ex Comitibus *Entimelienſibus*, 1658.
ac Dominis *Caſtellarii*, qui ſub *Innocentio X.* Pont. Max. Camerarius, ut vocant, Honorarius, ac ſub *Alexandro VIII.* itidem Pont. Max. Prolegatus primò *Urbinenſis*, tùm *Bononienſis*, ea, aliaque virtutis merita, ſummâ cum laude obivit, hoc anno MDCLVIII ut accepimus, Abbatiâ *S. Pontii* eſt donatus.

# F I N I S.





INDEX

# INDEX
# NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM
## Hujus Operis.

A.



B.



C.

N.



O.



P.



Phi-

R.



S.



T.

V.



X.



FINIS.



# BENEDICTI ACCOLTI,

*Aretini, J. C. & Historiographi Celeberrimi,*

DE

# PRÆSTANTIA VIRORUM SUI ÆVI DIALOGUS.

Ex Bibliotheca

*Illustrissimi ac Eruditissimi Viri*

D. ANTONII MAGLIABEQUII,

*Florentini,*

Serenissimi Magni Etruriæ Ducis Bibliothecarii.

*Editio novissima, priori nitidior, Indiceque auctior.*




*LUGDUNI BATAVORUM,*

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

*Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.*

# NOVÆ HUJUS EDITIONIS
# LECTORI CANDIDO
## S.

*Plane, nostro judicio, non est contemnendus illorum usus, qui propositum, de quo scripturi sunt, statim initio brevibus patefaciunt, ut totius operis veluti anguste expressa effigies deprehendatur, imitantes pictores, qui exiguo in spatio ac perangusto lineamenta ejus formæ, quam deinde majori in tabula repræsentaturi sint, ducunt, ut ex iis futuræ imaginis cognitio, ac judicium percipiatur. Lubet etiam hac in re eos sequi, & hujus Dialogi, a* Benedicto Accolto Aretino *monumentis literarum mandati, &* Parmæ *apud hæredes* Marii Vignæ *Anno MDCXCII. forma octava, Superiorum Concessu, typis impressi, brevem complexionem apponere, ut, qui lecturi sunt, statim de libelli natura atque indole, antequam oculis lustraverint, judicare possint. Propositum ergo Autoris est exemplis & rationibus convincendi lectorem, eum longe aberrare, qui sibi persuadet:* Veteres majores nostros, quorum adeò celebre nomen est, disciplinâ rei militaris, & prudentiâ in rebus publicis privatisque, & ingenio & doctrinâ liberalium artium atque etiam moribus & integritate vitæ, hujusce & proximarum ætatum hominibus longé fuisse superiores. *Cui autem palma sit tribuenda, an illi, qui hoc, an alteri, qui contrarium statuit, prudentioribus judicandum relinquimus. In recudendo prædictum exemplar fideliter secuti sumus, & nihil fuit additum, nisi quod paginarum ejusdem exemplaris numeri in marginibus nostræ editionis sunt adjecti. Indicem insuper pro ratione materiæ excerpsimus & in calce subjecimus. Cæterum typographo, rei literariæ studiosissimo & ejusmodi tractatuum bono promo, pro tua benignitate favere ne dedigneris. Vale*

---

*Omnis eruditionis, ac singularis Pietatis Viro*

# D. ANTONIO MAGLIABEQUIO

Serenissimi Etruriæ Ducis Bibliothecario D. B. B.

*S. P. D.*

Etsi nemini ignotum sciam quanta Musæ, quanta Musarum cultores tibi debeant V. C., opportunè tamen ejus recordari, ac illud memorare juvat, cum te largiente, aureum profectò *Benedicti Accolti* Opusculum in lucem prodit. Scripserat ille temporum suorum, & Virorum recentioris ævi quà Sanctitate, quà eruditione, quà militari fortitudine celebrium, contrà superstitiosos antiquitatis Cultores, ac modernæ virtutis osores Apologiam, verum hanc vel tineis situque consumptam vel certè alicubi delitescentem doleremus, nisi tu quò erga studia es amore, in refertissimo Museo asservasses, & qua ergà studiosos viges humanitate eandem è schedis ut luce publica frueretur eduxisses. Id enim verò optime nostræ ætatis fato accidisse gratulor, nec enim tantummodo scriptam ab Accolto exhibes, pro postremorum sæculorum dignitate, Apologiam, verùm alteram vivam, proindeque majori energia præditam, exhibes, videlicet, temetipsum. Quod enim *Accoltus* habet sive in argumentis ex ipsis causæ visceribus erutis, sive in summa clarorum exemplorum frequentia, roboris, si quæ de militari fortitudine narrat excipias, quod in te, nervosius quidem, ac ad rationis pondera firmanda validius non emicet? Mores tuos ad pietatem compositos, ac ob omni voluptate remotos, animi tui candorem, comitatem, sinceritatem, ac demùm te

*cui*

*cui pudor, & justitiæ Soror*
*Incorrupta Fides nudaque veritas;*

si cùm veterum virtute conferamus; habebimus herclè quo te unum, frequentem antiquitatis gloriam æquasse gloriemur. Quod si ad tuam eruditionem convertimus animum, majori argumenti vi causa nostra fulcitur; nec enim forte credent Posteri quæ de ea, & coràm magno sanè voluptatis fænore experti sumus, & sæpè sæpius ex sapientissimorum Virorum paginis hausimus. Quod Veteres scriptore quamvis abditum, dummodo ad nostram ætatem superstes post seculorum anteactorum barbariem pervenerit, omne novisti; assiduo, improboque sedulæ lectionis, ac scriptionis labore, quidquid usquequaque in absolutissimis *Europæ* Bibliothecis asservatur, ita assequutus es, ut nil novi afferat tibi fæcundissima litteratorum Respublica. Confluunt undique ab ultimis cultioris orbis partibus doctissimi Viri, & cum magna te fama præcesserit, major inveniris. Quibus omnibus accedit summa animi tui comitas, qua erga quoscumque uteris qui literario nomine quoquo modo censentur; ipse enim, qui plurimis virtutibus abundas, alienas sic amas. Quem eorum benignissimo sinu non complecteris? cujus nam literarios labores non promoves? cuinam è ditissimo sapientiæ tuæ penu thesauros liberaliter non aperis? Hinc veros virtutis amatores diligens, ab ipsis æque diligeris. Omnium eruditorum per Europam degentium animos ita devinxisti, ut te etiam qui nunquam coràm viderunt, ament ac suspiciant, monumentisque ære perennioribus scriptis videlicet suis memoriam tui posteritati æternùm duraturam commendent. Universi, quos utcumque litterarum amor tetigit amari à te laborant, & si non sit laborandum, es enim obvius, & expositus plenusque humanitate.

Videsis autem quantum ex hoc in te unum doctorum hominum consensu Accoltianæ dissertationi pondus accedat. Cum enim veluti ad sphæræ centrum, apud te Eruditorum vota conveniant; compendiosus a *Benedicto* asserta nostrorum temporum dignitas comprobari exemplis vix poterat, quam tui, ac per consequens tot insignium virorum tibi addictissimorum memoriam ingerendo. Quò enim fieri poterit ut qui primis Opusculi hujusce paginis nomen tuum legat, non statim in tui admirationem rapiatur, inde ad connexa pertransiens, tot Sapientum pietate, ac doctrina insignium non recordetur, tibi amicitiæ vinculo devinctorum, qui sæculum præsens gestis, dignitatibus, ac scriptis illustrantes, veteres vel æquant, vel superant? Legens præfixum Libello titulum Serenissimi *Cosmæ*, ac reliquorum *Mediceæ* Gentis Principum munificentiam intelliget, ac fatebitur, temporibus nostris veterum Augustorum amorem in litteras non deesse, quibus hi artes promovent, teque eruditorum Coriphæum honoribus prosequuntur. Is enim es Vir Clar. quem Princeps animi magnitudine, pietate ac doctrina nulli ex veteribus secundus impensè amat, ac quolibet thesauro pretiosiorem habet; quem idem studiorum suorum socium jampridem elegit; cui absolutissimas Laurentianam ac Palatinam Bibliothecas commisit; quo curante tot Librorum myriades à dissitis undequaque *Europæ* finibus *Florentiam* confluxere. Non ne magnis Viris constantia in adversis, moderatione in prosperis præditis; nonne Principibus Ecclesiæ sanctitate potius quam dignitate eminentissimis; nonne Religiosorum cætuum Alumnis pietate, abstinentia, non minus ac litteratura insignibus, sæculum nostrum abundare fatebitur; qui eorum reminiscetur, qui te magno ingentique numero diligunt, colunt, venerantur? Mens erat equidem eorum nonnullos recensere, quò mihi hæc referenti major fides adhiberetur, verùm sufficiat ex Ecclesiæ Principibus Eminentiss. *Barberigum*, ex Monachorum cætu *Mabillonium*, seligere, quorum nomen vix à tuo sejungi potest, quorum pietas, ac Virtus antiquissimam Ecclesiæ pietatem, ac doctrinam æmulantur. Frequentissima cæterorum turba tibi addictissima æqui bonique consulat, si omittitur, quamvis non omnino illaudata; inops enim à copia reddor, nec sine legentis tædio, quod unicuique cæteroquin patet, longa nominum serie referri posset.

Hæc scilicet ultro sufficiunt, ut unusquisque noscat, Opusculum quod te largiente in lucem emittitur, ac tale tantumque momentum à tua pietate, & eruditione suscipit, nulli aptius quam tibi reddi debuisse. Pro beneficio etenim quo donantur universi Musarum asseclæ, vix solvendo essent nisi tua tibi exhibentes. Jure etiam *Accoltus* petebat, ut bono tui nominis omine dissertatio ederetur, quæ quondam descripta, demùm ab

oblivione ac situ vindicata, Servatorem te suum agnoscit. Muneri de cætero quod tuum fuerat priusquam, publici Juris fieret, ego quidem nil addere possum præter animi obsequentissimi, ac beneficijs innumeris in me collatis devinctissimi vota, quibus Superos orem ut te Sæculi, ac *Italiæ* nostræ decus sospitem servent. Tu interim litteras, litteratosque honoribus prosequi perge, meque horum numero minimè accensendum, ut soles, ama. Vale.

# ELOGIA.

*Illustrissimo, & Encyclopedico Viro*
D. D. ANTONIO MAGLIABECHIO
*SERENISSIMI*
COSMI III.
Magni Etruriæ Ducis VI.
*A' Bibliothecis*
D. ABBATIS JACOBI MARIÆ CENNI.

*Quæ tàm seposita est, vel quæ tam incognita virtus,*
*Quam tu non teneas mente, animoque tuo?*
*Scis quidquid Phænix, quidquid jam scripsit Hebræus*
*Ægyptusve sagax, astraque doctus Arabs,*
*Et quæ Græcorum fastus monumenta reliquit,*
*Romanusque orbi quæ sua jura dedit.*
*Omnia tu calles. Libri periere vetusti,*
*Mente tamèn libri non periere tuà.*
*Non auro, gemmisque tibi pretiosa supellex,*
*Innumeris libris sed pretiosa magis.*
*Hæc tamen haud miror, miror quòd tu liber unus*
*Vivaque tu solus Bibliotheca nites.*
*Quam benè nunc igitur tibi sacra volumina cerno?*
*Dantur enim quæ jam mente animoque tenes.*

*Ad Illustrissimum Dominum*
ANTONIUM MAGLIABECUM
*Biblioth. Sereniss. Magni Ducis,*
Cui inscribitur posthumum Accolti Opusculum.
*EPIGRAMMA.*

Hic Liber, ANTONI, qui te auspice prodit in auras,
Nil sibi, quàm laudes poscit habere tuas.
Sed facile haud uni est laudes apponere Libro
Solæ etenim totus vel liber esse valent.
Eloquium Latio, Tuscove nitore politum,
Quodque intenta sibi vendicat ora virùm.
Parnasi Lauros redolens, & Pallade plenum
Omnigena ingenium, sed tamen usque rapax;
Quod tota exhaurit veterum monumenta sophorum,
Ductaque per fastos sæcula longa suos.
Et mens virtutum studiosa; & amator honesti
Sinceræque animus cultor Amicitiæ;
Sunt decora ANTONI, ac dotes. ANTONIUS ergo
Immensa penè est amplior Iliade.

*P. A, App.*

*All' Illustrissimo, e Dottissimo Signore*
ANTONIO MAGLIABECHII:
*Alla cui Segnalata Virtù, da ogni parte del Mondo letterato, si dedicano libri, in prosa, e inversi: l'umil' Musa di P. A. App. consagra il presente*
SONETTO.

*DE' Laureti di Pindo entro il più fosco,*
*Vidi Pallade Apollò, e il Sacro Coro.*
*Qui voranno, diss' io serto d' Alloro*
*Tessere al saggio ANTONIO al mio gran Tosco.*
*Mà 'l contrario segulo: con ciglio losco*
*Guardava quelle Piante ognun di loro;*
*Perche inciso ne' tronchi, o scritto in oro*
*Dicea suo nome ogni Albero del Bosco.*
*Esclamò Febo allor: l' Emolo mora.*
*A Lui s' offre ogni Lauro, ogni Volume;*
*E nostra Deità più non s' onora.*
*Nò, Palla ripiglio: s' oltre il costume*
*Vivo, Eroe del sapere ogni Vom l' adora:*
*Per tal morto il terebbe anche ogni Nume.*

Al nome immortale
*Dell' Illustrissimo Signor*
ANTONIO MAGLIABECHII
*Bibliothecario di S. A. S.*
Si dedica un Libro di Benedetto Accolti giaciuto lungamente sepolto frà le tenebre dell' oblivione.
*SONETTO.*

L' Accolti, onor del Secolo, che visse:
Udì sacrarsi in riverente omaggio
Al nostro ANTONIO, di sua mente un Saggio.
Oppresso già dà tenebrosa ecclisse:
E al Libro suo dà Campi Elisij scrisse:
Vanne felice al MAGLIABECHI il Saggio.
S' auvien, ch' Ei vibri a te degli occhi un raggio
Chi fia mai, che le luci in te non fisse?
Saluta lo a mio nome, e digli ancora,
Ch' invidio la tua sorte; anzi l' Eliso
lo lascerei per sol goderlo un' ora.
Qui d' infiniti Eroi vagheggio il viso;
Mà più ch' il far con tutti lor dimora,
Mi renderia beato Ei sol diviso.

*Di P. A. App.*

*De Illustrissimo Clarissimo, Sapientissimo V. D.*
D. ANTONIO MAGLIABECHIO
*COSMI III.*
Magni Ducis Etruriæ Bibliothecario
*Ad Cl. V. vita functum D. Benedictum Accoltum Pallas,*
Protrepticon Francisci Berretarii.

*HÆc secura Accoltus litteraria Pegmata lustris*
*Pauca quaterdenis traxit ad Elysium.*
*Quæ Fati feritas! Dum vix intexta negabat*
*Forte Minervigenis subdere Judicibus,*
*Vel cito lusisset vitæ Libitina labores,*
*Abnuit assidua nocte videre diem.*
*Ast invita foret cum passa silentia Pallas,*
*Compellet tandem Martis ab Amne Virum:*
*Dignus adhuc memorande tuo, qui nomine sensus*
*Nempe reformidas hinc revocare gradus;*
*Ne vigil offendas, tu lumen habebis AMICI*
*Monstrantis dubias ire, redire vias.*
*Hoc te, qui melius per lumina aperta, per auras*
*Deducat Lethis Margine nullus erit.*
*Nullus, qui prestò, prodatque ad Numinis instar,*
*Quam meruere recens hæc tua Scripta fidem.*
*Sit, fueritque plaga Sapiens quacunque, vel inter*
*Secla Latina gerens, sive Pelasga moram;*
*Hoc tamen inferior: quem plusquam Anademata Lauri*
*Maxima fronte decent Encyclopædiaden;*
*Gratus enim de me perhibet, quæ solis ab ortu*
*Rursus ad Occasum providus ipse docet;*
*Non tam Codicibus Magni Præfectus in Aula est,*
*Quam viva ipse Magis Bibliotheca Sophis.*
*Themata quæque parum, de quo præconia solvas*
*Hujus ut Oraclis pagina nulla satis*
*Rhetores Historici, tribuunt cui cuncta Poetæ*
*E cunctis Unus MALIABECUS erit.*
*Illius hæc dicens rediviva sonantia terris,*
*Istius assumi Nomen ad astra jubet.*

*SERENISSIMO MAGNO ETRURIÆ DUCI*
COSMO III.
MNEMOSYNE
*Loquitur de Illustrissimo ejus Bibliothecario nulli secundo*,
ANTONIO (VELANTINOO) MAGLIABECHIO.
PROSOPOPOEIA.
*ODE.*

TEr Magne Princeps, cujus Etruria
Cœleste Regnum, Sceptra reciproca
Cœlo reformans: cujus ardens
ARBOR in Empyreo perennat:
Materna Quercus scilicet aurea:
Te, cui Coronam Sidera circinant,
Astris Olympi fœderata,
Lunigeris metuenda Regnis:
Te, cui paternam debet originem
Quæcunque Virtus Regia, Posteris
Regnanda Magnis; Te redemptrix
Mnemosyne veneratur ævi.
Munus Deorum non ego turpium:
Nec sum Dearum mater inanium.
Quas ritè jussit nuncupari
Gratia Superstitio Camœnas.
Mens sum paterni Numinis Arbitra:
Æquæva Patri filia commemor:
Virgo omnium fæcunda rerum,
Innumeris opulentà curis.
Sum, quæ perenni jure rotabilis
Diversa Mundi facta recenseo:
Cœlestibus transcribo Fastis:
Bibliotheca Polus Suprema.
Pars major altis insita Bibliis,
Ornansque biblos Nomine perpeti,
Est, mille regnatura seclis,
ROBOREA, & MEDICÆA Proles.
Ibi & BEATRIX, & VIOLANS Nurus.
Fulget beato vere feracior:
Quam propter Orbi mox Latino
Nomina Scipiadum peribunt,
Scio, quod Æther in VIOLA notat
Flores beandos Sanguine Regio:
Quot Noricus FLOS procreabis
MEDICEI Generis Nepotes.
Regina sum, quæ mentibus impero:
Et ultrò solum pareo Numini;
Parere nam Summo Tonanti
Imperij genus est Superni.
Etruriam tunc visere provolo,
Quando Lycei me juvat inclitas
Spectare Pugnas, ac inermes
Quando juvat numerare Palmas,
Factura tecum verba, superfluas
Exosa formas, ore Laconico
Nunc Ætheris Legata fabor;
Aure pia sapienter audi.
Me semper audit, quò feror alloquens,
Sceptrata Pubes, Gloria, Lux, Decor:
Æternitas ancilla, virtus
Assecla me sequitùr volantem.
ANTONIUM inter millia milium
Aulæ virorum, COSME, tueberis;
Dignabor ipsa me Patronà
Te, similesq; tui monarchas,
Sole ut renato prata fragrantia,
Camposque vernos diripiunt apes:
Amœna sic unus Librorum
Antinous populatur aura.
Auctu diserto copia florea
Crescit tenaci mentis in Atrio:
Mentem illi Athenarum capacem
Quippe dedi breviore giro.
Sol Literarum Sole nitentior,
Cui nulla nox est: cui nihil abditum;
Quà luce, quave fama, Eoas,
Occiduasque plagas serenat.
Vir multiformis: Vir tamen unicus,
Et nuncupandus vir quasi centiceps:
Centum, vel ultra, Nationum
Metropolis capitum sonora
Albertus heros jam capiti dedit
Voces aheno, plus sibi glorias;
Hic mille linguas; mille pennas
Carminis ad numeros lacessit.
Sortitus almo non sine Spiritu
Portenta largè pectoris uberis,
Mentisque, non Arno tumenti
Parcius eloquium profundit.
Quis non tonantes audiit impetus
Thusci Periclis? Tractus Atlanticus
Plausit cataclysmum fragoris,
Empyrei stupuère Portus.
Tantis redundans ipse Leporibus,
Tantisque nostris Dotibus auctior,
Ceu Tantalus, vel qualis hydrops
Quos bibit, usquè sitit Lepores.
Mentes, rogabis tergeminas habet?
Non, inquam: haberet Prodigii minus.
Vates Giganti tres triformi,
Tres animas Herilo dederunt.
Se siquid extra diffluit, illico
Totum resorbens ecce recolligit;
Contingit illi namque plena
Fusilis ingenii facultas.
Cum multa promit, plura recongregat:
Habet redundans, plus aliquid maris;
Quod promit, ex pleno redundat:
Quodque trahit, pudibundus arcet.
Non tanta linguæ flumina divitis
Fulsere ad umbras Socratis entheas:
Non tanta circum vel Canopi,
Sive codri Prytanea circum.
Montes Librorum montibus aggera
Portabit omnes mens Briareia:
Quod ferre non centena possent
Plaustra, vehit generosa cervix.
Suppone senis ORBIBUS integrum
Orbem: in tributum posce volumina,
Plus est Alumni mens librosa,
Quam tua BIBLIOTHECA crescens.
Laudum tuarum est meta, vel Orbita,
Vir, COSME, tantus, qui macrocosmus est;
Subdens tibi Orbem literatum,
Quando tibi caput ille subdit.
Prolixa forsan verba redarguo:
Pro me loquetur plura silentium;
Mundi loquentur sponte Regina.
Dum repeto taciturna cœlos.

*Author, in Servitutem, & non in adulationem compositus,*

Joannes Maria Poderetti, Acad. Infæc. componebat in monte S. Sabini.

*Ad Clarissimum, Summàque eruditione Virum*
Illustrissimum Dominum
*ANTONIUM MAGLIABECHIUM.*
ODE Dicolos Distrophos, ut VII. Horatij,
Federici Nomij.

a. *Laudabunt alij, quod clara in mente repostum*
*Serves, quicquid non perituris*
*Commisere Sophi chartis: Te tempora, dicent,*
*Causas, eventusque docere,*
*Ac si spectasses oculo subjecta fideli*
*Prælia, vel potius tibi gesta*
*Cuncta forent. Quantis unquam ruit acta procellis*
*Navis Pontificum, qui tenuere*
*Fluctus, quis certa ostendit sera littora Tiphys,*
*Sublatis erroribus esse*
*Narrabunt notum vivæ tibi Bibliothecæ.*
*Te addent, Phœnicem ingeniorum*
*Principibus placuisse viris; Gallum atque Britannum,*
*Et qui Bethim Danubiumque*
*Potant, adventasse, sacras dum Palladis artes*
*Quærunt, & viso te abiisse,*
*Spernentes urbem, & mediam qui dividit, Arnum*
*Cernere qua non pulchrior astris*
*Fert alia insignem cælato marmore frontem,*
*Quæ nitet in plateis, domibusque.*
b. *Nos has Naturæ studiique; Has numina dotes*
*Mortali gratis posuisse*
*Sæpe sinu, non dignas carmine Phœbi,*
*Pieridumque labore putamus.*
*Alba fides, priscis coluit quæ ætatibus urbes,*
*Integritas morum, scelere ullo*
*Non fœdata, piæ servatum tempore in omni*
*Fœdus Amicitiæ, superantis*
*Fata extrema, & falcem quæ vitat libitinæ,*
*Hæc nobis, aliisque canenda,*
*Ut discat nostras iteratis reddere voces*
*Clausa cavernis plausibus echo;*
*Ut Populi has geminent, fusus quos margine claudit*
*Extremo Oceanus Pater Orbis.*
*Et nostri sileant mundi confinia nulla*
*Nomen, quo ætas nostra superbit.*
*Quod si nos tanto Deus haud dignatur honore,*
*In te assurgent carmina sponte,*
*Et frondens veniet Dircæo Monte Corolla,*
*Ut spretà vireat caput, ergò*
*Plus meritò; Reliquas inter pudibunda Sorores*
*Nam medio Moderatio gaudet &c.*

2. Quia multi secuti sunt illud vulgatum Anagramma.
*ANTONIUS MAGLIABECHIUS*
*Is unus Bibliotheca magna.* & aliud
*Hic vates magnas nobilis.*

a. Laudant à felicitate memoriæ, & à magnitudine ingenij.

b. Auctor censet, magis laudandum esse à candore morum, & probitate vitæ, & à fide erga amicos suos etiam defunctos. Quare hæc Apponit Anagrammata.

*ANTONIUS MAGLIABECHIUS Florentinus*
*Annis fluet Cinis, habeto gloria munus.*

Carmen Jambicum Dimetrum.

*De te Deum dum sciscitor*
*Quid sit futurum? Redditur*
*Oraculum è Cœlo mihi:*
Habeto munus Gloria,
Annis fluet solus cinis.
*Vivet tuæ sic gloria*
*Virtutis, & nomen tuum*
*Vitabit undas fluminis*
*Lethes, quid ergo defluit.*
*Cinis caducus, & caro.*

Quamvis etiam ex multiplici lectione laudandum censeat, ut ostendit in sequenti novo de eodem Anagrammate.

ANTONIUS MALLIABECHIUS
*FLORENTINUS.*
Cato helluo in libris; Famæ sonus annuit.
*EPIGRAMMA.*

SI Cato librorum dictus fuit helluo, dici
Tu debes: Famæ hoc annuit ipse sonus.
Scriptor nullus erat, quem non lectum ille teneret;
Scriptores cunctos tu legis, & retines
Sed quo major adest nunc Copia, gloria major;
Vix Cato tot posset connumerare libros.

Sufficiant hæc pro explicatione Mentis Auctoris, cætera clariora sunt, quam ut verbis indigeant, cum de probitate Domini Antonii, de ejus facundia, de benevolentia erga Amicos, de frequentia Alienigenarum ad eum invisendum, de multitudine suorum Civium, qui in ejus Musæo quotidie conveniunt, de Commendatione sui nominis omnium literarum monumentis nunquam satis dici possit.

---

*Ad Illustrissimum Virum Philomusium*
ANTONIUM MAGLIABECHIUM
ODE.
*Tricolos Tetrastrophos.*
Jo: Baptistæ Tavecchi.

*QUem nunc Virorum Carmine Lesbico,*
*O Musa, dignis tollere laudibus*
*Paramus, & ornare? Virtus*
*Aurea quem superis coæquat.*
*Permesidos quis dignus honoribus*
*ANTONIO est plus MAGLIABECHIO?*
*Qui dicitur natus cerebro*
*Ex Jovis, & similis Minervæ.*
*Is tot librorum, sidera quot tenet*
*Cœlum, revolvit mole animi gravis*
*Volumina, & Cosmi Superba*
*Bibliotheca nitet decora.*
*Virtute cujus; factus, & Arbiter,*
*Et Meta confert lumina paginis*
*Doctis Amicorum, & papyrus*
*Visa suis oculis tumescit.*
*Multi virent Docti, sibi sed tenent*
*Fructus repostos, nec sapiunt aliis,*
*Ast hic Viro largè juvando*
*Dat sua corde lubens egeno.*
*Florentiam plures adeunt magis*
*Spectent ut altas Dedalea manu*
*Cæsas nitere ædes lapillis.*
*Qui variant, decorantque Templa.*
*Quid si haud vident illum laquearibus*
*Lucere plus multo omnibus aureis*
*Sculptis Pyropo? nil profectò,*
*Namque suum Caput instar Urbis.*
*Canam fidem qui temporibus novis*
*Non esse dicit Verba premat modò,*
*Moresque sanos non manere;*
*Nestoris est Italis Alumnus,*

---

Salutatio ad Bibliothecam
*Illustrissimi Domini*
ANTONII MAGLIABEQUII
*Magni Etruriæ Ducis Bibliothecarii.*

PAlladis, ac Sophiæ, Musarum, & Apollinis Aula
Salve. Ast hanc, Dominus Te facit esse tuus.
Pallade, ANTONIUS, Sophiaque & Apolline, Musis
Major, majorem, hæc Bibliotheca colit.
*Humil. & addictiss. Servus*
D. Joseph Barberius.

Ad eruditissimum Virum
*ANTONIUM MALLIABECHUM*
Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarium Illustrissimum
*EPIGRAMMA.*
D. Antonii Francisci de Cillis.

SI *genus omne libri, virtutis lumine pleno,*
*ANTONII vastum continet ingenium,*
*Sique modis miris, & docta mente, Minervæ*
*In varias linguas, vertitur hic Protheus.*
*Tantum nosse Virum satis est virtutis amanti;*
*Integra nam caput est bibliotheca tuum.*

Aliud ad Eundem.

QUod *prodit Mundo, duplici virtutis honore*
*Prodit, & æterno nomine vivet Opus.*
*Perpetuum faciet Scriptoris gloria, fama*
*Immortale, cui vota papirus erit.*
*Nam si connumerem dotum ornamenta; decoram*
*Virtutum Seriem, Maximus irradias.*
*Integritas morum, rerum prudentia, mentis*
*Candor, cordis amor, pectoris alma fides;*
*Relligio, pietas, animi moderatio, rectum*
*Nomen apud omnes, sunt tibi grande decus;*
*Hinc te concelebrat Sapientum turba Virorum*
*Et calamo, & linguis concita amore tui.*
*Quæ laudes veræ censentur præmia laudis;*
*Quippe hæc à doctis provenit orta Viris.*
*Ergo si tantum spectaris in orbe, Libellus*
*Non dat splendores, accepit ille tuos.*

*Illustrissimo ac Eruditissimo Viro*
De omni Republica litteraria optimè merito,
*ANTONIO MALLIABECHIO*
Serenissimi Magni Ducis Bibliothecario,
*Octavius Miccionius famulorum ejus minimus S. P. D.*

TAm frequenter de tua dicit humanitate *Federicus Nomius* Avunculus meus, tantis laudibus extollit eam, quæ in te viget omnium litterarum cognitionem, ut cum proditurum sit Opusculum *Benedicti Accolti Aretini* tuo nomini nuncupandum, ego rudis in musarum palestra elaborare studuerim adjunctum Epigramma, quo de tuis meritis aliquid indicarem, meamque tibi servitutem auspicarer; Tu utrumqve accipias rogo; Etsi enim famulus in præsentia rerum vivam inutilis, fortaisse assequar sudoribus, ut non indignus aliquando tua fiam clientelà. Et tibi optata quæque à D. O. M. precor. Datum *Monterchij* 5. Idus Octobris 1689.

*Pro editione opusculi*
BENEDICTI ACCOLTI ARETINI,
*Reperti ab Illustrissimo*
ANTONIO MALLIABECHIO
*Bibliothecario Serenissimi Magni Ducis,*
EPIGRAMMA.

O*Brutus immerito squallebat pulvere, cedro*
*Scribendus, Populi dignus & ore Liber,*
*Hunc videt ANTONI unus amor, subitoque jacentem*
*Erigit, ut vitam donet habere novam:*
*Subductà lethes benedictus flumine gaudet*
*Parte sui, Elysias integer ire domos.*
*Quid faciet vivis pia dextera, quando sepultos*
*Excitat, ac prohibet post fera fata mori?*

# VITA BENEDICTI ACCOLTI
## *J. C. & Historiographi celeberrimi.*

BENEDICTUS ACCOLTUS natus est anno Christianæ salutis 1415. Parentes habuit *Michaelem*, in Advocationis munere, & in Ordinaria Juris Civilis interpretatione *Florentiæ* Clarissimum, & *Margheritam Rozzelliam Aretinam, Roselli* J.C. filiam lectissimam fæminam. Humanioribus literis optime imbutus Jurisprudentiæ se totum addixit, cujus culturæ eam *Florentiæ* primùm, postmodum *Bononiæ* navavit operam, ut Doctoratus laurea non solum quamcitissime potiretur, sed etiam in publica docendi, & consulendi provincia, vel in ipsa *Italia* non infimum sibi locum vindicarit. Summum ejus Ingenii acumen, haud quidem impar subtilitati *Francisci* Fratris, cognomento *Aretini*, viri toto Orbe celeberrimi, ejus maximè Juris responsis emicuit, quorum nonnulla unà cum multis Soccini impressis, alia cum collectis per *Zilettum* edita circumferuntur, plura verò manuscripta servant *Leonardus*, & *Petrus* fratres, Juris Consulti in ejusdem *Benedicti* eorum gentilis de illis optimè meriti, memoriam, in lucem aliquando edituri, ne singularis doctrinæ lucubrationes in tenebris perpetuo delitescant. Nec politiorum literarum argumenta *Benedictum* deseruisse testatum ex iis, & clarum est, quòd in Academias *Florentinas*, eruditionem profitentes summo cum honore fuerit ascitus, quòd de præstantia Virorum sui ævi Dialogum scitissime conscripserit, quòd Historiam de Bello sacro brevi quidem, sed clarissimo eloquio recitarit, quorum alteram *Cosmo* Patri Patriæ, alteram *Petro* ejus filio dono placuit obtulisse, tantisque Viris dicasse, ut suæ erga *Mediceos*, in excelsa *Florentina* Republica proceres, observantiæ signum præberet, quam universa postea *Accoltorum* familia in cunctos felicissimæ hujus stirpis Principes Viros perpetuò retinuit. In eoque scribendi genere is ita *Salustium*, *Cæsarem*, *Curtium*, suprema historiæ latinæ lumina, est imitatus, ut cum eis conferri jure posse multorum consensu videatur. His igitur dotibus, atque virtutibus ornato facilè admodum fuit, supremum à Secretis munus apud Florentissimam Rempublicam assequi, quod per septennium morte terminavit, cujus sibi injunctæ provinciæ, & virtutis testimonium extat luculentissimum; quatuor tum expositorum negotiorum, tum epistolarum libri ad exteros Principes, & Respublicas, qui, elegantissimè ab eo conscripti, *Florentiæ* in publico Archivio servantur. Non ei in *Aretina* patria defuit Princeps Nobilium gradus, non etiam lecta nobilitas penes *Florentinos*, non decor à liberis ex *Laura Federigia*, *Caroli* Juris Consulti, & Patritii *Florentini* filia susceptis, non à Nepotibus; *Petrus* siquidem Jurisperitorum sui temporis fama, & re præstantissimus, in Sacra Rota *Romana* viginti quinque annis Auditoratus munere functus, ut præmium virtuti daretur, in Purpuratorum Patrum Collegium à *Julio* II. octavo ejus Pontificatus anno cooptatus est; filius alter, *Bernardus* cognomento *Unicus*, omni litterarum, atque nobilissimarum Artium peritià insignis inter celebres illos ea tempestate *Urbinates* Academicos ascitus à *Leone* X. anno M.D.XX. *Nepesis* Dominatu donatus est; *Benedictus* ex *Michaele* filio nepos *Clementi VII.* fuit

fuit à Secretis, ejuſdemque Pontificis munere, inter primos ad Cardinalatus Apicem ab eo promotus eſt; *Franciſcus* denique ſupradicti *Michaelis* filius, eodem munere *Anconitanæ* Eccleſiæ præfuit Antiſtes. Obiit BENEDICTUS *Florentiæ* anno M. CD. LXVI. ætatis ſuæ 41. Perennis tamen ſervatur fama illius virtutis; permulti etiam, iique graviſſimi Scriptores, perhonorificam de eo mentionem fecere, *Hioronymus Gigas* in epiſtola ad *Tractatum* de Penſionibus, *Ludovicus Romanus*, *Marianus*, & *Bartolomeus Soccini* frequenter in ſuis Conſiliis, *Joannes Tritemius in Hiſtoria de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Silveſter Aldobrandinus Clementis VIII.* Pater in additionibus ad *Decium de Officio delegati*, *Marſilius Ficinus in ſuo primo Epiſtolarum libro*, *Podius in Opuſculis*, atque alii, qui ſingularem prorſusque incomparabilem tanti viri virtutem, & pleno ore commendare, & poſteros, hujus exempli, ſummam trahere in admirationem conſuevere.

# BENEDICTI ARRETINI PRÆFATIO.

## *Ad Clariſſ. Virum* COSMAM MEDICEM.

*LEGENTI mihi ſæpiùs eorum libros, qui ornate, copioſéque Antiquorum res geſtas, vitam ac mores deſcripſerunt; felices multùm illi fuiſſe viſi ſunt, quibus contigit ab his referri virtutes ſuas qui eas tradentes literis, magnam & immortalem eis gloriam pepererunt; quâ conſecuti ſunt, ut nedum perennem in Cœlis vitam, ſed in terris etiam, poſt corporis mortem, habuerint. Quo quid beatius, quid à cunctis optandum magis reperiri poteſt? Etenim cunctis eſt idem vitæ exitus, eadem naturæ vivendi norma, eadem ferè carnis infirmitas, idem corporis & animorum ſenſus: quod ſi in hoc æquali ab initio omnium curſu quidam ita egerunt, ut ſapientiâ & doctrinâ, vel virtutibus reliquis, cæteris præſtantiores haberentur, & inter hominum commune vulgus eminerent; merito eos claros ac felices eſſe, ſapientes tradiderunt, qui circa laudabiles verſati res, magnam apud gentes laudem conſecuti ſunt. Sed longè felicius cum illis actum cenſeo, quorum nomen & gloria non cum ipsâ vitâ interiere ſed æternâ famâ ea poſteritati literæ conſecrarunt, quam cum his, qui licèt fuerint præſtantiſſimi, tamen digno virtutum ſuarum præconio caruerunt, quorum memoria penè obſcura eſt, & apud gentes obliterata. Ex quo quidem accidiſſe intelligo, prædicari apud omnes conſueſſe, vetuſtiora ſecula magis abundaſſe præſtantibus viris, quàm ætatem noſtram vel ſuperiores proximas, quoniam veterum geſta & mores innumeri rerum ſcriptores celebrarunt, ea verò quæ longè poſtea geſta ſunt, magnâ ex parte penè interierunt ob ſcriptorum inopiam. Pauci enim reperti ſunt, qui in eo ſcribendi genere laborare voluerint, eo ſaltem eloquio quod ab eruditis viris velut ornatum & excellens probaretur. Nam quæ ab indoctis tradita ſunt, velut minus digna, parùm virium ad ſummos illuſtrandos viros habuere. Quæ cùm ego aliquandò verſarem animo, doleremque, idcircò à multis poſtremas ætates velut inutiles & malas argui, veteres vero ſummis laudibus ferri: parumper otium nactus libellum edidi, qui non ſolùm ævi noſtri, ſed prioris etiam mediocrem defenſionem contineret. Quem ego tuo Clariſſimo nomini dedicavi, non quo te dignum opus ſit, ſed quò clarius amor in te meus innoteſcat; & Liber ipſe, ſub tuo tutior nomine ac judicio, majorem auctoritatem conſequatur; præſertim apud illos qui magis odio vel invidiâ, quàm recto propoſito illi detrahere niterentur. Eâ enim ſapientia, eâ doctrina, eâ ingenii vi te præditum omnes intelligunt; ut te non ſicut humanum hominem, ſed tanquam divinum & ex Cœlo lapſum admirentur, & tantum tuo judicio tribuant, ut nullo modo illud falli poſſe arbitrentur; nec immeritò. Dediſti enim apud Italos omnes virtutis tuæ documenta permaxima, quorum fama per univerſum penè Orbem diffuſa eſt. Et ne quid tibi, aut tuæ fortunæ deeſſet, Filios præſtantiſſimos & tui ſimillimos patriæ genuiſti, qui tuis inhærendo veſtigiis, generis nomen & gloriam conſervabunt, atque hanc Rempublicam unice ſemper diligent & tuebuntur. Nec vereor abs te præſumptionis argui, quaſi rem aggreſſus, quam non omninò amplè, nec ornatè ſatis explicare potuerim, in hoc ſcribendi genere minimè verſatus. Quanquam pro tuâ ſapientiâ opinabere, me, non ut magiſtrum, ſed ut non ignarum diſcipulum, quid in hac re poſſem, experiri voluiſſe. Quod ſi tuo judicio non ineptum me eſſe cenſero; audacius poſt hac diſciplinis & literis incumbam, tuo nomine atque auxilio imprimis fretus.*






BE-



# 43 BENEDICTI ACCOLTI ARETINI DE PRÆSTANTIA VIRORUM SUI ÆVI DIALOGUS.



NUper cum apud Amicum quendam plures convivio Cives, & ipse simul comiter recepti essemus, ac post epulas quædam (ut solet) joci gratiâ inter nos facete dicerentur: tandem in eum sermonem incidimus, ut quærerent quidam: *Veteres ne illi, quorum adeo celebre nomen est, virtute seu peritia illarum artium quæ ad liberos pertinent homines, his, qui nostra ætate, vel etiam longe prius fuerunt, Viris præstitissent.* Cumque ego nonnulla protulissem, quibus docebam: *vetustis seculis ejusmodi rerum non omnino palmam concedi oportere*; commotus meis verbis adolescens quidam, qui nobiscum aderat, literarum eruditus,
44 me compellans: Ego, inquit, existimo, te hujusce temporis benevolentia victum, simul etiam ne illi succenscre videreris, non eam, quam animo concipis, sententiam exprimere voluisse. Sed cum juxta Philosophi scitum; veritas, quam amici, magis in honore sit habenda, ego illi obsequens, his qui adsunt facile ostendam (si modo æquas præbeant aures) te blandiri potius quam vera proferre studuisse. Neque enim nescius es, peritos fere omnes, qui Antiquorum res gestas, & Philosophorum, & aliarum artium doctissimorum libros perlegerunt in hanc sententiam convenire, atque ita quosdam etiam literis tradidisse, ut existiment: *Veteres illos majores nostros disciplina rei militaris, & prudentia in rebus publicis privatisque & ingenio & doctrina liberalium artium, atque etiam moribus & integritate vitæ, hujusce & proximarum ætatum hominibus longe fuisse superiores.* De illis autem loquor, qui vel apud *Græcos* & *Macedones* quondam, vel apud *Pœnos*, *Romanos*que vigente Republica vel parum postea sub *Romanis* Principibus floruerunt. Si enim (ut à Bellicis incipiam) percensere velis quot & quam excellentes rei militaris Duces temporibus illis extiterunt, qualesque & quam amplissimas res gesserunt; simul etiam militum mores, temperantiam, fortitudinem, laborum tolerantiam, tenuitatem victus, Imperatoris observantiam, expeditionis ordinem, castrorum disciplinam: facile, ut opinor, nostris illos aut superiorum ætatum
45 viris antepones. Nec minus in regenda domi Republica, & privatis moribus, & sanctimonia vitæ, temporibus illis multi clari viri evasere;
A seu Gentiles prius, seu etiam Christianos postea enumerare velis, quorum maximus fuit numerus in omni virtutum & probitatis genere. Ut enim de reliquis taceam; quam multos ex illis *Atheniensis* civitas tulit, plurimos *Lacedæmon*, *Thebæ*, atque etiam *Achæi*: multo plures *Romana* urbs, qua nulla in omni virtutum gradu clarorum virorum feracior fuit. De civibus nunc usque loquor. Enim vero si Principes egregios, aut earum ætatum Reges optimos consideremus, sive etiam Tyrannos, qui per universum fuerunt Orbem, tam multos fuisse ac tales reperies incredi-
B bili virtute ac pene divina, ut pudendum nimis sit, tam magno excessu nos ab illis esse superatos. Quem enim nostrorum, vel qui à sexcentis annis citra fuerunt, Regum aut Principum alteri ex illis vel minimo comparabis? seu bellicas laudes, seu mores vitamque domesticam, seu literarum peritiam, seu prudentiæ, justitiæque modum, sive etiam continentiæ, clementiæque gloriam contemplere. Quid de veteribus Philosophis, Oratoribus, Jureconsultis, Poëtis, & Mathematicis dicam? quorum tanta fuit copia, ut vix à quoquam enumerari possint: tam admirabilis doctrina, ut nullo modo superari posse videantur;
C nec quisquam postea repertus est, qui tales viros etiam longo intervallo valeret imitari. Theologos vero ac sanctos Christianæ Religionis adeo multos prima tempora tulerunt ab ipsis fidei cunabulis, ut totum Orbem impleverint nominis sui 46
gloria, ut & ab ipsis stabilita ac tandem firmata Christiana Religio verissime prædicetur. Quantum enim in nobis est & Religiosis istis, quos nostra tulit ætas, & quos quotidie videmus aut nominari audimus, nisi benignitas Dei & misericordia restitisset, jam pridem lacerata penitus fuisset ac submersa. Et ut à secularibus exordiar
D (ne quis forte criminandi Clericos me cupidum existimet, si primum de illis recenserem:) Nonne vides Populos fere universos jam dudum avaritiæ, luxui, atque inertiæ, malisque omnibus ita deditos atque additos, ut spretis liberalibus artibus & pro nihilo ductis, atque ipso Redemptore Domino Deo nostro & præceptis ejus posthabitis; solum terrenis desideriis inhiantes, nihil aliud quærant vel investigent, nisi quemadmodum libidines ac voluptates expleant suas, & divitias cumulent, quarum habendi gratia nullum scelus, nullam injuriam, nullum denique fraudis aut rapinæ genus prætermittunt; &, quod deterius est, dum talibus incumbunt pertinaciter

quidem & obſtinato animo, tamen ex illis quidam ita Divinis vacant officiis, ita frequenter peccata confitentur, ut mirum ſit, quomodo illos divinitas tamdiu ferat, qui illam & ſanctiſſimos ritus ſuos tam turpiter irrident, pœnis nimirum omnibus digni; qui, ut ſecurius fallant, bonorum perſonas & mores profitentur, omni vitio coinquinati; & ſicut Redemptor dicit: labiis illum honorant, cor autem ab eo longe remotum
47 eſt. Operæ pretium eſt, intueri plurimos, qui paſſim ubique, præſertim in hominum cœtu, de conſcientia, de vitandis malis, de beata vita, de Divino cultu ita frequenter diſputant, ut nihil à Sanctiſſimis viris differre videantur. Si quis autem illorum vitam ſubtilius inſpexerit, diligentius conſiderarit, reperiet eos probris omnibus contaminatos, nil aliud quærere, niſi quemadmodum, deceptis populis, potentes ac locupletes fiant, alienæ fortunæ invidi & inſidiatores, ſuperbia tumidi; & imprimis hoc malum, hæc peſtis Reſpublicas invaſit. Qui enim in civitatibus honores & Magiſtratus cupiunt aſſequi (& illos præcipue, quibus opes poſſunt comparari) ante omnia ſe fingunt Divinitatis cultores; Sacra jejunia, orationes, Miſſarum ſolemnia frequentant; juſtitiam in ore ſemper habent; alienas injurias, malos in Republicâ mores verbis acerbiſſime deteſtantur: at cum optatum ſunt gradum aſſecuti, priora, quæ fingebant, valere ſinentes, tunc demum quales ſint ſe oſtendunt; avaritiâ, ſcilicet, crudelitate, ſuperbiâ, immanes; ad flagitia & proditiones promptos ac paratos. Qui vero non hac incedunt via, tamen ſua Reipublicæ commodis præponunt, & nihil faciunt aut conſulunt, niſi quod ſibi ipſis videatur conducere. Res autem publica deſeritur. Quotus enim quisque eſt, aut jamdiu fuit, qui vitam ſuam, liberos, fortunas omnes pro Patriæ commodis paratus fuerit abjicere? ſeu qui gravitate morum, egregia prudentia, optimis conſiliis, magna eloquentia civium animos conſueverit regere, & ad re-
48 ctum iter flectere? Quin potius omnibus in locis peſſimus hic cunctis inolevit mos; frontes lætas oſtendere, omnia polliceri, fidem omnibus promittere, factis vero contraria agere; malis artibus quemque allicere; ſuæ potentiæ ſtudere; ſeditiones & procellas civiles concitare; modo harum, modo illarum partium eſſe; non ad voluntatem ſuam, ſed aliorum loqui; verba, conſilia hominum captare, atque illa aliis clam referre; indignos quosque ad dignitates provehere, dignis vero & bonis inſidiari, invidere. Unde, non optimus quisque ad Magiſtratus & officia, ſed impudentiſſimus nequiſſimusque deligitur. Has tu Reſpublicas antiquis illis comparabis? Ubinam ſunt *Catones*, *Lælii*, *Scipiones*, *Fabii*, *Claudii*, *Fabritii*, *Ariſtides*. *Solones*, *Lycurgi*, & horum ſimiles infiniti? qui jamdiu ſuas Provincias, ſuas Civitates illuſtrarunt? Tales, ut retuli, ſunt hodie hominum artes, quibus ſe beatos fore perſuadent, & eo amplius, quo ſua uberius deſideria conſequuntur: Iſtis, qui aut Philoſophiæ, aut cæteris bonis artibus vacant, illudentes; eos plane beatos arbitrantes, qui fortunæ muneribus abundant, reliquos vero, vanos & inſipidos qui literis incumbunt, ſapientia divites, pecunia egeni. Quo circa eveniſſe vidimus, ut perpauci ſint qui bonarum artium doctrina delectentur, præterquam Juris Civilis, aut Canonum, non amore quidem ſcientiæ, ſed quia hujusmodi facultatibus, quibus omnia reguntur, omnes indigent; & ideo ex illis facilius pecunia & honores cumulantur. Quas enim tu hodie Philoſophorum, aut Rhetorum, aut Poëtarum,
49 ſicut olim ſcholas vides? aut quos nobiliſſimos Mathematicos vidiſti? & ſi hæc nunc rara ſunt

A (quo tempore parumper literarum ſtudia ſurrexerunt,) ſuperioribus certe propinquis ſeculis vel nulla fuerunt vel rariſſima. Tunc enim nulli penitus Poetæ, nulli Oratores, pauci Philoſophi, reperti ſunt, & illi ipſi nedum antiquorum ingenia vincere, ſed ne ad illa propius accedere voluerunt, ſicut ex eorum libris licet diſcernere. De noviſſimis eadem etiam poſſumus dicere, quorum doctrina ſeu eloquentia nequaquam veterrimis ſunt comparandæ. Nec certe ſe melius nunc diſciplina militaris habet; nulla in Ducibus bellorum peritia, nulla in militibus modeſtia, fortitudo, aut continentia; nulla Ducum reverentia
B reperitur; in hoſtes ſunt timidi, in amicos feroces, contumelioſi, immanes, & mercede conducti; nil aliud quærunt, niſi quemadmodum auro plurimo abundent, & miſeros decipiant Populos, ſeu Principes: neque enim illis curæ eſt, bella finire, ſed immortalia prorſus facere; unde raro ab eis aliquid egregium perpetratur facinus; & nedum urbes, ſed nec etiam exigua oppida, ſeu parva caſtella, niſi vix atque anxie perraro expugnantur. Nullus in eorum caſtris ordo, nulla prorſus viget diſciplina, non caſtris idoneum locum capiunt, non illa vallo & aggeribus & ligneis
C turribus circumdant, non cuſtodiæ, non vigiliarum, non cibi, non quietis modus adhibetur, quisque ſibi Dux eſt & Magiſter; & dum in prælio ſunt, ita ſe acies atque ordines confundunt, ut nullum aut exiguum Ducis officium eſſe poſſit, & omnia temeritati fortunæ committantur. Ar- 50
mis autem ita onerantur Equites, ut vix integram horam in ipſo pugnæ diſcrimine queant ſufferre, fracti armorum pondere, ac debilitati: & ſi quando accidit, ut ex equis deſcendendum ſit, nullius ſunt aut roboris, ſed velut ſtupidi & enervati facillime capiuntur. Mirari etiam ſoleo, cum lego, antiquos magnos exercitus invias pene Al-
D pes tranſiſſe, longinquas Provincias peragraſſe, inopia rerum circumventos tamen ſe ſuſtentaſſe, difficultates, labores omnes ſupra humanam fidem toleraſſe, exercitus plurimos fudiſſe, urbes multas, caſtella innumerabilia cepiſſe: quanam facie, quo jure hi noſtri Duces aut milites ſe illis anteponunt? viribusne corporis? At illæ ex bona corporis habitudine, ex continentia & exercitatione aſſidua ſolent perfici & augeri. Sed, ſi graviſſimis auctoribus credimus, robuſtiora tunc corpora, quam nunc tellus producebat. Majora certe de illis fortitudinis facinora, quam de noſtris prædicantur, atque etiam crebriora. Illi item ſem-
E per in armis, in laboribus variis, continuo corpus exercebant, nunquam otioſi: Noſtri vero maxima temporis parte in delitiis & conviviis, inter ſcorta & libidines ebrietateſque verſantur: nullo imperio, nulla diſciplina coërciti, An aſtu, ſeu dolis? Sed pleni ſunt hiſtoriarum libri, quibus liquet, maximos Duces magnis conſiliis, profundo aſtu, nihil temere, ſed graviter omnia geſſiſſe; magiſque apud illos laudari ſolitos, qui induſtrie prudenterque ſe habuerunt, licet à fortuna deſtituti; quam qui nullo conſilio nullis artibus hoſtes ſuperarunt. An tenuitate victus, vel animi 51
F magnitudine? At illis cibus non niſi durus & auſterus erat; delicatas epulas omnino neſciebant: magnitudine animi ita præditi, ut nullum laborem, nullum penitus periculum recuſarent, cum victos mors maneret, aut miſerrima ſervitus. Sed iſti, cum poſſunt, lauta obſonia, pretioſa vina diligentiſſime inquirunt, & nulla alia re, niſi timiditate, inſignes, ita ſe armis tegunt, ut nullum in acie, niſi laſſitudinis periculum ſubeant: ex hoc præcipue inutiles. Unde accidit, quod in magnis præliis, in multorum numero, vix decem ferro pereant: gravia etiam, ſi quando imminent, pericula,

ricula, ignavissime fugiunt, ne in hoc quoque
parentes Ducibus. An celeritate res conficiendi?
Sed illis præcipua cura sollicitudinis erat & citius
Provincias peragrabant, nationes subigebant, ur-
bes expugnabant, quam isti se ad iter cum suis
impedimentis præpararent: quos si in expeditione
paulum cibi inopia pressierit, incepta deserunt,
nec mercenarii Duces seu milites sub imperio pos-
sunt contineri, & decem millibus hominum vix
sufficiens victus potest inveniri. Postremo illud
libet etiam referre quod veteres Duces, Milites-
que inter ipsa bella, Sacra, cærimonias, ritus o-
mnes erga suos Deos observabant; eorum tem-
pla atque aras præcipue venerabantur; & ab illis,
ante omnia, felicitatem in præliis precabantur;
nil virtutem suam profecturam arbitrantes, nisi
Deos propitios habuissent. Contra vero quicquid
blasphemiæ ac sceleris in Deum, aut illius Mini-
stros dici, fieri, vel excogitari potest, dicunt &
52 faciunt nostræ ætatis Militares Viri: Nec occul-
ta refero sed omnibus nota & manifesta. Quocir-
ca magnopere Dei patientiam admiror, quod non
illos jamdiu hiatu terræ absorbuerit, ut ab eorum
injuria liber fieret terrarum Orbis. At enim hu-
jusmodi hominum scelera hi, quos Clericos aut
Religiosos appellamus, sanctimonia, exemplis &
increpatione sublevant; & eorum vita atque o-
rationes, apud ipsum intercedunt Deum, ut tan-
torum malorum obliviscatur: & suprema sua pie-
tate, vitia nostra cum eorum virtutibus com-
penset, & nobis juxta demerita, pœnas meritas
non infligat. Imo vero ita turpiter vivunt, ita
se scelerum maculis inquinant, ut si quis mores
ac vitam illorum indagarit, reperiet nos in omni
vitiorum genere longissime ab illis esse superatos;
ut magis timendum sit, ne ipsorum luxuries,
velut magis abominabilis, nobis, qui illam tole-
ramus ac fovemus, causa sit malorum omnium.
Quis enim existimabit eorum preces, quas in
Templis fundunt, prodesse hominibus, quæ eos-
dem non juvant: quoniam in Literis refertur
Sacris, quod non pœnitentes peccatores non exau-
dit Deus? Absonum enim & rationi contrarium
est, pro suis aliquem & alienis delictis deprecari
animo depravato & ad ipsa flagitia semper pro-
no. Tali quidem orationi corda discrepant, quo-
rum intentio Deum ipsum non latet. Quo fit,
ut hi, quos nobis velut Magistros & Custodes de-
dit Omnipotens, ut quorum precibus & meritis
peccatis hominum ignosceret; malis exemplis &
contraria, qua ducunt via nos una secum in præ-
53 cipitium trahunt. Populi namque qui literarum
non vacant studiis, dum frequentes scelerum la-
bes in Pastoribus ipsis conspiciunt, eò erroris ad-
ducuntur, ut vehementer dubitent, an vera sint,
quæ Divinis præceptis & eruditionibus illis sunt
tradita, quoniam existimant, si præceptores ipsi,
quæ prædicant, vera esse crederent, nequaquam
tam abominabiles ritus sequerentur, nec cum
ipsorum vita pugnaret oratio. Intueri licet Car-
dinales, Episcopos curiam denique totam, qui-
bus maxime vacent officiis. Nonne liquet univer-
sis, quod illorum vel præcipua cura est, avari-
tiæ, crudelitati, gulæ, luxuriæ inhærere: Ec-
clesias, Beneficia omnia, indulgentias, justitiam
ipsam, venalia habere: miseros Christianos fal-
lere; litibus infinitis implicare, discordias & scan-
dala inter homines serere: cum omni pompa, ser-
vis plurimis stipatos incedere; nihil denique aliud
quærere, nisi quemadmodum cuncti eos timeant
ac ut Deos venerentur. At si saltem inter tot ma-
la vel disciplinis ipsi incumberent, vel earum pe-
ritos item viros optimos diligerent, essent quippe
minore odio digni, ut pote qui se non omnino
virtutis inimicos profiterentur. Cum vero ipsi
A bonos omnes & Literatos oderint & ludibrio ha-
beant, quis posset tales homines ferre? quis non
debet eorum ritus, mores & superbiam detestari?
Novi ego plures nostra ætate viros doctissimos,
qui cum omni conatu, præter quam pecuniis, ni-
terentur, nullum aut exiguum in curia locum in-
venerunt. Contra vero si qui fuerunt, vel sunt,
adulatores, mimi, lenones, aut scelerum ministri,
vel pecunias offerentes, hos cupidissime recepe- 54
runt, illis beneficia, illis honores, illis officia con-
cedunt. Quo fit, ut etiam qui à natura bona sunt
indole, acerrimo ingenio; intelligentes nihil aut
B parum in virtute opus esse, sese tempori accom-
modant, & quam unicam ad consequenda præ-
mia viam cernunt, illam capiunt. Unde accidit,
sæpius optima ingenia corrumpi, & in præceps
ferri: cernunt enim qui in virtutibus confidunt,
alios ad honores provehi, se vero pro nihilo ha-
beri aut duci, atque illud à bono poeta verissi-
me dici; magnos, scilicet, & locupletes didicisse
jam tantum admirari, tantum laudare disertos.
Atqui morbus iste non solum apud ipsos cleri
Principes, verum etiam apud omnes fere Religio-
sos increbuit. Dies certe me deficeret, si pergam
sigillatim Sacerdotum, Fratrum, aut Monacho-
C rum, adulteria, stupra, lenocinia, avaritiam, pro-
ditiones, discordias, improbitatesque referre. Il-
lud vero in summa dixisse velim, quod omnibus
fere manifestum est; longo jam tempore, magna
omnia flagitia aut per illos, aut cum illis esse per-
petrata. Quo magis stomachari soleo, audiens
quosdam in suggestis, non spiritu ductos, sed
inani gloria ea frequentissime carpere, quorum
ipsi principes & artifices reperiuntur; nec ferme
aliud inquirunt, quam, ut devotos plurimos ha-
beant, quorum marsupiis & substantia fruantur,
& cum quibus aliquando voluptates expleant
suas. Vidimus nuper quendam Minorum Ordi-
D nis Fratrem, qui adeo cæcas hominum mentes
deceperat, ut omnes post illum abirent, velut san- 55
ctum & mirabilium factorem operum. Vulgo
enim fama erat, ipsum plures variis oppressos lan-
guoribus sanasse, cæcis visum reddidisse; audire
surdos, & mutos loqui fecisse. Ipse vero non ut
Sanctos decet, hujusmodi gloriam fugiebat; sed
ultro se offerens, miracula ipsa velut mercem ali-
quam pollicebatur, & non solum vulgus, sed
etiam Fratres illi astipulabantur, ad id nimirum
intenti, ut obsonia & eleemosynas haberent cre-
briores, atque illas nacti, populos clam suæ teme-
E ritatis irriderent. Stupor erat, cernere circa illum
catervas languentium, qui undique confluebant,
turbam gentium infinitam, quæ per oppida & vi-
cos illum sequebatur; & cum nihil penitus face-
ret, quod esset admiratione dignum; cum deni-
que plures nossent ipsum publica infamia nota-
tum, tamen is erat animorum ardor, ea cuncto-
rum fides, ut nihil quo vanior eorum opinio fie-
ret, auribus admitterent. Res fuit profecto pessi-
mi exempli, ut quæ apud multos verissimas san-
ctorum res gestas in dubium revocaret; quod
intelligerent eadem etiam tunc evenire potuisse:
F non recte tamen, nec sapienter judicantes. Quo-
rum enim vita cum operibus vere fuit admira-
bilis, eorum perpetua & stabilis permansit glo-
ria quorum vero fucata coloribus falsarum re-
rum fama exorta est, quia fragili fundamento
nitebatur, cito corruit; atque obscurata est; sicut
de isto accidit, cujus nomen pene ex hominum
memoria deletum est, & qui tandem ignominio-
sa morte vitam finivit suam. Sed redeo unde di-
gressus sum. Sæpenumero quoties mecum repu-
to, quales se nobis præstare debent clerici, quam 56
immaculatos, quam inreprehensibiles, ut Apo-
stolus ait; quot & quam mirabili virtute, peri-

tia, prodigiis multis, priſcis temporibus ex illis claruerunt, ſummis in anguſtiis & inopia rerum omnium conſtituti, abjecti, viles, & pro cœno habiti; mirari cogor, quænam fuerit cauſa, qua hi noſtri temporis ſacerdotes tantum à majoribus ſuis degenerarint. Illi enim undique circumſepti inimicis, fame, frigore, perſecutionibus afflicti tamen firmo in propoſito permanebant, & nil penitus moliebantur quod ſummo DEO diſpliceret; parati ne ſecus agerent, vitam ipſam relinquere, qua nihil carius apud mortales eſſe poteſt. Hi vero in pace, in otio, inter Chriſtianos, in divitiis multis ab ipſo DEO poſiti, vehementer ingrati inter ſe certant quonam modo alter alterum vitiis poſſit ſuperare, & ſeculares docere ipſorum improbitates imitari. Illi enim docere debent nos verbo quidem & exemplo, quod DEUM & Dominum noſtrum ſuper omnia diligamus. Ipſi vero, DEO ipſo relicto, in terrena rapiuntur & caduca, & ut ea conſequantur Divinis Officiis incumbunt non devotione aliqua, nec fide, ſed ut per haſce vias ſuis concupiſcentiis fruantur, Hypocritæ triſtes, DEO inviſi. Item verbis inſtruunt, ut nos invicem amemus, ut concordes ſimus, ut nulla inter eos ſcandala feramus: at ex eis alius alium gravi odio, ſeditione, crudeliſſimis inimicitiis inſectatur, & ita inter ſe diſcordiis, ambitione, invidia, maledictis æſtuant, ut in eorum conventu nulla quies, nulla pax poſ-
57 ſit reperiri. Hortantur aliquando populos ut alienis mulieribus, ut à puerorum coitu, ut à furto, à rapinis & injuriis abſtineant, ſed ipſi adulteria, fornicationes, ſtupra, furta, rapinas, frequentiſſime exercent: ita ſecularibus infenſi, ut nullum injuriæ genus prætermittant. Quibus rebus fit ut pro paſtoribus, ſicut ajunt lupos habeamus. Sanctum aliquem miraculis clarum, multos ex eis doctiſſimos, jamdiu vidit nemo. Quinimo, quos vocant ſeculares clericos, imperitos fere omnes cernimus. His igitur, quæ ita breviter perſtrinxi, ſatis liquet, niſi pervicaces velimus eſſe; noſtræ aut ſuperiorum ætatum viros antiquis longe impares fuiſſe, & fere in cunctis inferiores.

Tum ego. Non inficior quidem ex viris illis, quos prima ſecula tulerunt, multos fuiſſe claros atque illuſtres, ſicut ipſe dixiſti; nec quiſquam eſt à literarum ſtudiis non abhorrens, qui id plane non fateretur. Addo etiam, ex eis nonnullos extitiſſe in ſuo quemque genere virtute tam eximia, ingenio ita mirabili, fortuna tam ſecunda, ut eis ſimiles nulli poſtea reperti ſint. Et ut de pluribus ſileam fatemur *Caïo Cæſari*, *Magno Alexandro*, *Scipionibus*, *Hannibali*, *Pompejo*, *Pyrrho* Epirotarum Regi, *Cajo Mario*, *Camillo*, *Fabio*, & quibuſdam aliis tum *Græcis* tum *Latinis*, in re militari neminem æqualem reperiri potuiſſe. Addo etiam, ſi placet, fuiſſe plurimos, licet non ita in arte illa ſublimes, tamen egregios valde ac probatos duces. Milites etiam illorum temporum fuiſſe meliore diſciplina, majoribus viribus, majore continentia præditos, & in omni actione
58 bellica magis exercitatos, quam hi quos vel noſtra vel ſuperiora ſecula viderunt: non omne quidem nec omnium locorum, ſed *Latinos*, aut *Græcos*, ſive etiam *Afros*. Neque etiam in Philoſophia quemquam alium *Platoni*, *Ariſtoteli*, *Theophraſto*, *Carneadi*, & ſi qui fuerunt illis ſimiles, poſſe comparari. Nec in Eloquentia *Ciceroni*, aut *Demoſtheni*, aut *Æſchini*, *Demadi*, *Lyſiæ*, *Iſocrati*, *Craſſo*, *Antonio*. Nec in Mathematicis *Ptolomæo*, *Euclidi*, *Nigidio*. Nec in Hiſtoria *Livio*, *Salluſtio*, *Herodoto*, *Thucydidi*. Nec in Poëticis *Homero*, *Pindaro*, *Sophocli*, *Menandro*, *Euripidi*. Aut ex noſtris *Virgilio*, *Naſoni*, *Statio*, *Plauto*, *Terentio*, *Juvenali*, *Horatio*, par aut ſimilis quiſquam fere poſſet inveniri. Similiter de reliquis artibus cenſeo, natura enim in omni arte ac doctrina ita quoſdam mirabiliter effinxit, ut inſtar quoddam & exemplum aliis facere velle videretur. Sic etiam DEUS in Eccleſiæ primitiis ſanctos quoſdam eo ſignorum & eruditionis gratiæ provexit, ut nulli poſtea tales apparuerint; nec immerito. Cum enim totus orbis falſis Deorum figmentis, vel (ut verius loquar) illuſionibus Dæmonum eſſet imbutus, & ubique vanis idolis ſacra fierent; maximis prodigiis, divina ſapientia, multis animæ, corporiſque paſſionibus tam inveterati errores erant repellendi. Idem etiam in prudentibus viris eveniſſe reor, quorum aliquos ab initio pene divinos in tradendis legibus & conſtituendis conſervandiſque civitatibus conſtat fuiſſe: quibus poſtea æqualis evaſit nemo. Tibi etiam perſuadeas velim, juxta *Salluſtii* ſententiam: Res nempe Antiquorum geſtas ſatis amplas ac magnificas fuiſſe, verum ea 59
vis ingenii apud earundem ſcriptores fuit, ut mediocres res plerumque etiam parvas, pro maximis ſua eloquentia fecerint videri. Nonnulli etiam, ut Auguſtinus ait, dum ſe hiſtorias ſcripturos profitentur, non ſolum hiſtoriam, ſed etiam laudes conſcripſerunt & non ſolum laudes, ſed vituperationes: prout enim quiſque vel amabat, vel oderat; ita in hiſtoriis laudat, vel inſectatur, ſeu veritati rerum addit, aut detrahit. Quamobrem ſicut *Polybius* refert & *Joſephus* etiam teſtatus eſt; multa in hiſtoriis contraria, varia, diverſa reperiuntur. Etiam quibuſdam mentiendi cauſa fuit, quod res auditas, non viſas, & ab antiquiſſima memoria repetitas referebant. Unde apud *Græcos* maxime innumerabiles fabulæ in eorum libris reperiuntur. *Latini* quoque nec talis culpæ inſontes extiterunt. Apud *Livium* ſane relatum eſt; adeo varios & ſæpe diffidentes ſcriptores ipſos rerum fuiſſe, ut ipſe ſcriptum reliquerit; quod cui aſſentiretur, non haberet: & alibi dicat: nullum in hiſtoria mentiendi modum fuiſſe; id eſt, Auctores pro libito ſua literis mendacia tradidiſſe, non veritati ſtudentes, ſed quemadmodum ſua eloquentia ſua ingenia celebrarentur. Itaque illa veterum geſta, quæ ſolemus admirari, etſi magna fuiſſe crediderim, non tamen qualia ſcriptores ipſi demonſtrarunt; nec etiam aliquando talia, quod non ab aliis poſtea majora, vel paria ſæpe numero ſint facta. Sed deploranda eſt temporum qualitas quod ab octingentis fere citra elapſis annis tanta 60
Scriptorum penuria ſecuta eſt, quantam nulla ſecula meminerunt: quod idcirco accidiſſe reor, quoniam nutante jam *Romano* Imperio & in occaſum vergente, Barbari, *Græciam* & *Italiam* ingreſſi, omnem vivendi normam mutaverunt; & cum eſſent literis infenſi, atque ideo illarum periti nullum propoſitum præmium viderent, tacere, quam monimentis res ſui temporis geſtas tradere, maluerunt. Quo circa quam multa tum bello, tum pace inclyta facta pene oblivioni data ſunt? Neque opinor ego, tum defuiſſe ingenia doctiſſimorum hominum; quoniam liquet per ea tempora multos fuiſſe claros, & in omni literarum genere peritos viros, qui ſi animum ad hiſtoriam applicuiſſent, forſitan non minore, quam priores quidam eloquio valuiſſent ſcribere. Illa etiam forte ſuberat cauſa, quod Chriſtianæ Religionis homines doctiſſimi, magis in Sanctorum rebus geſtis, & defenſione fidei, quam in hujuſmodi hiſtoriis laborare voluerunt: & cum ea ſcribendi facultas jam obſoleviſſet, alio jam ſemel converſis animis, etiam poſt exactum Barbarorum dominatum uſque ad hæc tempora hiſtoria pene muta facta eſt, & præſtantiſſimorum

rum hominum memoria obliterata. Sic res gestæ
*Theodosii* clarissimi Principis, & plurium alio-
rum Principum, ac etiam *Belisarii*, *Stiliconis*,
& plurimorum Ducum, perierunt. Quam mul-
ta inter hæc tempora, in *Gallia*, in *Germania*,
in *Asia*, in *Hispania*, in *Italia* gesta sunt, quorum
nulla, aut exigua extat memoria; quæ si *Livium*
scribendi magistrum habuissent, amplissima, &
vetustissimis illis simillima viderentur, sicut ex
61 his satis constat, quæ à quibusdam breviter anno-
tata sunt, vel ab his etiam scripta plenius, quo-
rum libri sine peritia, sine ornatu eloquentiæ
conditi in tenebris ipsis remanserunt in paucorum
manus delati; in quibus legi ego jam plura &
maxima memoratu digna. Convenere jam multi
Christianorum Principes, ut *Hierosolymam* urbem
& Christi sepulchrum ab infidelibus recupera-
rent; qui cum exercitu moventes, totam fere
*Assyriam* & *Armeniam* & omnem *Judæam* sube-
gerunt; plures exercitus hostium fugarunt & in
ipsis *Hierosolymis* per multos annos clari succes-
serunt Reges; qui parva manu res dictu incre-
dibiles gesserunt. Fuit item (parum ante ætatem
nostram) vir genere Scytha, *Tamberlanus* no-
mine, qui cum ingenti exercitu omnes pene O-
rientis provincias subegit, & maximum *Teucro-
rum* Regem fudit ac cepit; *Damascum*, nobi-
lem urbem, & Oppida innumera expugnavit;
vir industriæ, prudentiæ, gravitatis maximæ;
cujus castra velut civitas quædam videbantur,
summa severitate, magna justitia omnia regebat.
Nullum in castris illis furtum, nulla rapina, nul-
la violentia committebatur: duci milites sum-
mo parebant studio, & pro illius jussu alacres
pericula omnia subibant. Horum res gestas si qui
Auctores digni celebrassent, quam magnæ, quam
admirabiles, quam veteribus illis similes vide-
rentur! Fuerunt etiam ætate nostra & superiori,
in *Britanniis*, in *Gallia*, in *Hispania* clarissimi
& memoria digni Reges, Principes, Duces,
62 quorum fama pene deleta est. Sed ut alios omit-
tam, & de *Latinis* loquar, vel qui inter *Latinos*
sunt versati; legisti tu aliquando libros à *Leo-
nardo Arretino* prisca eloquentia conscriptos? In
quibus dum *Florentini* populi res prosequitur
memoria dignas, omnem *Italiæ* historiam annorum
plurium describit, in qua tam multa sunt me-
moratu digna, ut quicumque libros illos dili-
genter legerit, existimet necesse est, quæ ab
ipso relata sunt, non multum ab illis differre,
quæ de claris Antiquis viris referuntur. Ibi inter
cæteros contemplari licet *Caroli* Regis, qui vi-
ribus optimarum partium *Florentiam* restituit;
*Florentini* populi; item *Huguccionis Fagiolini*,
*Rufi Castrucii*, *Guidonis Arretinorum* Præsulis,
*Henrici* Principis, & *Roberti* Regis facta egregia.
*Ibidem* etiam licet perspicere *Mastini* Medio-
lanensis Archi-Episcopi, *Galeactii* ejusdem civi-
tatis Ducis, *Alberici* Comitis, *Jo. Augi* Florenti-
norum Ducis, *Galeactii Mantuani*, *Petri Farnesii*,
*Galeactii Malatestæ*, & aliorum plurium excelsa
opera. Quæ omnia, si *Leonardus* non fuisset,
jacerent in obscuro, & omnino apud hominum
memoriam deperissent. Quod de *Romanis* & *Græ-
cis* evenire necesse erat, si suarum rerum scripto-
res egregios non habuissent. Quamobrem non
ætas nostra, aut superior, culpanda est, quæ
multos habuerunt illustres viros, sed dolendum
est potius, eis meritum scribendi præconium de-
fuisse; cujus defectu etiam præstantium veterum
nomina non pauca obscurata sunt. Et quemad-
63 modum inter hæc quæ memoravimus, tempora
bellicæ laudis gloriam floruisse demonstratum est;
ita etiam conjectari licet, & aliquorum literis sa-
tis constat, multos tunc fuisse prudentes, san-

A ctos, & innocentes homines: plurimos etiam cla-
ruisse in omni doctrinæ genere, sicut eorum li-
bri demonstrant, quos in hominum manibus vi-
demus versari. Sed de his postea latius. Nunc
ad incepta redeo. Vidimus ætate nostra *Philippum*
Florentiæ natum cognomine *Hispanum*, qui pro
suo præstantissimo Principe *Sigismundo* Romano-
rum Rege dimicavit cum bellicosis gentibus sæ-
pe, fortissime, ac felicissime, ac Provincias non-
nullas ejus imperio adjecit. Item *Franciscum* (*Car-
miniolam* cognomine) *Venetorum* rei bellicæ du-
cem, qui maximos exercitus summa disciplina,
præclaro ordine, magna cum justitia regebat, nec
B quisquam adeo magnus erat, qui non ejus, ne-
dum jussis, sed nutibus obedientissime pareret.
Fuit vir obscuro genere, sed qui præstantissimo-
rum gloriam adæquarit, & imprimis pro *Philip-
po* Mediolanensium duce, deinde pro *Venetis* bel-
la ingentia gessit, confecitque sæpenumero se-
cunda fortuna usus. Eodem fere tempore *Biordus*
ex *Perusia*; *Carolus* ex *Arimino*, & una secum
Fratres militares viri & Duces egregii; *Fazinus*
ex...; *Otho* ex Parma. *Martinus* ex Faventia;
*Tartalia* ex Avello; *Paulus* ex urbe Roma; *Ni-
colaus* ex Tolentino; *Michaël* ex Cotiniola ma-
C gna gloria floruerunt; nec non ante istos parum-
per, ex *Florentia* urbe fuere duo bellicis laudi-
bus insignes, *Nicolaus* scilicet *Acciajolus*, cujus
etiam prudentia & virtute longo jam tempore
*Apuliæ* Regnum gubernatum fuit; item *Man-* 64
*nus Donatus*; cujus in re militari egregia extant
monumenta, quæ ipsum summis laudibus extu-
lerunt. Eadem fere tempestate clari habiti sunt
*Bonifacius Lupus* Parmensis, ex *Camerino* urbe
*Rodulfus Varanus*. Verumtamen inter omnes istos
emicuerunt præcipue viri duo, virtute ingenti,
gloria sublimi, *Sforzia*, scilicet, ex *Cotiniola*
oppido, *Braccius* item ex *Montone* seu *Perusia* ci-
D vitate; quorum alter integritate & fide eximia
præditus, in bello manu fortissimus & summus
Imperator, adversa fortuna raro, secunda fre-
quenter usus amplissima rei militaris facinora edi-
dit, quæ si quis singulatim velit prosequi, magni
voluminis modum excederetur: alter vero inge-
nio, celeritate, audacia fretus Urbes, Castella
multa, & Oppida vi & astu (cujus erat profun-
dus artifex) cepit, & ditionis suæ fecit, exer-
citus plures fudit, victoria semper potitus, nisi
cum apud *Aquilam* Urbem victus fuit; ac etiam
in prælio ipso fortissime dimicans, cæsus; qui si
E tunc victor evasisset, proculdubio *Apuliæ* Re-
gnum occupasset, & sicut multorum fert opinio,
majori *Italiæ* parti imperitasset. Hi haud mino-
ris gloriæ successores reliquerunt, ipsi *Braccio*
Nicolai duo unus, videlicet, *Piccininus* cognomi-
ne, alius ejusdem *Braccii* nepos, successere: duo
belli fulmina, quorum res præclarissimæ in ore
omnium sunt, nulla ex parte ipsius *Braccii* re-
bus inferiores. *Sforziæ* vero successit *Franciscus*
filius, magnitudine animi prudentia, scientia
rei militaris, admirabilis, qui non solum suæ
ætatis duces, sed plures etiam Antiquorum su-
peravit: eorum quos supra memoravi (*Braccii*, 65
F scilicet & ejusdem successorum) sæpe victor. Hic,
cum adolescens esset patre amisso, cum exercitus
imperium recepisset, brevi tantum effecit, ut mi-
litibus carus esset, & cuncti existimarent, futu-
rum aliquando, ut ejus præclaris factis præteri-
torum ducum fama obscuraretur, & ad summam
potentiam promoveretur, sicut postea evenit; &
imprimis apud *Aquilam* Urbem ejus virtus emi-
cuit. Nam adversus *Braccium* pro Pontifice mi-
litans, præcipuum victoriæ momentum fuit, nec
alium (ut ferunt) *Braccius* extimuit magis. Dein-
de cum *Philippo* Mediolani Duce stipendia fa-
ciens:

ciens: dexteritate morum, & magnis operibus in tantum ipsi Duci carus fuit, ut omnes apud ipsum benivolentia & caritate superaret, & ab ipso in generum asciscerctur ob altam ejus indolem, quæ majora de ipso videbatur polliceri. Deinde à *Philippo* ipso discedens, *Picenum* cum exercitu ingressus, pulsis hostibus, oppida & civitates omnes armis recepit, & diu in illis locis juste clementerque dominatus est; & interim *Florentini* populi & *Venetorum* Dux factus, in omnibus eorum bellis cuncta ipsorum loca tutatus est, & contra hostes sæpe dimicans, semper egregia victoria est potitus; & inter reliqua raræ virtutis opera illud præcipue memoratur, quod cum *Veronam* Urbem cepissent hostes, ipse rapto agmine, movens celerrime, fusis hostibus Urbem ipsam *Venetis* recuperavit, tandemque arbiter pacis inter cunctos *Italiæ* Principes & Respublicas factus, omnia egregie composuit cum summa laude & gloria?

66 Reversum ex *Gallia* & in *Exio* civitate commorantem novi postea casus exceperunt. Offensus namque ex pace illa Pontifex, *Nicolao* ipso *Piccinino*, & nonnullis aliis mercede conductis, bellum ingens adversus ipsum concitavit. Quo in bello victo prius levibus præliis *Nicolao*, deinde ejus filio, & Pontificis legato ingenti pugna fusis ac fugatis, in pace aliquamdiu mansit. Verum postea & *Aragonum* Regis potentia & suorum dolis ac proditione circumventus quas possederat civitates omnes amisit, nunquam tamen in prælio victus; Et cum socero in auxilium proficisceretur, ipso vita functo & exorto inter *Mediolanenses* & *Venetos* bello, ipse *Mediolanensium* belli Dux creatus, ita *Venetos* afflixit, ut eorum Duce atque exercitu magna pugna superatis, & expugnata *Placentia*, ipsi se pene in bello victos faterentur: & erat res haud sane ambigua, si eorum, qui *Mediolani* plurimum poterant, sane mens fuisset sed illi suspicantes ne forsitan, devictis *Venetis*, pro se ipso dominatum assereret, & nimio successu illis fieret formidabilis, omnes ejus, post victoriam, conatus impediebant. Qua re animadversa (neque enim obscura erat) mutato consilio, & pace cum *Venetis* facta, contra ipsos *Mediolanenses* arma convertit, & eorum oppidis partim vi, partim metu subactis, & obsesso tandem *Mediolano*, plurimo sudore, maximis periculis, *Venetis* etiam contra nitentibus, civitatem ipsam, fame & armis maceratam, ad deditionem compulit; posteaque una cum *Florentinis* sociis atque amicis adversus *Venetos* bel-
67 lum gerens eorum potentiam attrivit, eosque penitus ad mare & classes compulisset, amissis, quas tenebant in *Italia* urbibus, si ad bellicos sumptus pecunia suppetisset. Ejus igitur coactus inopia, & quod etiam quosdam ex suis ducibus non in fide mansuros animadverterat, pacem non invitus *Venetis* concessit una cum *Florentino* populo cujus maxime opibus fuerat sustentatus. Nunc vero in pace populos regens, mansuetudine, justitia, caritate incredibili cunctis palam fecit, se non minorem pace quam bello virum esse. Hunc tu non præstantissimum, non omni laude, prædicatione, historia dignum judicabis? aut omnino pertinaciter defendes, ætatem nostram omnino egregiis viris vacuam esse? Talibus tu viris, quales supra memoravi, militarem disciplinam, industriam in conficiendo, celeritatem in agendo, audaciam, aut fortitudinem contendes defuisse, aut eorum exercitus non fuisse fortes atque ad omnia pericula intrepidos? Neque negaverim ego militaris rei formam atque ordinem in plerisque ab Antiquorum variatos institutis. Illud affirmare ausim, quod, scilicet, hæc, quam videmus, disciplina nequaquam inepta vi-

A deri debet, aut contemnenda: neque enim si à vetere illa in nonnullis discrepat; propterea est respuenda. Nam & tempestatibus illis non omnes eodem more atque usu militabant nationes; aliter nempe in plerisque *Romani*, aliter *Græci*, aliter *Pœni* utebantur: neque illis eadem arma seu instrumenta bellica, nec idem erat equorum usus; quin etiam ex *Romanis* Ducibus multi minime eodem ritu, sed diversis modis instruebant acies. 68
Idem apud *Græcos* & *Carthaginenses* erat, quos inter non eædem erant vigiliarum, stationum, aut custodiarum leges, omnes tamen peritissime
B in bellis versari ferebantur & ex eisdem celeberrim inomine Duces emersere, bellicis laudibus cumulatissime ornati. Atque ita fere cunctis in artibus evenisse constat. Plurimi namque Philosophorum suo quisque scribendi genere ornate copioseque Philosophorum libris illustrarunt suis. Eandem ergo rem diversimode aggressi, magna omnes gloria non caruerunt, ita cujuslibet varius scribendi mos probatus est. Inter Oratores ipsos dicendi agendique varietas vix potest enarrari, vix inter Pictores, Architectos etiam, & aliarum Artium magistros; quorum tamen, ut ait *Cicero*, dicta, factaque probatissima fuerunt, quanquam
C in multis dissimillima. Illud quoque natura ipsa duce & rerum experientia cogimur agnoscere, quod scilicet, non eadem lex aut mos idem omnibus in locis convenit, nec in omni tempore, neque inter omnes. Ex quibus si pervicaces esse nolumus, satis liquere arbitror: non propterea hujus temporis militiam improbandam esse, quod in nonnullis ab antiquis discrepet institutis, modo sit rationi, locis, temporibusque accommodata; sicuti esse, ipsa docet experientia. Et cum pleraque à te dicta, sim admiratus; illud imprimis non mediocriter admiror, quod videlicet, affirmare ausus es: nullum castrorum munitionem, nullam
D disciplinam, nullum ordinem in illis esse. Arma
quoque ipsa detestatus es, quæ novissime, utiliter- 69
que adinventa, laudare debuisti. Exercitui quidem unus præest Imperator, cujus in manu vitæ est necisque potestas; & sicut olim Tribuni centurionesque, ita nunc plurimi, ordines Militum ducunt sub ejusdem ducis imperio atque auspiciis, qui errata militum severissime solet coërcere. Cum iter faciunt, redacti in acies, decore incedunt, ad subitos casus parati, speculatoribus præmissis, ne quis eos improvise adoriatur. Cum vero faciunt castra; si procul sunt hostes, locum idoneum & natura ipsa munitum deligunt, ne
E quis eos nisi temere possit adoriri; si autem in propinquo sunt hostes, tunc castra ipsa muniunt, & circum ea fossas latas & aggeres ducunt, locum eligentes, unde aquandi & commeatus copia possit haberi. Præsto semper sunt, qui noctu, qui luce armati custodiunt castra, quique, si quo opus est, ducem ipsum adeunt: Et si quid grave immineat, quod si agendum cum Imperatore ipso, exercitus primores conveniunt, & re vehementer discussa, consilium capiunt; & si qua sunt, quæ Dux milites latere velit, dissimulatione, silentio, fallaciis tegit. Cum vero collatis signis est dimi-
F candum, equitum instruitur acies pluribus ordinibus, intervallisque disposita. Sæpenumero à latere Equitum alæ; nonnunquam cum fronte ipso cornua fiunt; acie subsidiis firmata; castris præsidio munitis. Et si in planitie res est agenda, equites in medio circa pedites disponuntur, sagittariis præmissis: si vero in montibus seu asperis locis, pedites præcedunt, sequuntur equites, non ita graves armis, ut sint inutiles, ut postea
differetur. Civitates & oppida corona seu machi- 70
nis expugnant, bombarda præcipue, veteribus incognita, cui nullæ arces, nulla resistunt mœnia, &

& quam multa oppida insignia superioribus & nostra ætate per terrarum Orbem expugnata sunt? Novissime *Byzantium*, amplissima civitas, vi & armis capta ac direpta est. Insidiis quoque hostem aggredi, ejus consilia præripere, sua tegere aliud pro alio simulare, hujus ætatis duces sunt peritissimi. Neque semper in hoc genere *Romanos* pluris fuisse reor. Nam usque ad *Hannibalis* tempora perraro illos talibus usos artibus constat; potius aperto marte industrie quidem & egregie. Unde ipsum *Hannibalem* dixisse ferunt; *Romanos* ad hujusmodi belli artes cæcos fuisse. Arma etiam nostrorum equitum affirmare ausim meliora, quam vetera, usuque habiliora esse. Nam, sicut rerum tradunt Scriptores, Cassidem equites, Loricam, & clypeum ferebant: Ocreas etiam, & ferreas manicas; & cum talibus essent onusti armis, ab ipso clypeo vehementer impediebantur, altera manu pene inutiles. At nostris equitibus manus sunt expeditæ, neque ita sunt armis graves, ut non totum in prælio diei pondus queant ferre, modo sint fortes & bellis assueti; quo fit, ut & illis tutiores ab hoste sint, & tamen fortiter agere non præpediantur. Quamobrem arbitror ego, robur exercitus idcirco apud *Italos* non in peditibus esse, quod pedes armatum equitem non possit lædere: contra vero equites peditum aciem, ab eorum armis tuti, facile dissipant, & cum equis ipsis conterunt, & in-
71 festis fodiunt hastis, quibus fere Antiqui non utebantur. Apud eos autem totum pene exercitus robur pedites erant, à quibus etiam equites longe superabantur, ea, videlicet, causa quod vulnerari faciliter poterant, nec armis ad feriendos pedites tam idoneis pugnabant, armis onerati; sed quæ non ita corpus tegerent, ut securi à legionibus fierent; quod præcipue in Barbarorum equitatu accidebat, quibus non ita erant armata corpora. Nonnunquam tamen tanta erat equorum vis, ut ipso impetu dissiparent acies, & sæpe in fugam verterent, atque etiam tunc nationes quædam equestri quam pedestri acie aptiores erant, velut *Parthi*, *Persæ*, *Armeni*, *Numidæ*, *Hannibalem* quoque *Livius* refert, quia equitatu invictus erat, aliquando adversarios vicisse. Libet etiam supradictis addere, quod non omnes equitum turmas eisdem tectas armis videmus; nam leviter quidam, mediocriter plures, nonnulli præcipue ferro tecti in prælium vadunt. Quocirca tam varia equestris acies, ad quævis belli munera reperitur agilis. Et si forsitan mercede conducti exercitus bella nutriunt, de industria sæpe indulgentes hostibus, & viribus minora facientes, id non præsentis, sed alterius foret controversiæ: neque enim ex hoc militaris industria, sed perfidia ipsa in crimen adducitur; quia, scilicet, quod mercenarii possunt, nolint perficere. Nam & si quando pro se ipsis bella ineunt, tunc fortissimi, audaces, pugnacissimi apparent: plerique etiam haud infideles fortissimam his, pro quibus merebant, operam nava-
72 runt. At si tu veterum historias diligentius perquires, invenies creberrimas ejusce generis militum proditiones ac perfidias; quæ si enumerare pergam, grandis voluminis liber non sufficeret, & longior, quam proposuerim, fieret Oratio. Id nunc tantum dixisse satis sit, quod post *Claudium* Principem *Romani* exercitus ex colluvione omnium gentium mixti, modo huic, modo illi adhærentes Principi, ipsos prius Cæsares creabant, deinde omnium ingratissimi eos crudelissime deserebant, necabant, & omni perfidia persequebantur, avaritia & libidine cæci. Nunc reliquum est, ut de fortitudine ac militum vita pauca differam. Et imprimis fateor, sicut prius a me dictum memini, *Romanos* milites, *Græcos*, *Carthaginenses*; viribus, exercitatione, audacia aliquantum nostris præstitisse. Verum si multorum annorum, qui fluxerunt, historias omnes haberemus, non *Latinorum* solum, sed aliarum ubique Nationum infinita exercituum & singulorum militum facinora eximia liceret referre; quod ex haud dubia conjectura potest agnosci, si, videlicet, eorum, quorum opera legimus, vidimus, aut audivimus, voles meminisse. Verisimile enim est, quod hi, quorum latent res & memoria, vel similis vel majoris etiam fuerint virtutis. Et si frequenter non singulorum, sed exercituum descripta sunt gesta, non milites culpandi sunt, sed qui minus diligenter res ipsas literis tradiderunt, si modo illas valuerunt referre. Neque etiam tu tantum nostris succenseas velim, cum eorum rapinas, crudelitates, blasphemias, libidines accusas (quas ego non inficior,) quin 73
memineris in ejusmodi vitiis veteres, quos ipse laudas, his ipsis nequaquam fuisse inferiores, quosvis *Græcos* aut *Latinos* Auctores legas, nullos reperies, qui non creberrima militum scelera describant; ut infinitos in his *Pleminios* reperire possis. Et ut paucis locum hunc absolvam, audi quid de illis *Lucanus* dicat:

*Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur,*
*Venalesque manus: ibi fas, ubi maxima merces.*

Sed de his hactenus. Age nunc & claros in rebus publicis regendis viros evolve; non quippe omnes (nam id infiniti esset operis,) sed ex his aliquos, qui *Florentiæ*, aut *Venetiis* illustres sunt habiti; aliorum enim virtus vel mores obscuriores sunt, nobis præsertim, qui de aliarum civitatum viris, nullam aut exiguam notitiam habemus, in eis noscendis minime versati; unde sat erit, si in genere de quibusdam civitatibus dicatur. Sed antequam de singulis refero, non ab re fore arbitror, pauca de universa civitatum gloria præmittere. Postquam in *Italia*, exactis inde barbaris, Cæsarum etiam, quia à *Germanis* erant, cessavit dominatus; urbes plurimæ libertatem asserere, Respublicas suas constituere paulatim inceperunt, coaluissentque magis, si per civiles discordias, quarum origo à *Romanis* Pontifice ac Principe fluxerat, licuisset. Sed ea diffidii labes adeo cunctorum animis irrepserat, ut una factio alteram ex Urbe pellere; atque omnino delere niteretur. Unde accidebat sæpius; quod ejecti cives & exules facti, cum alioquin reditum in Patriam desperarent, in illis Dominis spes colloca- 74
rent suas, quorum opibus pristinum in patria locum valerent adipisci, exulceratis semel ab injuria animis & inexplicabili odio tumidis. Quibus malis fiebat, ut civitates, dissensionibus ipsis minus ad resistendum validæ, aliorum imperio subjicerentur: ab illis in servitutem actæ, quorum auxilio libertatem tueri debuissent. Nonnullæ tamen ab hac peste non intactæ urbes, magno animo servitutem abnuere perrexerunt, finesque suos propagare. Quas inter maxima gloria emicuerunt *Florentia*, & *Venetorum* civitas. Et ut à nostris exordiar; parvum ne tibi virtutis opus videtur esse, hanc tam præclaram urbem, pulchritudine nulli secundam, mœnibus cinxisse, innumeris Templis & sacris ædibus, locis publicis privatisque, & omni ornatu qui ad clarissimam spectat urbem decorasse, talemque illam effecisse, ut omnes ejus præstantiam & pulchritudinem admirentur? Hæc vero non modica impensa, non absque ingenti amore civium non sine magnis laboribus potuerunt perfici, & eo sunt magis admiratione digna, quo tempestate illa civitas

vitas nullis finitimis populis dominabatur. An etiam videntur tibi sine prudentia sine amore patriæ cives illi fuisse, à quibus tam præclaris legibus, honestis moribus, stabilitam urbem cernimus? Qui suis consiliis, sua virtute, immensis sumptibus, quibus pro Patria substantias exhauriebant suas, potentissimis hostibus restiterunt, multos vicerunt, civitates plures & infinita oppida urbis imperio subjecerunt, & ex parva Republica magnam effecerunt atque amplam.

75 Qui sacra cærimoniasque summi DEI & Sanctorum ejus cum summa cura, religione, magnificentia magis quam alibi coli voluerunt. Qui in rebus publicis magnifici, in privatis parci, ac tenues reperti sunt. Hæc tu tam excelsa tam immortalia opera paucorum aut inertum censes fuisse? immo fateare necesse est, quas memoravi res confectas esse à viris multis prudentia, charitate, solertia, religione, temperantia, magnitudine animi præditis: ut te jam dixisse pudeat, novissimis sæculis nullos egregios cives, aut patriæ amatores extitisse. Atque ego, cum nunc de quibusdam dicere aggrediar, libenter eorum civium, quorum imprimis historiæ *Florentinæ* libris *Leonardus* meminit, nomina referrem, si non fierem longior, quam incœpti sermonis poscit oratio; si etiam non timerem ineptus videri, qui res à *Leonardo* facundissime descriptas, quæ vos minime latent, jejune coner exprimere. Satis ergo in præsentia sit, de illis summatim dixisse, ac verissime affirmasse, ex eis multos veteribus tuis fuisse nequaquam impares. Paucis autem eorum, qui vel nostra fuerunt ætate vel parum superiore numeratis (quoniam non est, nunc animus, aut memoria suppetit, referre omnes; sicut paulo ante diximus, fuerunt enim pene infiniti, sed clarissimos quosdam, factis & genere illustres,) plerique vestrum, ætate provecti, mihi, ne succenseatis velim, quasi supervacuo vobis illos nominarim, qui cunctos probe cognovistis: neque enim vobis hæc refero, sed huic nostro, qui ætatem nostram velut inutilem suis verbis persua-
76 dere nitebatur. Imprimis igitur eos omni laudis præconio dignos censeo, viros, scilicet, octo (qui Sancti postea dicti sunt) quos creavit populus, ut præessent belli curis, quod tunc cum Pontificis legato gerebatur. Horum virtute, industria, diligentia, fide, victoria ex hostibus insignis parta est, & quas *Romanus* Pontifex in *Italia*, tenebat urbes, amisit omnes. Ac nescio, an ex aliquo alio bello civitati major accesserit gloria. Fuit etiam in civitate ista, præcipuæ auctoritatis vir, *Donatus Acciajolus* equestris ordinis, prudentiæ, magnitudinis animi, continentiæ singularis; cujus consiliis plurima in Republica utilia decreta sunt: nec tamen ob ejus egregia merita declinari invidiam potuit, quin inimicorum opera ex urbe pelleretur. Floruit quoque non mediocri laude *Loctus Castellanus*, insignis eques, qui etsi haud quaquam in privata vita probatis fuit moribus, tamen egregius & maxime utilis fuit Reipublicæ civis, ejusque plura egregia feruntur propria facinora. *Masius* item *Albizus*, *Nerius Acciajolus*, *Antonius*, *Nicolaus*, & *Benedictus* ex *Albertorum* familia nobiles equites, in civitate sua consiliis factisque clarissimi, licet diversas in Republica partes secuti sint. Eodem tempore *Raynaldus Gianfigliazzus*, *Philippus Magelottus* maximis in urbis rebus versabantur. Hi ad summam eloquentiam, prudentiæ, frugalitatis, & humanitatis virtutes addiderunt; in omni sua vita splendidi & moderati magnis in civitate honoribus functi. Hos inter claruerunt, præcipue *Bartholomæus Valorius*, *Nicolaus Uza-*
77 *nus*, & *Guido Thomasii* equitis filius; viri sapien-

A tissimi, & in omni virtute præstantissimi, quorum maxime duo tanta religione, abstinentia, integritate fuerunt, ut quibusvis Antiquis similes videri potuerint; & cum liceret eis, locupletissimos fieri, pluris integram famam, quam pecuniarum abundantiam existimarunt. Quo circa hæredibus suis non patrimonii amplam hæreditatem, sed virtutis reliquerunt: Atque ita hi tres pro Patria inclytis factis dictisque nobilitati sunt. His addo etiam *Joannem Medicem*, integerrimum ac sapientissimum virum, *Ginum* ex *Caponum* familia, *Migliorem Gradagnum*, & ejus nepotem *Verium*, *Angelum* Philippi, & ejus filium
B *Jannozium*, equestris ordinis, homines optimos, & prudentia egregia præditos, quibus nec literarum ornamenta defuerunt. *Dinum Ughuccii*, *Petrum Baroncellum*, *Bartholomæum Corbinellum*, *Dominicum Junium*, *Franciscum Federigum*, *Uguccionem Riccium*, *Lapum Castilioneum*, *Joannem Ristori*, *Philippum Corsinum* Jure-Consultos; *Carolum Strozzam*; cives omnes illustres, & pro eorum amplissimis meritis egregia fama celebres. Verum, lapsus memoria, referre omisi ingentes equestris ordinis viros, *Stoldum Altovitam*, *Thomasium Sachetum*, *Andream Vectorium*, *Thomam*
C *Soderinum*, *Ugonem de Stufa*; *Verium* & *Sylvestrum Medices*, quorum *Verius*, cum civitas intestina discordia laboraret, liceretque illi per favorem populi adversarios pellere; ne tantum urbi malum eveniret, re cum illis bene composita,
ut cives ab armis discederent, curavit. Item *Lau-* 78
*rentium Rudolphum*, equestris ordinis, Doctorem etiam insignem, optimum & innocentissimum virum, & Patriæ caritate flagrantem, quem populus optimatesque pro ejus præclaris meritis magna semper benivolentia incoluerunt. *Mamanum* quoque *Salviatum*, & *Nerium Gini* ex *Caponum* familia, qui nuper defuncti sunt. Sunt
D etiam, qui nunc vitam ducunt, cives prædictis non dissimiles (quos nunc bona de causa minime nominandos censeo) nec, ut opinor, quisquam sani capitis negabit, eos ingenti esse virtute viros, qui omnifariam belli; & pacis artibus vehementer Reipublicæ profuerunt. Unus tamen est, de quo reticere omnino nefas duco, quia talis ac tantus est; ut vel solus hunc sua virtute possit arguere; quem in hac urbe natum, ne dum patria; sed *Etruria* cuncta debet gloriari; de quo pauca dicens, ne vobis molestus sim, deprecor; quia quamvis nota referam, tamen ipsa rerum ejus recordatio voluptate me afficit non parva:
E & huic sicut arbitror, ex ejus viri rebus gestis silentium imponam. Igitur ex *Medicorum* familia insigni, *Cosma* Joannis filius, ætate nostra vir admirabilis, prodiit: hic ab adolescentia literis vacans, brevi non mediocriter earum peritus fuit; eloquentiæ ac moralis Philosophiæ studiis præcipue intentus, in quibus certe pro ejus acerrimo ingenio princeps evasisset, si non ipsum rei familiaris & publicæ ingentes curæ distraxissent. Nam post patris obitum, una cum fratre, optimo ac præstantissimo viro, se ad Rempublicam
contulit; & simul hæreditatis amplæ, quæ illis 79
F cesserat, suscepto negotio, nulla illi fere temporis pars otiosa erat: non tamen incepta penitus deseruit, sed quod supererat temporis literis & doctis viris impartiens, quod carissimum inter mortales est, tempus videlicet, nunquam frustra labi patiebatur; & eruditos viros semper opibus ac benivolentia prosecutus est, quos inter *Nicolaum Nicolum*, *Leonardum* & *Carolum Arretinos*, & *Poggium*, viros doctissimos, & eloquentiæ lumina, præcipue coluit, & protinus effecit, ut honores in civitate maximos, immunitates non parvas assequerentur. Ab ineunte ætate tanta mo-

modestia, gravitate, continentia, & prudentia A
fuit, ut ejus mores non adolescentis, sed gravis-
simi cujusdam senis viderentur. Unde ferunt,
magnæ tum auctoritatis viros sæpe dixisse, fore
aliquando, ut ipse Princeps in sua Republica fie-
ret. Quantum enim juvenes alii festis & ludis ce-
lebrandis, quantum luxuriæ, quantum vanis re-
bus indulgent; tantum iste bonis artibus, & opti-
marum rerum negotiis indulsit. Quamobrem,
cum postea patriæ caritas ipsum ad civitatis cu-
ram impulisset; sapientia plenus & bonis adhæ-
rens, nihil nisi prudenter & pro civitatis commo-
dis moliebatur. Plures est ab initio Magistratus
assecutus, qui urbis primariis solent demandari, B
in quibus gerendis sua tantum enituit virtus, ut
tum civitatis Principibus par, aut etiam superior
haberetur, integritate quidem & benevolentia
civium proculdubio cunctis excellens. Ipsum
namque universus populus unice diligebat, quo-
80 niam mitissimus atque humanissimus universo ho-
minum generi reperiebatur, & sicut malos oderat,
ita bonos mirifice fovebat; eos (quantum pote-
rat) præstans ab injuriis tutos ac securos; in ege-
nos pius, in amicos liberalis, inimicis clemens
assidue fuit; quæ res cum summum sibi amorem
civium conciliassent, magnum simul ab invidia C
odium sibi pepererunt. Ægre enim ferentes qui-
dam, illum immodice augeri, se vero & suam
potentiam diminui: ipsum tandem unà cum fra-
tre *Laurentio* relegari effecerunt; quem suscepe-
runt *Veneti* non ut à patria exulem, sed cum
honore maximo, velut optimum & ad omnia vi-
rum egregium; quem licet inimici acerbe perse-
querentur, tamen quoad exul fuit, quibus po-
terat modis, favere patriæ non desistebat. Si quos
civitas *Venetiis* mittebat oratores cum eis aderat,
quamvis inimicis, non secus de Republica solli-
citus quam si in illa fuisset, ut solebat, florens
ac beatus. Nec diu civitas ejus absentiam ferre D
potuit; nondum enim circumacto exilii sui anno,
volente populo & optimarum parte in patriam est
reductus; &, cum esset sine controversia civita-
tis Princeps, liceretque illi, ut volebat, in ini-
micos ulcisci, multis ignovit, & quos nimis su-
spectos videbat esse, ne res novas molirentur, so-
lum relegari passus, qualibet majore pœna libe-
ravit: deinde civitatis commodis invigilans, res
pro illa incredibiles ad hæc usque tempora effe-
cit. Suis namque consiliis, sua sapientia, sua in-
dustria *Philippi*, Mediolani quondam Ducis, &
81 hujus Urbes hostis vires fractæ ac debilitatæ sunt,
& sui exercitus sæpe victi; cujus cum gravi bel- E
lo *Veneti* premerentur, desperarentque illi posse
resistere, eos adhortans, & salutis viam osten-
dens, causa fuit, ut *Franciscus Sforzia*, tunc il-
lis amicus, suscepta belli cura ipsos ab omni pe-
riculo liberaret, & insignes faceret ex hostium
trophæis. Idem quoque *Joannem Vitellensem*
Pontificis legatum, *Florentiæ* minantem & se cum
hostibus jungere parantem, prudentissime oppres-
sit, sine ulla civitatis nota. Nec miretur aliquis;
si ea, quæ suis temporibus magna in urbe gesta
sunt, illi præsertim ascribantur; quoniam, sicut
cunctis notum est, summa in eo residebat aucto- F
ritas, & tantum sapientia, cæteris præstabat, ut
cuncta suis consiliis fierent, quæ gravioris ponde-
ris in Republica viderentur. Memoria tenetis,
post pacem cum *Philippo* factam, quanta belli
moles *Francisco Sforziæ* ingruerit; qui cum tan-
dem, viribus impar, cunctis, quæ tenebat, lo-
cis fuisset spoliatus, & *Veneti*, haud beneficio-
rum memores, ipsum deseruissent; & magna pars
*Florentini* populi nullum censeret ei ferendam
opem: solus *Cosma* gravissimo animo nunquam
destitit, donec populus, ejus motus precibus,
magna illi subsidia ministravit, quibus se & exer-
citum suum posset alere, mortuo quoque *Philip-
po*, Mediolani Duce, censentibus multis, pacem
& fœdus cum *Venetis* renovari oportere; solus
restitit, ea scilicet causa, quia intelligebat, *Phi-
lippo* sine successore mortuo, *Venetos* facile totius
*Galliæ* dominatum habituros; quod si evenisset,
minime dubium erat, quin postea universis *Ita-
liæ* populis imperassent. His ergo permotus, & 82
patriæ suæ metuens, plurisque illam quam *Vene-
torum* merita faciens, solus suis opibus, consiliis
quoque, *Francisco* auxiliatus est, & (sicut veris-
sime licet dicere) sua maxime opera ille *Medio-
lani* & aliarum urbium imperium adeptus est.
Quibus est rebus effectum, ut, cum *Mediolani*
quondam Duces semper huic urbi fuissent hostes;
vos hunc vobis amicissimum haberetis; & simul
*Venetis* Italiam occupandi facultas aut occasio de-
meretur. Quid de ejus in hoc bello novissimo re-
bus dicam? Nonne scimus omnes, qua industria,
qua diligentia quibus artibus rebus publicis præ-
fuit, & una cum insignibus aliis civibus tantum
annixus est, ut eodem tempore *Arragonum* Re-
gis maximi, & *Venetorum* tremenda potentia do-
maretur? Fuissentque penitus victi, si non pe-
cuniarum inopia & militum perfidia pacem fieri
coëgisset. Denique, (ne longior sim, quam tem-
pus postulat) hoc Rempublicam gerente, civita-
tis imperium propagatum est, & ejus auctoritas
longe lateque sublimior est facta. Nec præter-
mittenda sunt, quæ ad magnificentiæ ac pietatis
pertinent opus. Hic enim Ecclesias plures, ac
monasteria operis eximii construxit, quasdam
etiam reparavit; ædes sibi pulcherrimas & se di-
gnas ædificavit; pauperes homines suis opibus,
quantum nemo alius, sustentavit; & cum talis si
apud omnes Nationes clarus, tamen dici vix po-
test, quanta sit humanitate quam parce, quam
religiose domum regat suam. Operæ pretium est
videre ipsum, ejus clarissimos & optimos filios, 83
sine pompa, sine servis; sine vestium ornatu per
urbem incedere, ut qui illos, advenæ, conspi-
ciunt non eos, quorum adeo illustris fama est,
sed mediocres quosdam viros arbitrentur: tanta
ejus in cunctis est moderatio, inimicorum inju-
rias, maledicorum voces patientissime tulit; sem-
per ipse à maledictis abstinens. Hunc ego veris-
sime dicam inter præclaros veteres togatos cives
pari gradu esse annumerandum & illis forsitan
merito anteponendum. De *Venetorum* vero Re-
publica quis posset pro merito dicere? Hi post-
quam semel liberi esse inceperunt, pari tenore,
eisdem semper vixerunt legibus; eadem in civi-
tate instituta perdurarunt; ut novam certe *Lace-
dæmonem* existimare posses. Ibi, non qui divitiis,
sed qui virtute superat, præstantior habetur. Si
qui eorum, qui res administrant publicas seu Ma-
gistratum aliquem gerunt, vel parumper aberra-
rint seu vel exigua susceperint munera, severissi-
me puniuntur atque delicti gratia nulla invenitur.
Secreta de rebus magnis consulta nefas ducunt de-
tegere; & aperienti, aliqua gravis statuitur pœ-
na. Si consilium eorum cerneres; *Romanorum*
Senatum videreris intueri. Homines sunt graves,
moderati, splendide honesteque simul vestibus
tecti. Et, cum in eorum Senatu grave aliquid
consulitur; tunc audire posses, quam venuste,
quam graviter, quam diserte sententiæ à plu-
ribus dicuntur. Nihil inter illos vanum, ni-
hil leve, nihil indignum posses inspicere. Et
qui aliquando inter eos videtur major, si quo
insolentiæ processerit, vel si in aliquo civitatis
offendat leges; statim ex magno minimus fit, 84
ne illius exemplo discant alii leges contemnere,
vel potentiores, quam par sit, esse cupere. Rem

suam publicam unice diligunt, proque illa augenda ingenti semper studio laborarunt. Quis enim posset referre, terra marique res ab illis gestas? Primum quidem mari potentiam auxerunt suam; nam sæpe magnis comparatis classibus; adversus eorum hostes feliciſſime pugnaverunt; plures insulas, nonnullas Provincias urbis imperio subjecerunt. Deinde in *Italia* cum finitimis belligerantes, urbes multas sibi fecerunt subditas ac vectigales. In hac civitate tu multos fuisse præstantes negabis viros? qui illam adeo magnam suis operibus fecerunt. Ego quoque, sicuti eram pollicitus, ex eis plures nominarem, nisi sermonis longitudinem vererer; quoniam & alia quædam sunt, in quibus oportet immorari. Igitur de uno tantum dixisse satis sit, *Francisco*, scilicet, *Foscaro*, Venetiarum quondam Duce, summæ prudentiæ, integritatis, & humanitatis viro. Hic quoniam, ut ait *Cicero*, sapientia sine eloquentia parum prodest civitatibus: in utraque simul princeps, tantum suæ patriæ profuit, quantum nemo alius præteritorum in ea urbe Ducum; cui dum magis cives assensi sunt, nec adhuc supra modum in ipsum invidia exarserat, secundiſſima omnia illi civitati evenerunt; ejusque dominatus
85 immodice actus est. Postquam vero, inimicorum opera, Respublica nequaquam suis consiliis administrari est incepta; urbis dignitas atque auctoritas in nonnullis labefactari visa est, & incommoda non parva illi accesserunt. Ipse autem, licet ab invidis omnifariam injuriis incesseretur, non ab hoc animo deficiens, nec segnior factus, eodem, quo prius tenore vitæ semper in rebus publicis privatisque perseveravit; nulli ad se criminandum opportunitatem præbens, quamvis ejus dicta factaque inimici diligentiſſime scrutarentur: quo circa intelligentes, se illi frustra insidias tendere, in ejus unico filio odium suum expleverunt, cujus indignum casum adeo fortiter & sapienter tulit, ut neminem veterum in hoc illi præferendum censeam: Nec *Pisarum*, aut *Genuensium*, inclytæ quondam Urbes omittendæ sunt; quarum quælibet navalis belli peritiam, ingenti classium apparatu (cum quibus sæpe adversus hostes fortiſſime secunda fortuna certaverunt,) & gloria terra marique gestarum rerum, seu varietate ipsa fortunæ *Atheniensium* Urbi, aut *Sparthæ* civitati haud sane inferior cuivis debet videri. Quis enim ignorat, quot insulis & maritimis urbibus *Pisani* & *Genuenses* longe lateque dominati sunt? quot portus in potestate habuerunt? quam celebre inter nationes barbaras fuerit eorum nomen, cujus metu infideles omnes premebantur; & eos velut maris Dominos præcipue horrebant? Tales tu duarum urbium cives non præclaros judicabis? *Senæ* quoque, *Perusia*, & *Arretium* Avorum memoria, maxima Reipublicæ lumina pepererunt, & in omni virtutum genere viros multos egregios habuerunt. Quas inter *Senarum* ci-
86 vitas ad hæc usque tempora finitimis imperans, libertatem servavit suam; studiis bonarum artium imprimis dedita. Quas cum tu jamdiu periisse affirmares, & populos malis omnibus deditos diceres, in clericos præcipue invectus; necessarium duco, pauca tibi respondere, quæ non ego contentioso animo, sed sicut mea fert opinio, pro veritate ipsa referam. Concedo itaque, forense dicendi genus apud veteres *Græcos Latinosque*, quia frequentiſſime in usu erat, & in judiciis dominabatur; Oratorum numero & ipsius orationis copia, suavitate ornatuque verborum, præcipue tunc excelluisse. Cum enim ea facultas honoratiſſima esset; homines præmiorum spe in ea magis perdiscenda mentem atque animum dirigebant. Nam, ut ait *Cicero*, honos alit artes; & in qua quisque majus propositum præmium videt, ad eam avidus incenditur. Et illi ipsi oratores in forensibus causis versati, cum se ad Rempublicam conferrent, ampliſſimum in ea locum obtinebant; doctrina ac forensi exercitio plurimum adjuti. Unde *Athenas* ipsas ab oratoribus maxime regi solitas legimus. Alibi vero, licet ejusmodi homines non mediocrem in Republica locum obtinerent; non tamen eo usque ut in Senatu Principes haberentur. Et hi perpauci numero erant, qui ex oratorum communi grege longius emersi, multum cæteris præstabant, & qui editas orationes suas posteritati reliquerunt. Nam hi quorum nulla extant scripta, quales fuerint, non facile licet prospicere. Reliqui vero cives, sive Duces, qui in Senatu vel ad populum seu milites sententias 87
dicebant, quanquam graves & satis eloquentes fuisse credam; tamen multos illis non diſſimiles nostro aut seculis proximis in *Italiæ* liberis urbibus fuisse dicere ausim. Neque tu mihi ex *Livio* aut *Sallustio* conciones objicias; quia, & si forsan affirmare licet, eorum fuisse sententias, quorum orationes referuntur, tamen earum dispositio, suavitas, illustratioque verborum ab ipsis rerum scriptoribus prodiere. Quamobrem conciones tales in *Sallustio* & *Livio* repertas reprehendit *Trogus*, quod eas, libris inserendo suis, historiæ modum excesserunt. An vero tu credis, quas *Leonardus* refert, conciones, easdem fuisse, quas illi, quorum scriptæ sunt nomine, protulerunt; quæ (ut plurimum) materno sermone dictæ sunt, & si ad eas, quas legimus, comparentur, proculdubio diversiſſimæ videbuntur? Noviſſimo quoque hoc tempore constat, cum *Venetiis* tum *Florentiæ*, & aliis quibusdam urbibus esse multos, qui splendide, graviter, ornateque, cum de magnis agitur rebus, eloquuntur. Idem etiam de nonnullis, qui vivunt, ducibus poſſumus dicere. Igitur, ut locum hunc absolvam, fatendum censeo; tunc in forensibus causis oratores multos fuisse claros atque illustres, hodie vero nullos; quoniam is, qui tunc vigebat, judiciorum modus, jamdiu obsolevit; & in his quibus nunc utimur, vel satis antea nationes usæ sunt, nullus vel exiguus oratori locus relictus est. Neque nostra solum, aut ætatibus proximis, ea dicendi facultas primum labefactari cœpta est; sed apud *Latinos* tunc ejus cœpit interitus, cum in Cæsa- 88
rum manus urbis imperium venit. Nam, cum eorum nutu cuncta regerentur, nec alicui libere, quod vellet, loquendi potestas esset, sed omnes cupiditatibus Principum, vel eorum, qui apud eos plus poterant, inservirent, atque illis nulli boni, nulli viri egregii placerent; paulatim eloquentiæ vires defecerunt; &, ut ait *Seneca* de hoc ipso loquens: Postquam pulcherrimæ rei præmium cecidit, omne certamen translatum est ad turpia. Nec tamen, dum stetit Respublica semper Rhetorum ars celebrata est, quoniam ante *Marcum Catonem*, illum videlicet qui Censorius cognominatus est, nullos, aut raros fuisse in urbe præstantes dicendi Magistros legimus. Post illum quoque, quamquam multi dicendi artem profiterentur, pauci tamen, ut ait *Cicero*, magni oratores evaserunt. His ergo exceptis, qui divino quodam eloquio vel in Senatu, vel in plebis cœtu, sententias explicabant suas: & illi etiam, qui saltim mediocres in forensi usu habebantur; reliquos cives, dum de rebus magnis consulebant, non absimiles eloquio nostris fuisse reor; licet forsitan plures tunc numero literarum peritiam haberent, cum extremo libertatis tempore Romana Urbs *Græcis Latinisque* literis præcipue indulsit: qua ætate etiam Duces ipsi, non solum armis, sed etiam eloquentia ac literis gloriam auxerunt

xerunt suam. Vetustiores vero dictatores, aut A consules fide, fortitudine, industria, & rebus gestis, non autem dicendi arte, vel *Græci Latinique* sermonis scientia celebres emersere. Similes
89 etiam in hoc ferme *Carthago* habuit cives ducesque. Cæterum non eadem de *Græcis* dicenda sunt; quorum Imperatores fere omnes literatos fuisse constat, & ex eis multos, qui cum bellandi peritia non mediocrem eloquentiam conjunxere. Nec multifacio qua quisque lingua, materna, scilicet, an *Latina* proloquatur; modo graviter, ornate, copioseque pronunciet. Atque in horum altero dicendi genere infinitos pene præstantes viros temporibus proximis fuisse non negabis. B Nec etiam defuerunt, aut nunc quoque desunt eruditissimi viri, qui in publicis urbium rebus facundi & diserti habiti sunt. Et ut intelligas tempestate ista non defuisse ingenia, si judiciale dicendi genus exerceretur; recordare à multis citra annis quot quam eximii Rhetoricæ artis Præceptores per *Italiam* fuerint, & ejusdem viros doctissimos, qui divina eloquentia, orationes, Epistolas innumeras, & libros plures perscripserunt, & *Græcorum* volumina venustissime in *Latinam* verterunt linguam. An tibi videntur *Leonardus*, & *Carolus* Arretini, *Robertus Rufus*, Veronensia *Guarinus*, *Poggius*, *Jannozus. Manettus Ambrosius*, Monachus, & alii multi, C quos fere omnes vidimus, non supremi extitisse; seu eloquentiæ, seu literarum, sive Philosophiæ, moralis præcipue; peritiam consideres? quorum aliqui ita historias conscripserunt, ut *Livio* ac *Sallustio* exceptis, nulli veterum sint, quibus illi non pares aut superiores fuisse recte existimentur. Sed de hoc satis. Nunc ad Poëtas transeamus, in quibus numero, ele-
90 gantia, & varietate, sine controversia vincimur, quantum ad illos attinet Poëtas, qui non communi seu vulgari lingua, sed his, D quas dicimus *Latinam* aut *Græcam*, versus exararunt. Quanquam à multis dubitatum scio, duplexne, an unus loquendi modus esset. Verum si modernos Poëtas inspicimus, qui materno sermone suum *Poëma* descripserunt, dicere audeo, fuisse imprimis duos, *Dantem*, videlicet, & *Franciscum Petrarcam*, quorum neminem elegantia suavitate & sententiarum copia *Virgilio* aut *Homero* postponendum arbitrarer. Quid enim dulcius, quid ornatius, quid sententiis clarius, quid varietate rerum illustrius, quam eorum versus excogitari potest? Atque hi, E quanquam eo, quem dixi, sermone conscripserunt, doctissimi tamen & eruditissimi fuere, ad *Latinum* Carmen minime inepti. Unde ambo *Buccolicum* opus, alter etiam *Africani* res gestas Heroïco carmine posteris reliquerunt: opera quidem non contemnenda, sed non quæ antiquorum quibusdam libris æquiparentur. Neque in hac re *Joannem Boccacium* prætereundum censeo, qui apprime eruditus, versu & soluta oratione ita in scribendo elegans fuit; ut si rem ipsam, non verbi modum, consideremus, non solum Poëta bonus, sed etiam orator optimus videatur. Cæterum sicut in Rhetorica & Poësi F parumper vincimur; ita in Philosophia veteres (præter admodum paucos) aut vincimus, aut adæquamus: dum tamen (sicut necesse est) verissime fateamur; veteres quidem Philosophos, paucis exceptis, quæ libris tradiderunt suis summa
91 fere cum eloquentia junxisse: Eos vero, qui vel hoc tempore, vel à trecentis citra annis Philosophati sunt, nequaquam Orationis fuco deditos, solum inquirendæ veritatis studium adhibuisse; qui, ut de *Varrone* Augustinus ait, tantum studiosos rerum, quantum diserti illi studiosos verborum delectarunt. Si enim, ut verbum indicat, Philosophia sapientiæ studium dicitur; non verborum ornatus, sed qui magis eam argumentis demonstret laudandus est, si res ipsa non autem orationis lenocinia inquiruntur, quæ licet *Marco Varroni* defuerint, *Romano* Auctori, inter Principes tamen suorum temporum annumeratus est. Alioquin, nec sacræ Literæ, nec primi Ecclesiæ Doctores laudandi sunt, quorum pars major, ut *Firmianus* ait, eloquio parum, sapientia multum eximia fuit. Nec ipse tamen, quanquam reliquis eloquentia præstiterit, superior aliis, aut par etiam, fuisse judicatus est. Si ergo nudum Philosophiæ studium spectas; reperies à quadringentis circa elapsis annis *Gallias*, *Italiam*, *Germaniam*, *Hispaniam*, innumeris ejus facultatis Magistris discipulisque scaturisse. Quid enim nobilius quam *Parisiis* & in nonnullis *Italiæ* & *Hispaniæ* urbibus, Philosophorum & Theologorum Scholæ? quos inter medicos annumero; quoniam ipsorum in Philosophia præcipuum studium est, sine qua certe Medicinæ ars minime investigari potuisset. Nec sane intelligo, cui antiquorum, quorum libri extant, exceptis *Platone* & *Aristotele*, *Albertus Magnus*, & *Beatus Thomas* postponendi sint; qui tam multa scripserunt, ut nunquam in otio fuisse videantur, adeo 92
subtiliter & copiose cuncta investigarunt, ut nihil eos latuisse existimetur, quod ingenium humanum assequi potuerit: Nec Barbari quoque summis Philosophiæ Auctoribus caruerunt: siquidem infra ea, quæ diximus, tempora ex *Arabia* ipsa tales duos emersisse constat, quales raros Academia vetus, aut Peripateticorum Scholæ, vel Stoïcorum habuere. *Averroëm* dico, & *Avicennam*, quorum alter in *Aristotelis* libros commentum edens, tantam de se posteris reliquit gloriam, ut nostrorum plerique ipsum *Aristoteli* in Philosophia æquare non dubitaret. Alius vero non solum Philosophiæ vacans, de qua plures edidit libros, sed etiam medicinæ artem quantum nemo veterum alius, suis voluminibus illustravit. His addo sententiarum Magistros, *Romanum Ægidium*, *Jo: Scotum*, *Alexandrum de Ales*, *Bonaventuram*, *Franciscum Marronem*, *Jacobum Forliviensem*, *Parmensem Blasium*, *Ugonem Senensem*, *Paulum Venetum*, *Loysium Marsilium* Florentiæ natum, Monachum illum, qui medicinæ artis: *Plusquam commentum* edidit, *Innocentium quintum* & *Benedictum undecimum* Pontifices, Prædicatorum Ordinis *Hugonem* item, & *Joannem Dominicum* Cardinales, *Marsilium* ex *Sanctæ Sophiæ* oppido. Ex *Fulgineo* Gentilem: quorum præclara ingenia nihil in Philosophia, aut Medicina intactum reliquerunt. Prætereo multos, quos præcipuos Philosophiæ Principes fuisse ambigit nemo. Et si apud *Græcos* quondam multæ Philosophan- 93
tium Scholæ repertæ sunt; nunc inter nationes plures ejusmodi artes non minori frequentia, quam tunc in illa fere sola orbis parte increbuerunt. Aliis enim in locis rarum Philosophiæ studium fuit, quod *Romanis* quoque diu incognitum fuisse, Auctores tradunt; à quibus etiam relatum invenimus, primum *Catonem* censuisse pellendos ex urbe Philosophos, quorum opera juventus ad nova quædam & inutilia irritari videretur. Sed nec in reliquis *Italiæ* partibus, præter *Archætam* & *Pythagoræos* quosdam, claros evasisse Philosophos memoriæ proditum est. Si ergo vera fateri volumus, non minor hoc tempore, aut satis ante Philosophorum numerus fuit, quam in veteribus fuit seculis: & quantum ad Medicinam attinet, longe illa uberius a nostris, quam ab antiquis demonstrata est, plurésque de

hac ipsa re à nostris libri, quam à veteribus illis scripti reperiuntur. Nec in sacra Theologiæ sapientia primis Ecclesiæ Doctoribus moderniores, quorum aliquos supra retuli, protinus cedunt. Siquidem in his differendis quæstionibus, quæ demonstratione indigent, perfectius & acutius hi postremi quam illi veteres veritatem ipsam aperuere, *Augustino* excepto, qui divino quodam ingenio superavit omnes. Morales vero seu mysticos scripturarum sensus, & admirabilem earum qualibet in re copiam longe illi melius tradiderunt. Neque hæc ego auderem dicere, nisi idem esse doctissimorum in his artibus judicium comperissem, quibus pro summa, quæ illis inest,
94 eruditione fidem adhibendam censeo. Neque etiam si Jurisconsultos veteres cum novissimis compares; illis videlicet, qui super digestis & codice commentarios scripserunt, scientia, ingenii acumine, diligenti casuum discussione, nulla ex parte hi primis inferiores cuiquam videbuntur, qui dici vix potest, quam miro ordine, quibus argumentis, quam subtili investigatione, ut Poëtæ verbis utar, legum nodos & ænigmata dissolverunt, casusque à legibus ipsis indecisos demonstratione optima deciserunt. Quo magis admirari soleo, quosdam juris ignaros arrogantia quadam inani literarum peritiæ seu Rhetoricæ artis, cujus eruditi videri volunt, illorum scriptis detrahere, velut si non insignes fuissent viri, sed indocti penitus & rudes. Quibus ego assentirer, si duntaxat ejusmodi libros absque ornatu eloquentiæ scriptos arguerent; nec propterea consequens est, ut in jure interpretando declarandoque non summi & peritissimi fuerunt; cujus cum ignari ipsi sint, modestius agerent, si Doctorum in ea re, non suum judicium sequerentur. Igitur fateri æquum est, priores quidem jurisconsultos elegantia, eloquio, literarum peritia nostros anteisse: scientia vero & ingenii acumine recentiorum libros magis refertos esse, magisque ubique terrarum facultatem hanc ætate nostra, quam vigente *Romano* Imperio floruisse. Accessit quoque novissime Pontificii juris & Decretorum doctrina insignis, quæ per universum Christianum orbem diffusa multorum libris graviter & copiose demonstrata est; per quam
95 institutis optimis Sacrosancta regitur Ecclesia, non vanis & ridendis ritibus, quibus olim Pontifices erga suos Deos utebantur turpibus quidem & scelestis, in quibus fere nihil honesti, nihil, quod beatam respiceret vitam reperiebatur. Quinimmo, sacra illorum omnia superstitione anili erant plena; inter quæ referri vix potest, quam immensa scelera sub Religionis prætextu patrabantur. Memoriæ quoque proditum est, quibusdam in locis humanas Deis victimas immolari solitas, & ne dum homines, sed etiam bestias pro Diis cultas, Quo, quid insanius existimari potest, quid à veritate ipsa remotius? Homines, scilicet, rationis participes brutis animalibus, quibus nulla est ratio, bona omnia vitamque ipsam acceptam ferre, credereque ipsa rationis ac felicitatis expertia, quam nullo modo habent, aliis posse conferre? Itaque feliciora hæc secula putanda sunt, in quibus remotis prorsus vanis Deorum sacris Christi Sancta & vere Beata Religio supervenit, qua cum honeste præsens agitur vita; & ea exacta innocentes viri divinitatis participes efficiuntur, & in qua nil unquam reprehensione dignum repertum est. Cujus vi tandem coacti homines nefandas in belli cædes & crudeles urbium eversiones paulatim remiserunt, didiceruntque hostes humaniorem sibi ipsis belli legem imponere. Quis enim non horreat in bellis pristinis innumeras hominum cædes; in expugnandis oppidis mulierum & infantium raptus, & miserabiles neces;

A & præstantissimos homines belli jure perpetuam in servitutem actos: quæ omnia majore ex parte obsoleverunt, & velut Christianis inimica mori- 96
bus solum apud infideles barbaros remanserunt. Et quoniam in Christianæ sermonem Religionis incidi; libet parumper ejusdem priora tempora cum his postremis conferre, quæ tu non æqui judicis, sed maledici potius more, verbis supra modum lacerasti. Et imprimis si vetustiores clericos seu Religiosos perscrutemur; permulti occurrent nobis, qui pro Christi nomine cruciatus corporis & sævas perpessi mortes, Martyrii pal-
B mam receperunt; quorum innoxio sanguine Christiana Fides præcipue aucta & roborata est. Item qui abstinentia, maceratione carnis humilitate, patientia, vigiliis, oratione, divinitati usque adeo placuerunt; ut per eos DEUS creberrima signa demonstraret: atque etiam hi, qui non solum vitæ sanctimonia, sed doctrina mirabili veritatem adversus impios errores defensarunt, procul dubio Ecclesiæ angulares lapides. Verum si Ecclesiasticas volves historias, longe plures invenies Episcopos, Presbyteros, seu Monachos, qui hæreses impias, Christi verum dogma laniantes, per terrarum orbem induxerunt, & qui
C scelestam ducentes vitam, bonos omnes immani sævitia persecuti sunt. Recordare, quæso parumper, quot olim hæreticorum viguerunt sectæ; quantis Christi tunicam maculis denigrare conati sunt; quam innumera inter hominum mores scandala seruerunt; quantus ob eorum facta dictaque innoxiorum sanguis est effusus. Pone, oro, ante oculos *Donatistas*, *Manichæos*, *Priscilianistas*, *Nestorianos*, *Arrianos*, *Tazianistas*, *Barbarianos*, *Euchitas*, *Messalianos*, *Paulinos*, 97
*Marcellianos*; *Hebrones*, *Helvidios*, *Jovinianos*, & hujuscemodi monstra penè infinita; intelliges profecto, quibus in angustiis, quam in cœco car-
D cere Christianorum mentes versabantur, quam periculosa erat tunc eorum vita, quonam modo DEI Ecclesia tantis disjecta machinis se haberet. Erant quidem non pauci boni: sed incredibile dictu est, quibus obruerentur malis, quanta apud omnes invidiâ laborarent. Legistine unquam *Hieronymum*, *Ambrosium*, *Augustinum*, fidei lumina in eo præsertim insudasse, ut, videlicet, Hæreticorum dogmata confutarent, proculque à se ipsis invidorum calumnias repellerent, quibus assidue agitabantur? An legisti etiam, quas *Athanasius*, *Basilius*, *Jo. Chrysostomus* ab improbis Episcopis
E passi sunt persecutiones? Quale de Beato *Gregorio* post ejus obitum fuerit universi *Romani* Cleri judicium; à quo certe tanti viri damnata fuisset vita, nisi DEUS benigne Sanctum suum respexisset? Apud *Ruffinum* quoque legimus, cum in *Nicænâ* urbe concilium fieret, quo *Arrii* dogma impium damnaretur, eidemque præesset *Constantinus* Princeps, Episcopos fere omnes, qui veritatis causâ tuendæ eo convenerant; ejusmodi relictâ curâ, primo se invicem multorum scelerum apud Principem ipsum accusasse; caruissetque tunc patrocinio Christi fides, nisi bonus Imperator eorum improbum facinus honeste arguisset. Laudan-
F tur multi jure ac merito, qui Martyrio coronati sunt; sed de multis etiam traditur, qui vel tormentorum metu, vel aliam ob causam Christum 98
Deum abnegarunt, & ad Deorum sacrificia se verterunt. Quam plures numero tunc eruditissimi, sanctive fuerunt; quam multi etiam indocti, rudes, flagitiis dediti reperti sunt, quos quidem eo nequiores fuisse censeo, quo magna videntes prodigia, nihil tamen movebantur, sed obstinatis animis in errorum vesania perseverabant. Nunc vero tempus quod à quadringentis citra fluxit annis inspice. Primum quidem intra ætates istas

duos

duos fuisse invenies, qui prodigiis & signis multis, & qualibet vitæ sanctimonia nequaquam Antiquis inferiores tibi videbuntur. Quis enim vel mediocriter doctus ignorat, quales Beatus *Franciscus*, & Beatus *Dominicus* fuerunt, qua patientia, quali humilitate, quanta carnis maceratione se ipsos & sua corpora superarunt. Quam incredibilem egerunt pœnitentiam, quam multas, quam varias passi sunt afflictiones, quam frequenter & assidue in jejuniis, in fletu, in orationibus versabantur. Per hos DEUS homines adeo crebra ostendit prodigia, ut vix ea quidem numerari possint ac referri. Ab his duobus novæ Religionis regulæ tales emanarunt, quales nulla vidit antiquitas. Nam ex utriusque Ordine Fratres tam innumeri evasere, ut totus orbis ab eis illustratus sit. Nulla enim fere orbis pars referri potest, ad quam Sanctissimi *Francisci* Religio non pervenerit. In his duabus vivendis normis incredibile dictu est, quot sancti viri, quot etiam in omni doctrina præstantissimi floruerunt, à quibus Christiana fi-
99 des usque adeo adjuta est, atque amplificata; ut per illos *Christiano* more vivere longe melius didicerimus. Multa ab his hominum vitia vel imminuta vel penitus extirpata sunt. Hodie quoque mirabiliter coaluerunt. Ab his enim Prædicandi modus; ab his humilitatis, patientiæ, paupertatis, & omnium virtutum exempla prodiere, prodeuntque assidue; nec aliquis est Christiani orbis locus, in quo non multi ejusmodi hominum conventus reperiantur. Quid de Monachis dicam, quorum tantus est numerus ut pene infiniti videantur? Neque etiam Beati *Augustini*, *Hieronymi*, Gloriosæ Virginis *Carmelitarum* ordines omittendi sunt; in quibus multi eruditissimi, & sanctissimi viri surrexerunt. Monialium quoque pene infiniti sunt cœtus, quæ vitam in terris cælestem agunt, immaculatas se hostias DEO offerentes, nullis pollutæ mundanis sordibus, sed Angelorum simulachra quædam exprimentes; quarum plerasque vidimus ipsi futurorum præscias, & admirandis prodigiis claras. Nec me præterit, communem te criminandi viam ingressum, pro malis quibusdam clericis bonos simul maledictis lacessisse. Neque enim negare possumus, ex eis multos ætate nostra & superioribus etiam improbos repertos; sed nec omittendum erat, fuisse multos, ac etiam nunc esse, optimos & in omni virtutis genere clarissimos, vitæ quoque sanctimonia celebres quorum nedum verbis, sed exemplis optimis Chri-
100 stianorum mentes illustratæ sunt. Audebisne dicere Religiosos illos, qui regulæ suæ observantes vocitantur, non fere omnes sanctæ atque integerrimæ vitæ esse, & haberi; atque ita mundi illecebras horrere, ut ne illas quidem audire patiantur? Quisquam ne adeo demens est, qui existimet, ejusmodi homines si mali esse cuperent, eam vitam eligere, quæ sit arctissima, & à cunctis mundi delitiis procul remota, in quà nil nisi corpori durum & austerum reperitur, ut vix quidem volenti delinquendi facultas esse possit? Eorum præcipuum munus videmus esse orationibus, fletui, jejuniis incumbere; Missarum solennia devotissime agere; Psalmis, Hymnis, & canticis DEUM laudibus prosequi; pro Christianis cunctis frequenter intercedere, & ipsorum multos sacris eruditos literis homines à flagitiis deterrere, & ad meliorem vitæ frugem deducere. Jam enim diu Christianorum omnis devotio, omnis fere Religio deperisset, nisi religiosi sancti homines doctrinâ, prodigiis, & vitæ exemplo labantem Christi fidem protexissent, acerrime pro illa decertantes, ut Apostolus ait, per infamiam & bonam famam. Nulli enim adeo boni reperti sunt, qui non vulgi & invidorum calumniis patuerint; præsertim Religiosi, quorum eo subtilius inquirunt homines minima quæque advertentes, quo illi arctiorem, quam alii vitam profitentur. Ideoque monstri loco haberi solet, si qui ex illis etiam in parvis errasse deprehenduntur, haud æquo sane judicio; quoniam meminisse oportet, eos homines esse, quos 101
carnis fragilitas à mundi hujus saltem parvis erroribus minime immunes esse sinit; quin potiùs fraterna caritate dolendum est, ejusmodi viros recto proposito in DEUM conversos, & illius præceptis laboriose inhærentes, temere aliquando labi, aut falli, humana infirmitate superatos. Sæpe etiam reor accidere, multos criminandi cupidos ea de illis in vulgus ferre, quæ à veritate prorsus aliena reperiuntur; & pro sordido habitu, pro honestis verbis, pro gravi aspectu Hypocrysim; pro doctrina & prædicatione, sacrarum rerum jactantiam & vanitatem; pro facetia scurrilitatem, pro severitate & justitia crudelitatem, pro tutela juris Ecclesiæ, avaritiam & rapacitatem in illis arguere. Maledicorum enim plena sunt omnia; nec antiquorum quisquam bonus sapiens aut eruditus fuit, quem non malorum aut invidorum voces lacerarint. Quanta enim de Apostolis, qualia de Christo ipso falsa & inania prædicata sunt? Nam, ut Apostolus ait, qui piè in Christo vivere cupiunt persecutiones patiuntur. Unde etiam *Hieronymus* testatus est; se, si hominibus placere studuisset, nequaquam Christi servum futurum; intelligens eos, qui terrenis flagitiis dediti sunt, bonos velut sibi adversos odisse, atque exsecrari, & quibuscunque modis mores illorum carpere; ne, videlicet, ipsis meliores videantur, vel (ut rectius loquar) ne eorum obscœni mores illorum vitæ aspectu clarius apud omnes elucescant. Sed redeo, unde digressus sum. Non ergo inficiari potes, intra jam dictas ætates innumeros fuisse, atque etiam esse, Sanctos & eruditos clericos, seu Pontifices, seu quosvis alios consideres; neque enim omnes nunc referre institui, 102
ne in infinitum sint progressus, sed ex eis paucos doctrina & sanctimonia claros. Et ut a Pontificibus *Romanis* initium sumam; fateberis, ut opinor *Gregorium* decimum qui *Arretii* sepultus est, *Cœlestinum*, *Urbanum* Quintum qui Apostolorum capita reperit, *Alexandrum* qui *Pisis* Pontifex creatus est; fuisse viros sanctos & innocentes, & non parva eruditione præditos. Nec etiam *Innocentium*, qui super Jure Pontificio commentum edidit; *Gregorium* illum, qui decretales epistolas in unum redegit volumen; *Bonifacium* qui sextum Sacrorum Canonum librum edidit, & *Benedictum undecimum* prætereundos censeo; qui etsi haud quaquam multa vitæ sanctitate fuerunt celebres, tamen bonos illos fuisse, & in regenda Ecclesia præstantissimos, & literarum peritissimos memoriæ proditum est. Nec non etiam multos extitisse vel vidimus, vel legimus, quos licet mundi illecebræ aliquando transversos egerint, magna & insignis virtus nobilitavit; dignos certe quorum præclaris meritis vitia quædam condonentur. Sed tu, qui Pastores novos tam acri censura judicas; vetustiores parumper memoria repete. Invenies, ut opinor, ex illis multos, quos historiæ hypocrysis, hæreseos, avaritiæ, superbiæ notaverunt. Ac si à quadringentis citra annis fuissent quidam, qui veterum more, Ecclesiæ statum & Præsules literis illustrassent, profecto, ut reor, non pauci numero Cardinales vita doctrinaque pollentes fuisse infra ea tempora reperirentur. Ipse quoque crebro audivi, & apud quosdam etiam legi, *Bonaventuram*, Minorum Ordi- 103
nis Cardinalem, ne dum Philosophiæ ac Theologiæ principem, sed sanctissimæ vitæ habitum esse, nec minore integritate floruisse *Bernardum U-*

*bertum* Cardinalem ex *Florentia* ipsa natum: plerique nunc etiam meminerunt qua integritate, qua religione, qua bonarum artium scientia *Jo. Dominicus* Prædicatorum Ordinis, *Nicolaus Bononiensis* tituli *sanctæ Crucis*, *Franciscus Zabarellus*, *Julianus Cæsarinus* Cardinales fuerint; quibus merito addendi sunt *Angelus Acciajuolus*, *Franciscus Burdegalensis*, *Alamannus Adimar*, *Blanda Placentinus*, *Antonius Caietanus*; qui omnes eodem officio functi sunt, summa cum laude & veneratione. Neque hi, quamquam servis & familiaribus multis comitati incederent, vel insolentiæ vel vanitatis arguendi sunt. Quid enim ab illis fuit remotius? Sed cum Cardinales, post Pontificem, Ecclesiæ Principes habeantur; recte institutum censeo, tali eos pompa ab hominibus conspici; quo apud cunctos augustiores & majoris auctoritatis viderentur. Neque enim Reges, Dictatores, Consules, aut Magistratus alii, privatorum more vitam agebant; sed longe cultiorem ac splendidiorem, ut, videlicet, eorum majestas excelsior esset, & homines venerabundi simul etiam timentes eos intuerentur. Plerumque enim magnos homines nec satis verendos dignitas facit, sed sæpe contemni videmus eos, si non major quædam accedat potentiæ vis atque aucto-
104 ritas. Igitur in quovis Religionis gradu reperies has postremas ætates sanctis & eruditis viris nequaquam fuisse vacuas; quos inter emicuere imprimis *Jo. Gualbertus* Florentinus civis, *Poggius Fæsulanus* Episcopus, *Actus* Pistorii Præsul, *Philippus* servorum Ordinis, *Vincentius* Hispanus ex Prædicatorum Regula; *Nicolaus de Tolentino* miraculis clarus, qui Beati *Augustini* Religionem tenuit; *Antonius*, *Ludovicus*, & *Bernardinus*, Minorum Ordinis, Viri Sanctissimi, prodigiis multis insignes, *Petrus* ex Prædicatorum Regula, quem vitæ integritas & Martyrii decus maxime, florentem reddidere; *Thomas* ex *Nuceria*, quem Prophetiæ spiritum habuisse ambigat nemo: ex Brutiis *Joachim* Abbas, futurorum præscius, & literis sacris apprime eruditus; *Thomas* de *Aquino* (cujus jam memini) vir non minus sanctitate, quam sapientia clarus *Jo. Columbini* Senensis, Beata *Brigida*, Diva *Verdiana* ex Castello, quod *Florentinum* dicitur; *Clara* Beatissimi *Francisci* soror. Ex *Sena* urbe *Catharina*. Nec ultra alios referre prosequar; sunt enim nimis multi: hos vero enumerasse satis sit ad refellendum istum qui omni calumniarum genere in Clericos invectus est. At si quispiam diceret, ab antiquis nos Martyriis & prodigiis victos; consideret, idcirco ab initio plures fuisse Martyres quia cum *Romani* Principes, Orbis Domini, Christianos ubique persequerentur, immani sævitia eos trucidantes; non est admirandum, si plures tunc pro Christi nomine occubuerunt, qui ipsum certissimum DEUM esse non ignora-
105 bant: nunc vero, quoniam nulla est persecutio, rarus Martyrii locus est relictus. Quod si hoc tempore aliqua vis Christi hostium immineret, neque aliter nisi fide abnegata evadi posset, existimo haud dubie, quod ingens esset eorum numerus, qui mortem ipsam, & omnes cruciatus corporis constantissime paterentur. Quis enim ignorat, ne dum justos homines, sed Pyratas sæpe ab infidelibus captos, ne Christum negarent, sævam mortem oppetisse? Quod si ejusmodi homines ea constantia reperti sunt, quali futuros censes eos, qui virtutis & innocentiæ testimonia præbuissent? Prodigia vero eam ob causam rariora nunc esse existimantur, quoniam Christi fide tot Martyriis, tam multis signis, tot doctissimorum Libris jam fundata, & Christum DEUM fatentibus cunctis qui Baptisma receperunt; minime

A convenit, ut per ejusmodi signa homines amplius ad credendum provocentur: futuri omnino infideles, si velut nimis curiosi, ejusmodi signa desiderarent; sed nemo est, qui ad fidei cultum miraculis se confirmari quærat. Christiani enim populi eam solam Christi fidem veram esse arbitrantur; reliquas vero sectas, vanas, insipidas, & erroris plenas, per quarum licentiam & insanos ritus præsertim Religionum veterum, populi corruptissimos mores imbuerunt; Christiani vero sanctæ legi assueti, longe magis; quam veteres populi, à vitiis abstinuerunt. Ubi enim hodie scatent tantæ, tam apertæ scelerum sordes,
B quales & quantæ tum fuisse referuntur? Illis enim ætatibus creberrimo in abusu erant superbia, crudelitas, stupra infinita omnis generis, 106
inter quæ cum pueris & spadonibus infamis coitus palam exercebatur. Assueverant multi retinere apud se florentium ætatum *spadonum* greges, cum quibus libidinem suam satiarent: multis in locis & præsertim *Romæ* lupanaria puerorum fuisse publica scriptores tradunt, quæ postea *Philippus* sustulit per Christi fidem, qua imbutus erat, ad hoc impulsus. Non dies solum, sed annus me deficeret, si velim referre immensa eorum temporum avaritiæ scelera, rapinas, fœno-
C ra, falsas confectas tabulas, propinquorum mortes, ut eorum bona caperentur, judiciorum corruptelas, bonorum oppressiones & calumnias, gulam immensam, ludos scenicos, & alios multos turpissimos, gladiatorias pugnas, proscriptiones optimorum civium, infinitos viros optimos falsis judiciis oppressos, & alia innumera, quæ penes Poëtas & rerum scriptores quotidie leguntur. Quorum multa quamvis hoc tempore non desint; tamen dicere audeo, nec palam, ut olim, nec tam crebro à multis ea solere usurpari; & esse populos multos, quibus illa horrori sint, & omnes
D fere, quibus Christi placet Religio, timidiores ad nocendum factos. Quamobrem admirari cogor, te nequaquam literarum expertem, hujus ætatis gentes tam acerbe incusasse, apud quas major caritas, purior fides, minor nocendi cupiditas, minor avaritia & crudelitas, minus crebra delicta omnia, virtutes multæ reperiuntur. Age nunc, antiquos Principes aut Reges considera, quos tu tantis laudibus extulisti: Et imprimis *Nini* Assyrii prolem, à quo Rege *Græcæ* & *Latinæ* 107
Historiæ inceperunt, cujus filius inter mulieres consenuisse memoratur, raro à viris visus, neque aliquid unquam ausus, quod viris conve-
E niret; cujus quoque posteri; morem illum servantes, inter scorta & lascivias degentes, nunquam conspiciebantur; responsa per internuntios dantes; non (ut mihi videtur) Reges, sed quorum nomine plures regna possidebant. Eorum postremum fuisse, ferunt, muliere lasciviorem, *Sardanapalum* nomine; qui cum esset corruptissimis moribus, vitam simul & imperium amisit. Post cujus obitum Regnum ad *Medos* translatum est, qui, *Astyage* excepto, qui ultimus Regnum tenuit, obscuri penitus fuere, nec aliquid laude dignum egisse memorantur.
F Post illos Imperium ad *Persas* transiit, *Cyri* audacia & virtute partum, quem præstantissimum fuisse Regem scriptores omnes tradidere. Ejus filium *Cambysem*, qui in Regnum successit scelestum hominem, & parricidio, sacrilegiisque infamem fuisse, literæ tradunt. Quo interfecto, Regnum ad Magos translatum est, nefarios & impudicos homines; postea vero ad *Darium*, qui per equi hinnitum rex creatus est, vir præstans, sed non qui rebus gestis ingentem gloriam acquisiverit. Huic successit, *Xerxes*, vanus, immitis, nullius aut virtutis, aut ingenii;

nii; cujus vanitatem & jactantiam pauca *Græcorum* millia represserunt. Eo tandem à suis neca-
108 to, *Artaxerxi* Imperium cessit; qui occiso fratre, aliquandiu felix habitus est: postea vero cum multos haberet filios, is quem Regem vivens fecerat, (*Darius* nomine) & plurimi secum fratres insidias paravêre; quibus ille cognitis, filios & eorum conjuges ac liberos crudelissime interemit. Eo postea vita functo, filius *Ochus* Regnum accepit, cunctis sævior & immanior, cognatorum cæde ac strage insigniter fœdus. *Persarum* ultimus *Darius* fuit, non tam sua virtute, quam quod cum *Alexandro* bellum gessit, insignis; à quo tandem victus, vitam & imperium amisit. Sequuntur deinde *Macedonum* Reges, & *Alexandri* successores; qui quanquam bellicis laudibus egregie floruerunt, tamen ebrietatibus, vanis divinitatis figmentis, amicorum & cognatorum cædibus, multis tandem inter se bellis civilibus, & immensa Regni cupiditate propriam famam macularunt. Quid de *Parthis* Regibus dicam; quorum licet plerique præstantes habiti sint tamen plurimi sævi, immanes, barbaris omnino moribus apparuerunt? Recense etiam, si placet, *Jugurthæ* flagitia; *Herodis* crudelitatem; *Antiochi* libidines, & parricidia, *Philippi* qui cum *Romanis* bellum gessit, sævam senectam, & filii cædem; *Persei* avaritiam, timiditatem, ignaviam; multorum *Ægypti*

A Regum scelestam vitam; simul etiam Tyrannos illorum temporum considera. Reperies pro *Pisistrato* Clarissimo viro & nonnullis aliis *Phalaridem*, *Dionysios*, *Nabidem*, & infinitos alios, qui velut humani generis hostes describuntur. At si *Romanos* Principes perscrutemur, fa- 109
teamur necesse est ex eis longe plures numero malos, quam bonos fuisse. Quis enim digne accuset *Tiberii* libidinem, & sævitiam; *Caligulæ* immanitatem, & amentiam; *Claudii* vecordiam; *Neronis* scelera, & crudelitates; *Othonis* & *Vitellii* lasciviam; *Domitiani* pessimos mores; *Commodi*, *Caracallæ*, *Maximini*, *Heliogabali* immen-
B sas cædes ac sordes? Paucos numerasse intelligo, eorum respectu, qui velut monstra Orbi Terrarum imperarunt: sed consulto alios præterire institui, quia, scilicet, jam finem sermoni dandum censeo. Igitur pro quibusdam tunc Regibus, aut Principibus bonis, multi numero deterrimi fuerunt, mea quidem sententia longe nequiores, quam hi, quos vel nostra ætate, vel superioribus, pro malis homines notavêre. Quibus qui-
C dem temporibus multi summis virtutibus Reges, ac Principes claruerunt, quorum plerosque nominarem, nisi, quia jam finem dicendi facere tempus admonet, tacere decrevissem. Et cum tandem omnes mihi assensi essent, discessimus.

F I N I S.

# INDEX NOMINUM ET RERUM.


FINIS.

# PETRI AZARII,
*Notarii Novarienſis,*
# CHRONICON GESTORUM
IN
# LOMBARDIA,
*Scriptum anno* MCCCLXII.
*Ubi*
VARIA NOTATU DIGNA, ET SINGULARIA,
quæ ibi, ac ſpecialiter Auctoris tempore, acciderunt, breviſſime enarrantur.

*Ad Illuſtriſſimum*
D. D. FRANCISCUM DE ADVOCATIS,
*Comitem ac Dynaſtam* Caſalegiati, *Decurionem* Novariæ, *e Collegio J. PP. Judicum, Comitum, & Equitum Patritiorum* Novarienſium.

Nunc primùm ex Manuſcripto editum.





*LUGDUNI BATAVORUM,*
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
*Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.*

# PRÆFATIO.

## BENEVOLE LECTOR.

NOvum iterum Viri Celeberrimi & de Orbe Literato meritissimi, *D. Apostoli Zenonis*, non erga nos solùm, sed & omnes Antiquitatum Cultores, benignitatis argumentum præsens ex MSto editum Chronicon celebrabit. Noverat is Magnus Literarum Mæcenas, quam sincere & candide *Petrus Azarius* de rebus in *Lombardia* gestis, & præcipue sui temporis, scripserat, atque dignissimas esse tanti Viri lucubrationes, quæ luci tandem exponerentur publicæ: ideoque exemplar manuscriptum, quod operæ in imprimendo sequerentur, nobis communicavit benignissime. Cumque nos toti in id incumbamus, ut omni, quæ nobis offertur, occasione nos Orbi Literato exhibeamus promptissimos, continuo opus prælo dedimus, & omnem adhibuimus industriam, ut id prodiret nitidissimum. Nomina propria, ut eo facilius pateant, diversis a contextu exhibemus literis; & indicem rerum ac verborum subjunximus locupletem. Hisce, *Benevole Lector*, felix utere, & vale.

AD


ILLUSTRISSIMUM D.

D. FRANCISCUM DE ADVOCATIS,

Comitem, ac Dynastam *Casalegiati*, Decurionem *Novariæ*, e Collegio J. PP. Judicum, Comitum, & Equitum Patritiorum *Novariensium*,

APOSTOLUS ZENO.

*Justitiæ me obsequuturum, ejusque præcepta servaturum existimo, cum unicuique suum dare velim constantissime.* Novaria (*urbs inter Insubricas præclara, & antiquissima*) *PETRUM AZARIUM protulit, posseditve, quem chalcographi silentium incusans (invasoris, ac spoliatoris more) inglorium hactenus detinuit. Nunc ipse publicæ usuræ restituendus, silentio diripiendus expostulat, ac urget, nedum ad patrios limites, legitimosque lares, unde pulsus, verum etiam ad commune commodum, quo exspoliatus, & ad quod natum, reintegrari, suumque Chronicon alicui ex Summatibus* Novariensibus *patrocinaturo, novumque spolium repulsuro nuncupari. Id eo magis justitiæ consentaneum credo, quo magis ipse Chronista in expendendo res suæ patriæ nisus est. Sed injustitiæ labe notandus profecto forem, nisi te tot inter præclaros tuos primates Concives delegissem, cujus fausto omine sympolites tui lucubrationes divulgentur, cum tu eruditione, literario splendore, ac bonarum artium disciplina, ornatuque nemini ipsorum secundus sis. Vale singulare nobilissimæ patriæ tuæ decus. Venetiis* VI. *Cal. Octobr.* MDCIC.



# L E C T O R I.

Prodiit hoc Chronicon è Ducali Bibliotheca *Urbini*, antequam hæc *Romam* asportaretur, & ad nos remissum fuit per *Cornelium Buffam* Pesaurensem. De authore levem quandam notitiam habemus *ex Propyleo Minervæ in to. 2. pag.* 401. sed ampliorem expectamus *in Museo Novariensi*, cujus designationem nuperrime vidimus in eod. to. pag. 394. operis capita hæc sunt, nimirum

I. *Otho Vicecomes* Mediolani Archiepiscopus.
II. *Matthæus Vicecomes* I. agnomento *Magnus.*
III. De Rege *Roberto.*
IV. De Adventu Imperatoris *Henrici.*
V. De *Jo.* Papa *XXII.*
VI. *Galeazius Vicecomes I.*
VII. *Ludovicus de Bavaria.*
VIII. *Azo Vicecomes.*
IX. *Luchinus Vicecomes.*
X. *Jo. Vicecomes* agnomento *Olegianus.*
XI. *Jo. Vicecomes* Archiep. *Mediolani.*
XII. *Barnabos Vicecomes.*
XIII. *De Galeazio Vicecomite II.*
XIV. *Canis Grandis de la Scala.*
XV. *Joannes* Marchio *Montisferrati.*

*Vicecomites* Principes *Mediolanenses*, quorum gesta referuntur in hoc opere, ad hanc Genealogicam Tabulam reduximus. Hoc tamen animadverso, quod *Otho* Archiepiscopus, *Andreottus*, & *Ubertus* Episcopus *Intimiliensis*, a quibus author incipit, habuerunt

Patrem *Ubertum* Consulem Reip. *Mediolanensis.*

Avum *Othonem* Consulem *Mediolani.*

Proavum *Vidonem* Comitem.

Abavum *Othonem* Comitem, & *Mediolani Vicecomitem.*

Atavum *Eripiandum* Comitem, & *Mediolani Vicecomitem.*

Tritavum *Facium*, seu *Bonifacium* Comitem.

Cæteros Majores usque ad *Alachim* è Duce *Tridentino*, & *Brixiensi* Regem *Longobardorum* quis colligat è stemmate Marchionis Vercellini *Mariæ Vicecomitis* Mediolanensis, & è Generosa Nobilitate Vicecomitum *Hieronymi Bissy.*




PETRI



# PETRI AZARII,
## *Novarienſis*,
# CHRONICON GESTORUM IN LOMBARDIA.

In Christi Nomine Amen.

Incipit Liber Geſtorum in Lombardia, & præcipuè per cunctos Dominos Mediolani, compoſitus, per me Petrum Azarium Notarium infraſcriptum, & de caſibus pravis, qui multipliciter occurrerunt.

## PROOEMIUM.

*Quoniam humana vita eſt fragilis, & caduca, memoriaque hominum labibitur, ut folia pertranseunt, quæ Annis ſingulis renovantur, conditiones, & ſtatus quotidie variantur, ſuſcitantur errores, & in tantum ſuſcitati ſunt, quod cogitavi ad evidentiam futurorum ſub brevi ſtylo geſta in* Lombardia, *& ſpecialiter meo tempore enarrare. Verum quia in Civitate* Novaria, *à qua Originem traxi, graviora occurrerunt, ideo de ipſa magis, quam de alia, & ſerioſius pertractabo. Morans itaque in Civitate* Terdonæ *confuſus otio, cruciatus, & excitatus doloribus, & anguſtiis perimmenſis propter occurrentia, fugatus à Domo propter morbum, conatus ſum cauſas præcedentes, ex quibus in* Lombardia *orta ſunt ſcandala, ſtudioſius enarrare. Verumtamen, quia male ſequentia concluſerunt, de ſequentibus etiam ſcribere curabo, propter quæ felix olim* Lombardiæ *ſtatus in bonis, & rebus irrecuperabiliter jam defecit. Nec mirentur lectores, ſi ſtimulus dictandi, & ſcribendi me coëgit, quaſi vulgariter exprimendo narranda, cum viderem ſcelera permulta vigere, errores multiplices ſuſcitari, verum non dici, & ſolummodò divitias procurari, & quid divitiæ profuerint, audire poteritis. Vidi namque hominem perire, nec propter infinitam pecuniam, quam habebat, ab aliquo relevari. Propter infeſtationem ſiquidem morbi vidi Patrem de filio, & filium de Patre, Fratres de Fratre, Amicum de Amico, Vicinumque de Vicino penitus non curare. Et quod moleſtius fuit, vidi unam familiam, quantumcumque foret major, miſerabilitate perire, remediumque, ſeu ſubſidium non haberi, medias non valere, ſed fortiores, juveneſque, tam mares, quam fœminas uno motu deficere, ſpernere, & ſperni, taliter quod nullus auſus fuit Domos eorum ſic periclitantium introire. Durantibuſque prædictis vidi Gentes extraneas malas regnare, nec curare de Peſte ipſa, ſed rapere, incendia poſcere, prædari, converſationes malorum, & metipſum oportuit, & turpiter ſpoliari.*

*Conſtat tandem,* Lombardiam *triginta Civitatibus fore præclaram, Alpibus, & montibus aſperrimis vallatam undique, & circumcluſam, per quam ſolus fluvius decidens nomine* Padus, *præclarior omnibus aliis fluviis* Lombardiæ, *à monte* Apenino *trahens initium, & per inferiora loca decurrens* Lombardiam *fulcit, & in Adriaticum Mare recipitur fluctuoſe. Quæ quidem* Lombardia *nobilibus Civitatibus, Populis, Gentibus, & artibus ornata, inter alias Provincias Sereniſſima vocatur, planitiem habet, & montes valde fructiferos nimis, quæ ſoli Imperio* Romanorum *deberet temporaliter ſubjacere: ſed antequam ad alia pertranſeam, Civitates ipſas cum nominibus earumdem deſcribere volui, ut ſucceſſive dicenda valeam enarrare. Eſt igitur ipſarum Civitatum prima Civitas*

*Metropolitana, quæ* Mediolanum *nuncupatur, deinde,* 2. Cumæ, 3. Pergamum, 4. Brixia, 5. Verona, 6. Vincentia, 7. Laudæ, 8. Cremona, 9. Mantua, 10. Ferraria, 11. Papia, 12. Placentia, 13. Parma, 14. Regium, 15. Mutina, 16. Bononia, 17. Bobium, 18. Terdona, 19. Novaria, 20. Vercellæ, 21. Ipporegia, 22. Taurinum, 23. Asta, 24. Alba, 25. Alexandria, 26. Aquæ, 27. Janua, 28. Savona, & 29. Tridentum. *Et quia primaria ipsarum Civitatum* Mediolanum *nuncupatur, ideo ab ipsa tamquam à principio decrevi primordium introire.*

---

### *Otho Vicecomes Mediolani Archiepiscopus.*

DUm igitur Rev. in Christo P. & DD. *Otho,* Dei gratia *Mediolanensis* Archiepiscopus in sua Archiepiscopali sede vigeret: Civitas *Mediolani* per certos Magnates *de la Turre*, & Nobiles, ut plurimum possidebatur, & in tantum, quod titulum majoritatis acquisiverunt Anno
1250. 1250. Et Dominio potitus est *D. Guido de la Turre*, qui contra voluntatem aliquorum de parentela sua, qui sese reputabant in potentia pares, quamvis in sensu, nec similes, nec æquales, se dicebat caput partis *Guelphæ* in *Lombardia*. Hi Magnates *de la Turre* superbe sese agentes cœperunt in Civitate *Mediolani* potentes opprimere, & specialiter quos reputabant fore *Gibellinos*, cœperuntque alia gravia facere, quæ juri nullatenus congruebant, nec dominanti convenire debebant. Et adeo in eis crevit superbia cervicosa, ut Puellas formosas raperent, contradicentes tam super alio negotio, quàm super aliis gravibus private mactarent, etiam quodam modo fingentes justitiam exercere: magnam quantitatem ex Principibus *Mediolani* fecerunt decapitare, qui ad locum supplicii super plaustris vehebantur; Populum autem sublevabant, & in tantum, quod in *Mediolano*, nec in Comitatu aliquis erat hisce similis, nec in potentia coæqualis. Tantum Dominium pro molesto ferebant antedicti Nobiles *Gibellini*, & etiam multi ex nobilibus, & potentibus *Guelphis* Mediolani. Etenim *D. Guido de la Turre* antedictus adeo se in Civitate *Mediolani* præclarum reddidit, ut alios *Lombardos* crederet subjicere, utque cæteræ Civitates deberent sibi totaliter subjacere: & ita superbè, & improbè se gessit cum aliis de domo sua divitibus, ut inimicos in Civitate ipsa, & in aliis Civitatibus *Lombardiæ* (quamquam *Guelphis*) multasque inimicitias speciales, & odia privata acquisiverit; de remotione talis tyranni, aliæ ut plurimum Civitates sub silentio transiverunt, cupientes tamen remotionem ipsius, & principaliter Dominus Comes *Philipponus de Langusco* ferox, & probus, qui Dominium Civitatis, & Districtus *Papiæ* cum parte sua feliciter gubernabat. Elatus potentia Domus suæ *de la Turre* D. NN. stans in Curia inter illos de latere dedignatus est fieri Archiepiscopus *Mediolani*; imo fieri voluit Patriarcha *Aquilejensis*, & per sequentia profuit propter ipsius potentiam. Sed Dominus *Otho Vicecomes* (tunc parvæ progeniei ad respectum) sensu suo elegit fieri Archiepiscopus *Mediolani*: Cui Archiepiscopo, & Domui suæ bene successit per sequentia. Præterea Dominus *Guido* non contentus tali, vel tanto Dominio sæculari, etiam Ecclesiastica usurpabat: quod valde molestum habebatur Clero Civitatis antedictæ, & præcipue tunc Domino *Othoni*, ut supra, dignissimo Archiepiscopo, qui in virtute, moribus, eloquentia, temperantia, & perseverantia alios excellebat. Tanta igitur superbia fastiditus præfatus Archiepiscopus ipsum Dominum *Guidonem*, & Domum suam, & ipsorum Dominationem cœpit machinare, & à principiis fundamentum accepit, continuo nephandam dominationem malleando: principium voluit habere

A à se, medium à suis, ut Dominio antedicto inimicitias daret, & præcipue ab his, quos talis Dominatio deputabat Amicos suos, ut statim de prædictis dicetur ad evidentiam futurorum: Qualem autem finem sit habiturus, non dico, quia scire futura, non est humanum, sed spero concludere, quod bono principio, perseverantiæque, boni medii, status finalis laudabiliter respondebit. *Otho* igitur Archiepiscopus abhorrens homicidia, cœpit Civitatem *Mediolani* regere cum Capitaneis, & Valvassoribus, ad regimen quorum præfatus Dominus Archiepiscopus multum Homines induxit, & causam procuravit, propter quam Pronepos suus *Mapheolus Vicecomes* suo tempore regnaret, sicut regnavit,
B Domum *Vicecomitum* ampliando. Hic *Otho* omni virtute præclarus, oriundus ex *Vicecomitibus*, pauca de Patrimonio possidebat, cum his diebus solum *Invorium* inferius, *Olegium* Castrum (sive *Olegium* Castellum) cum suis pertinentibus, & diù possedisset, nec non in *Maxino*, & aliquibus locis *Verganti*: Parentes (& præcipue ipsius Domini Archiepiscopi) aliqua, sed non multum, nec in magna quantitate, & aliqua temporaliter obligata possidebant. Dictus *Mapheolus* dicitur, quod cum natus fuisset in *Maxino*, omnia animalia domestica in ipso loco inceperunt mugire:
C Hunc *Mapheolum* venire jussit *Mediolanum*, aliosque quam plures, tam Juvenes, quam formosos de Domo *Vicecomitum* habere voluit cum eodem, quos faciebat scientia erudiri, moribus perpoliri, & in tantum, quod minor de ipsius familia istos, & socios, si aliqua ultra normam faciebant, baculabat, & ad humilitatem ipsos coërcebat, & præcipue illum *Mapheolum*, qui in majori ætate istos alios, & multo magis excedebat, quique ad magnalia instituebatur, & instruebatur, ut vivere sciret cum Nobilibus *Mediolani*, ac sublevaret Capitaneos, & Valvassores, quo usque videret tempus ipsos deprimendi: Nec cessavit *Otho*, donec ipsum *Mapheolum* ad Dominium *Me-*
D *diolani* quodammodo provocavit, de cujus provocatione mediis, & subsequentibus, inferius seriosus describetur. Summatim autem dici potest, quod dictus *Mapheolus* (nuncupatus postea Dominus *Matthæus Vicecomes*) alios successores de *Vicecomitibus* excessit bonitate, virtutibus, sagacitate, & industria: Quod sibi necessarium fuit per sequentia, quoniam non habuit causam de die continue dormitandi.

### *Matthæus Vicecomes.*

MAtthæolus (vel *Matthæus*) igitur *de Vicecomitibus* antedictus crevit, & Juvenis multæ industriæ, & maxime moralitatis, & virtu-
E tis effectus est: communis quidem fuit staturæ, largus in pectore, hilaris vultu, affabilis, & benignus, largus in expendendo, tractabilis in acquirendo amicitias *Lombardorum*, & præcipue Civitatum *Mediolano* adhærentium, & tamquam *Gibellinus*, & Imperialis homo cœpit de Imperio tractare, & multas magnas Domos de Nobilibus *Mediolani* ad Imperium provocavit, ac etiam cum contrariis fœdus inire cœpit. Cum autem fuisset in Juventute, Dominam *Violantam* (aliis *Bonacossam*,

cossam) *de Burris* in uxorem copulavit, quæ fuit mulier formosa, robusta, rubeoque colore perfusa; Erant enim tunc Temporis *Burri* magna Parentela in *Mediolano*: eo matrimonio nati sunt *Galeaz* primogenitus, *Joannes*, *Marcus*, *Luchinus*, & *Stephanus*, & multæ Nobiles mulieres, de quibus ad præsens tacetur. Persistens autem dictus *Otho* Archiepiscopus in suo cœpto proposito ad magna quæque semper dictum *Matthæolum* stimulabat, atque ita in *Mediolano* tractavit, ut consilio celebrato, tam Populariter, quam Nobiliter, tres ex majoribus *Mediolani* voce, virtutibus atque fama constituti fuerint Domini, tanquam Gubernatores Dominii Civitatis *Mediolani*, videlicet D. D. *Guido de la Turre*, *Matthæus Vicecomes*, & *Henricus de Modetia*, dictus *Metefogus*, quibus tota Civitas, & Comitatus universaliter adhærebat. Ex quibus duo *Guelphi* dicebantur, & tertius *Gibellinus*. Cogitavitque idem Archiepiscopus qualiter in dominando posset dictus *Matthæus*, & ad Tempus stabilitum principium habere regnandi, & sapienter agens, sic operam dedit, ut prædictus Dominus *Henricus* electus fuerit in Potestatem *Pergami*, quam Potestariam de consilio præfati Domini Archiepiscopi acceptavit; post *Henrici* recessum dictus *Matthæus* habuit incipere ad sedendum, & sic suo tempore sedit etiam pro Domino *Henrico*, qui se absentaverat: inter ipsum, & *Guidonem* orta fuit quæstio, tamquam de paritate contendentes, & in ea succubuit Dominus *Matthæus*, qui proinde de Civitate *Mediolani* expulsus fuit cum complicibus suis, nulla alia Terra *Mediolani* devastata, & profugus per nemora, & alia ardua loca fugit improbando, quos credebat amicos, & latitando: Fugiensque usque *Novariam*, se reduxit in terram *Olegii*, Galulphi districtus *Novariæ*, quæ tenebatur per partem *Torniellorum*, etiam expulsorum à *Novaria*, tamquam *Gibellinorum*, ubi Dominus *Philippus Torniellus* cum aliis suis sequacibus permanebat. Verum Dominus *Matthæus* videns, quod in *Burgo Olegii* prædicto non poterat permanere propter nimiam rebellionis sequelam, fugit per partes *Blandrati*, & *Azilium* se reduxit. Est autem *Azilium* Castrum in principio Comitatus *Maxini*, & apud *Iporegiam* constitutum, ubi parum moræ traxit: deinde non valens persecutorum manus effugere, recessit ad Lacum *Gardæ*, & deinde super Lacum *de Isæo* Brixiensem, ubi non magna custodia latitabat.
1299. Expulsus vero fuit Anno 1299. quo pars *Gibellina*, *Novariæ*, *Vercellarum*, *Cumarum*, & *Pergami*, propter impotentiam fuit totaliter expulsa huc, illuc, divertendo: pars vero *Beccariorum* expulsa erat de Civitate *Papiensi*. Et quia pars Gibellina *Terdonam* solummodo, & *Brixiam* in istis partibus tenebat, ideo Dominus *Matthæus* statum dictorum D. D. *de Isæo* elegit in lacum fugiendo, & ibi parumper moram traxit. *Tornielli* autem propter impotentiam habuerunt ab *Olegio* fugere, & districtum *Novariæ* linquere fugientes ad Castrum *Tixinesii* super *Padum* apud *Valentiam*, & ibi cum parte sua, & fautoribus reducti, etiam in *Terdona* conversando, deprædando *Mediolanum*, *Papiam*, *Vercellas*, *Alexandriam*, & aliam universam partem *Guelpham* per-
1310. manserunt usque ad Annum 1310. quo universa pars *Gibellina* fuit in Civitatibus eorum per Sacratissimum Imperatorem *Henricum*, & cum magna difficultate restituta una etiam cum *Guelpha* in Civitatibus, unde expulsa erat; in Castro *Tixinesii* fuit pars *Gibellina*, machinis cum obsidione firmata, & machinata, pro eo quod nullam aliam fortalitiam in Civitatibus *Mediolani*, *Papiæ*, & *Vercellarum* possidebat.

## *De Rege Roberto.*

DUrante vero litigio antedicto, & antea orta erat contentio sine fine inter sacrum Imperium, & sanctam *Romanam* Ecclesiam, in quo in tantum universi Christiani adhæserant, quod mortuis Imperatore *Frederico*, & filiis tam Regibus, quam aliis, qui diversimode, & sub diversis præliis succubuerunt, Imperium vacavit. Nec contentus Rex *Robertus* ejus filius, de Regnis ipsius, & aliis coronatus fuit. Et videns *Italiam* Imperio carere, & Magistro, curam adhibuit de Universam *Italiam*, & præcipue *Lombardiam* (favente etiam Ecclesia *Romana*) possidendo: nec mirum si aliquas Civitates in *Lombardia* acquirebat; quoniam non patiebatur, quod Cives supportarent expensas Guerrarum, sed ipsas, & maximas provisiones de Ærario suo *Siciliæ* persolvebat, tam Civibus subjectis, in Civitatibus acquisitis, quam stipendiariis facientibus guerram eorum contra quoscunque *Gibellinos*, & participante Ecclesia *Romana*, Civitates *Bononiæ*, *Ferrariæ*, *Mutinæ*, *Regii*, *Parmæ*, *Placentiæ*, *Cremonæ*, *Terdonæ*, *Alexandriæ*, *Astæ*, *Albæ*, *Aquarum*, & *Taurini* in *Lombardia*, & cum aliis quam pluribus Marchionatibus, & Comitatibus ipsi, & parti *Guelphæ* subjecit. Et dum niteretur alias universas Civitates *Lombardiæ* subjugare, & Imperio auferre ipsæ demum ad Imperium clamaverunt: Cui clamationi etiam Comites *Papienses* cum sequacibus suis, qui fuerunt *Guido de la Turre* prædictus, *Advocati* de *Vercellis*, *Antonius de Fissiraga* pro *Lauda*, *Vitani* pro *Cumis*, *Colioni* pro *Bergomo*, & sequaces eorum, quamquam *Guelphi* adhæserunt nolentes Dominia ipsarum Civitatum linquere, quæ tenere sperabant, & maxime propter impotentiam *Gibellinæ* partis expulsæ, ut precario à dictis *Romana* Ecclesia, & *Roberto* Rege recognoscerent inter se discrepantes, nec confidentes, nam ex nunc inter *Guelphos* ipsos quamquam confœderatos exortæ erant magnæ zizaniæ, & rumores, volens alter alteri prævalere; Qui errores partes ipsarum Civitatum *Guelpharum* destruxerunt per ea, & alia quæ postea sunt sequuta, ut seriosius explicabitur, & destructas tenent de præsenti.

## *De Adventu Imperatoris Henrici.*

NOn obstantibus contradictionibus, Illustris DD. Rex *Henricus* de *Lucemburgo* Catholicus, & claræ præeminentiæ Diademate, & Corona Imperiali Anno 1310. cum maxima difficul- 1310.
tate extitit coronatus. Qua suscepta, cogitavit statum *Italiæ*, & præcipue *Lombardiæ* reintegrare, volens unicuique, quod suum est, attribuere: Auditisque querimoniis *Lombardorum*, & præcipue *Matthæi Vicecomitis*, qui una cum *Philippo Torniello* de Novaria, *Riccardo de Tizonibus* de Vercellis, *Franchino Rusca* de Cumis, *Ameo de Suardis* de Pergamo, *Mussio de Beccaria* de Papia, Comite *Uberto Lando* de Placentia, N. *Vistarino* de Lauda, *Uberto* Marchione *de Sippiono* de Parma, & aliis expulsis pro parte *Gibellina* de aliis Civitatibus *Astæ*, *Alexandriæ*, *Albæ*, *Januæ*, & *Taurini* simul coiverant, auditisque querimoniis expulsorum de *Brixia*, & *Mantua* pro parte *Guelpha*, sine aliqua contradictione, dicto Anno 1310.
reintegrare studuit, & ubique ipsos in Domum ponendo cum maxima comitiva sua, & multorum procerum pertransibat. Dum autem . . . . *
contenderet apud Civitatem *Brixiæ* pro restituendo partem *Guelpham* expulsam à dicta Civitate: cogitaverunt prædicti *Gibellini* restitui Civitates ipsas possidere, sperantes, quod virtute Imperii,

Sancta *Romana* Ecclesia, & præfatus Rex *Robertus* non possunt partem *Guelphorum* restituere, nec manutenere, cum multi *Gibellini* Nobiles ex ipsis multum dolerent, quod fuissent retroactis temporibus à popularibus conculcati. Et sic indictis comitiis tale consilium in *Mediolano* tamquam à principio, & capite inierunt, ut è *Mediolano* expulsa fuerit Domus illorum *de la Turre*
1311. in festo Beatissimæ Sanctæ *Agnetis* 1311. die 21. Januarii, qui numquam usque ad præsentem diem redierunt in *Mediolanum*. In illis expellendis præfatus Dominus *Matthæus* magnam cautelam habuit: promiserat enim illis *de la Turre* participare cum illis in expellendo à *Mediolano* Vicarium Imperialem cum gentibus suis: & credentes illi *de la Turre* prædicta, quæ firmata jam fuerant vinculo Sacramenti, iverunt ad se armandum. At Dominus *Matthæus* subito venit ad Vicarium Imperii nuncians, ut se præpararet cum gentibus suis, & sic ipse Dominus Vicarius cum gentibus Imperialibus, & una cum Domino *Matthæo*, & sequacibus suis armata manu in illos *de la Turre* insilierunt sternendo, taliando, & occidendo: quorum Impetum sustinere non valentes illi *de la Turre*, & tamquam improvisi fugerunt extra *Mediolanum* ad eorum Castra, nec deinde rediverunt; Et sic dictus D. *Matthæus* adhæsit Imperio, & inimicos suos expulit cum cautela, contra quos aliter nulla fuisset potentia, cum tunc Domus *de la Turre*, cæteras *Italicas* in potentia excederet, & personis. *Turrianis* igitur sic expulsis, *Brusati*, & *Caballatii* simul in Civitate *Novariæ* colligati in festo Sancti *Bernardi* de Ju-
1311. nio eodem Anno 1311; similiter *Vitani* de *Cumis*, *Colioni*, & illi *de Ruola* de *Bergomo*, omnes expulsi fuerunt cum suis sequacibus dicto Anno. *Gibellini* vero victoriam obtinentes, tantam cautelam habuerunt, quod furtive Civitatem *Papiæ* intraverunt per partem versus *Ticinum* una cum illis de *Beccaria*; Tunc Dominus Comes *Ricardinus* frater Domini Comitis *Philipponi* debens sollicitare custodiam, coitum cum una Domina *Papiæ* habens, audito rumore venit ad Plateam, & occisus fuit: & Dominus Com. *Philipponus* ejus frater captus, & in *Mediolanum* deductus in Turri *Arenghi* extitit carceratus, ubi tamdiu permansit, quod diem clausit extremum. Quibus sic peractis, prædictæ Civitates *Mediolani*, *Novariæ*, *Vercellarum*, *Cumarum*, *Bergomi*, *Papiæ*, sese in tanto Amicitiæ fœdere copularunt etiam undequaque adunatis aliis partis *Gibellinæ Lombardiæ*, quod faciendo Guerram cœperunt Castra, & fortalitias expulsorum diruere, & subjicere, non obstantibus subsidiis Regalibus, & *Romanæ* Ecclesiæ, quæ cum aliis Civitatibus *Lombardiæ* ipsi adhærentibus constituto Legato, qui dictas Civitates voluntarias possidebat, & multum contenderet, & niteretur cum expulsis *Guelphis* præfatum Dominum *Matthæum* à Civitate *Mediolani* expellere, quæ tunc muro interiori carebat, *Modetiam*, *Laudam* pro viribus, Burgos *Mediolani*, & suburbia exercitu fulciendo, sententias excommunicationis proferendo, Thesauris Ecclesiæ apertis, & undequaque stipendio perquisito, contra præfatum Dominum *Matthæum*, & sequaces, & usque in quartum gradum suarum Progenierum. Habebant autem illi de *la Turre* tempore expulsionis eorum de ipsorum Domo Patriarcham *Aquilejensem*, cum quo in *Foro Julii* se reduxerunt, & penes alteros Patriarchas, etiam de suis ibidem continuo permanserunt, adeo quod nemo ex ipsis *de la Turre*, deinde ausus est causa moræ *Mediolanum*, nec Comitatum intrare. Quibus etiam post breve tempus dedit pars *Gibellina* secundum conflictum in Burgo *Besii*, Comitatus *Mediolani*, in quo captus fuit Dominus *Musca de*

A *la Turre*, & carceratus, & ibi mortuus, cum multis de sequacibus suis dimittentes ex tunc universas fortalitias Comitatus *Mediolani*, quod factum fuit Anno 1312. Prædicti autem de Civita- 1312.
tibus ante dictis *Mediolani*, *Papiæ*, *Novariæ*, *Vercellarum*, *Cumarum*, & *Bergomi*, & simul prima Amicitia colligati cognoscentes, quod capite dissoluto membra de facili dissolvuntur, *Mediolanum* venire studuerunt, quantumcumque grave videretur, & mortem in * latibus ipsis elege- *
runt: Et sic communicato consilio, Dominum *Calcinum Torniellum* in Potestatem *Mediolani* creaverunt, & Dominum *Henricum Torniellum* in Ca-
B pitaneum dictæ Civitatis statuerunt, permanentibus Dominis *Galeaz*, *Luchino*, *Joanne*, *Marco*, & *Stephano* viris utique formosis, & strenuis ad pugnandum cum aliis Nobilibus de cernia Civitatum prædictarum, & voluntariis, scilicet cum paucis stipendiariis, & aliis Proceribus gratis acquisitis, pro custodia Civitatis *Mediolani*. Nec mirum si tunc parva stipendiariorum quantitas habebatur: Quoniam dictæ Civitates nuper acquisitæ nullas, vel paucas intratas habebant, nec habere poterant, nec ipsi restituti pecuniam habebant, cum expulsi multo tempore permansis-
C sent, & cum * porro pilato ad eorum patrias pau- *
perrimi rediviſſent. Et dicitur, quod propter pagas habendas tunc temporis præfatus Dominus *Galeaz* per *Theutonicos* stipendiarios fuit detentus, & de Civitate ipsa fugiendo voluit exilire. Cedentibus ergo ipsis contra *Mediolanum* positis in Terra *Modetiæ*, volentesque iterato alii Ecclesiæ complices, & etiam alii *Gibellini* facti rebelles armata manu *Mediolanum* invadere, strenuus, & impatiens vir *Marcus* cum *Theutonicis* suis, & aliis complicibus sociatis transeundo *Abduam* Ecclesiasticos invasit, & ibi Dominum *Franciscum de Garbagnate* rebellem suos præcedentem potentia armorum in ipso flumine peremit, ob cujus
D mortem ipsos inimicos posuit in conflictum, & quotquot voluit, cepit; ipsos totaliter confringendo: deinde *Modetiam* obsedit, & in tantum quod fame fuit restituta, & recuperata cum maxima ex utraque parte dispendio personarum, & captus *Antonius de Fissiraga*, pro cujus captione *Lauda* extitit acquisita. Cœpitque Fortuna istis *Gibellinis* de limo, & profundo sic sublevatis dulciter arridere. Quibus durantibus Dominus *Matthæus Vicecomes* præfatus diem clausit extremum, *13..
videlicet Anno 13.... quæ gerentes contrarii pro molesto, & dum isti *Gibellini* super *Padum* in districtu *Papiæ* terras, & Oppida acquirerent, &
E vastarent contra potentiam Regalium, Ecclesiasticorum, & aliorum *Guelphorum* (quantitas quorum in duplum restitutos excedebat) se jungentes apud *Bassignanam* ordinatum prælium statuerunt. In quo quidem prælio Deus gratiam suam extendens taliter stabilivit, quod præfatus Dominus *Marcus* cum sequacibus suis victor campum obtinuit, mortuis, & captis innumerabilibus, de quorum præda, & quæstu multi *Gibellini* facti fuerunt non modicum opulenti. Et de ipso campo, & bello debiliter evasit Dominus *Raymundus de Cardona* Capitaneus generalis, & filius Ecclesiæ nominatus, & cum illis, quos secum habere
F potuit ad Civitatem *Vercellarum* illico se reduxit. Erat autem tunc Temporis Civitas *Vercellarum* possessa per illos *de Advocatis*, major quorum *Simon de Colobiano* denominabatur pro parte *Guelpha*, qui quidem *Advocati* tres partes ipsius Civitatis cum suis sequacibus detinebant: Reliqua vero quarta pars per Dominum *Henricum de Tizonibus*, & per illos de *Sonamontibus*, & *de Burgano* pro parte *Gibellina*, & cum magno labore possidebatur. Cujus Civitatis partes Muris, ferris, trabibus, & aliis aptis ad defensionem separabantur, & solummo-

summodo duas portas, videlicet *Cervi*, & *Sancti Stephani* retinebant *Gibellini*. In qua Civitate quæstio pluribus Annis duravit, adeo quod singulis diebus ipsorum Annorum volens pugnare pedes, & eques contrarius quomodolibet respondebat: Quo tempore in ipsa Civitate fuerunt leges, & plebiscita facta: Et Civitas ipsa tunc magnæ præeminentiæ ut plurimum devastata fuit, & de cujus processibus ad præsens tacetur. Acquisivit autem præfatus Dominus *Matthæus* Do-
1314. minium Civitatis *Novariæ* Anno 1314. Et parum tenuit, & Castrum *Bergaminum* per ipsum constructum *Novarienses* explanaverunt. Dominus autem *Marcus* ejus filius dicto Anno 1314. cum auxilio partis *Gibellinæ* Dominium Civitatis *Alexandriæ*, & *Terdonæ* acquisivit, & possedit us-
1321. que ad 1321. & tunc cum auxilio *Raymundi de Cardona* dictas Civitates intraverunt *Guelphi*, & pro Regia Majestate regere inceperunt usque ad recuperationem Domini *Luchini Vicecomitis*.

## *De Joanne Papa XXII.*

JOannes autem servus servorum Dei Papa *XXII.* sapientissimus & potentissimus in Ira sua persistens, ut patet per præcedentia, & subsequentia, volens statum *Vicecomitum*, & ipsis confœderatorum in *Lombardia* ex toto deprimere, lata dicta excommunicationis sententia, & à qua nequit appellari, cautelis adhibitis, & favoribus, præmissos *Gibellinos* à *Lombardia* curavit expellere, cum alii *Gibellini*, seu Imperiales in *Lombardia* non exstarent; quam autem cautelosus fuerit, audietis: Nam filius fuit unius popularis, & *ante Papatum vocabatur *Joannes* (*Jacobus*) *de Ossa*, qui propter scientiam, mores & asturiam factus fuit Cardinalis, & deinde tantum studium habuit, quod *Cælestinus* tunc Papa reputans se indignum, Papatui renunciavit, quod numquam ab alio fuit auditum; & pro eo de *Joanne* Papa dicebatur, quod intravit, ut Lupus, regnavit ut Leo, & mortuus velut Canis. Sed ad narrationem potius redeamus. Dolens itaque *Joannes* Papa de prædictis *Carolum* Regem *Francorum* ad executionem præmissorum induxit, & cum ipso procuravit, quod Dominum *Philippum de Valosio* de stirpe Regali personaliter ad executionem præmissorum transmisit, qui cum maxima gente sua Civitatem *Vercellarum* intravit; & ad bellum ordinatum *Vicecomites*, aliosque confœderatos, & complices invitavit, quod ipsi *Gibellini* acceptarunt, licet multum timerent propter multitudinem Gentium illarum. Et habetis scire, quod sicuti ipse Dominus Papa erat partialis, sic & per consequens sui stipendiarii erant partiales, nec suo tempore aliquem de Alamannia *Theutonicum* accepisset, sed solum Provinciales, sive *Guascones* (unde ipse erat) *Hispanos*, & *Francigenas* ad sua stipendia admittebat. Quid ultra? Egregius vir Dominus *Galeaz Vicecomes* major prædictorum fratrum, & regens *Mediolanum* cum aliis fratribus suis, & Civitates acquisitas, videlicet *Marco*, *Luchino*, & *Stephano* laicis virtute circumspectis, & præcipue *Marco*, qui omnes alios probitate excedebat, bellum acceptavit, fratres, confœderatos, sequaces, & amicitiis undequaque acquisitis hilari vultu ad prædictum bellum invitavit dicens, quod per mortem laudes acquirebantur, non quod haberent contra rusticos debellare, sed cum Regalibus & proceribus, & maxime pro defendendo eorum Patriam, & penates: Et tantum ipsos animavit, quod unanimiter de morte non curantes bellum promiserunt. Quilibet ex ipsis *Gibellinis* parans bona, & alias amicitias, tam in equitibus, quam peditibus largiter expendendo, ad prædictum bellum properavit: Nec

A mirum, cum illud apud ipsos finale erat exitium: Propterea etiam multos Juvenes cingulo Militiæ decoravit. Cœperat jam *Mediolanum* multiplicare, quod propter præcedentia multum graviora perpessum fuerat. Nec post parvam moram confœderati à parte superiori, & ab Orientali plaga *Lombardiæ* glomerati cœperunt venire in *Mediolanum*, prout etiam *Thusculi*, & quilibet *Gibellinus* universæ *Lombardiæ*: etiam universi volentes stipendia accipere, tam in *Mediolano*, quam in aliis Civitatibus confœderatis scribebantur; & quia Civitas *Mediolani* in tantum implebatur,
B quod potuisset victualibus vacuari, convocato consilio præfatum Dominum *Marcum* cum *Luchino*, & *Stephano*, & tota gente acquisita *Novariam* destinavit, & ibi monstram ipsorum fieri stabilivit. Oh quam pulchra juventutis, & probitatis turba *Mediolano* exivit, propter virtutem Domini *Marci* jam expertis ad bellandum, & quos præda jam cœperat ditare? Oh quam pulchra formositas *Theutonicorum*, & aliquorum virorum expertorum in bello, & Lombardorum *Mediolano* exivit? Et verum est, quod deinde tanta nobilitas, tantaque probitas, nec tanta voluntas dicitur
C Campum intrasse *Lombardiæ*. Veneruntque *Novariam* in nomine Sancti *Ambrosii* Confessoris, & Sancti *Georgii* Martyris, qui cingulo militiæ extiterat decoratus; ubi dum essent, statuerunt una die *Novaria*, & suburbiis exire, & in loco aperto se ponere cum peditibus, & Carriggio undique perquisito; nam magnam copiam victualium præparabant pro subsidio, & substentatione partis *Gibellinæ* in *Vercellis* obsessæ, ubi per mensem solas fabas prædicti obsessi cum eorum Amicis comederunt, & prælia sustinentes. Qui Dominus *Marcus* dum super prato *Marzaleæ* apud suburbia Civitatis *Novariæ*, & ubi fiunt mercata,
D cum universis prædictis exivisset, constituit ductorem, & factorem acierum, & ordinatorem universi exercitus, & carrigii nobilem, & strenuum virum *Henricum Torniellum*, primogenitum, & fortiorem fratrum suorum: Qui acies ipsas, & libenter annuens ordinavit præponens dictum Dominum *Marcum* in potentia acierum, & sic successive versus Civitatem *Vercellarum* gressus suos direxerunt, & moderate.

## *Galeazius Vicecomes.*

E GAleazius autem, primogenitus Domini *Mathæi Vicecomitis*, Dominio *Mediolani* potitus, & post mortem Illustris *Romanorum* Imperatoris *Henrici* semper *Augusti*, & claræ memoriæ, credens in *Volaterra* Corpus Domini N. J. C. cum clementia, & passione suscipere, per fratrem minorem in hostia tanti Domini extitit venenatus: vidensque quod ab illecebris Ecclesiæ Pastoris non poterat perdurare, procuravit verbo, & opere de statu Imperiali quantum potuit. Et vacante corona Imperii, Nobilis Vir Dominus *Ludovicus* Bavariæ Dux electionem Imperialem, consentientibus electoribus *Alamanniæ*, obtinuit,
F quamquam per alium Ducem *Austriæ*, favente Ecclesia, labores maximos fuerit perpessus. Unde præfatus *Ludovicus* à præfato *Joanne* Papa noluit coronari: & tandem opere præfati Domini *Galeazii*, & obtenta victoria in *Alamannia* contra Ducem *Austriæ*, qui in Campo comparuerat occasione Coronæ, succubuerat, *Mediolanum* accedere procuravit, pro Corona saltem ferrea in *Modetia* recipienda.

## *Ludovicus de Bavaria, Imperator.*

PRæfatus itaque *Ludovicus Bavarus* Vices Imperii gerens, formosus persona, Nobilis, val-

de literatus, probus, sagax, & expertus, cœpit Dominio *Mediolani* velle frui: nec mirum, quia Civitas *Mediolani* multum erat jam restituta, guerris aliqualiter cessatis, ut inferius dicetur, etiam quia aliqui ex solitis esse *Mediolano* confœderati prædicta persuaserunt, & de Civitatibus *Mediolano* adhærentibus, nolentes, quod *Mediolanum* tam cresceret, quod medullas ipsarum Civitatum absorberet, & à quibus consilium tale ipsi *Ludovico* datum processit, ommittitur: sed veniendo in *Lombardiam*, per *Cumas* pertransivit: & in tantum error ille crevit, quod Dominum *Bertoldum de Morstete*, dictum *de Nissem*, Vicarium pro Imperio in *Mediolano* constituit: *Franchinum*, & fratres *de Rustonibus* de *Cumis* Vicarios Imperiales fecit: *Robaldonum*, & *Calcinum* fratres *de Torniellis* de dominio Civitatis *Novariæ* investivit exceptis Terris Episcopatus, *Ricardum de Titionibus*, *Suzium de Sonamontis* de Civitate *Vercellarum*, & reliquos in aliquibus Civitatibus *Lombardiæ*, de quibus quia nimis esset prolixum, tacetur ad præsens. Privilegia Imperialia etiam con-
1328 firmavit anno 1328. Dum autem prædicta gererentur, convocato consilio in *Mediolano*, & etiam participantibus quam pluribus *Lombardiæ*, & *Alamannis* etiam secus sociatis, & in opprobrium prædicti *Joannis* Papæ propter ea, quæ committebat contra Imperium, ejusque participes, ut superius est descriptum, & alia, de quibus nimis prolixum esset enarrare, creaverunt alterum Antipapam, creaverunt alios Cardinales, creaveruntque alios Episcopos, ipsis beneficia in *Lombardia* assignantes: Et vidi Dominum *Joannem de Spaim* Alamannum in sede Episcopali *Novariensi* sedere, & Episcopatum ipsum possidere: Coëgeruntque Fratres, & Prebyteros *Lombardiæ*, non obstante interdicto Domini Papæ *Joannis* antedicti, ut habetur supra, missas celebrare; Propter quæ sacerdotes prædicta denegantes fugerunt, & fuerunt deprædati. Tamen vidi Fratrem *Paganum de Lucino* de *Cumis*, fratrem minorem in *Novaria* missas celebrare: de nominibus vero Antipapæ, & Cardinalium tacetur ad præsens.

Eo autem tempore dum prædictus Dominus *Ludovicus* electus, ut supra, de recessu à *Mediolano* tractaret, & in partes *Thusciæ* se transferret pro eundo *Romam* pro sede Imperiali rehabenda, perquisitaque magna auri, & argenti copia, & pluribus Terris, & Civitatibus modo prædicto in *Lombardia*, & *Thuscia* sibi datis, una die faciendo jentaculum ipse Dominus *Ludovicus* cum majoritate suorum, & aliorum Nobilium, tam de *Mediolano*, quàm aliunde, & cum sipho argenteo Nobilis vir Dominus *Stephanus Vicecomes* junior filiorum præfati Magnifici, quondam *Matthæi* taliter potavit, quod ea nocte diem clausit
1328 extremum. Prædicta autem fuerunt Anno 1328. diversis in mensibus. Cum *Ludovico* recessit Dominus *Bassanus Crivellus*, qui numquam *Mediolanum* rediit. Venit autem Tempore illo in *Mediolanum* Magnificus Dominus *Canis primus de la Scala*, & volens ostendere magnificentiam suam in *Mediolano*, infinita expendit, ut apud Imperatorem crederetur potior *Lombardus*. qui Dominus *Canis* stans in Domibus Sancti *Ambrosii* continuam curiam tenuit publicam, & apertam, quod numquam facere poterat præfatus Dominus *Galeazius* propter scandala præcedentia, & infinitas expensas, quas Domini *Vicecomites* tulerant pro principiis acquirendis, nec audebant facere magnalia occasione recuperationis pecuniæ, postea sedato rumore prædicto, fecerat. Imo dicitur, quod præfatus Dominus *Canis* ita prodige expendere voluit, ut curaverit, quod venalia selvaticinarum, Gallinarum, pullorum,

A & similium in *Mediolano* non reperirentur, quod minime facere potuit, voluitque tamquam magnanimus introitum, & exitum è Civitate *Mediolani* habere. & prædicta præfatus Dominus *Ludovicus* subtacens, ac indulgens ipsi Domino *Cani* propter ipsius imperialis partis in *Lombardia* Dignitatem sustinendam patiebatur, ac tolerabat. Hinc præfatus Dominus *Canis* aperta una pusterna jam clausa apud Sanctum *Ambrosium*, pontem super fossa *Mediolani*, suis expensis construi fecit. Quod non valens tolerare præfatus Dominus *Galeazius*, qui, tunc dormitabat, noctis tempore dictum pontem fecit tacite dirui.
B sed Dominus *Canis* iterato dictum pontem suis expensis refici fecit dicens, quod volebat pro libito intrare, & exire *Mediolano*; & iterato prædictus Dominus *Galeazius* dictum pontem everti fecit, addens quod nullo modo dictus pons fieret, & tunc prædicta, & alia magnificentiæ verba taliter creverunt, quod Dominus *Canis* à *Mediolano* recessit, & prædictus Dominus *Galeazius* cum successoribus sciverunt *Mediolanum* ampliare, & magnificare, & per ea, quæ dicentur, studuit, & curavit in *Mediolano* permanere. Mortuo autem sic proditoriè Imperatore *Henrico*, ut est dictum, Dux *Guarnerius* cum univer-
C sa gente dicti Imperatoris sub stipendiis *Gibellinorum* se firmaverat, & major pars cum Domino *Mediolani*; & dum pars *Guelpha* niteretur à partibus *Thusciæ* Lombardiam intrare, *Gibellini*, *Lombardi*, una cum Domino *Azone* juvene in *Carsignana*, simul in *Altopasso* loco obviaverunt, ubi diversimodè prælium fuit commissum, in quo plusquam mille *Guelphi* gladio perierunt. Deinde præfatus Dominus *Azo* venit cum gentibus illis *Mutinam*, ubi coadunabatur pars *Gibellina* pro succurrendo montem *Vegium* in valle *Semoziæ* possessum per Dominum *Passarinum de Bonacossis*, Dominum Civitatum *Mantuæ*, & *Mutinæ*, & qui dictum Castrum, tamquam *Mutinense* gubernabat, quamvis nunc sit in Co-
D mitatu *Bononiæ*, pro cujus subsidio venerat præfatus Dominus *Canis* cum exforcio suo, & in *Mutina* erat; sed cum audivit, Dominum *Azonem* cum gente Domini *Galeazii* ad prædictum auxilium venire propter superius dicta, tamquam verus amicus Domini *Galeazii* recessit cum gente sua, & *Veronam* rediit, proponens Civitatem *Mantuæ* ipsi Domino *Passarino* in reversione accipere, quod fecisset, nisi quod Dominus *Passarinus* providit, quod in *Mantuam* ipse Dominus *Canis* non permitteretur intrare: Sed non cessavit deinde Dominus *Canis*, donec prædictum *Passarinum* cum ejusdem filio *Francischino* mori
E fecit, & dictas Civitates perdere. Obsidebatur, tunc Castrum prædictum Montis *Vegii* per *Bononienses*, & Legatum expulsum à *Placentia* cum universo conatu partis *Guelphæ*, & dicto exercitu non perpendente, Domini *Azo Vicecomes*, *Passarinus*, & gens illorum de *Ferraria*, qui tunc simul erant colligati, dictum Campum in loco nuncupato *Zapulino* propinquo Monti *Vegio*, & *Bazzano* invaserunt: in qua invasione commisso prælio *Bononienses* in fugam se posuerunt, in qua fuga quotquot voluerunt ex *Bononiensibus*, & sti-
F pendiariis suis mortui, & cæsi fuerunt, quorum non fuit numerus: Sed die hodierna ossa mortuorum, tam hominum, quam equorum in loco illo apparent. Propter quæ parti *Guelphæ* male successit, & est notandum, quod istud fuit prælium quintum generale, in quibus pars *Guelpha* succubuit, & si una vice obtinuisset, pars *Gibellina* in *Lombardia* stare non poterat. Quibus *Bononiensibus* etiam in dicto prælio Domini *de Panego* à *Bononia* expulsi multum nocuerunt, & magnas vindictas fecerunt in Populum *Bononiensem*, pro eo

eo quod dictus Populus jampridem ex ipsis duos decapitaverat, nec deinde Amici fuerunt. Fue-
1326 runt autem prædicta Anno 1326. Præfatus autem Magnificus Dominus *Galeazius* Mediolani Vicarius Imperialis confirmatus Uxorem nupserat Nobilis Parentelæ, & de Marchionibus *Estensibus* de *Ferraria*, nomine *Beatricem*, quæ nobilem Virum Dominum *Azonem* filium procreavit, & Dominam *Bezardam* matrimonio copulatam Domino *Fraclino* Marchioni *Saluziarum*. Curavitque præfatus Dominus *Galeazius* probus statum suum augere, cum esset industria plenus, & taliter tractavit cum Domino *Verzusio de Lando*, quod una die captata, ipse Dominus *Verzusius* cum aliis de Domo sua *de Lando*, & ejus complicibus fugavit *Annibalem* Legatum pro Sacra *Romana* Ecclesia *Placentiam* Civitatem possidentem, & ipsam Civitatem sub Dominio præfati Magnifici Domini *Galeazii* tradidit, & assignavit, & quam pluribus Annis possedit. Crevitque suo tempore discordia inter præfatum Dominum *Verzusium*, & præfatum Dominum *Galeazium* occasione unius Nobilis mulieris, & in tantum quod prædictus Dominus *Verzusius* cum sequacibus suis præfatum Dominum *Galeazium* Dominio dictæ Civitatis privavit, & tenuit brevi Tempore, deinde dictam Civitatem Dominus *Franciscus Scottus* cum Parentela sua, & sequacibus partis *Guelphæ* possedit, expulsis *Gibellinis*, & *Bardellis*, in parte Civitatis Dominium usque ad recuperationem Domini *Azonis*, ut infra dicetur, possederunt, Ecclesia tamen privata dicta Civitate in *Lombardia*. Timentes autem Civitates *Lombardiæ*, ne *Mediolanum* Dominium ipsarum procuraret, sicut procuravit, fecerunt venire Illustrem Virum Dominum *Joannem* Regem *Bohemiæ* cum multa gente, & qui citius sine bello Dominium habuit *Cumarum*, *Bergomi*, *Novariæ*, *Vercellarum*, *Papiæ*, *Regii*, *Cremonæ*, *Brixiæ*, & brevi ipsas sine bello perdidit, & misere.

## *Azo Vicecomes.*

Azo aute *Vicecomes*, filius unicus præfati Magnifici *Galeazii*, post mortem Patris sui cœpit Dominium *Mediolani* ministrare, qui quamquam juvenis, senex fuit in bonitate, & in virtute, lætus facie, crinibus candidus, gracilis corpore, sed pinguedine intermixtus, affabilis, tractabilis, benignus, nec cum eo aliquis conversationem habuit, quæ non duraret: podagram in pedibus, & manibus habuit usque à juventute: de Domo D. D. *de Sabaudia* Uxorem habuit nomine *Catharinam*, & ipsa nunquam filium procreavit. Dum autem iste regeret, *Guelphos* in *Mediolano*, & districtu, propterea non molestabat: justitiam verò animose exercebat, sed æqua lance, & multos ex ipsis *Guelphis* sibi junxit, & pro eo Dominium multorum Civitatum acquisivit diversis Annis, & temporibus, neminem expellendo: Acquisivit enim *Placentiam*, & cum magna forinsecorum gravitate, & virtute acquisivit Civitatem *Cumarum*, in cujus Dominii introitu * mortuus extitit per * proditores Domina *Ravicia Rusca*: Acquisivit Civitatem *Brixiæ* auxilio *Gibellinorum* expulsorum: Acquisivit *Bergomum*, *Laudam* (auxilio tamen *Vistarinorum*,) & contra voluntatem *Vegii* olim molendinarii, qui Dominium dictæ Civitatis occupabat: Acquisivitque *Cremonam*, quam multum meliorationibus reparavit, *Vercellas*, & multas alias bonas Terras, videlicet *Burgum Sancti Domnini*, *Cremam*, *Blandratum*, & alia diversa Castra nobilia: duplicavit in potentia *Mediolanum*, & in brevi tempore ipsam Civitatem funditus intrinsecus murari fecit pulchro muro, ut est de præsenti: nullam Guerram suo Tempore habuit, nec amavit. Vivebant autem suo Tempore nobiles viri *Joannes*, *Luchinus*, & *Marcus* fratres, & Patrui sui *de Vicecomitibus* filii quondam Domini *Matthæi* carentes Dominio, & titulo Dominii *Mediolani*, ex quibus Dominus *Marcus* multum prodigus Dominium, & patientiam ipsius *Azonis* infestabat, opprimendo nobiles, & Rusticos de *Seprio* inter alios: quod multum ferebatur pro molesto; multa ei imponebantur, quæ non faciebat, & multa faciebat, quæ non dicebantur. Iste Dominus *Marcus* carebat thoro matrimoniali, spurios multos habebat: robustus erat, ut supra, asper, & crudelis, sed amicus amicorum. Quæ dum gererentur pro molesto, una nocte dum esset in Camera, mortuus est, de cujus morte certum ignoratur, & fuit Anno 1329. quo Anno interierunt etiam Dominus *Canis* Episcopus *Aretinus*, 1329
Dominus *Passarinus* cum filio, ut supra, & Dominus *Castruccius* principaliores partis *Gibellinæ*. præterea post multos Annos *Ludrisius Vicecomes* filius quondam Domini * P..... germani præfati Domini *Matthæi* in *Seprio*, & apud *Gallaratum* Castrum *Crennæ* erexit valde pulchrum, * multum homines *Seprii* aggravando. Vitam crudelem duxit erga Dominam uxorem suam de Marchionibus *Malaspinæ*, & tandem se gessit pro molesto, quod *Veronam* fugit, & dictum Castrum posita obsidione, & machinis captum fuit, & diruptum: post cujus diruptionem anno currente 1337. de Mense Januario, præfatus Dominus *Ludrisius* volens ultionem facere de 1337
perpessis, & statum præfati Domini *Azonis* perturbare, venit in districtum *Mediolani* uno motu cum mille quincentis barbutis, & ultra de pulcriori gente, quem unquam *Lombardiam* intrasset, & intra *Lignanum* Comitatus *Mediolani* direxit gressus suos, & moram traxit, existente nive magna usque ad umbilicum hominis. Erat autem Capitaneus illius Gentis *Malerba* Theutonicus, & omnes usque ad unum *Alamanni*, quæ gens tunc in partibis *Veronæ* cassa fuerat, post sedatam Guerram inter Dominum *Mastinum de la Scala*, & *Venetos*, ubi magna extiterant commissa, & quos pulcro modo acquisivit. erat autem præfatus Magnificus Dominus *Azo* paucis gentibus equestribus suffultus, & pleramque suorum equitum partem tenebat in *Brixia*, timens, ne præfatus Dominus *Mastinus* Civitatem illam recuperare studeret quam perdiderat, & cujus Domini *Mastini* consilio præfatus Dominus *Ludrisius* se gerebat. Curavit etiam subsidia Amicorum, quantum potuit, & tam pedestrium, quam equestrium de Civitatibus supradictis. Curavit habere Dominum *Calcinum Torniellum* expulsum à Civitate *Novariæ*, ut infra dicetur, qui in suo Castro *Vergani* districtus *Novariæ* morabatur, & multum cara amicitia cum ipso Domino *Ludrisio* tenebatur: nec cum ipso Domino *Ludrisio* erat aliquis notabilis *Lombardus* præter *Vincentium Suardum*, qui gressus suos sequebatur, dubitans, ne dictus Dominus *Calcinus* statum *Novariæ*, & districtum *Novariæ* perturbaret. *Azo* autem recuperato in brevi subsidio, Dominum *Luchinum Vicecomitem* prædictum stabilivit guerræ Capitaneum, & in ipsius comitiva erat Nobilis vir Dominus *Joannes* de *Flisco*, cognatus ipsius Domini *Luchini*. Scientes itaque *Theutonici* Dominum *Luchinum* die sequenti *Mediolano* exire pro pugnando, cogitaverunt exercitum prædictum disrumpere, ut ipsis bellando non nocerent, quia paucos pedites habebant: Igitur noctis tempore dictus *Malerba* cum multa comitiva Terram *Parabiaghi* invasit, ubi populus ipse dormiebat, & in ipsos pedites insiluit: quotquot inveniebant, trucidabant, duravitque strages miserorum conflictum non

non expectantium usque *Rhaude*; & Dominus *Lodrisius* cum acie sequebatur finiendo, quos mors non expleverat, & sic versus *Mediolanum* via recta procedendo obviaverunt Domino *Luchino*, qui de *Mediolano* exiverat cum gente sua ad strepitum tantæ cladis, & aciem suam nondum ordinatam invaserunt. Dominum *Joannem de Flisco* nolentem vires exercere, occiderunt: Dominum *Luchinum* personaliter expugnantes ceperunt, & supra campis apud unam nucem sine barbuta dimiserunt, ulterius in conflictu equitum procedentes. Sed quia explanatio viarum in loco illo facta non erat, sed maxime relevata erat via, gens equestris *Theutonica* non curans de præfato Domino suo *Luchino*, quem supra campis dimiserat, & alii pedites recentes ulterius procedebant, & se reperientes ad caudam inimicorum cœperunt eos viriliter expugnare: & quia fessos repererant, ipsos in cuneos separabant. Quibus separatis, & disgregatis campum facere non valentes, aliqui ex ipsis fugerunt, & præcipue Dominus *Lodrisius*, qui de persona dubitabat, &
1364 qui mortuus est *Mediolani* Anno 1364. die 6. Aprilis, & magnifice sepultus. Fugeratque Dominus *Luchinus*, qui viderat se destitutum; *Mediolanum*; & sic nocte superveniente fuit finis belli, & dicta contumacia cessavit. Nam ea nocte Dominus *Malerba* cum Domino *Mediolani* pecunia suscepta se concordavit, & *Mediolanum* brevi tempore pacifice redivit: dicebantur enim mortui tam ab una parte quam alia, ultra quam mille quingenti. Ex quibus peditibus magna pars fuit *Cumanorum*. Dixeram, quod tunc temporis nix erat magna, & fuit verum, nam duravit super faciem Terræ usque ad finem Mensis Martii, vel quasi, propter quam campestria tantum fastidium frigoris, & sudationis susceperunt, quod blada, nive recedente, ut plurimum mortua apparebant; Et quia multitudo Populorum *Lombardiam* habitabat propter pacificum statum lon-
1338 gævum, cœpit Anno sequenti fames invalescere, & tantum invaluit, quod vini, & bladi fuit maxima penuria, ob quam multæ Terræ habitatoribus privatæ fuerunt, maxime in montanis partibus: Deinde, fame cessante, morbus prosiliens a partibus ultramarinis partes inferiores cœpit invadere, & primo *Bononiam* applicuit, videlicet
1344 Anno 1344. in qua Civitate infiniti perierunt omni defensione, & medela destituti: duæ partes autem Corporum dicebantur periisse. Invasitque *Januam*, ubi universali modo perierunt: Invasit *Parmam*, in qua multi defecerunt: servavit *Mediolanum*, *Papiam*, *Novariam*, *Cumas*, *Vercellas*: sed discurrendo occupavit *Lombardiam* à
1347 dicto Anno 1338. usque ad 1347. quo iterum super districtu *Novariæ* vigebat: Nam in eo vacuavit *Momum*, & *Bellanzagum*, & in *Burgomaynerio*, ubi conversationem habebam, & ubi viri belligeri habitabant, perierunt dicta clade in tribus mensibus centenaria quinque, computatis mulieribus, & parvulis, nec in aliis Terris *Novarienfibus*, tunc irrepsit. In comitatu autem *Mediolani* in partibus *Varisii*, *Angleriæ*, *Gallarati*, & circumstantibus sine numero perierunt. Cessavit itaque dicta pestilentia, tamen aliquibus in locis discurrendo affligebat. Inter alia præfatus Magnificus Dominus Azo *Joannem* Marchionem *Montis Ferrati* bene tractavit, dando ei auxilium, & favorem contra quoscumque ejus rebelles. Porro eo tempore præfatus Dominus *Azo* propter mortem prædicti Papæ *Joannis*, cum complicibus *Vicecomitum* in ipsa tali quali sententia, nomine, cognomine, & pronomine beneficium absolutionis obtinuit, & Ecclesiasticam libertatem bene tractavit, & Imperium pro toto posse, sed morte præventus diem clausit extremum. His

A autem diebus Papa *Benedictus* extitit creatus parum valens: tempore autem suo.... super districtu* *Papiensi* apud villam *Castidii* fuit prædatum peculium, quod conducebatur à partibus Provincialibus *Bononiam* pro satisfaciendo stipendiariis Ecclesiæ, sociatum Episcopis, & multis nobilibus, qui cum dicto Thesauro capti fuerunt: Et Floreni in tanta quantitate reperti sunt, quod nusquam deficient Domui illorum de *Beccaria*, qui principaliores fuerunt: Et multi habuerunt infinitam quantitatem, adeo ut numquam in *Lombardia* factum fuerit tantum botinum, sic brevi
B tempore dividendum, divisum, & acquisitum.

## *Luchinus Vicecomes.*

*LUchinus* autem *Vicecomes*, & Dominus *Joannes* ejus frater tunc *Novarienfis* Episcopus, & ipsius Civitatis Dominus Generalis, ambo filii præfati quondam Domini *Matthæi*, Dominium Civitatis *Mediolani* communiter habuerunt, qui *Luchinus* (præterquam in *Novaria*) in Civitatibus supradictis, & acquisitis gubernavit. timuit vero *Mediolanum* de conturbatione ejus Dominii: Nam usque tunc præfatus Dominus *Luchinus* vitam
C prodigam gesserat, conversando potius cum malis, quam bonis, de die dormiens, ut plurimum, & de nocte vigilabat. Habuerat namque unam de *Spinolis* in uxorem, quam in Juventute, & cum alio primo matrimonio, quod contraxerat, dicitur dilexisse; Qua mortua, Dominam *Elisabetham de Flisco* sororem prædicti Domini *Joannis de Flisco* superius mortui, virginem magnam, & formosam sibi matrimonio copulavit, & ex ipsa filium habuit nomine etiam *Luchinum*, & filiam nomine *Ursinam*, & multos spurios habuit ex diversis mulieribus quæsitos, videlicet, *Brusium*, *Forestinum*, & *Borsium*, quorum aliqui præ-
D valuerunt in virtutibus, ut infra suo tempore narrabitur; scivit, Populum cum *Mediolano* de Dominio sibi dato murmurare propter præmissa, & alia, quæ tacentur, studuitque virtutes exercere, & bonis favere: adeo quod cæteros fratres suos in regendo præcessit: dilexit (sed tacite) *Gibellinos*: statum *Mediolani* reintegravit in tantum, quod *Mediolanum* non Civitas, sed Provincia videbatur: pacem dilexit, Justitiam amavit æqua lance, ostendebat de paucis curare, & de multis curabat: correxit primo suam familiam, & ipsi imperavit, ut a consuetis cessaret: maximos e-
E quites stipendiarios continue tenebat, & dicitur, quod faciendo Guerram semper lucrabatur. Pacificum statum habuit in tantum, quod in Territorio, quod tenebat, tam de die, quam de nocte, & in locis solitariis quilibet potuit conversari: imo tantam cautelam habuit, quod prædones, & consuetos prædari absolvit a gestis, & stipendiis decoravit, ita quod custodiebant loca, quæ solebant offendere, nullum Castrum, vel locus, vel homo faciens sibi Guerram potuit perdurare. Austerus homo visu, & opere: erat liberalis, parcus in promittendo, & largus in attendendo: res acquisitas, vel captas nusquam perdidit: dilexit solum filios, & de aliis parentibus suis pa-
F rum curavit: suspiciosus valde erat: quibus cœperat offendere, nunquam parcebat, nec de ipsis confidebat, pro ut probatur per sequentia. Etenim adoleverant *Matthæus*, *Barnabos*, & *Galeaz*, fratres, filii quondam Domini *Stephani*, & ex Domina *de Auria* de *Janua* eorum genitrice: & dum essent in principio, juvenes formosi erant, & videbantur quasi debere dominari, & jam unus, videlicet *Matthæus*, fuerat uxoratus cum Domina *Ziliola*, filia Domini *Philippini de Gonzaga* de *Mantua*. Cœpit istos habere odio occulte, & demum oportuit propalare: ipsos

1340 ipsos (circa annum 1340.) expulit de *Mediolano*, & de terreno suo, & credo, quod precibus illorum Dominorum de *Mantua* Dominum *Matthæum* antedictum non expulit de *Lombardia*, sed in partibus Domini Marchionis de *Monte Ferrato* dimisit, videlicet ut plurimum in Terra *Morani:* alias vero quamquam Juvenes de *Lombardia* expulit, & in tantum ipsos odio fuit prosecutus, quod necessario habuerunt in partibus extremis absentare, variando loca, & separati propter duo; primum scilicet ob paupertatem, secundum ob patrui astutiam, ut ubi essent, haberet deinde ignorare: de ipsis noluit aliquid boni audire usque ad mortem; imo odio habebat quosquumque ipsis servientes. Gessit & ægrum animum contra magistros, qui conversationem habuerant cum præfato Domino *Azone*, & dicebatur, quod id faciebat propter alterum de duobus, scilicet aut pro eo, quod morti præfati Domini *Marci* fratris sui, de quo superius est narratum, assenserant consulendo, aut quia tempore Domini *Azonis* ipse parvum profictum ex titulo, & honore habebat: nam præfatus Dominus *Azo* consiliariis suis multum credidit, & cum eo in infinitum facti sunt opulenti, & pro eo dictos consiliarios male tractabat, etiamsi essent de Optimatibus *Mediolani*, & inter alios Dominos erat *Franciscolus de Pusterla* ditior, & felicior quovis *Lombardo*, si tamen temporalia hominem possunt facere felicem, & quod sit verum, audietis: nam pulchriorem, & nobiliorem mulierem *Mediolani* habebat in uxorem: nobiliorem, quia de *Vicecomitibus:* pulchriorem, quia etiam vocabatur *Margarita:* & certe mirum fuit, quod in luxuria non erat dicto *Franciscolo* coæqualis, in tantum quod à prandio levabat, ut haberet coitum cum ipsa *Margarita* uxore, & sic faciebat equitando, si debuisset de equo descendere, & invadere publicas meretrices. Ex ea habuerat tres filios mares pulchriores forma aliquibus *Mediolani*, & si aliter fuissent, degeneravissent, quia eorum Genitores formosi ultra modum erant, & valde pulchri: Domum autem in *Mediolano* habebat pulchriorem, prædia, mobilia in tantum, quod numerus non extabat; & certe alter *Job* potuit dici. Sed quia ad plenum enarrare locum nimis esset, concludam, quod præfatus Dominus *Franciscolus* accusatus fuit de quodam tractatu, & certe potuit esse verum: Nam dicebatur quod ipsius uxor prædicta conquesta fuerat, quod Dominus *Luchinus* voluerat Nobilitatem ipsius turpi coitu fœdare. Et certe si prædictus Dominus *Franciscolus* cogitata explevisset cito, de facili fuissent effectum consecuta; sed quia tanti, & potentes Cives ipsi tractatui assentiebant, necessarium fuit ab aliquo publicari: quo circa Dominus *Luchinus* multos cepit, qui fuerunt statim decapitati, & fame, aliisque tormentis necati; & quia de ipsis ad præsens tacetur, dicam, quod prædictus *Franciscolus* fugit, & cum pluribus ex filiis suis *Avenionem* se reduxit: sed quia nec ibi, nec ultra mare, nec citra permisisset eum vivere: necessarium fuit alio divertere; nam exploratores ipsum sequebantur, & captus cum filiis duobus fuit in marinis partibus, & super Portu *Pisanorum* ducti fuerunt *Mediolanum*: Multos alios publicatos accusavit, quos morte peremit, & demum ipsum, & filios duos in *Broleto* decapitari fecit, & quosquumque tam Mares, quam Fœminas, & ipsam *Margaritam* contumavit, quæ propterea alia fuit *Echuba*. Purgavit adeo Dominus *Luchinus* eorum contumaciam, quod credo nusquam *Mediolanenses* ausuros tractare, etiam quia timidi sunt à natura, contra *Vicecomites*. Præterea Civitatem *Parmæ* (simulans de ipsa non curare) cum Universis fortalitiis, & Castris ejus distri-

A ctus habuit, quam Ambasiatores *Parmenses* obtulerant. Civitatem *Bobii* acquisivit, *Terdonæ* à die 20. Januarii 1347. & *Alexandriæ* dominatus 1347 est. Civitatem *Astensem* habuit, & cum pactis pro vita sua tantum. Nam Domus illorum *de Solerio*, quæ in partibus illis viginti quatuor habebat Castra munita, *Astensi* Civitati dominabatur, & in tantam superbiam creverat, quod alias Domos, & parentelas *Astensium* pro nihilo reputabat: Nam pars *Gibellina* extrinsecus tenebatur, quamquum alia Castra in *Astensi* districtu possiderent. Et in tantum hi *de Solerio* elati fuerunt superbia cervicosa, quod *Rotarii* Nobiles, & potentes, & qui sub uno tecto plateæ cum majoribus *de Solerio* conversabantur, propter gravia, quæ in ipsis faciebant, cœperunt contra illos *de Solerio* cogitare. Domus autem *Pelletarum*, quæ tunc personis, & pecunia cæteras *Astenses* excedebat, cœpit istis *Rotariis* propter alia adhærere, & in tantum adhæsit, quod tractatum cum Domo *de Castello* extrinseca inierunt. Est enim Domus *de Castello* ternaria, quia ex tribus Parentelis Nobilium *Gibellinorum* unita, scilicet *Gutturariis*, *Isnardis*, & *Turchis*, & mediante Domino *Joanne* Marchione *Montisferrati*, qui multum de dicta Domo *de Solerio* timebat, dederunt ordinem, quod una die Civitatem ipsam intraverunt, & ipse, Marchio cum toto ejus conatu præsens fuit ad bellandum, & Dominium ipsius Civitatis habuerunt. Qui Marchio, expulsa solum illa Domo *de Solerio*, titulum Dominii Civitatis *Astensis* acquisivit, & ipsum pluribus annis tenuit possidendo. Et quia, ut superius dixi, pars expulsa Castra præmissa possidendo potens erat, Guerram ipsi Civitati fecit, & cum aliis Regalibus *Pedemontium*, & in tantum quod ipsi Marchioni durum erat, imo impossibile ipsam Civitatem posse tenere: Et communicato Consilio Dominium ipsius Civitatis, & districtum *Astensem* præfato D Magnifico Domino *Luchino* cum certis pactis, & promissionibus in vita sua dederunt, & quæ ipse valde bene observavit. Erat autem præfatus Dominus Luchinus *Gibellinissimus*, quamquam se talem in *Mediolano* non ostenderet, in quo noluit aliquem esset *Guelphum* præterquam Domum *de la Turre*; & timens ne isti *de Solerio* expulsi de *Asta* caput iterum facerent partis *Guelphæ*, curavit ipsos summo studio devastare, & vastavit; Nam Domus illa pro tenendo centum equos, & armigeros ultra solitum, solum denarium non expendebat, cui similis in potentia non erat in *Lombardia* tunc; & pro eo favit ipsis *Astensibus* E *Gibellinis* ipse *Luchinus*, qui cum exercitibus, machinis, & aliis necessariis ad pugnam Castrorum, ipsa Castra ceperunt, diruerunt, & explanaverunt in profundis, & latifundia eorumdem *de Solerio* inter se diviserunt cum aliquibus Castris, quæ quamquam non sua occupabantur per eos *de Solerio*, & tantum fecerunt, quod nullus ipsius Domus in districtu *Astensi* bona possidebat, neque nominabatur. Deinde Civitatem *Albæ* Luchinus acquisivit, *Clarascum*, & alias Terras Regales, & quæ diu per Regem *Robertum* fuerant possessæ in partibus *Pedemontium*, nec solum Castrum dimisit, quod non prosterneret aut subjiceret usque *Vinalium*, quod dicebatur de parti-F bus Provinciæ, *Alpes* circumdantes, ibi *Lombardiam* transeundo: Et certe si aliquantulum plus supervixisset, multa in Provincia possedisset. Curavit multum fœdus cum Domino *Mastino de la Scala:* an id faceret amore, vel timore, tacetur, sed multa exenia ad invicem largiebantur, & simul magnam fraternitatem habuerunt, & matrimonia inter se plura decreverant, & publicaverant, quæ propter mortem alterutrum non fuerunt executioni mandata. Cum Imperio semper

bene stetit: Cum Ecclesia tamen suo Tempore in *Mediolano* extitit stabilitum, ut nulli liceret vendere immobilia alicui Ecclesiastico, & ita hodie observatur. Circa vero finem curavit prædictum Dominum Marchionem *Montisferrati* velle deprimere: & utinam fecisset per ea, quæ sequuta sunt, & inferius dicentur de partibus *Lombardiæ:* Et causa est, quia videbat ipsum nimis crescere: Nam ipse Marchio Dominium suum, quod repererat laceratum propter stultitias *Theodori* quondam Patris sui, jam reintegraverat, & alii Marchiones adhærentes ipsi de *Monteferrato* favebant sibi, timentes impetum *Mediolani*, & nolentes ipsius Dominio subjugari, sicuti Marchio *Cremolinus de Malaspina*, Marchiones *de Porozono*, Marchiones *Carrettini*, Marchiones *Cevæ*, qui in Angulo *Pedemontium* sunt conclusi. Et quod verum esset, indicia præcedebant; nam peti faciebant per *Vercellenses* Terras, *Tridini*, *Triverii*, *Palazoli*, *Fontaneti*, *Liburni*, & *Bianzati* diu per Marchionatum possessas citra *Padum*, quæ Terræ fortes, & notabiles plenæ erant Populo, & fructiferæ valde nimis. Et jam Terram de *Verruca* cum Castro ceperat possidere, & ab Episcopo velle cognoscere, quæ est ultra *Padum*, & quæ impetum dare plurimum poterat, & potest ipsi *Montiferrato* valde aspero ad bellandum. Et *Crescentium*, quod est Domini *Antonii* filii quondam Domini *Ricardi de Tizonibus* citra *Padum*, in opposito ipsius *Montis Verrucæ*, jam cœperat possidere. Et dicitur, quod nisi præfatus Marchio *Montisferrati* à *Mediolano* cum cautela, & dimissa ipsius societate in *Mediolano*, & equis *Papiam* fugisset, quod male successisset eidem: Ex quo Dominus *Luchinus* odium habere incepit contra *Papienses*, nec deinde in vita sua dictus Marchio *Mediolanum* rediit; Præterea curavit idem Dominus *Luchinus* summo studio, & cum maximis laboribus, & expensis *Januam* cum suis Civitatibus subigere. *Januenses* jam ad Populum ceperant regere, remotis casalibus magnis, sicuti *Spinulis*, *Auriis*, & *Grimaldis*, & *Symoninum Buccanigram* in Ducem creaverant. Tamen volens ipse Dominus *Luchinus* conceptum propositum sequi, fœdus cum ipsis proceribus qualiter qualiter expulsis inivit, & cum illis *de Flisco* parentelam habebat propter uxorem, & ad prædicta exequenda maximum exercitum misit cum proceribus ipsis, & aliis *Lombardiæ*, misitque pro Capitaneo dictæ gentis, & repræsentante personam discretum Virum Dominum *Bruzium Vicecomitem*, filium suum Naturalem, ut supra, sociatum alio Capitaneo executorio videlicet Domino *Raynaldo de Axandris* de Mantua, & sapiens Juris doctor *Franciscbinus de Christianis*, Judex *Papiensis*, cum ipso Domino *Raynaldo* in ipso exercitu permanebat, qui curabant ipsam Civitatem obsidere, & male successisset ipsi Civitati, nisi per mortem præfatus Dominus *Luchinus* fuisset de medio sublatus: de cujus morte cum præfato Domino *Bruzio* innotuit, ipse Dominus *Bruzius* fugit ad partes alienas, nec ausus fuit ad propria remeare causis infra citatis: Nam ipse, vivente Patre, *Laudam* Civitatem tenebat, magnam vitam, & expensas ducens, habebat uxorem de Dominis *Castribarchi* districtus *Tridentini*, & similis *Neroni* ipsam Civitatem pertractabat: Cives non audebant loqui: non vestiebatur veste nuptiali, rapiebat quæ volebat: justitia cessabat, & fiebat secundum ipsius decreta, & ratio erat, quia dicebatur astutus, & ingeniosus, & scientiatus, morales libros undique acquirebat, bona, & rationabilia principia habendo, & male concludendo: multa pulchra dicebatur suo studio compilasse: dabat responsum proceribus *Lombardiæ*, ut libebat, & qui à Domino *Luchino* non

A poterant obtinere, ad ipsum recursum habebant, sicque erat tacitus *Mediolani* Dominus, duxitque *Laudenses* pro majori parte ad annualem servitutem, & operaria ipsi facienda, nec aliquis audebat conqueri, quoniam Judex competens non apparebat contra eum, & ipsi miseri contra posse respondebant, ut dictum est supra; perterritusque quia solum amicum non acquisiverat, fugit ad partes extremas, ubi diu latitantem miseria subjugavit in partibus *Venetorum*; deinde *Bononiam* rediit ex missione Domini *Joannis Vicecomitis de Olegio*, qui Dominium ipsius Civitatis fraudibus objectis occupando detinebat, & detinuit,
B ut potuit, ut inferius dicetur, & à *Bononia* ipsum *Bruzium* deinde brevi tempore expulit præfatus Dominus *Joannes* dicens, ipsum sui proditorem cum suis vestibus, & uno roncono, afferens, quod nisi fuisset amore patris sui, quod ipsum publice super Platea *Bononiæ* fecisset decapitari, ut alios fecerat deprimentes statum suum in *Bononia*; qui tristis effugit, & . . . . Civitatem adivit in partibus *Venetorum*, & in ipsa Civitate miserrime mortuus est. Magnificavit autem præfatus Dominus *Luchinus* in tantum *Mediolanum* propter officia in ipsis Civitatibus præcipue *Mediolanensibus* data, & pacem longissimam, &
C justitiam rectam, quod *Mediolanum*, & Comitatum triplicavit potentia: quæ tum acquisita ipsis numquam deficient: & si austeritatem contra tres nepotes non exercuisset in ipsis expellendis, posset per omnes *Mediolanenses* titulari sanctus, exceptis superius dictis, & Domino *Maffino de Besutio*, quem in havere, & persona fuit insequutus tenendo ipsum in confinibus extra *Mediolanum*, & districtum. Et taliter se gessit, quod perpetuo ipsius fama in *Mediolano*, & *Lombardia* non labetur, sed divulgata apud posteros elucescet. Voverat autem prædicta Domina *Elisabeth* ejus uxor visitare
D Ecclesiam *Sancti Marci* in *Venetiis*, ut dicebat, & sociata multis proceribus utriusque sexus iter arripuit, & tamquam Imperatrix, & cum maximis dispendiis, & curia publicata recepta fuit in *Verona* per Dominum *Mastinum*, complevitque iter suum, & dicitur etiam voluntatem suam complevisse circa Coitum, & aliæ sociæ suæ, & de majoribus *Lombardiæ* fecerunt illud idem: Propterea multa scandala sequuta sunt. Cum autem ipsa rediisset, Dominus *Luchinus* scivit, & audivit de gestis, sed tamquam sapiens curavit dare ordinem de vindicta; & quia una die dixit, quod in breve facturus erat in *Medio-*
E *lano* majorem justitiam, quam unquam fecisset cum pulchro igne, prædicta ejus uxor percepit, quod ipsa erat in justitia illa intellecta propter commissa, cum persona non poterat se excusare à prædictis, sicuti alias se excusaverat. Qualiter autem processissent negotia ignoratur, nec scribitur, sed Dominus *Luchinus* vindictam illam facere non potuit propter defectum vitæ, & sic diem clausit extremum anno 1348. die 25. Januarii in die Sanctæ *Agnetis*, & sepelitur in Ecclesia *Crescentiaghi*. 1348

F

## *Joannes Vicecomes de Olegio.*

PORRO Dominus *Joannes Vicecomes* de *Olegio*, grandis corpore, & formosus, probus, & astutus, & de quo latius infra dicetur de pauperie, & miseria per Dominum *Joannem Vicecomitem* filium quondam Domini *Matthæi*, de quo supra, & ad præsens infra dicetur, sublevatus fuerat, cui servire studuit, & in tantum virtutibus se erexit, quod ex Domicello factus fuit in majori Ecclesia *Mediolani* Cimeliarcha, in qua Dignitate usque ad 32. annos perduravit: demum præfatus

fatus Dominus *Joannes* Episcopus eum uxoravit tradens ei Dominam *Antoniam de Benzonibus* de *Crema*. Et ò quam bona *Antonia* profutura fuit *Cremensibus*, & præcipue illi Domui *Benzonorum*, licet aliquando receperint amarum propter illud dulce: & demum præfatus Dominus *Joannes* Episcopus tunc *Novariensis*, & Comes, & ejusdem Civitatis Dominus Generalis ipsum *Joannem de Olegio* Potestatem dictæ Civitatis creavit, & ibi stetit: deinde à dicta Potestaria remotum præfatus Dominus *Luchinus* curavit ipsum in armis implicare, ipsum constituens Capitaneum in Civitate *Brixiæ*, & in Potestatem, ubi sapienter se gessit: & demum ab ipsis officiis ipsum promovit augmentando, & ipsum pro Potestate *Astæ* nuper acquisitæ misit exequendo superius narrata: demum multiplicato culmine ipsum in Capitaneum, & Locumtenentem universæ partis *Pedemontium* constituit, in quo Locumtenentis, & Capitaneatus officio erat tempore conclusionis præfati Domini *Luchini*. Præterea præfatus Dominus *Luchinus* in *Mediolano*, & apud Ecclesiam *Beati Joannis in Conca* construi fecit spatiosissimam Domum, & cum spatiosis Palatiis circumcirca, & Turribus fortissimis, & magnis, videlicet quatuor supra singulis quatuor angulis directe portendentium; & ut ad ipsam spatiosam pro libito venire posset, fecit fieri Pontile unum latissimum spatio brachioque decem, vel ultra, longum ab ipsa Domo usque ad Palatia, & Domos apud Ecclesiam Cathedralem, & ubi alii singuli DD. *de Vicecomitibus* habitabant: quod Pontile totum erat muro clausum, & tecto coopertum, & in summitate omnium Domuum subjacentium, quod est in longo portensum per sextam partem unius Miliaris. Fecitque fieri in *Viglevano* Castrum mirabile, & innumerabilium expensarum, quod appellavit *Bel-Reguardum*, tamen cum maximo dispendio communis *Viglevani*, etiam sibi subjectorum de cujus magnitudine, & longitudine mirabilia possent dici. Fecit etiam confici apud ipsum *Viglevanum*, & super ipsius Territorio Pontem unum ligneum, firmatum in principiis parietibus fortibus murorum, & super *Ticino* in longo portensum à ripa Vallis *Ticini* loci *Viglevani*, usque apud Castrum *Bergami* olim conditum per præfatum quondam Dominum *Matthæum Vicecomitem*, occasione transitus *Ticini*. Erat autem dictus Pons mirabilis, & spatiosus, & portensus ultra modum: erat latus, quod Plaustra tria ivissent paria, & à parte: longus autem per unum miliare, & totus scandolis ligneis coopertus, & tam levatus à Terra, quod maximæ naves etiam onustæ, sine aliquo obstaculo subtus transibant: in capite vero utriusque partis erant Pontes levabiles, & singulæ rochæ lignaminis valde fortis: nusquam visus fuit Pons ligneus aliquis tam longus, tam securus, qui ab utraque parte assidibus erat conclusus, & merlatus, & præparatus ad pugnam, nec tam pulcher, & quem, ut dicetur infra, *Papienses* combusserunt.

## *Joannes Vicecomes, Mediolani Archiepiscopus, & Dominus.*

Dominus autem *Joannes* Filius quondam Domini *Matthæi Vicecomitis*, de quo primo superius dictum est, Dominium *Mediolani* habuit post mortem præfati Domini *Luchini*, cœpitque regere, & ministrare, præterquam in Civitate *Astensi*. Succubuit magno periculo ante adeptionem Dominii; Nam Domino *Luchino* vita functo, forasterios, & Curiales de fidelitate jurare fecerat in manibus *Luchini Novelli* filii ipsius: & *Forestinus* frater naturalis ipsius *Luchinetti* dicitur malo animo post mortem Patris sui cubiculum præfati Domini *Joannis* tunc Archiepiscopi adivisse, tamen aliud non fecit. At quia de vita, principiisque ipsius Domini *Joannis* alia sunt dicenda, ideo exordium sumo. Fuit ipse formosus, * ilaris, largus, & multum credens. Dum Juvenis esset, factus fuit in Ecclesia majori *Mediolani* Ordinarius, & multum dilexit suam progeniem, & potius parentelam. Demum ministrante fortuna propter mortem *Ugucionis* Episcopi factus fuit *Novariensis* Episcopus, & Comes, & ipsum Episcopatum cœpit ministrare: occupabatur enim tunc per violentiam dictus Episcopatus, seu Terræ prædicti Episcopatus per Dominos *Robaldonum*, & *Calcinum* Civitatis *Novariensis* Vicarios Imperiales, & Dominos Generales, quem Episcopatum, seu Terras sic invasas, sitas tam in monte, quam in plano, ipso facto Episcopo *Novariensi* restituerunt Ecclesiæ *Novariæ*. Et quia tempore quo prædicti Fratres *de Torniellis* Dominium Civitatis, ut est dictum supra, acquisiverunt ab Illustrissimo Domino *Ludovico* de *Bavaria* Imperatore, Civitas ipsa *Novariensis* regebatur per universam parentelam *Torniellorum* absque alicujus Dignitatis titulo, vel præeminentia, alii ex *Torniellis* cœperunt prædictis fratribus invidere, non cogitantes propterea, majorem sarcinam ipsos fratres, & alios mortuos cum patre eorumdem supportasse in expellendo Consortes *Guelphos*, & extra Domum guerram faciendo. Nam Dominus *Henricus* frater istorum Dominorum multa tulerat in *Mediolano*, & extra multos honores acquisivit: Et certe credo, quod si natus non fuisset, pars *Torniellorum*, nusquam partes *Bruxatorum*, & *Caballatiorum*, quæ *Guelphæ* erant, à *Novaria* expulisset: & causa erat, quia populus Universus in *Novaria Guelphus* erat, possidebat Castra, & fortalitias in districtu, nec isti *Tornielli* cum fuerunt restituti, in dicto districtu solam habebant: Et certe tempore expulsionis prædictorum, alter *Hector* fuit prædictus quam Dominus *Henricus*. Est autem de dicta Domo *Torniellorum* duplex pronomen: quoniam antiquissimi de *Novaria* fuerunt, & stantes primitus in Parochia *Sancti Matthæi*, & dicti sunt aliquando *Tornielli de Sancto Mapheo*. Reliqui autem, quia habebant privilegia Diva Imperialia, videlicet in *Vignarello*, *Parona*, & quæ loca non respondent alicui Civitati, & ex quibus natus fuit Rex *Manfredus*, qui unum *de Torniellis* illis *de Vignarello*, nomine *Galvaneum*, fecit Comitem *Squillacii* in *Apulia*, dando eidem in Uxorem præclaram Dominam *Olimpiadam Filangeriam* Comitissam dicti Comitatus, & qui in *Novaria* diem clausit extremum, & alius videlicet *Torrellus* formosus, ut Gigas, & probus, qui multa commisit cum Rege, cum quo stetit *Conradino* in *Sicilia*: & ex istis *de Vignarello* processerunt illi duo fratres, quamquam Dominus *Manfredinus* procedens ab istis *Galvaneo*, & *Torrello* tunc vigeret, sed de Dominio non curabat. Cœpit autem præfatus Dominus *Joannes* habere tractatum in *Novaria* (etiam tempore Domini *Azonis* præfati) cum *Torniellis de Sancto Mapheo*, Domino *Francischino Tettono*, quem fecerant *Mediolani* Prætorem ad cautelam, & cum pluribus aliis ipsorum *de Sancto Mapheo* amicis, & præcipue cum *Joanne Torniello* dicto *Guercio*, qui germanus ipsorum Dominorum erat, & propter promissiones ipsis factas, & una die dum venisset præfatus Dominus *Joannes* in sede Episcopali *Novariæ*, & Dominus *Calcinus* veniret ad dictum Episcopatum pro ipsum Dominum Episcopum videndo, detentus fuit personaliter; & prædicta quamvis ipsius fratribus dicta fuissent, non credebantur, quia Dominus *Calcinus* habebat amicitias, & merita propter servitia

* *Scriptum fuerat* hilaris, *sed* h *scalpello erat erasum.*

vitia impensa dictis fratribus *Vicecomitibus*, & Domino *Matthæo* eorum Patri, & demum quia habebat Dominam *Bonacossam* in uxorem, filiam unius sororis ipsius Domini Episcopi: de qua captione certior factus Dominus *Robaldonus* fugit, & causa erat, quia de tractatu sciverat, & remedium dedisset, quamquam male, sed prædictus Dominus *Calcinus* incredulus noluit assentire: & etiam quia Dominus *Robaldonus* magis conversationem habebat cum illis *de la Scala*, quam cum *Vicecomitibus*, & etiam quia ipsum Dominus *Canis Magnus* militia decoraverat. Fu-
1332 erunt autem prædicta currenti Anno 1332. die 22. Maji, & eo die præfatus Dominus Episcopus de Civitate *Novariæ* factus fuit Dominus Generalis, & quæ Civitas cum Districtu ab inde citra declinavit post multa gesta in eo. Fugiens itaque prædictus Dominus *Robaldonus* Veronam profectus est, ubi stans cum maguo suo honore interiit, relictis *Antonio*, & *Alberto* filiis suis legitimis (natis ex Domina *Brunaxante* uxore sua, & sorore Domini *Thomæ* Marchionis *Malaspinæ de Cremolino*) & *Opicino* filio naturali, de quibis inferius dicetur. Qui autem Dominus Episcopus ad tempus renunciato Episcopatu *Novariensi* factus fuit Archiepiscopus *Mediolani* per mortem Fratris *Aycardi de Camodeia* Fratris minoris *Novariensis*, Mediolani Archiepiscopi. Ante omnia curavit *Joannes de Nepotibus* suis, ut prædixi, habentis in *Mediolano*, post Dominium per eum susceptum, & iisdem in brevi receptis in *Mediolano*, alacriter studuit ipsis deservire magnificando, & exaltando eosdem, & suscepto Dominio, præmissum *Forestinum* filium naturalem quondam Domini *Luchini*, fecit detineri, nec deinde à Carceribus extitit liberatus; fugitque prædicta Domina *Elisabeth* olim uxor Domini *Luchini* cum altero *Luchino* filio suo parvulo, & ad partes *Januæ* se reduxit, & quæ nunquam ad propria remeavit. Post ergo breve tempus præfatus Dominus Archiepiscopus reintegratis prædictis tribus fratribus nepotibus suis, scilicet *Matthæo*, *Barnabove*, & *Galeazio*, studuit duos uxorari, & in Domo sua nuptias celebrare: *Barnabovi* tradidit Dominam *Reginam* filiam quondam Domini *Mastini de la Scala*, & valde juvenem. Præfato Domino *Galeazio Blancam*, pulcherrimam juvenem, sororem Illustrissimi Principis Domini Comitis *Sabaudiæ*, & una die in Domo præfati Domini Episcopi cum alia data *Ambrosio* filio Domini *Lodrisii Vicecomitis* prædicti, fuerunt nuptiæ largiter, & *ilariter celebratæ. Præterea pactis renovatis, & sicuti Dominus *Luchinus* in vita sua tenebat, sic Civitatem *Astensem* sub ejus Dominio possedit, pacta male observans circa restitutionem dictorum *de Solerio*, qua occasione alia arma fuerunt machinata: Marchionem autem *Montisferrati* cœpit bene tractare, adeo quod ipsum sicut filium diligebat, & è converso, qui Marchio semper ut potuit, studuit sibi deservire. Durantibus autem prædictis, & sub tranquillitate pacis immensæ, in partes Marchiæ *Anconitanæ* missus fuit pro Ecclesia, quidam Marchio valde strenuus, & *Hispanus*, & potens, & suffultus pecunia pro recuperando Ecclesiæ Terras perditas in parte illa, & *Romandiola*, pro quarum recuperatione multos *Theutonicos*, *Italicos*, & alios stipendiarios honoravit, & recuperatis Civitatibus, Castris, & Terris prædictæ Marchiæ versus *Romandiolam* direxit gressus suos; & dum esset super partibus *Faventiæ*, & *Imolæ*, cum maxima gente illa invasit *Bononiam* pro ipsa nomine Ecclesiæ rehabenda. Fuerat autem *Annibal* legatus, de quo diximus, à *Bononia* fugatus, & casu inopinato, & male fecerunt: nam tunc *Bononia* non Civitas, sed Provincia dici poterat, &

** Hic iterum h erat erasum, ut pag. præced.*

A dicitur, quod ea die tresdecim millia scholares in ipsa morabantur. Fecerat autem legatus ille muros novos circum circa, burgos concludendo: fecit etiam canale novum cum vigintiquatuor molendinis: fecerat etiam clusiam dicti Canalis lapidibus, & calce, de quibus, & aliis operibus per ipsum factis incredibilia possent dici. Detinebatur autem Dominium ipsius Civitatis *Bononiæ* per Dominos *Jacobum* jurisperitum, & legum Doctorem, nec non per *Joannem* fratres *de Pepulis*, qui gravia Civibus facientes, etiam odio partiali (quamquam unus *Gibellinus* in ipsa Civitate repertus non fuisset) cœperunt propter
B potentiam prædicti Marchionis dubitare, tamen se ostendebant fautores, & benevolos Ecclesiæ *Romanæ*, caute ipsam Civitatem custodientes: & demum dum prædictus Dominus *Joannes* citatus, & requisitus fuisset per dictum Marchionem ad colloquium, fuit per stipendiarios Marchionis detentus, fecitque redemptionem in maxima quantitate Florenorum: & hæc videns suasit prædicto Domino *Jacobo* fratri de Dominio Civitatis ipsius vendendo, & ita potius Domino Archiepiscopo præfato, quam alteri elegit illud vendere, quamvis plures aliæ Civitates pro pecunia ipsam Civitatem habere procurassent. Et
C facta traditione ejusdem, soluta maxima quantitate pecuniæ, Dominium illius Civitatis præfato Domino Archiepiscopo extitit publicatum; & relaxato prædicto Domino *Joanne de Pepulis*, præfatus Dominus *Galeaz* cum illa maxima quantitate florenorum *Bononiam* adivit, & cum glomerosa quantitate nobilium, peditum, & equitum Dominium *Bononiæ* apprehendit pro ipso Domino Archiepiscopo, non tamquam Archiepiscopo, sed Domino *Joanne Vicecomite*. Cum præfato Domino *Galeaz* erat ille Nobilis, & Magnanimus, vir Dominus *Philippinus de Gonzaga*, Dominus *Mantuæ*, qui otia non patiebatur, & Dominus *Gaspar Vicecomes* primo, &
D tunc factus Potestas. Curavit itaque Dominus *Galeaz* participato consilio turmam stipendiariorum præfati Marchionis lacerare, & curam adhibuit, quod Ducem *Guarnerium*, qui de *Apulia* venerat, & eam Provinciam destruxerat, cum quantitate banderiarum suarum equestrium, & etiam aliarum cum magnis provisionibus datis ipsi Domino duci, certisque comitivis equestribus ad stipendia *Mediolani* venire fecit, & *Bononiam* intrare. Oh quantum illi negotio profuerat * *capsoni* Domini quondam *Luchini Vicecomitis*, ad quorum repletionem tantum studium ad-
E hibuerat! illa dies emptionis *Bononiæ*, oh quam fuit infausta aliis Civitatibus *Lombardiæ*! nam potest dici, quod tum orta sunt scandala, errores, impensæ intolerabiles, & quæ usque ad præsentem diem viguerunt, *Lombardiam* lacerando, & utinam *Bononia* non fuisset. Cœpit autem populus *Bononiæ*, prædictis emergentibus, primitus murmurare, & potius inter se, & dicere: (*Noi non voiemo essere venzu.*) Et in tantum crevit illa vox, quod parvuli vocem illam sequebantur, & una die tota Civitas transiit ad rumorem, in quo dictus Dominus *Joannes de Pepulis* multos labores passus est, & certe nisi ipse fuisset in *Bononia*, male processissent negotia utri-
F usque partis, nam ille iterum habebat sibi adhærentes in *Bononia*, quorum quantitas parva non erat, & non audebant facere, nec loqui; nisi ut ei videbatur. *Bononienses* undique reperti (veluti *Carbonenses*) erant restituti in *Bononia*, qui prædictis *Guelphis* non adhærebant, quamvis pauci essent respectu aliorum, & etiam multi alii, quamvis non *Gibellini*, nec Amici illorum *de Pepulis* erant destituti (nimirum *Gallutii*, *Sabadini*, *Golzadini*) & qui *Gibellinis*, & potius Domino

mino *Mediolani* adhærebant. In eo rumore populari Dominus *Galeaz* valde timuit de persona, curavitque de recessu, *Mediolanum*que venit; & cum eo Dominus *Joannes de Pepulis*, quem deinceps magnanimiter honoravit, & qui usque ad præsentem diem ab ejus Consilio non recessit. Missusque fuit pro Capitaneo, & Locumtenente Domini *Joannis* Archiepiscopi, probus, & magnanimus vir, Dominus *Joannes Vicecomes* de *Olegio* recedens à partibus *Pedemontium*: & utinam per sequentia nec natus fuisset, nec in *Bononiam* missus; cœpit namque Dominari non uti Locumtenens, sed veluti Dominus Generalis, & in suo dominio perdurans, cessato dicto rumore in *Bononia*, & cum Marchio abiisset de *Romandiola*, pax fuit indicta inter quoslibet *Bononienses*, & ad paces ipsas componendas præfatus Dominus *Joannes* multum studii, & curæ adhibuit, nam est facundia plenus, & neque *Ulysses Græcorum* in facundia eum superavit. Cœpit regere expendendo prodigaliter *Bononienses* honorando, & præcipue restitutos. Discesserant autem à *Bononia* cum *Galeazio*, & *Philippino de Gonzaga*, multi nobiles *Lombardiæ*, & præcipue *Mediolani*, qui cum eo venerant *Bononiam*, tam ex præcepto, quam voluntarie; nam *Mediolanum* tum credidit sibi universas Provincias subjugaturum, & utinam fuisset tali acquisitione contentum per ea, quæ successerunt. Nec ideo *Bononia* interim extitit vacuata, quin 196. banderiæ equestres, & ducentæ pedestrium non remanerent, nec poterant cassari propter ipsorum conductiones non completas, & ne scintilla oriretur, quæ in principiis statum *Bononiæ* combureret: nec mirum, quia ea Civitas magna est, & *Guelpha* à natura, nec volebant *Bononienses* protestari, nisi de eorum venditione, nec parvuli unquam viderant Aquilam, nec Viperas, quas in singulis quadriviis, & plateis fecerant depingi abrasis Liliis, rastellis, clavibus, & leonibus. Quare per Comitatum *Bononiæ* de majori parte eorumdem stipendiariorum facta fuit distributio, etiam ut idem Comitatus sub tranquillo statu servaretur. Erant namque in Comitatu multæ Terræ fortes, & notabiles, & multum plenæ populo, adeo ut in *Lombardia* repertæ non fuissent fortiores: tamen convocato consilio in *Mediolano*, numerus earum banderiarum causam dedit alia graviora faciendi, & alios in *Thuscia* excitandi. Dominus *Ubertus* Marchio *Pallavicinus*, Consiliarius prælibati Domini, in se valde modestus, & sagax miles, pro Capitaneo, & Locumtenente, nec non Dominus *Bernardus Anguissola* de *Placentia* pro Potestate *Bononiam* missi fuerant, & dum ibidem in *Bononia* fuit exercitus Domini *Joannis de Olegio*, in armorum exercitio expertus, fuit constitutus, & proclamatus Capitaneus Generalis, qui coadunatis stipendiariis, & nobilibus *Bononiæ* (etiam ad Cautelam, ut Civitas de ipsis propter alia evacuaretur) cum magna celeritate *Bononia* exierunt anno 1349. de Mense Junii, & fuit tanta frequentia in discessu, quod quasi nulla victualia, sed pauca secum duxerunt, & de quibus infra dicetur; Et ad partes *Sambugæ* per vallem *Reni* iter direxit exercitus. Frequentia autem fuit, quia dabatur intelligi per *Thusculos* susurratores, quod *Pistorium* haberetur, & quod in ipsa Civitate tractatus vigeret, quod minime verum fuit: nam cum exercitus in fine speraret tractatum, & exspectaret illius publicationem, fames ipsum exercitum publicavit; & cum exercitus speraret, quod aliqua ex portis Civitatis sibi apireretur, citius fames portas suas expandit: nec mirum, nam cum essent *Ubaldini* in exercitu cum omni eorum conatu, promiserant victualia sequi, quod fuisset contra naturam: nam *Ubaldini* sunt in *Alpibus* conclusi, ubi copia pa-

1349

A nis denegatur, sed copia Carnis habetur; & prædicta probata sunt ea hora visibili ratione: nam ductis pluribus Asinis onustis pane in exercitum è Terris *Ubaldinis*, non solum panis manducatus fuit, sed etiam Asini devorati per stipendiarios *Theutonicos*, & alios: & vidi plures *Bononienses*, qui pro una panis bucella tunc recepta promiserunt ipsis conductoribus corbem unam frumenti in Comitatu *Bononiæ*: & certe mei socii, qui exercitum sequebantur, & erant notarii stipendiariorum, carentes pane, caput unius Aselli, quod cum corio portabat quidam Asinarius, quodve

B per violentiam abstulerat *Rosinus de Castellecto* Capitaneus equestris, qui cum ipsis notariis stabat in duodena (erantque omnes *Mediolanenses*) & datis soldis octo ipsi Asinario, ne conquereretur, Caput, inquam, illius Aselli coctum absque sale, & absque aromatibus conditum comederunt sine pane: & certe nisi fuissent Uvæ immaturæ, & agrestes, & Persica item acerba, quæ jam grossa erant, male evenisset eisdem. Demum cum Exercitu ipso super Portis *Florentiæ* tubaverunt, & una nocte pernoctaverunt, multas pulchras Domos, & Palatia, cum ædificiis saccomannando, & comburendo, & ibi etiam per gentes illas dictum

C fuit *de Saccomanno*, quod vocabulum usque ad præsentem diem in *Lombardia* perduravit. Deinde recesserunt, & vallem *Mugelli* intraverunt, & Castrum *Barberinum* per violentiam expugnarunt, in quo tantum bladum, & victualia invenerunt, quod tam homines, quam equi saturati sunt, & dicebamus, quod illud Castrum magnas eleemosynas fecerat: dum ibi pernoctarent, Terra *Scarpariæ*, quæ tunc propter longævum pacificum statum vallo carebat, carebatque scalis pro ascendendo turres circum circa existentes, ea nocte postibus, ac alis portarum pro vallo erectis, & ostiis scalarum undique portatis, fuit reducta in fortalitiam:

D Hinc exercitus per sequentia *Bononiam* victualibus spoliavit, & *Lombardos* pecunia cœpit vacuare. Sequenti autem die, hora nona, exercitus *Scarpariam* adivit, at non valens intrare castremetatus est circa ipsam, ubi stetit usque ad finem Mensis Novembris cum maximis dispendiis, & destructione *Lombardorum*, faciendo Castra lignea, Machinas, Pontes portatiles super rotis, quæ omnia uno solo denario non profuerunt: & interim Florentini, *Burgum Sancti Laurentii* in ipsa planitie *Mugelli* munierunt, à quo dictus exercitus maxima damna patiebatur. Erat autem tunc Dominus *Franciscus* Comes de *Urbino* cum gente sua

E solummodo ad portam Inferiorem dictæ Terræ *Scarpariæ* cum una Machina castremetatus, qui * super cucchis ipsius Terræ mantellos firmos tenens, defensores graviter offendebat: Terra autem die, noctuque se defendendo muniebatur, & in tantum extitit fortificata, quod mora ipsius exercitus evasit frustratoria. Sed impiger hyems accedens cœpit stipendiis suis præcedentibus Campum invadere, & aquis, & nivibus mistis, coëgit à Campo discedere cum maximo detrimento equorum, & personarum, (nam his diebus Dominus *Mediolani* renovationem equorum, in suo servitio mortuorum faciebat), & propter frau-

F des maximam quantitatem Florenorum exportaverunt, & exportabant recedentes, & lacerati per partes *Petræ Malæ*, *Scaregaleosini*, & *Planorii* Bononiam redierunt, & ipsa Civitate mensibus hyemalibus dicti stipendiarii steterunt cum infinita carentia fœni, & pabuli: Prædicta autem vidi, quia ego tunc temporis steti pro Notario ad bancum stipendiariorum *Bononiæ* mensibus 44. Et quasi usque ad amissionem dictæ Civitatis per Dominum *Mediolani* factam. Et tunc Dominus *Joannes de Olegia* propter infamiam, & questus *Bononiensium* objurgantium, quod per tanta fastidia,

& labores, nec in *Thuscia*, nec alibi unicam Terram acquisiverat, cœpit ægrum animum agere contra amicos Dominorum *de Pepulis*, & contra *Jacobum de Pepulis* olim *Bononiæ* Dominum, quem in *Bononia* captum, & spoliatum bonis suis insectabatur, favens aliis ipsorum *Pepulorum* contrariis, & æmulatoribus, etiam quia intellexerat de ipso gravia esse relata præfato Domino Archiepiscopo, qui tamen ea credere noluit propter cæcitatem amoris, quo ipsum Dominum *Joannem de Olegio* è limo sublevatum prosequebatur: Imo plures credebant suum esse filium, nec fuit verum, quia Dominus *Manfredus* agnomento *Botta de Gatego* de *Novaria*, homo *Guelphus* multum virtuosus amore Ecclesiæ guerram faciens uti inimicissimus *Vicecomitum*, & *Torniellorum* in *Olegio*, Castello, qui est pagus parvissimi valoris, patrem ipsius Domini *Joannis de Olegio* cum una mazza ferrea, quam tunc portabat, interemit, & *Olegium* populatus est, & totum concremavit. Tacite tamen dictus Dominus *Joannes de Olegio* multum repugnabat præfato Domino *Galeaz*, & potius *Joanni de Pepulis* prædicto, quia D. *Galeaz* junior erat, & credebatur ipsum talia nescivisse cogitare, sed hæc evenisse propter amicitiam, & conversationem, quam præfatus Dominus *Galeaz* habebat cum Domino *Joanne de Pepulis* in *Mediolano*. Erat autem præfatus Dominus *Joannes de Olegio* multum odio Domino *Matthæo Vicecomiti* fratri Domini *Galeazii* propter turpia verba, quæ adinvicem sibi dixerant in præsentia quondam Domini *Luchini* se mentiendo per gulam, nunc autem præfatus Dominus *Joannes* cœpit venire odio præfato Domino *Galeazio*, & adeo multiplicavit odium, ut neuter ipsorum fratrum *de Vicecomitibus* vellet familiam ipsius *Joannis de Olegio* videre, nec de ipso quidquam audire. Et tunc *Joannes* cœpit cum Domino *Barnabove* in beneplacitis permanere velle multa euxenia illi mittendo, & in benevolentia permanendo, quæ duravit usque ad mortem præfati Domini Archiepiscopi, nam postea cessavit per sequentia. Recessit autem Dominus Marchio *Ubertus Pallavicinus* à Capitaneatu *Bononiæ*, & præfatus Dominus *Jo. de Olegio* sicuti primitus partes ipsas ministrare prosequebatur, & nolens à *Bononia* discedere ita procuravit cum Domino Archiepiscopo, ut æstate sequenti cum stipendio transmisso equestri, & pedestri iterum in *Thusciam* ad partes *Sancti Sepulcri* missus fuerit Dominus *Luchinus de Verme* pro Capitaneo dictæ gentis missæ per Dominum *Mediolani* in partes *Thusciæ*. Est autem Dominus *Luchinus* nobilis miles, de Nobili progenie *Veronensi*, formosus persona, & alacris vultu, tamen ferus aspectu cum irascitur, astutus, fortis, & discretus, non evitans labores, & tanta facundia præclarus, ut par non habeatur. Exercitus itaque veniens ad dictum *Burgum Sancti sepulchri* multum conterruit *Thusculos*, quia pars *Gibellina Thusciæ* ut plurimum nobis adhærebat. Burgus autem ille est in planitie super *Tyberi* labente versus *Romam*, & adeo pulcher est, fructiferus, & abundans victualibus, ut nusquam pro toto exercitu Annona defecerit, nec pretia ascenderint cum avantagio duorum denariorum pro soldo, & adeo exaltatus Turribus, Palatiis, & excelsis Domibus, ut palatia conspicerentur; muratus est à parte exteriori, fossatum, viridaria, & hortulos continebat: & non expulso aliquo *Guelpho*, & annuentibus universis ad favorem Domini *Mediolani*, de guerra, & expensis videbatur non curare. Et demum participante Domino *Cortonæ*, exercitus curavit *Betonam* sitam in principio Ducatus *Spoletani*, & in oppositum Civitatis *Perusii* mediante dicto flumine *Tybri* propter discordiam majorum intrinsecorum, & auxiliante Domino *Crispoldo*, qui major erat dictæ

A Civitatis, Domino *Mediolani* subjugare, & missis à *Cortona* banderiis 32. *Theutonicorum*, *Burgundionum*, & *Lombardorum*, Dominium ipsius Civitatis *Betonæ*, nomine Domini *Mediolani* obtinuit, non tamen sic tempestive, quoniam ante prædicta universus exercitus conversando, & stando super riperia Lacus *Perusinorum*, & *Cortonæ* Palatia infinita destruxit, & vastavit in partibus illis, & in tantum, quod damna, quæ utraque pars perpessa est, non poterant extimari, nec umquam talium, tantorum excessuum memoria delebitur. *Betona* autem die introitus pulchritudine refulgebat, Palatiis, parietibus micantibus ex splendore, plena victualibus, & præcipue oleo olivarum,
B cujus abundantiæ non fuit finis. Etiam banderiæ 20. balistariorum plerumque Civitatem ipsam intraverunt: Nescio tamen an Civitas dici posset, quia carebat Episcopo: nihilominus vidi multas Civitates non similes, nec coæquales. Quo introitu facto, multi è Civitate propter discordiam fugerunt, & aliqua pars in ipsa Civitate permansit, cum quibus duobus ingressibus Terræ *Perusinorum* longa parte protractæ diripiebantur, cremabantur, & multæ etiam Civitates (nempe *Assisium*, ubi Corpus *Beati Francisci* requiescit) pacta inierunt, ut si in brevi subsidium per *Pe-*
C *rusinos* non daretur, quod Civitatem eam aliasque traderent in fortiam Domini *Mediolani*. Nec mora: *Perusini* Thesauros aperierunt, cessaverunt à laboribus, & ab artibus vacaverunt, desperati de tali infortunio, unicuique dispendia tribuebant, & tanta multitudo errantium stipendiariorum venerat ab *Apulia* destructa, & cucurrerunt, quod sine numero infinita quantitas, tunc per *Perusinos* extitit descripta; & subito duas Bastias apud *Betonam* per tractum lapidis construxerunt, cum quibus ab utraque parte cum armis talia sunt commissa, quod à *Troja* citra similia bella non fuerunt visa: ultra autem Bastias con-
D tractas ipsi *Perusini* Campum firmum papilionibus & castramentis firmatis construxerunt, & super flumine *Tybris*, quod nusquam ausa fuit alia gens Domini *Mediolani* prædictos de *Betona* succurrere. Nam die illa Nobilis Vir Dominus *Raynaldus de Assandris*, de quo dictum est supra, Capitaneus Dominii *Mediolani* erat, & cum exercitu *Mediolani* extra ab opposita parte fluminis prædicti cum magna potentia direxit, & certe si primitus posuisset castramenta in loco occupato per *Perusinos*, (quod facile facere potuit) antequam illi haberent campum magnum, & gentes infinitas præparatas, Bastiæ primo factæ non fuis-
E sent, & apud *Betonam* totaliter laceratæ non fuissent; quarum grandior per *Betonenses* virtutibus commendabiles fuit capta, rupta, & desolata, multis ab utraque parte peremptis: sed stante Domino *Raynaldo* cum exercitu suo super ripa dicti fluvii, ubi semper stetit sicut Navis sine remis non solum homines *Perusii* stipendiarii, sed etiam mulieres, & barberii cum *Zavateriis* (*id est:* corbibus) cucurrerunt *Perusinorum* Campum muniendo: & dicitur quod Rectores Populi *Perusini*, qui juxta morem sunt quatuor, ipsi Domino *Raynaldo* dederunt bibere, & in bottis miserunt de vino, quod in *Vercellis* datum fuerat Illustris-
F simo Principi Domino *Philippo de Valosio*, ut dictum est supra, quod vinum naturam, & virtutem habuit Florenorum, & propter ejusdem Domini *Raynaldi* moram, *Betona* remansit obsessa, & tam graviter, quod in ea existentes comederunt equos ductos fere mortuos fame, cum equi non haberent pabulum præter folia ficuum, & olivarum; & proinde neque pilum, neque corium habebant super tecta: pedites autem coquebant ficus acerbos, & oleo deinde condiebant; oleum namque olivarum nunquam defecit: Carnes

nes equinæ vendebantur ad macellum, & comedebantur sine pane, sale, & aromatibus. Quid ultra? prædicti sic obsessi de auxilio præfati Domini *Raynaldi* non amplius sperantes, pacta cum *Perusinis* inierunt; Nam infinitos balistis, levibus certaminibus, & irruptionibus occiderunt *Perusinos*, cum portent longas Targas, & ad bellandum ut plurimum sint indiscreti: & vidi *Contrum de la Specia*, qui sexaginta, & ultra ex dictis *Perusinis* sic Targatis occidit cum balista: & quid ergo fecerunt alii? Pactis igitur firmatis cum armis, & equis universi de recessu libero fuerunt affidati, excepto Domino *Crispoldo* ante dicto, quem nusquam *Perusini* voluerunt in pactionibus includere. *Crispoldus* autem proditus fuit: nam quidam suus nutritor, qui ipsum à pueritia educaverat, eumdem *Perusinis* tradidit: etenim ante pactorum confirmationem sub taciturnitate noctis de *Betona* simul descenderunt & de scientia, & beneplacito gentis Domini *Mediolani* dictus Nutritor ipsum Dominum *Crispoldum* in Fauces *Perusinorum* consignavit. Captus itaque ductusque *Perusium* de præsenti fuit decapitatus super Platea; Attamen pacta gentis Domini *Mediolani*, & aliorum extiterunt observata, & sic cum equis superviventibus, qui non fuerunt numero 80. discesserunt à *Betona*, & per Campum *Perusinorum* transeuntes taliter macerati ad Campum Domini *Raynaldi* cum maximis trullis, & clamoribus turpibus recesserunt, quæ verba, & ululatus gravavit eos plusquam fames. Deinde ab ipso Campo levatis tabernaculis, & apud Civitatem *Castellanam* Perusinorum, ubi magna damna, & incendia intulerunt, se direxerunt, & ad Terram *Burgi Sansepulchri* redierunt. Propterea præfatus Dominus *Raynaldus* à dicto officio fuit amotus, banderia equestris filii, & duæ fratrum suorum subito fuerunt cassæ, & ipse totaliter excidit à gratia Dominorum *Vicecomitum* in perpetuum. Quamquam ipse detentus in *Bononia*, & in Domo mea permaneret, se à prædictis excusabat dicens, quod habebat in mandatis facere, quæ consulebant plures Nobiles de *Thuscia*, & quod prædicti *Thusculi* sic agendum dixerant, & consuluerant. Reversis autem prædictis gentibus Domini *Mediolani* ad habitandum in *Burgo Sansepulchro*, Casus ultra modum mirabilis evenit: nam in vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, vel præcedentis noctis tempore, talis terræmotus terram concussit, quod Palatia, & Turres corruentes, & parietes simul collidentes brevi hora taliter sunt quassatæ, quod paucæ rectæ visebantur: & certe si *Saraceni* jurassent ipsam terram prosternere, non fuisset sic dirupta in una hebdomada, sed pauca gens periit, quod fuit gratia Dei: & verum fuit, quod lapides ab imis murorum fundamentis super terram fossæ exterioris prosilierunt, cujus fossati, & præcipuè murorum profunditas erat decem cubitorum: etiam ab una parte Civitatis *Castellæ* fuit terræmotus, sed non tam magnus. Et etiam sequenti hebdomada Epiphaniæ fuit alius terræmotus in ipsa terra, in quo Turris cum casaro Castri per medium scissa dirupta extitit, & sub ipsa filius Castellani cum pluribus aliis periit, & multæ aliæ Domus à primo terræmotu immunes corruerunt, quarum Domorum destructionem, & prosternationem vidi infinitam; quare stipendiarii cum illis potentioribus partis *Gibellinæ* exierunt, terram ipsam totaliter dimittentes, nolentes sine bello mori, & post paucam moram omnes *Bononiam* redierunt, dimissis dictis partibus sic vastatis. Discessis itaque à *Thuscia* prædictis, & antea *Perusini* magnam quantitatem suorum stipendiariorum cassaverunt, & multi alii de partibus *Apuliæ*, tam pedites,

A

quam equites. *Theutonici*, *Burgundi*, & *Itali* audientes de guerra ad partem illam confluxerunt, & coadunati in maxima quantitate, ac desperati, uti carentes stipendiis, cœperunt societatem coire. Oh quot malorum principium fuit hæc prava societas! Caput suum fecerunt Fratrem *Morialem*, qui Frater Templi fuerat, sed prævaricatus malitiis gloriabatur, & cœpit cum sua societate partes *Thusciæ* usurpare. Ipse erat de *Burgundia*, tamen sciebat *Theutonicos*, & *Lombardos* gubernare, participando rapta. In ea societate supervenit Comes *Landus*, qui utinam

B

non advenisset propter infelicia, quæ evenerunt in *Lombardia*. Iste cum *Theutonicis* sibi adhærentibus, etiam quotidie superadditis Marchiam hiemali tempore occupavit, & non obstante quod nix esset maxima, terras ipsas vastavit, cepit, plerumque prædatus est. Ab hujusmodi scelestissimo cœtu ille Frater *Morialis* deinde recessit, & *Romæ*, quo iverat pro accipiendo magnam auri quantitatem per Tribunum extortam in *Apulia*, fuit tamquam prædo decapitatus. Deinde Comes *Landus* cum societate ipsa in *Apuliam* profectus est, ubi diu prædando moram traxit. Cum autem exercitus Domini *Mediolani* rediisset *Bononiam*, curavit idem *Mediolani*

C

Dominus guerram *Thusculorum* promittere, & procuravit, quod Civitates *Mutinæ*, & *Regii* (quæ iter suarum gentium Parma *Bononiam* mittendarum occupabant) cederent: Igitur primo invasit districtum *Mutinæ*, & partem *Gibellinam* expulsam de dicta Civitate, & præcipuè Dominum *Galassium de Piis* cum sequacibus suis sibi junxit, & in *Bononia* recepit cum parte sua: cœperuntque magnanimiter agere contra *Mutinenses*. In illis tamen principiis illi *de Savignano*, quæ est titulo tertia Domus in *Mutina* ex majoribus partis *Guelphæ*, cœperunt tractare Ro-

D

chettam *Savignani* possessam per *Bononienses*, & ipsam custodiebat *Matthæus de Guidabobus* de Parma, (qui de ipsa tunc Temporis aufugit) pro Domino *Mediolani*. Multa quidem gesta fuerunt in castris illis per utramque partem. Facto enim Ponte super Flumine *Panario*, ubi antiquitus fuerat, & via recta veniendo à Mutina *Bononiam*, & factis duobus propugnaculis pro custodia dicti Pontis, & fortiore versus *Mutinam*, cui *Bernardinus de Piis* factus fuit Castellanus cum multis Pagis, cœpit exercitus Domini *Mediolani* pertransire, & capto primitus Castro *Florani*, Civitatem *Mutinæ* invadere, &

E

post paucos dies cœperunt super canali partis inferioris, & ubi alias fuerat ..... Civitas *Mutinæ*, Bastiam erigere: & dum in dicta bastia ad relevationem ipsius laboraretur, & stante ibidem Domino *Albicio de Baldinis* Collaterali Domini *Joannis de Olegio* loco ipsius Domini *Joannis*, qui jam animo conceperat, quæ exinde fecit, & qui non curabat, quod *Mutina* caperetur propter sequentia, quia mortuo Domino Archiepiscopo sperabat se mortuum propter superius dicta. *Albicius* erat cum populo, & proceribus *Bononiensibus* Capitaneus, & facto alio Ponte super *Panario* cum navibus in oppositum

F

*Crepacorii*, una die præfatus Dominus *Joannes de Olegio* misit literas adulatorias, quas vidi, ad Dominum *Albicium*, ut die, noctuque versus *Bononiam* remearet cum populo, & cum proceribus, quos nolebat turpiter mori; sed erat artificium, quoniam Comes *Landus* cum societate sua tunc distabat à *Bononia* milliaribus ducentis, & ultra à dicta bastia, nec volebat. Quibus literis visis, & alio consilio non deliberato, quia ipse Dominus *Albicius* erat pastor bonus, pulsatisque tubis, & nullo impellente, à dicta bastia fugerunt, etiam quia *Bononienses* libentissime recede-

cedebant, & tali frequentia Pontem impulerunt, ut ipsum fregerint, & multi equi, & homines submersi perierint, & die sequenti, deleto toto dicto ponte, *Bononiam* redierunt. In principio autem quæstionis motæ per Dominum *Mediolani* contra *Mutinam*, & *Regium*, vivebat Marchio *Oppizo Estensis*, qui solummodo tres filios naturales * habebat valde Juvenes, videlicet *Aldobrandinum* &c. natos ex pulcherrima Concubina *Bononiensi*, de qua dixit multa *Dantes* in libro suo, & sorore *Henrici de Ariostis*, & timens de Marchione *Francisco* nepote suo, ne cum auxilio Domini *Mediolani* (etenim cum *Vicecomitibus* habuerat parentelam, quia Mater Domini *Azonis* fuerat de sua Progenie) aliquid moliretur, vix incepto prædicto discordio, prædictum Marchionem *Franciscum* à *Ferraria* cum aliquibus intimis suis fugavit, & Civitates *Mutinæ*, & *Ferrariæ* cœpit caute custodire: qui Marchio sic expulsus *Mediolanum* venit, ubi de præsenti magnifice commoratur. Post hujusmodi expulsionem tractavit Dominus Marchio *Obizzo* cum Dominis *Mantuæ*, qui & *Regium* tenebant, & cum illis de *Padua* de resistentia facienda Dominis *Mediolani*, ut a captione *Mutinæ*, & *Regii* revocarent vota sua; hinc participato consilio studuerunt Comitem *Landum* cum societate sua sub eorum stipendiis habere, & habuerunt, & curarunt, ut quanto citius ille Comes per partes *Romandiolæ* intraret *Lombardiam*: Et hinc detegitur malus conceptus, quem Dominus *Jo. de Olegio* sibi statuerat de permanendo in *Bononia*, quamquam eo jubente exercitus recessisset, ut supra per dies octo, & ultra, antequam *Landus* Bononiam accederet; sed propter potentiam ipsius Domini *Joannis* nec Officiales, nec alius ausus fuit loqui, nec Domino Archiepiscopo rescribere. Venit ergo ad partes *Bononiæ* dictus Comes *Landus* cum impia societate sua, & partes *Budrii* districtus *Bononiensis* occupavit: deinde levato exercitu, in Campestribus, apud *Bononiam* à parte versus exitum Canalis *Bononiæ* pluribus diebus stetit, & dictum fuit, quod secto lignamine occupationis foraminis exitus dicti Canalis, multi ex societate ipsa campum mercati intraverunt, & numero 200., vel ultra, quapropter tota Civitas *Bononiæ* traxit ad rumorem. Est enim campus mercati locus valde spatiosus, in quo, & per quem labitur Canale, & super quo constructa sunt molendina supradicta, & intra mœnia Civitatis conclusus à parte ubi Canale labitur, & prope Castrum, quod habebat legatus antedictus jam expulsus. Deinde dicta societas transiens dictum Canale, se posuit apud pontem *Reni*, & Burgum universum *Panigalis* occupavit, vastavitque *Casalegium*, & multas alias terras in valle *Reni*, eique circumstantes prædatus est, & ibi multis diebus stetit nihil probitatis faciendo; deinde versus *Mutinam* perrexit, & ad pontem factum noviter cum bastiis, ut supra, se posuit, & duabus vicibus ipsas cum ponte expugnavit, at non profuit. In partibus illis tantum duravit, quod dictæ bastiæ fuerunt captæ, & pons una cum eis totaliter devastatus. Durantibus autem prædictis, & sub regimine Domini *Ottolini de Burris*, tunc sequentis Potestatis Dominus *Joannes de Olegio* multos de *Bononia*, Nobiles, & Populares capi mandavit pluribus vicibus, quos dicebat esse culposos de proditione Civitatis ex accusationibus patentibus, & dicebatur, quod illi erant amici, & intimi Domini *Joannis de Pepulis*: Qui pluries tormentati dixerunt, vera esse, quæ in inquisitione continebantur. Et in duabus vicibus 34. super Campo Mercati publice extiterunt decapitati. Inter hæc rumores multi in *Bononia* efferbuerant, in quibus plurimi *Bononienses* per stipendiarios in ipsa Civitate fue-

A runt interfecti, & aliqui de occisoribus. Et tunc cum multi de *Ubaldinis* pro custodia Civitatis *Bononiæ* fuissent requisiti, & cum eorum clientibus, & glomerosa quantitate, & ultra modum armatis venissent ad custodiam, eisque lustratis, positisque super platea, rumor extitit inchoatus, ob quem rumorem primi ex illis decapitatis capti fuerunt, inter quos *Zenonus de Sancto Alberto* dicebatur principalis. Inter *Ubaldinorum* clientes, tunc venit magnus ille quotidie ebrius, qui in *Mediolano* vinum Creticum generosius deinde destruxit suffocando se in vino, & qui Dominum *Bonincontrum de Samniniato* diu excellentissimum in *Mediolano* Officialem vulneravit, B imo interfecit. Ulterius autem ipsa societas illa vice non processit, sed ad partes *Thusciæ* rediit, & utinam ibi fuisset finis. Remanserunt itaque ambæ Civitates *Mutina*, & *Regium*, sicut primitus erant, & cum pessima voluntate contra Dominum *Mediolani*, ut inferius apparebit. Dominus autem *Galassius de Piis* egregius miles cum amicis suis Popularibus è *Mutina* pulsis morabatur aliquando *Bononiæ*, plerumque in castro suo *Carpii*: literas autem quibus in Collegam Capitaneatus *Bononiensis* deputabatur, habuit à Domino Archiepiscopo, sed præfatus Dominus *Jo. de Olegio* fecit per *Bononienses* opponere, & Archiepiscopo C rescribere, quod ipsum habebant suspectum, & causa erat, quia Vicarius inimicus erat, & nimis *Gibellinus*: Istis durantibus præfatus Dominus Archiepiscopus diem clausit extremum repente, videlicet anno 1354. die Dominico 4. Mensis Octo- 1354 bris. Verum ante ipsius mortem, & durantibus prædictis post obitum præfati Magnifici Domini *Luchini Vicecomitis*, & dimisso odio inter Nobiles, & Populares *Januæ*, factoque *Simonino Buccanigra* Duce *Januensium*, quæstio infinita orta est inter *Januenses*, & *Venetos* in spatioso Pelago. Utraque pars triremibus, & aliis navibus ad pugnam aptis, & fulcitis gentibus ad bellandum cum infinitis expensis Exercitum maritimum fecerunt, D in quo bello *Veneti* Regem *Aragonum* inimicum antiquum *Januensium* confœderaverunt, qui Rex multas magnas Naves, & habiles ad pugnam, ex *Cathalaunis* suis expertos, & probos in mari præparavit, & taliter processerunt negotia breviter concludendo, quod tunc *Januenses* in Marinis partibus succubuerunt, ex quo maxima inopia victualium in *Janua* habebatur, & etiam alia causa præcedente: nam à partibus transmarinis nulla, vel modica Victualia vehebantur, cum Domini *de Spinulis* prohiberent, & præcipue præfatus Dominus Archiepiscopus *Mediolani*, qui *Alexandriæ*, *Derthonæ*, & *Placentiæ* dominabatur, E & qui victualia ipsa totaliter denegabat, quorum causa cœpit Populus parvus in *Janua* murmurare. Populus etiam ille, & Plebeji fuerunt adeo personis fatigati, & pecuniis afflicti pro construendo navigia, & ea muniendo, quod major, & majores cœperunt potius condolere, & altius inclamare. Quæ audiens Dux *Simoninus* antedictus, auditoque infortunio marino, nec prædictorum voluntati valens resistere, nec ipsos valens sublevare, tamquam sagax, & prudens cautelam adhibuit, nolens mactari per Populum, nec opprimi per Nobiles propter commissa, & de duobus F malis minus elegit, & cum maxima astutia cogitans vivere, suoque beneficio gaudere post lapsum istius mali puncti, & sic fecit ad præsens: Nam habuerat in *Mediolano* Amicum nomine *Joannolum Mondellam de Ferro*, (agnominabatur *de Ferro*, quia mercaturam Ferri exercebat, sed ex pecuniis alterius *Joannoli Mondellæ* Thesaurarii præfati Domini Archiepiscopi, & ejus germani) reductum cum præfato Archiepiscopo, tamquam legalem hominem, sincerum, & veracem ad illius

lius magnalia gubernanda, & exequenda, odentem pompas, & tributa, ac honestissime viventem, & cum charitate, cujus familiaris, notorius, & Domesticus fui ego *Petrus Azarius*, ut in fine dicetur, & conversando cum eo gesta vidi, audivi, & per literas didici. De eo præfatus Dominus Archiepiscopus ultra alios confidebat, & merito, & cum eo tamquam experte consilium, & colloquium habuit, & in brevitaliter ordinavit, quod præfatus *Simoninus* sub certis pactis, & conventionibus unitis, & de beneplacito universitatis *Januensis* Civitatem *Januæ* cum universis aliis Civitatibus, & Castris Dominio *Januensium* subjectis remisit sub Dominium B præfati Domini Archiepiscopi, qui de plano prædicta possedit, nec sola fortalitia defecit. Verum est, quod præfatus Dominus *Simoninus* habuit maximam quantitatem Florenorum pro instaurando expensas per subditos factas, & tollendis mutuis propter ea contractis. Maxima quantitas bladi in *Januam* fuit vecta, in tantum, quo illic cessavit inopia, illic etiam posuit Potestatem, & Capitaneum, & in *Savona*, & ubique officiales, & Castellanos, & pacifice ampliando possedit in vita sua, & ulterius, ut infra; & in tantum procuravit, quod *Januenses* pacem fecerunt cum *Venetis*, & *Cathalaunis*, quæ pax (quamquam *Janua* contraria sit *Mediolano*) usque in præsentem diem observatur. Fecit etiam præfatus Dominus Archiepiscopus pulcherrimam Domum novam, & continue duabus vicibus in diem habendo Curiales, & alios Nobiles, si qui erant in Curia, & suos caros tres nepotes, jentaculum cum purissimo vino, & aliis fructibus, & confectionibus faciebat, quibus horis diversa poterant dici, nec unquam audientiam denegabat. & fuit prodigus in dando comedere proceribus, & in aliis quibuscumque expendendo, & semper crevit. Castrum autem valde pulchrum construi fecit in *Novaria:* filium naturalem habuit nomine *Leonardum*, quem pluribus annis tenuit in *Novaria* pro Potestate, sed male, inepte, & debiliter in ipso regimine se gerentem. Demum indignatus, ejecit privatum gratia sua, nec deinceps voluit ipsum audire nominari: ideo *Leonardus*, quia miles erat, cum Domina *Catharina* uxore sua se reduxit ad Castrum *Viozzalli*, districtus *Vercellensis*. Illud Castrum erat ipsius Dominæ *Catharinæ* sapientis, & pulchræ ultra modum, fueratque Domini *Martini de Viozzallo* ex Dominis de *Palestro* ditissimi: & dum prædictus Dominus *Martinus* hanc unicam filiam haberet, & in uxorem promisisset *Iberto de Rovesenda*, filio quondam Domini *Franciscbini*, aviatico Domini *Joannis de Rovesenda*, ditiori quoque *Vercellensi*, prædictus Dominus *Martinus* (durantibus verbis de præsenti in ipso matrimonio, & puella fortassis Annum ætatis nonum, vel decimum agente) excessit è vivis. & non obstantibus, prædictis verbis de præsenti, ipsa Domina *Catharina* (& male) fuit isti Domino *Leonardo* in matrimonio copulata, & successit patri in universis bonis, inter quæ illud Castrum habebatur. Permanente igitur dicto *Leonardo* in eo Castro, Dominus *Joannes* Marchio *Montisferrati* Dominium Civitatis *Novariæ* cum Universo districtu occupavit: quo audito, prædictus *Leonardus*, quamvis validum Castrum haberet pro se viriliter defendendo cum Civitate *Vercellarum* propinqua ad duo, vel tria milliaria, & quæ Civitas nunquam fuit perdita, sponte venit *Novariam*, & ibi dicto Domino Marchioni se, & sua dedit, relinquens propriam parentelam. Cum itaque Civitatem *Novariæ* Dominus *Galeazius* recuperasset, noluit de dicto Domino *Leonardo* misereri: Quare ipse *Leonardus* profugit ad partes extraneas, & est in tanta debilitate, (quia debilis) constitutus, quod dormit in hospitalibus, & cum ribaldis conversatur. *Galeaz* autem prædictum Castrum cum bonis possidet, Dominam *Catharinam* prædictam alimentari faciendo. Diebus autem prædictis mortui sunt *Ludovicus* Imperator in partibus *Alamanniæ*, ubi continue coronam Imperialem tenuerat sine alia exceptione, & Papa *Benedictus*, cui sufficitur *Clemens*. In omnibus igitur bonis præfati Domini *Joannis* Archiepiscopi successerunt prædicti *Matthæus*, *Barnabos*, & *Galeazius* nepotes sui ex quondam *Stephano* fratre, & in Dominio Civitatis *Mediolani* extiterunt confirmati, pro ut etiam de Burgis, Castris, Oppidis, & aliis undequaque possessis. Verum quia diversos habuerunt respectus, & volentes potiri Dominio separatim, ut moris est in partibus *Lombardiæ*, voluerunt Dominia dividere, & separare, ut unusquisque ipsorum exercere posset in agendis pro libito voluntatis, quamquam ad unicum finem ad gravia curassent extendere vires suas. Feceruntque de *Mediolano*, & ejus comitatu partes tres coæquales, possessiones, Domos, mobilia, & immobilia; diviseruntque Dominia aliarum Civitatum. De divisionibus *Mediolani* non tracto, propter fastidium operis, solum dico, quod C unusquisque voluit in eo habere introitum, & exitum per portas: de reliquis Civitatibus prosequor; Itaque Dominus *Matthæus* Major natu sortitus est *Laudum*, *Placentiam*, *Parmam*, *Bononiam*, *Bobium*, cæterasve Terras Dominio *Mediolani* subjectas, ultra *Padum*, mediantibus, & durantibus prædictis Civitatibus. *Barnabos* Secundogenitus habuit, *Bergomum*, *Brixiam*, *Cremonam*, & alias Terras à flumine *Abdua*. Dominus *Galeazius* Tertiogenitus habuit *Cumum*, *Novariam*, *Vercellas*, *Astam*, *Albam*, & universas Terras *Pedemontium*, *Alexandriam*, *Terdonam* cum Terris intra confinia prædictarum Civitatum D conclusis; *Janua* autem cum partibus suis remansit indivisa cum bene, & commode non posset dividi. Divisionibus itaque factis curavit unusquisque ipsorum prædicta gubernare, & sua discretione regere, mittente unoquoque Capitaneos, Castellanos, & alios officiales pro libito voluntatis: Domuum vero intra *Mediolanum* sitarum divisio fuit hujusmodi, scilicet Domus constructa, & extra Archiepiscopatum, in qua habitabat præfatus Dominus Archiepiscopus, obvenit Domino *Matthæo*, quam ipse habitavit. Domus autem levata, ut diximus, per Dominum *Luchinum* apud Ecclesiam *Sancti Joannis in Conca* pervênit Domino *Barnabovi:* reliquæ, in quibus E consueverant habitare Domini *Galeazius*, *Luchinus*, & *Azo* cum reliquis Ascendentibus *de Vicecomitibus*, Domino *Galeazio* remanserunt. Et quia præfatus Dominus *Matthæus* alios fratres suos ætate præcedebat, ideo ab ipso initium sumam, scripturus eorum gesta.

### *Matthæus Vicecomes.*

Misit igitur Dominum *Thomam* Marchionem *Malaspinam* de *Cremolino* pro Capitaneo in Civitatem *Placentiæ:* Dominum *Gaudentium de Coronate* pro Potestate *Bononiæ*, & reliquos in alias Civitates suas. Tunc temporis Dominus F *Jo. Vicecomes* de *Olegio* in sede sua *Bononiæ* vigebat dolens de morte præfati Domini Archiepiscopi: sed quia diu machinatus fuerat, quid casu prædicto eveniente faceret, de levi ordinem suo tempore cogitatis exhibuit, sperans pro defensione sui non habere judicem competentem: sciebat etenim stimulos habere, & media curare, proptereaque de statu suo cogitavit. Cum autem Dominus *Galeazius* habuisset in divisione *Cumum* cum districtu, erat Vallis una valde fertilis, & amœna in extremitate dicti districtus, ta-

men à *Como* separata, & quam consueverat tenere unus dictus *Avogarius de Belegno*, & Vallis *Belegnum* vocabatur; Cujus Vallis Dominium dictus Dominus *Joannes de Olegio* tempore suo felici virtute Domini Archiepiscopi acquisivit, & possedit, & possidebat tempore præsenti. Quare Dominus *Galeazius* respiciens, quod in dicta divisione sibi obvenerant omnia, quæ in partibus *Comensibus*, vel circa possidebantur per quondam Dominum Archiepiscopum, & quod ea Vallis *Belegni* per eumdem Dominum Archiepiscopum acquisita esset, & ejus virtute, quamvis precario jure ipsi D. *Jo. de Olegio* tacite dimisisset, ipsam Vallem cum utilitatibus cœpit possidere. De hisce Dominus *Jo. de Olegio* conquestus est ad Dominum *Barnabovem*: Imo Dominus *Barnabos* cœpit de factis suis non in tantum curare, sicut antea curaverat, quod forte accidit, quia plura habebat agere. Præterea Dominus *Matthæus* misit *Bononiam* duos suos Domicellos ejus nomine, in quorum manibus omnes stipendiarii, equites, & pedites, nec non Castellani in partibus illis existentes Sacramentum fidelitatis præstarent, & duabus vicibus intra breve tempus iterato misit Dominum *Galassium de Piis* pro socio in Capitaneatu *Bononiæ*, quæ libenter non annuit, sed fingens placere dixit, quod contentabatur, quia ipse erat senex. Item misit unum Judicem pro Syndicando familiam ipsius Domini *Joannis de Olegio*: qui Judex, cum homines non auderent conqueri de infinitis extorsionibus, & barattariis factis per universos de familia ipsius Domini *Joannis*, præconizari fecit, quod volentes conqueri deponerent petitiones in capsula ferrea, & forata posita in una Ecclesia, in cujus Domibus dictus Syndicator permanebat: Et tunc capsula petitionibus prædictorum decies in diem implebatur, nec restabant. Fuerat autem præfatus Dominus *Joannes* de faciendo, quod fecit, diu instigatus propter superius descripta, & propterea permittebat etiam suam familiam prædari, dummodo faceret pulchro modo, assentiebatque stipendiariis equestribus, pedestribus, Castellanis, Custodibus portarum, & quibuslibet Officialibus forasteriis, ut libitum, & placitum exercerent in rapiendo, & fraudando Commune *Mediolani*, quia rationes ab inde procedebant: & quando præmissi stipendiarii ob aliquem defectum repertum, sive debite, sive indebite conquerebantur, persuadebat eis gratiam faciendo: si alia via non erat, ut ipsorum benevolentiam obtineret, studebat cassare quos non sperabat sibi adhæsuros, & aliis male factoribus complacere: & dum prædictus Syndicator præmissa vidit, & audivit, reversus est *Mediolanum*, & ea Domino *Matthæo* notificavit, & demum *Bononiam* rediit pro Syndicando personam ipsius Domini *Joannis*, & certe fuit maxima imprudentia: nam Commune *Venetiarum* satis habuisset ad satisfaciendum pro dictis male ablatis per ipsum Dominum *Joannem*, & Domesticos suos: & tunc Dominus *Joannes* celerius ad propositum festinavit, subridens, & dicens, quod si illi de *Mediolano* sciebant, sciebat ipse quoque. Dominus autem *Galassius* stans in *Bononia* timebat eum, nec volebat in aliquo eidem displicere, sed cum suis forinsecis de *Mutina*, ut plurimum conversabatur. Et deterius fuit, præfatus Dominus *Matthæus* sentiens tempus hyemale, curavit expensas diminuere, & potius in partibus *Bononiæ*; & tunc veni ego *Mediolanum* pro prædictis una cum Domino *Leone de Muriculis*, qui intratas gesserat multo tempore; & cum fuimus *Mediolani*, datus fuit ordo, quod triginta banderiæ equestres starent *Bononiæ*, & in Comitatu, & erant tunc 57. vel circa, & 40. cohortes peditum pariter ibidem starent, nam

A erant 101. & per me fuerunt descriptæ, & ubi erant duo collaterales ad bancum stipendiorum cum Florenis 45. in mensem pro quolibet ipsorum, solus staret pro 27. & ubi erant duo Notarii cum ipsis collateralibus ad stipendia cum salario Florenorum 10. pro quolibet in mensem, staret unicus Salario Florenorum 7. & sic diminuendo Officiales detraxit: Et propterea videns conditiones, & male deliberasse, ego cogitavi *Ubizolum Vicemalum* Notarium socium meum in ipso officio stipendiorum, ad quod aspirabat relinquere, & malum fuit pro ipso. Præterea præfatus Dominus *Matthæus* voluit cassare *Jacobolum*
B *Paganum* de *Mediolano* ab officio Thesaurariæ *Bononiæ*, cujus officium parvum non erat; nam certe vidi 32. millia Florenorum singulis mensibus dispendi in *Bononia*, & aliquando non sufficere pro expensis Ordinariis: Quantæ autem essent extraordinariæ, non est dicendum, præsertim pro subrogandis equis, pro quibus duo millia Florenorum non satisfacerent quolibet mense computatis mensibus guerræ: Intratæ *Bononiæ* ultra centum mille Florenos *Bononiensis* monetæ in anno non excesserunt, quamvis ad præsens propter incursa multum declinassent. Quibus sic osci-
C tanter peractis (& credo quod novi consiliarii voluerunt ipsum Dominum *Matthæum* uno anno sic infinite ditari) venit *Franciscolus Manzoccus* Thesaurarius novus in *Bononia* constitutus cum quindecim millibus Florenis, permanente ibidem alio *Jacomolo*, ut supra, Thesaurario cum Thesauraria antiqua, & male ablatis. Oh quam fatua fuerunt præcedentia! Quis enim non cogitasset de statu suo? Quis non evitasset pericula? quis non scandala, & præcipue sui, suæque Familiæ Syndicatum? Et maxime cum præfatus Dominus *Matthæus* sciret ipsum Dominum *Joannem de Olegio* pro certo esse suum inimicum publice,
D & privatim. Quid vero Dominus *Matthæus* habuisset facere, silendum est, quia uterque ipsorum erat *de Vicecomitibus*, sed discretio tanti politici Consilii sui in *Mediolano* bene debet animadvertere, quia etiam pecudes perpenderent. Nam mense præcedenti, & ante, & cum venissent secunda vice Domicelli supra nominati pro dando Sacramento stipendiariis *Bononiæ*, & aliis forasteriis, publice dicebatur, quod Dominus *Jo. de Olegio* Dominium *Bononiæ* occupaverat, & sic publice dicebatur de voce, & fama etiam, & usque in *Mediolano*. Sed quia pigritia alias virtutes excæcat, sic præfatus Dominus *Matthæus*
E obcæcatus cum consilio suo dormitans prædicta sustinuit pertransire sperans, quia electionem Consiliariorum quondam Domini *Joannis* Archiepiscopi habuerat, sed male conclusit. Igitur Dominus *Joannes de Olegio* cum se videret laqueis interclusum, venenum perduxit, & tamquam desperatus, & volens pauperiem evitare, laqueos, quos tetenderat, cogitavit, & voluit explanare. Nam præcedente eo insultu facto contra Dominium Civitatis *Bononiæ*, & contra Dominium *Mediolani*, nocte præcedente familiam suam alloquendo allicuit, & animavit dicens: *Vultis mori, &*
F *comparere Syndicatui in Mediolano? melius quidem hic mori, quam in Carceribus Mediolani crudeliter macerari. Nonne mei estis? Ego vos tamquam filios dilectos elegi, nutrivi, & exaltavi, & si in adversa conditione vos defendi, quantum sperare poteritis in prospera, & felici? Nam si Locum Tenens eram, volo à modo in antea dominari.* Huic colloquio omnes concorditer annuerunt. Etenim prædicti erant simplices, & nulla in eis, vel parva vigebat discretio, sed erant plerumque ejus affines, & fortuna favente fuerunt Comites inauditi, & milites, qui numquam viderant *Alamanniam*, nec fuit de familia sua pugillaris, qui non crede-

A crederet Imperatorem corrigere. Eo vespere, & sero, quamvis non oporteret, animavit Cives sibi adhærentes, animavitque omnes stipendiarios non cassos, nam quos habebat ingratos, pridem jussu Domini *Matthæi* cassaverat. Et die præcedenti Dominum *Galassium* antedictum cum 100. barbutis *Theutonicis*, de quibus dubitabat, emiserat, dicens ei, se ita facere, ut iret securus in lustrandis, & visitandis fortalitiis usque *Romandiolam*, & ne Comes *Landus* tunc existens in *Thuscia* ipsos invaderet. Et prædictis proficiscentibus ad prædicta sub bona fide exequendum, & nemine contrariante, Dominium Civitatis occu-
B pavit, faciens publice evulgare de Dominiis ipsius, & parvo inchoato rumore. Erat enim ludus parvulorum. Quisnam ei debebat resistere? Omnes erant unanimes. Et tunc non solum familia sua, sed, & stercora Domus suæ equos coopertos ascenderunt clamantes: *Vivat, vivat Dominus Joannes de Olegio* (non dico Vicecomes) *protector Populi Bononiensis.* Nec fuit unicus, qui resisteret, quia non erat contradicens. Quoniam in Castellanum *Bononiæ* creaverat quendam *Guidettum Merosum*, qui fuerat suo tempore mercator bladi, & qui nusquam viderat ensem evagi-
C natum: Habebat iste Castellanus tres filios, nempe duos grandiores, & unum parvum, omnes mercaturam bladorum in *Bononia* exercentes: Mediocrem miserat ad ipsum Dominum *Joannem*, ut consueverat, pro stipendio recipiendo: at Dominus *Joannes* eum detineri jussit, & ligatis manibus cum multitudine sua perditorum hominum duxit ad Castrum ipsum: & erectis furcis in conspectu Patris, pater, mater, & fratres cœperunt clamare tamquam dementes: *Ah fili non es dignus stipendio*; *Deserimus Mediolanum, & eligimus vitam tuam.* Et est notandum, quod *Mediolanenses* Mercatores cum nutriant longas barbas, ut vi-
D deantur strenui, accipiebant, & accipiunt castra ad custodiendum, sicuti Tabernas. Ergo ille fatuus *Guidettus Merosus* cum filio suo majori sine bello tradiderunt inexpugnabile *Bononiæ* Castrum, & sic fecerunt omnes arcium *Bononiensium* Castellani, excepto solo Castellano *Bazani*, qui *Parmensis* erat, nuncupatus *Joannes de Miano*, qui minimum ex Castris districtus *Bononiæ* custodiebat (de quo alii *Mediolanenses* non curabant,) & guerram faciendo idem Castrum non permisit præfato Domino *Joanni de Olegio*, quamquam multum premeretur, donec Magnificus Dominus
E *Barnabos* ipsum restitui fecit Domino *Joanni* prædicto propter sequentia. Igitur præfatus Dominus *Joannes* prædatus fuit ambos Thesaurarios *Mediolani* suprascriptos, quibus abstulit maximam quantitatem Florenorum: prædatus fuit *Leonem Muricolam* prædictum, *Gasparolum Verobium*, olim, ac diu in *Bononia* Factorem Generalem pro Domino quondam Archiepiscopo Joanne, *Ubezolam Vincemalam* socium meum in meo officio, qui 200. Florenos habebat ad tabulam, quos cum summa avaritia congregaverat: Prædatus est omnes de *Mediolano*, & quælibet ad Dominum *Mat-*
F *thæum* pertinentia: Prædatus est omnes *de Pepulis*, & præcipue quæ habebat præfatus Dominus *Joannes de Pepulis*: & insuper omnes prædictos personaliter detinuit una cum quampluribus aliis Officialibus, de quorum nominibus propter magnitudinem operis tacetur. *Gaudentium de Coconato* Potestatem *Bononiæ*, qui ibi steterat per Mensem, pacifice abire permisit una cum aliis, *videlicet Domino *Michaële de Sanctom...* Vicario Generali pro Dominis Archiepiscopo, & *Matthæo* in *Bononia*. Hisce, & aliis peractis, cœpit de suis Officialibus procurare, & Civitatis *Bononiæ* Conservatorem, se intitulari faciebat; sed certe male conservavit, imo potius consumpsit in substantia, divitiis, & in personis. Habebat namque plures Nepotes, tam fraternos, quam sororios, tam legitimos, quam spurios, qui omnes simul ante prædicta non potuissent emere singulas vestes, & postea se intitulaverunt sicut Dux *Venetiarum*, & sicuti fuissent de stirpe *Guibalenga*. Primus illorum vocabatur *Joannes de Lesia* nepos sororius, quem fecit Potestatem *Bononiæ*, post Dominum *Gassinum de Donatis*, alias pauperrimus, & à dicto Domino *Joanne* primitus factus Connestabilis equestris, mox Potestas, cujus tempore, ut infra dicetur, multa gravia commissa fuerunt. Pater hujus *Joannini de Lesia* semper ligonizaverat, & in sudore vultus sui vescebatur pane suo: Filius se intitulavit, & fuit nuncupatus Dominus *Joannes Capitaneus de Grona:* de Capitaneatu male ostendisset privilegia, sed credo, quod propter vetustatem potuisset allegare, quod mures ipsa comedissent: in potestaria se gessit *Neroniana* humanitate, & inter Consiliarios Domini *Joannis de Olegio* ante exitum fuit major. Alter Nepos sororius dicebatur *Joanninus de Arona*, natus ex *Ricardino* Vicario, tunc vivente, & iterum Vicariam faciente, qui se quoque intitulavit, & appellabatur, Dominus *Joanninus de Arona* Domini *Ricardini*, factusque fuit Capitaneus in *Bononia*, & super stipendiis positus. Alium Nepotem paternum, & legitimum nomine *Francum Vicecomitem* continue (antequam esset vestitus) ebrium, sibi quam maxime confidentem deputavit in custodiam personæ suæ stipatum 60. clientibus electis, & in Domo comedentibus. Habebat alium Nepotem, sed spurium; fratrem ipsius *Franci*, nomine *Oliverium* semper ebrium, & publicum lenonem, qui multa gravia in *Bononia* perpetraverat: nam dicitur; quod plures rustici *Bononienses* reperti fuerunt mortui, & putridi in quintana unius Domus per ipsum occupatæ apud domum Domini *Joannis*, cum à *Bononia* recesserunt. *Rolando* fratri spurio dicti *Oliverii* miserabili, & unum grossum non habenti dedit banderiam unam equestrem, mox brevi hunc *Rolandum*, & prædictos duos *Joanninos de Lesia*, & *de Arona* baltheo militari decoravit: & *Rolandus* post prædicta missus fuit pro Capitaneo gentis equestris per Dominum *Joannem de Olegio* expeditæ ad depopulationem *Vicecomitum Mediolani*, prout fusius infra dicetur. Honoravitque multos de *Novaria*, quos caros habebat, diversisque, & pulchris Officiis decoravit, & præcipue *Luchinum Savium* filium quondam Domini *Lanfranchini*, quem pro suo Cancellario habebat, & cui proditionem aperierat; *Joannem Savium* ejus fratrem, quem primo fecerat Capitaneum dictæ gentis missæ, ut supra, *Novariam*, quia ipse sciebat itinera, cum banderia una equestri, & cum provisione, quando in *Lombardiam*, & *Mediolanum* venit. Utinam prædictus *Joannes Savius* natus non fuisset propter destructionem Civitatis *Novariæ*, & districtus, à quo *Joanne* principium habuit tanta destructio. Honoravitque *Laurentium Savium* eorum fratrem, præponendo eum banco stipendiariorum loco mei Notarii, & cum salario consueto, & Dominum *Joannem de Arona* assumendo in Collateralem ad idem bancum, & *Gaudentio Savio* dedit banderiam aliam equestrem, qui quatuor Fratres *de Saviis* divitias cumularunt, & facti sunt valde opulenti. In hunc modum distributis etiam erga alios officiis in *Bononia*, & districtu cœpit Dominio ipso cum magnanimitate potiri, vitam maximam sicut Imperator ducendo, Amicitias undique acquirendo, & se cum *Ferrariensibus*, *Mutinensibus*, *Regiensibus*, & Ecclesia confœderavit. Durantibus vero prædictis, Dominus *Matthæus* morans Domi quondam Domini Archiepi-

* P. Azarius.

scopi in *Mediolano*, divisus, ut supra, & malam vitam ducens, plures formosas in lecto tenens, etiam de Nobilibus *Mediolani*, personam suam vastavit. Solo vitio luxuriæ fœdabatur, in virtutibus cæteros fratres suos antecellebat, & præsertim in facundia, qua non erat ei similis, nec par inter Magnates *Lombardiæ*: & sic cum mu-
1357 lieribus vacando, vitam explevit, Anno 1357. Ejus igitur bona Magnifici Domini fratres sui inter sese diviserunt: Civitas *Mediolani*, & ejusdem Comitatus una cum Castris unicuique pro medietate obvênit: Castra *Modetiæ*, *Viglevani*, & *Abbiati* habuit Dominus *Galeazius*; Castra *Melegnani*, *Pandini*, & *Vaprii* habuit Dominus *Barnabos*, qui ad Portas *Romanam*, & Novam arces erigi fecit; Civitates, *Laudam*, *Parmam*, & *Bononiam* habuit Barnabos; *Placentiam* autem, & *Bobium* Galeazius. Interea autem Dominus *Carolus* Bohemiæ Rex post Dominum *Ludovicum*, electus fuit ad Coronam Imperialem, multum etiam ad id faciente *Franciscchino Gambacurta* cum parentela, & sequacibus suis, qui Dominium Civitatis *Pisanæ*, & *Lucanæ*, feliciter gubernabat, & maximum cumulum Florenorum ipsi Communi *Pisarum* coacervaverat, ex quo cumulo devênit destructio sua, & suæ potentiæ. Recepit namque ipsum Dominum *Carolum* cum comitiva sua magnifice in Civitate *Pisana*: ibidem ipse Dominus *Carolus* pluribus diebus moratus est, & ad eandem Civitatem rediit post Coronam *Romanam* susceptam, & cum ipso erat Dominus *Joannes* Marchio Montis-Ferrati. *Carolus* dici poterat pauper, multa dispendia tulerat, & multam pecuniam promiserat proceribus *Theutonicis* cum sequentibus, & multum gratiose visus fuit per *Florentinos*, *Senenses*, & alios *Thusculos*, eorum privilegia Imperialia confirmavit, ac ab eis multa enzenia, & multam pecuniam recepit. *Carolus* iste filius fuit Illustrissimi Regis *Bohemiæ*, mortui in quodam conflictu pro Rege *Francorum*, cum quo habebat parentelam, & in quo bello succubuerunt *Francigenæ*, & ipse, & infiniti mortui, Rege *Anglico* victoriam obtinente. Fuit etiam ablaticus Illustrissimi *Henrici* Romanorum Imperatoris, cogitavitque quomodo Thesauros *Gambacurtæ* habere posset, postpositis servitiis, quæ ab eodem susceperat, sed numquam potuit obtinere, nisi per aliam viam. Quoniam *Carolus* restituerat illos *de la Rocca* jam dudum expulsos à Civitate *Pisana*, illisque eorumque adhærentibus multum favere, & *Gambacurtas* cum suis prætermittere. Hæc *Francischinus* ægre ferens animo cogitavit ipsum Imperatorem ab eadem Civitate expellere; nam ipse *Francischinus* cum aliis de Domo sua, & Populo, & cum sequacibus suis potentior erat quolibet *Pisano*, & eo tempore illa Civitas sub maxima felicitate vigebat, sed deinde propter male gesta semper declinavit. Una igitur die communicato Consilio traxerunt *Gambacurtæ* ad rumorem, in quo clamabatur (*vivant Gambacurtæ*) se posuerunt super Pontes Fluminis *Arni* Civitatem intersecantis, volentes Plateam *Arni* insilire cum gentibus pedestribus, & equestribus glomerati. Verum ad resistentiam prosiluit Marchio *Montisferrati* cum gentibus suis, & aliis, ac adeo restitit, ut Imperator armatus cum universa gente sua ab opposita parte, etiam cum restitutis, illam Plateam possederit, interemptis multis ex *Gambacurtis*, & complicibus eorum. Quare *Gambacurtæ* à Pontibus prædictis habuerunt discedere fugiendo, maximam passi occisionem, captis eodem *Francischino*, & pluribus aliis de Domo sua, quos in brevi super Platea Imperator fecit totaliter decapitari, & fugatis ipsorum decapitatorum sequacibus, thesaurum habuit, divisitque inter *Alamannos*

A secum sociatos, & ad partes *Mediolani* pro Corona Ferrea servata in *Modetia* direxit iter suum, dimisso in *Pisis* Vicario suo cum parte appellata *de Raspantis*, cum qua parte usque in præsentem diem Civitatem *Pisarum* tenuit. Coronam ferream nactus est de plano, sed cum maximis expensis per prædictos Dominos *Barnabovem*, & *Galeazium* deductis, quos constituit Vicarios Imperiales *Mediolani*, quo titulo usque in præsentem diem nominatur, prædictumque Dominum Marchionem *Montisferrati* titulo Vicarii Generalis insignivit: Recessit à *Lombardia*, multiplicatis erroribus in *Thuscia*, & *Lombardia*, & post profectio-
B nem ipsius in *Alamanniam* maximi in *Lombardia* errores evenerunt, propter quos, hæc Nobilissima Provincia cœpit crudeliter lacerari, & penitus deleri. Nam Dominus *Joannes* Marchio *Montisferrati* formosus, probus, & astutus, diebus illis per ejus literas diffidavit Dominum *Galeazium*, & missâ in scriptis diffidatione, subito ipsius Domini *Galeazii* Terras invasit, & prædabundus populatus est, & ex tractatu, quem habebat in Civitate *Astensi*, eam Civitatem abstulit, & adhuc eam tenet, sed quomodo abstulerit, audietis. Facta igitur prædicta diffidatione, Dominus *Galeazius* dubitavit de ea Civitate, &
C proinde invitavit in ipsam Dominum *Manfredum de Saluciis* Marchionem non possidentem, quem pro suo Consiliario tunc tenebat, tamen suspicionis murmuratio non cessabat: & tunc *Astam* iterum misit aliam comitivam cum Domino *Ugetto de Isnardis* formoso, & expertissimo, & Cive *Astensi*, qui omnes cum Potestate, & Capitaneo studuerunt eam Civitatem custodire, sed non profuit. Fuerat autem tunc factum in ea Castrum fortissimum, & in parte eminentiori, & in Civitate aliud reclausum circa Castrum, quæ fortalitia Civitatis, & clausura dicebatur, muris quamvis depressis fabricata, & merlata, in qua
D Potestas, Capitaneus, stipendiarii pedites, & equites debebant habitare; Portæ Civitatis erant in fortalitiam redactæ, & præcipue Porta *Sancti Petri* cæteris distantior à fortalitia Civitatis, ut supra, noviter constructa, & concludebatur, habens Turrim excelsam super ipsa, duos Pontes levatiles, interiorem scilicet, & exteriorem, & unus Castellanus cum necessario præsidio eam arcem, & portam custodiebat, quæ porta versus *Montemferratum* spectat, & ab ipsa, vel per ipsam proceditur via recta ad *Montem Calvum* Oppidum magnum, & potens, & proprium Marchionis; & pariformiter aliæ portæ à Castella-
E nis, & aliis stipendiariis valde bene custodiebantur. Sed quis se potest à proditoribus custodire? In ea Civitate publice dicebatur, quod prædictus Marchio exercitum parabat, & ideo Civitas cautius custodiebatur, sed non profuit. Nam uno mane *Rubeus Garrettus* Astensis morans in Burgo (suburbio) *Sancti Petri*, propter aliqua gravia, quæ passus erat ab Officialibus Domini *Mediolani*, Arcem sic ut supra vallatam ingressus cum uno instrumento musicali, & mantellis, seu palliis panni oblongis, cum armis, & gladiis subtus, una cum sex aliis armatis, & dixit Ca-
F stellano compatri suo: *Non vis hodie exire de clathro illo?* erat enim ipsi Castellano favens, nec Castellanus de ipso dubitabat: & tunc Castellanus deposito assere, seu pianca cum cuzella dixit: *Compater, ne discedas, comedemus pistininum.* Respondit proditor: *Bene placet, sed comedemus domi meæ, quia habeo melius vinum; Nequaquam,* ait Castellanus: & sic jocando, & explanato, ac dimisso ponte, & exeunte Castellano super Pontem, ac cæteris aliis dormitantibus ille proditor fingens arcem intrare cum beneplacito Castellani, sicuti consueverat, ipsum Castellanum dejecit è Ponte

Ponte in fossam, ipsumque è fossa reptantem alter graviter vulneravit. Quare illi duo in Arcem ingressi, pontem elevarunt, illius portæ Dominium nacti sunt, occisis duobus ex clientibus, & aliis è Muro dejectis: de præsenti, & subito super Turri fumum fecerunt, quo viso prædictus Marchio propinquus cum suis viribus quam celerrime portam ipsam armatâ manu ingressus est, ambobus arcis pontibus jam vallatis, & ibi multitudo peditum, & equitum cum Marchione intravit: & quia per portam incommodus erat introitus propter moram, & occupationem eorum, qui intraverant, nec audebant per ipsam Civitatem insilire, fregerunt murum Civitatis ab utraque parte ejusdem portæ, ita quod per ea foramina multitudo Inimicorum intrabat pro libito, non obstante, quod multi ex præsidiariis è Turriculâ unâ super muro Civitatis ibidem propinquâ multum resisterent. Et sic Marchio cum suis gentibus procedens irrupit in præsidiarios, qui acriter pugnantes compulerunt ipsum Marchionem retrocedere in conflictu, occidendo multos ex his, qui intraverant. Et certe si civitella (*Cittadella*) prædicta non fuisset, ad quam multitudo stipendiariorum Domini *Mediolani* totis viribus confluebat timens, ne omnes Cives huic tractatui assensissent, male Marchioni successisset: nam tunc omnes stipendiarii cucurissent ad rumorem: sed quia plurima pars bellatorum se continuit intra Civitellam, Marchio iterum viribus reassumptis, & multiplicata multitudine suorum, qui per foramina intraverant, velut Leo rugiens, & animosus ad prosequutionem sui propositi jam concepti, calcaribus equum stimulando, suosque hortationibus accendendo ad certamen, irrupit in stipendiarios Domini *Mediolani*, occidens quotquot reperiebat. Qui stipendiarii tamquam fessi, subsidio carentes, & impetum Marchionis sustinere non valentes retrocessere celeri gradu, & Civitellam intraverunt. Sed Marchio instauratis viribus, & multis ex Civibus sibi faventibus, Plateas acquisivit, & ad Civitellam ipsam appropinquavit. Tunc Dominus *Obicinus Malaspina* de *Villafranca* Potestas *Astensis* erat in ipsa Civitella inclusus, & cum eo præfatus Dominus *Manfredus de Saluciis*, & aliis, qui debiliter se gesserunt, & deserentes Civitatem exierunt à parte superiori. Deinde Marchio cœpit Castrum machinis tormentare, & tapponum (*cuniculum*, *Italis mina*) pro ipso Castro habendo incepit, ubi cum effossum fuisset pluribus diebus, Castellanus, qui *Mediolanensis* erat, valde pertimuit. Dico *Mediolanensis*, quia, sicut dixi supra, de tesseris mercatoriis curaverat, & non de alia bonitate, seu virtute, cœpitque pacta celebrare velle, & autumans Marchionem decipere, semetipsum decepit. Nam unum socium emisit extra Castrum provisendo tapponum ante omnia, ita Marchione annuente valde bene. qui famulus cum foramen intrasset, clausis exitibus, circum circa pergebat, & ad idem redibat, nec rem perpendebat: quare credidit, muros majoris partis Castri ruinoso subjacere periculo, quamvis solus paries versus ingressum effossionem passus esset. Tunc famulus in Castrum regressus nunciavit, quasi omnes muros esse foratos, & positos in rondellis. Quare Castellanus magis, magisque perterritus, quia debilis corde, pactis celebratis, illico abiit è Castro dedito, cum bonis suis. Marchio in brevi post captam Civitatem, universum districtum *Astensem* recuperaverit, solâ fortalitiâ non dimissâ, & continuo occupavit *Albam*, quam possedit, donec de ipsius beneplacito, ut infra dicetur, eam cum *Novaria* restituit Domino *Mediolani*. Nam Dominus *Galeazius* perdidit *Clarascum*, & universas Terras

A *Pedemontis*, nisi solâ *Braydâ* gubernatâ. Quibus peractis idem *Mediolani* Dominus *de Janua*, & ipsius partibus dubitavit. Et participato consilio cum Domino *Barnabove*, miserunt pro *Symonino Buccanigra* olim Duce *Januæ*, & ipsum *Mediolani* retinuerunt pro obside, cœperuntque aliqui errores in *Janua* multiplicare, cum novum non sit, populum semper novum Dominum diligere, & de novo Dominio gratulari, & pro eo murmurabant, sicuti consueverunt; disposuitque Dominus *Symoninus Buccanigra* olim Dux repatriare, & credo per ea, quæ deinde evenerunt, animo rebus suis consulendi: attamen suadebat B Dominos *Mediolani* se amissuros in *Janua* Dominium in absentia sui, quia ipse cognoscebat populares *Januenses*: & in tantum procuraret, si iret, quod *Januenses* à clamoribus, & lamentationibus cessarent, & in tantum de recessu procuravit, & præcipue cum *Joannolo Mondella de Ferro* antedicto suo carissimo, quod licentiatus à *Mediolano* discessit: de cujus discessu nusquam prædictus *Joannolus* caram benevolentiam habuit cum præfatis Dominis *Mediolani*, propter quæ, & alia male eidem *Joannolo* evênit in bonis suis; nam *Symoninus Januam* reversus contrarium procuravit, & studuit, quod in brevi C multiplicato errore Civitas *Januæ* potius traxit ad rumorem: & tunc armata manu populares *Januæ* iterum ipsum constituerunt in Ducem, Potestatem, & Capitaneum, expellendo è districtu Rectores Domini *Mediolani*, & brevi temporis spatio, artificialiter, & potenter quæquumque Castra Dominio *Januensi* subjecta vindicarunt, & unanimes adnitente præfato Duce, sub statu Populari cœperunt regnare, & regnant, confœderatique cum Marchione *Montisferrati* cœperunt unanimiter contra Dominum *Mediolani* procurare. Tunc Dominus *Galeazius* post prædicta (& puto ex desperatione) D discordiam cum *Papiensibus* suscitavit proponens Dominium *Papiæ* habere, & assequi, timens ne culpa ipsorum talia, & graviora processissent. Eam Civitatem, & universum districtum, nemine discrepante, possidebat Domus illorum *de Beccaria*, potens ultra modum, & infinite dives: nec mirum, quia Dominium ipsius Civitatis rexerant annis 43. pro libito voluntatis: quæ Civitas potuit dici felix usque ad dictam diem, & pro eo in tantum erat opulenta, & magnifica, & collocata, quod de difidantia præfati Domini *Galeazii* non curabat, cupiens potius guerram, quam pacem habere cum *Mediolano*: Ideoque E magnificata de discordia curavit totis animis, & nemine discrepante, Domino *Mediolani* resistere, & Dominium suimet ipsius ad cautelam dedit præfato Domino Marchioni *Montisferrati*, qui simul concurrentes facti rebelles resistebant potentiæ præfati Domini *Mediolani*: Et quod gravius fuit, fecerunt in brevi fœdus cum Domino *Joanne de Olegio* possidente *Bononiam*, cum *Ferrariensibus*, *Mutinensibus*, *Mantuanis*, & *Regiensibus*, & simul colligati curaverunt de destructione prædictorum Dominorum *Mediolani*: & pactis valde pulchris celebratis inter sese (nempe quod juxta expensas procederent acquisita) F curaverunt Comitem *Landum* cum sua societate ultra stipendiarios, quos habebant, sub stipendiis eorum traducere ad depopulationem status *Mediolani*. Erat tunc dictus Comes cum cohorte sua in partibus *Thusciæ*, & sic cursitando, cum esset in Valle *Lamoni* districtus *Florentiæ*, vulneratus fuit in Capite, & sic graviter vulneratus se, annuente Domino *Joanne de Olegio*, in *Bononiam* contulit, ubi omni diligentia fuit curatus, multisque donis, servitiis, & humanitatibus fuit oneratus ab eodem Domino *Joanne* illius benevolentiam aucupante, & affectante per ea, quæ exin-

de successerunt. Nam cum dictus Comes convaluisset, prædicti rebelles, & inimici Dominorum *Mediolani* eundem cum sua societate ad stipendia, & ad longum tempus firmaverunt (*conduxerunt*) deinde prædictis publicatis, palam, & nemine audente vetare, cœperunt proficisci versus *Mediolanum*, prævio stabilimento, nempe quod *Mediolani* Civitatem obsiderent, quâ captâ, non esset de reliquis illi adhærentibus curandum. Et tunc cum infinitâ multitudine equitum, & peditum, & omnibus descriptis, & stipendiariis singulorum confœderatorum, particulariter nominatis, & assignatis Capitaneis, è *Bononia* recesserunt, & super agro *Parmensi* pluribus diebus insumptis pacifice, deinde copiis ordinatis super *Placentino*, videlicet in Terris Castri *Arguati* pernoctaverunt: die sequenti prope *Placentiam* à parte superiori transierunt, & tunc dictum fuit, Dominos *Mediolani* velle prope *Placentiam* subire, & accipere pugnam. Nam confœderati planaverunt ibi campum, & alia pararunt ad pugnandum, nemo tamen apparuit. Quis enim tantæ gentis potentiæ resistere potuisset? Die sequenti venerunt prope Castrum *Sancti Joannis*, ibi alacriter pernoctantes; Deinde profecti in *Papiensem* districtum, & prope arenam Domini *Milani de Beccaria*, Padum feliciter superarunt, & vitatâ Papiâ, *Lomellinam* ingressi sunt sine detrimento, vel paucorum, & sic progredientes, & *Ticinum* transeuntes, *Mazentam* Terram Comitatus *Mediolani* carentem fortalitia invaserunt, eamque adeo plenam victualibus, & copia bonorum affluentem invenerunt, ut sperarent perpetuo gaudere. Ibique ceperunt ex improviso domos, viros: mulieres universas, puellas, maritatas, & viduas inverecundi, & pro libito adulterarunt. Ac qui scelestius se agebat, majorem se reputabat. Tot infanda scelera non possunt sine rubore describi. Quid ultra? hisce non contenti alia rura circumstantia pariformiter, & nemine discrepante, vituperaverunt, & spoliarunt, stantibus aliquibus ex ipsis in loco *Vitadoni*: Et sic occupatis, & usurpatis illis locis, cœperunt illic morari, & moram protraxerunt consumando supellectilem, olim inhabitantium, homines pro redemptione cruciando infinitis, variisque tormentis, adeoque ipsos conculcando, ut potius mortem, quam vitam eligerent. Supervênit ibidem à partibus *Papiensibus* Dominus Marchio *Montisferrati* cum 200. barbutis, sperans quod regimen Universi exercitus ipsemet habiturus esset, sed spe frustratus fuit. Nam non est novum, quod *Alamanni*, & venientes in *Lombardiam* occasione stipendii diligunt *Lombardos*, & *Lombardiam*, sed propter Florenos, quos adspirant rapere, & semper rapere tam magni, quam parvi: & pro eo Comes *Landus* in Campo *Mazentæ* noluit ab ullo regi, nec parem pati, & amore divitiarum acquirendarum moram protelabat in partibus *Mazentinis*; spreta instructione data per Dominum *Joannem de Olegio*, ac cæteros confœderatos, quæ tendebat, ut primitus in suburbiis *Mediolani* se ponerent, & quantum prope Civitatem poterant, & ibi bellando permanerent. Et ratio Consilii erat, quia labefactato *Mediolano*, & laceratis Civitatibus, quas tenet in *Lombardia* (hæc namque sine aliquo obstaculo expleri poterant) nemo obstitisset. Ad hujusmodi progrediendi normam Dominus *Jo. de Olegio* induxerat confœderatos allegando antiquum proverbium, scilicet *Mediolanum appensatum, & paratum numquam perdidit*. Marchio prædictus vênit in exercitum cum illis gentibus animo quidem invadendi Burgos *Mediolani*, sed videns, quod neque Comitem *Landum*, neque *Thuscos* poterat trahere è terra *Mazentæ*, ibidem moram producentes, ut rapta venderent, aut quæ vendere non poterant, veluti vina, & blada, insumerent, vidensque quod ipsis non poterat imperare, tamquam sapiens, & moderatus, qualis est, cogitavit se in cassum laboraturum in volendo campum revocare ad disciplinam, & superfluam futuram suam moram: Nam dato quod ipse non esset in campo illo cum gentibus suis, minime dubitabat, quin reliqua gens iret, quo vellet per Comitatum *Mediolani*; & videns, quod isti *Thusci* potius de moneta, quam de honore curabant, cogitavit de persona propria, ne pro pecunia venderetur, quoniam Domini *Mediolani* potius
B de eo, quam de quovis alio *Lombardo* capiendo procurabant. Quibus sapienter perpensis, recessit è Castris cum gentibus suis, & *Joannem Savium* de *Novaria*, quem pridem noverat, cum 200. barbutis secum duxit, inter quas erat *Opicinus Torniellus* naturalis filius, ut supra, quondam Domini *Robaldoni*, ductor unius banderiæ equestris, & multi de *Novaria*. Tunc *Joannes Savius* erat Capitaneus gentis Domini *Jo. de Olegio*, qui ultra turmam habebat suo sumptu in dicto campo barbutas 300. ultra pedites 200. valde strenuos, & armatos. Marchio igitur, & *Joannes Savius* cum 300. barbutis tranarunt *Ticinum*,
C & intraverunt *Romantinum* in districtu *Novariæ*. *Romantinum* est Villa plena, carens fortalitiâ, hominibus tunc 200. habitata, distans à *Novaria* miliaribus quinque: illic pernoctaverunt, nullâ penitus illatâ incolis, eorumve bonis molestiâ. Summo mane insequentis diei surrexerunt, & *Silanegnam* devenerunt; quæ est Terra in extremo *Lomellinæ*, de districtu *Papiensium*, & carens fortalitiâ, ubi aliquantulum equos recrearunt, & convocarunt consilium, in quo *Joannes Savius* loquutus est in hæc verba: *Domine Marchio, quo intenditis ire?* respondit Dominus Marchio: *intendimus ire Papiam, & ibi per aliquot dies perma-*
D *nere.* Tunc Joannes ait: *Ego, & Opicinus Torniellus, qui hic est, non venimus huc causa Tripudii, aut choreas ducendi, sed causa recuperandi nostrum possessum in Novaria, & in districtu per Dominos Mediolani occupatum, & graviora procurandi. Vobis suadeo, ut mihi credatis: eamus Novariam, sicut sumus, ubi multos amicos ego, & Opicinus habemus, fortassis eam habebimus: nil enim dubito, quin Burgos pacifice intremus: Si bene nobis evenerit, gaudebimus, sin autem, spoliabimus, & pro nihilo non revertemur: Scio iter, & ita coopertum, & occultum, quod erimus ad portam Burgi Sancti Agabii, Civibus non perpendentibus: non distamus*
E *miliaribus septem, & via pulchra est, & expedita.* Hisce Marchio annuit, & universi ipsum *Joannem* viâ directâ sunt sequuti. Apud portam *Sancti Agabii* plures bestias in pratis pascentes abegerunt, & cum ad portam accessissent, porta fuit clausa. Tunc *Joannes Savius* præcedens dixit custodi: *Amice, vis me claudere extra portam, ne domum revertar?* Erat enim dictus *Joannes*, & ejus Domus in ipso suburbio antiqua supra 100. annos. Tunc custos (*Mognina* nomine) interrogavit, *an esset Dominus Joannes Savius*: dixit ipse, *Ita*; ad hæc custos: *Parcatis mihi, vos non noveram propter arma*; & hæc dicens Portam ape-
F ruit; Ideo *Joannes* prædictus cum aliis armata manu Burgum *Sancti Agabii* intravit, & progressus ad Portam Civitatis reperit portam ipsam fuisse clausam, illiusve Capitaneum ascendisse, qui cum balistariis *Joannem*, & socios arcebat, & faciebat stare à longe. Quare idem *Joannes* devians à dicta porta, perrexit in Burgum *Sancti Stephani*, & in Burgum *Sancti Gaudentii* intravit per portam versus, & prope Beveratorium dicti Burgi, & subito super pasquario (platea) *Sancti Gaudentii* plurima pars suæ gentis se recepit; quo facto,

facto, unus, qui dicitur fuisse *Guilielmus Ferrarius* Canonicus *Sancti Gaudentii*, ascendit Campanile *Sancti Gaudentii* clamans: *Vivat Marchio Montis-Ferrati*, & sic Civitas cum Burgis tunc traxit ad rumorem. Tum in *Novaria* Capitaneus erat Dominus *Guilielmus de Pontirolo* Mercator: *Curtius Porrus* erat Potestas, & erat stultior projicientibus lapides: ambo taliter se gesserant, quod ad Burgos Civitatis, & ad ipsam Civitatem nullam provisionem defensionis fecerant: imo signanter Burgi *Sancti Agabii*, *Sancti Stephani*, *Sancti Simonis*, & *Sanctæ Mariæ* carebant omnino palancatis, pontibus levatoriis, (*pensilibus*) nec purgata erant fossa, nec aliquid reparatum: illi duo boni Officiales stabant, sicuti pacifice steterant annis 20; nec ad muros Civitatis scalas habebant, nec lapides super muro, nec aliquid provisionis; neque volebant, quod Cives scirent de adventu prædictæ pravæ Societatis, imo dicebant quod nihil erat, quamvis tota Civitas videretur ebullire; Et quod deterius fuit, fecerant in ea & in Burgis publice per præcones proclamare, quod nullus Civis, vel Burgensis deberet trahere ad rumorem, sub pœna amputationis pedis: Et ideo cum prædicti Burgos intrassent, *Curtius* prædictus Cives trahentes, & currentes ad defensionem Civitatis expellebat: Et cum audiret, quod Civitatem intrabant, tunc mandabat, ut homines ingressum prohiberent, sed sero sapiunt *Phryges*. Attamen prædicti Capitaneus, & Potestas sese excusantes dicebant, Dominum *Galeazium*, Dominum nostrum ita mandasse: Quod si res ita se habuit, male fuit provisum; nam si in ipsa Civitate fuissent stipendiarii equites, & pedites, & si Dominus noster non confidebat de Civibus *Novariensibus*, vel si stipendiarii fuissent in quantitate sufficienti ad muros Civitatis tuendos, bene fuisset, sed totum contrarium erat, quod fortasse accidit, aut propter juventutem Domini *Galeazii*, aut propter politicam ipsius Aulam, aut propter peccata nostra, quæ nondum erant purgata, nam tunc *Novaria* sub pacis tranquillitate in divitiis, & statu alias *Lombardiæ* Civitates excedebat. Annis retroactis pacificis magnam quantitatem stipendiariorum, equitum, & peditum habebamus in Civitate, propter abundantiam victualium: unusquisque propterea stipendiarius ibi stare procurabat: Et ea hora duæ solummodo bandariæ equitum erant, quarum una recenter venerat causâ refectionis, & ejus Capitaneus erat *Joannes Passapons* de *Mutina*, qui introitu Civitatis *Albæ* noviter, ut supra, occupatæ captus fuerat, & spoliatus, & qui sub banderia equos fortasse 12. habebat: aderant & tres banderiæ Balistariorum, & peditum causâ præsidii: sed hi stipendiarii nihil potuerunt facere; propterea hostes scalis ad muros Civitatis admotis ascenderunt à tribus partibus, nimirum prope Burgum *Sancti Gaudentii*, ubi dicitur ad *Casteneam de Casellis*, & ibi in suburbanis muris est molendinum *Carlorum* habens pontem super rivo Civitatem circumdante, & in ipsa parte scalis ad muros erectis multi sine prælio conscenderunt, deinde iisdem scalis in oppositum Ecclesiæ Sancti Dionysii, *Opicinus Torniellus* (cupiens reverti Domum, quâ expulsus erat), intravit cum sua societate, & reliquis aliis, & descendit ab ipsa Ecclesia, quæ contigua erat ipsi muro. *Joannes Savius* prope portam *Sancti Agabii* scalis erectis Civitatem ingressus est, dimisso intra Burgos Marchione cum reliquis; sed quis intrasset præter pridem expulsos, qui sciebant, ubi murus est depressus, & neminem obstiturum? itaque *Savius*, & *Torniellus* ingressi Civitatem, junctis viribus, nullo sive forasterio, sive Cive, impetum faciente, impa-

A vidi, & impigri ad portam *Sancti Agabii* se reduxerunt, ubi turenum intus, & Marchio extra expugnabant. Dubitavitque, & imo veritus est portæ Capitaneus, quia *Mediolanensis*, & ideo subito de tesseris suis tractavit, & pactis celebratis, sospes recessit cum rebus suis, & familiâ, portam dedit, & in Castrum *Novariæ* se reduxit, in quod prædictus *Guilelmus de Pontirolo* in *Zoccolis*, & armatus thorace, nec non dictus *Curtius Porrus* Potestas confugerant. Hisce in rebus nemo Civium se immiscuit, etiam ex causa præcedente, scilicet, quia præfatus Magnificus Dominus noster Galeazius *Romagnolum Torniellum*,

B *Ottonem Leonardum*, *Lanfrancum Boliottum*, *Franciscum Tettonem* militem, *Cavallonum Caballarium*, *Franciſchinum de Rozato*, *Guilielmum Varronum*, *Botium de Gatego*, & alios, quos in *Novaria* potentiores credebat, jam præcedentibus narratis, in obsides detinebat *Mediolani*, & male: Nam si *Novariæ* fuissent, aliâ viâ processissent negotia, & aliter quam processerunt: sed culpa fuit tantum *Novariensium*, & non aliorum, ut voluerunt *Mediolanenses* dicere: Ex qua notam proditionis ipsis assignaverunt contra veritatem. Quibus, & quidem male, in Civitate peractis, Marchio antedictus per portam *Sancti Agabii* 1354. 1354

C intravit sine aliquo homicidio, aut violentiâ alicui illatâ, & Dominium ipsius Civitatis cœpit occupare. Elapsis paucis diebus accersivit è *Pisis* illum Vicarium Imperatorium, qui veniens *Novariam*, & super Palatio, & nomine Imperiali Dominium dictæ Civitatis in conspectu Populi assignavit dicto Marchioni, & una cum ea tradidit universum districtum exceptis Terris Episcopatus. Eo generali, & privato consilio finito, Dominus Marchio Vicarius Imperialis cœpit Dominio ipsius Civitatis universæ acquisitæ, seu mavis interceptæ, potiri. Cum eodem Domino Marchione intraverant multi *de Galliato*, & *Trecato*, qui sese dederant eâ nocte, quâ steterat in *Romantino*, verentes, ne populationem paterentur. Civitas, utpote carens regimine, im-

D pleta est latronibus, & malevolis dictarum Terrarum, cogitantibus facere Saccomannum, & una cum aliis dudum expulsis à *Novaria*, & sub stipendio *Bononiæ* scriptis, omnes unanimes sub Palatio coëuntes combusserunt, & in puteum Palatii projecerunt scrinia Notariorum ibi existentia, exportarunt privilegia dictæ Civitatis cum antiquissimis documentis acquisitionum per eam factarum, & veternosa monimenta ad cautelam conservata laceraverunt, & condemnationes hujusmodi sollemnitate circumscripserunt, & revocarunt. Quod scelus unicâ horâ patratum nefandius fuit alio quovis. Cum autem antea innotuisset, eam societatem esse in *Mazenta*, prædi-

E cti Potestas, & Capitaneus multos ex Nobilioribus Civibus, de quibus dubitabant, posuerant in Castrum, videlicet *Jacobum Torniellum* fratrem quondam ipsius Domini *Robaldoni* prædicti, *Philipponum Torniellum* filium quondam Domini *Joannis* agnomento *Guercii*, & alios cum *Abramo*, qui cæteros Carpentareos in arte muraria, & lignaria excedebat, quoniam dicti Potestas, & Capitaneus habuerant provisionem ad minima, non autem ad majora. Hostes itaque cœperunt Ca-

F strum expugnare: Vallum primò exterius, dusque fossas cavarunt, & munierunt palancato, & baltreschis, ne deinceps subsidium ad Castrum accederet: Fulcierunt Ecclesiam *Sancti Lucæ* Fratrum Minorum sitam in oppositum Castri, habilem capere magnam multitudinem, tuto in ea permansuram: Machinis extensis duabus cœperunt Castrum verberare, & ex adverso respondebat machina ad destructionem Civitatis intus posita. Et certe dici potuit, quod Castellanus ille in

in virtutibus non fuit *Mediolanensis* (omnis enim regula patitur exceptionem,) attamen propter infra dicenda male ei evênit. Aggressores videntes prædicta non valere, cœperunt ponere in Civitate Tapponum valde occultum pro ipso Castro obtinendo, & quamvis aliquando per contrariam Cavaturam ipsis Tapponatoribus male successisset, nihilominus Castrum, seu Domignonum super rondellis posuerunt, frustra contendentibus obsessis. Hæc videns Castellanus scripsit præfato Domino *Galeazio*, quod nisi subveniret, & suppetias afferret, Castrum amplius tenere non valebat: Et certe in remediis promptus, & virtuosus extiterat. Tempore autem gravi, & hiemali Dominus *Galeazius* destinavit in subsidium 300. barbutas, & ultra, quæ tamen fatue venerunt usque prope Burgum *Sanctæ Mariæ*. Fatue, dixi, quia si ducenti erupissent armatâ manu in Burgum, nulla illis subsidiariis spes fuisset redeundi, tum quia fessi erant, tum propter malum iter, tum quia non habebant, nec poterant nisi in extremis partibus se reducere; quare servando præceptum eis datum contenti fuerunt ad propria remeare, & se reduxerunt ad Terram *Galliatum*, quam Dominus *Mediolani* cœperat munire pro repagulo Civitatis *Novariæ*, & à qua Terra multa mala processerunt, ut inferius patebit, & etiam bona per præfatum Dominum *Mediolani*. Celebrato igitur accordio, Castro solemniter dato, dimissis in pace prædictis in eo detentis, quibus permissum fuit pergere quo voluerunt, nullâ violentiâ eis illatâ, prædictus Castellanus abiit. Qualiter autem prædictis, & *Novariensibus* evenerit, infra dicetur; sed breviter dici potest, quod omnibus ipsis male successit. Dum autem dicta societas esset in *Mazenta*, captâque exinde *Novariâ*, ac fere universo ejus districtu, unâ die hostes perrexerunt Burgum *Castanum* expugnare, quod situm est in Comitatu *Mediolani*, valde forti palancato munitum, & fossam, sed siccam, habens, inhabitatum ab 800. hominibus ad bellandum, plenum divite populo, & victualibus affluens. Erant in ea Terra plures banderiæ equitum, peditum, & Balistariorum pro ipsius defensione, de gentibus Domini *Mediolani*, & una die inceptâ pugnâ per Societatem, & alios ibi existentes circum circa, per violentiam in Terram intraverunt. Horret animus narrare turpia, & nefanda, quæ patrarunt; Masculos, & fœminas è captivitate non dimiserunt nisi post redemptionem factam: Terram adeo nudaverunt bonis mobilibus, ut naves *Papienses* per flumen *Ticini* continuo navigarent ea asportando *Papiam*, quæ de dictis prædis, & populationibus facta est locuples. Ibi morati sunt isti latrones tamdiu, quamdiu facta est captivorum redemptio, & destruxerint vina, & blada illius districtus. Ingruente hieme, cogitavit Comes *Landus* deserere loca Comitatus *Mediolani*, quæ vel ipse usurpaverat, vel gens *Mediolani* combusserat, ne ulterius victualia ibidem reperirentur. Universi autem curabant recipi in *Novariam* ad hibernandum. Prædicta commiserat dictus Comes ad cautelam, scilicet primo quia voluit assequi stipendium sequentis firmæ, quod cum maximis difficultatibus obtinuit. Secundo, quia cogitavit interea diripere per directum, vel indirectum districtum *Novariæ*, quem audiebat valde divitem. Soli Comiti, & aliquibus ex suis Caporalibus permissum fuit hibernare in Burgis *Novariæ*, & præcipue in illo *Sancti Agabii*, scilicet in hospitio illorum *de Damianis*, valde fulcito, & hospitio illorum *de Fulchino*, ibidem in oppositum. Nullam in eo hieme guerram fecit Dominis *Mediolani*, sed plures Villas *Novarienses* sibi de tributis non respondentes excoriavit

A directe, vel indirecte, & signanter *Sanctum Petrum*, & *Moxitium*, quarum homines ab ejus societate fuerunt interempti, non audente eodem Comite tam male gesta improbare, nec populationes prohibere. Tam improbe, tantaque barbarie se gesserat illa societas, quod dictum Burgum *Sancti Agabii*, cum esset recessura, saccomannavit, & Civitatem ingredi tentavit pluries: sed ad evitandum Saccomannum, prævaluit Dominus *Azo de Corrigio*, qui tunc continue ad custodiam, una cum Civibus stetit excubantibus. Interea eo hieme continuam guerram con- B tra Civitatem *Vercellarum* fecerunt multa damna, vastationes, & usurpationes inferendo, præsertim, quia dictus Marchio possidebat Castrum *Casalis Gualoni*, & Castrum *Bulgari*, quæ uti ipsi Civitati propinqua guerram *Novariensibus* faciebant; quibus postea duabus Terris præfatus Dominus *Galeazius* retribuit juxta merita cum dictasmet Terras finaliter subverterit. Arcem *Casalis Gualoni* cum Turri inter *Lombardicas* pulchriori, & Turrim *Bulgari* cum Castri fortalitiâ explanaverit. Pons ligneus existens super flumine *Sesite* portensus per medium miliare, partim per Marchionem fuit combustus, & re- C liquus in Civitatem per *Vercellenses* fuit importatus. Et interim Domini *Mediolani* multa subsidia tam à *Verona*, quam ab amicis aliarum Civitatum acquisiverunt, & acceptis multis, & quasi infinitis equitibus, & peditibus ad stipendium, qui strenue se gesserunt, & ita reparatis viribus in Campum comparuerunt. Cum ergo post hiemem dictus Comes *Landus* recessisset è *Novaria*, universus confœderatorum exercitus iterum insêdit in *Mazenta*, unde recesserat, ut supra, & in partibus adjacentibus reliquias consumpturus: sed videns sibi deesse rapinas, cœpit in Terris *Balzanæ* versus *Papiam* insilire omnia D crudelissime populando. Cum autem proficisceretur *Casoratum* situm in confinibus *Papiæ*, & *Mediolani*, gens Domini *Mediolani* occurrens tantæ devastationi, *Casoratum* præoccupavit, & quidem prudenter. Ex eâ igitur Terrâ, in quam flos Juventutis *Mediolani*, & *Lombardiæ* confluxerat, exire cœpit exercitus Domini *Mediolani* paratus ad bellandum: Pedites in utroque latere viæ locati sunt inter vineas, quarum impedimentis tutari non poterant ab equitatu inimicorum invadi: Equites in via steterunt adeo conferti, & glomerati, quod nullus intra ipsos occasione alicujus damnificationis potuisset intrare. Et ec- E ce comparuit Comes *Landus*, qui de prædictis dedignatus, aciebus suis in aperto ordinatis, & alia explanatione non facta, noluit deviare, & si deviasset, & exercitum *Mediolani* traxisset in loca expedita, male prædictis *Mediolani* evenisset. Sed Deus, qui justas ulciscitur iras, volens de tot latronibus facere in aliquibus vindictam, fecit, quod acies Comitis in primam *Mediolanensium* aciem in via firmatam, forte ex 20. militibus constitutam irrueret, non expectatis suis peditibus, quoniam Comes nihili *Mediolanenses* illos æstimabat. Verum prædicti pedites inter vineas positi plurimam partem equorum Comitis interfe- F cerunt, & ita occisis equis, gentes ejusdem Comitis, etiam mala armatæ cœperunt lacerari, & confundi, occidi, & ut plurimum capi. Primis igitur hostium copiis fractis, *Mediolanenses* in Campum liberum prodierunt, & secundam aciem ex debilioribus plerumque ex Saccomannis constitutam viriliter dimicando laniaverunt, quâ deletâ, reliqui fugerunt versus *Papiam*, una cum eorum Comite *Lando* calcaria fatigante. Mutua equorum 500. cædes in modico Campo edita est, quorum ossa vidi, & diutius apparebunt. Captus fuit ille Vicarius Imperatorius, qui

qui erat dignitate Episcopus, & a *Novaria* recedebat, cum prædictum Marchionem, ut supra narravi, posuisset nomine Imperatoris in actualem possessionem *Novariæ*, & qui nusquam apparuit, imo dimissus recessit ad suas partes *Alemanniæ*. Captusque fuerat in fugâ Dominus *Dondaxius Malvicinus* de *Placentia*, inimicus excellens, alias Dominorum *Mediolani* Consiliarius, tunc ex Consiliariis D. *Aldovrandini*, & qui in damna Dominorum *Mediolani* perseverabat consilio, & opere ultra posse: sed cum ita fugiens incidisset in manus unius *Theutonici* Caporalis banderiæ, factis ei promissionibus (quia facundissimus erat, & loquentissimus) eumdem *Theutonicum* pellexit ad desertionem, & una simul fugerunt: qui *Theutonicus* noluit eum inter spolia, & captivos præsentare, & ideo nunc optime honoratur. Captus etiam fuit *Malcazzatus* Generalis Capitaneus Marchionis *Montisferrati*: capti ex equitibus ultra 100. præter alias notabiles personas. Comes itaque cum se recepisset in *Papiam*, dimissis in suburbiis reliquis, qui evaserant, quibus ingressus in Civitatem non fuit permissus, societatem suam instauravit, sic annuentibus confœderatis. Hinc fœderati cœperunt in singulis eorum Civitatibus nova stipendia subito scribere, & majorem exercitum parare, quem tradiderunt Domino *Ugolino de Gonzaga* ex Dominis de *Mantua*, quem unanimes Capitaneum elegerunt, & ad conservationem acquisitorum transmiserunt cum gentibus in *Papiam*, habito itinere per partes *Januæ*. Quare *Ugolinus*, & Comes *Landus*, cujus societas fuerat aliqualiter reintegrata, junctis viribus, & uniti profecti sunt in Comitatum *Mediolani*, & rursus *Castanum* licet reparatum, & munitum expugnarunt, & Comitatum *Mediolani* laceraverunt. Sed *Ugolinus*, renovata ei quæstione a Comite *Lando*, qua Marchio, ut supra, agebatur in *Mazenta*, coacto consilio cum ipso Marchione, cogitavit partes circa *Ticinum* versus *Novariam* per Dominos *Mediolani* possessas invadere, ac destinarunt capere *Galliatum* positum in fortalitiam, & caute, & ultra modum custoditum, quia Terra cum gentibus Domini *Mediolani* erat stimulus Civitati *Novariæ*, & districtui: verum Comes *Landus* non est assentitus, nec terram voluit oppugnare, licet fingeret, se facturum. Demum dimisso in terra *Castini* valido præsidio equitum, & peditum, universus exercitus rediit in districtum *Novariæ*, in villis *Belinzaghi*, & *Momi* insedit: sequenti die profectus ultra *Sesitem* in districtum *Vercellarum* cepit violenter *Gattinariam*, & saccomannavit, deinde *Astorium* cum Castro, & infinitas alias villas districtus *Vercellarum* prædatus concremavit: mox *Cabaliatum* cepit, & auctis Marchioni viribus per adventum 800. balistariorum, curavit toto posse Terram *Sanctæ Agathæ* Metropolim Terrarum ad Dominos *Mediolani* spectantium in eo districtu expugnare: sed cum dictus Comes non curaret de oppugnatione illius Terræ, quamvis fossam (siccam tamen) habentis, inordinatæ, & debili, & antiquo munitæ palançato, sed valido præsidio firmatæ, e balistariis, & equitibus per Dominum *Ugolinum* circumdatæ, cessatum est a pugna; quâ obsidione solutâ, prædicta Terra fuit in duplum fortificata, & fœderatorum gentes *Palatium*, *Veuronum*, *Piveronum*, & alia loca super eo lacu, & super pendicibus *Calamacii* populatæ sunt, & combusserunt, mox in locis *Liburni*, *Bianzati* Marchionis *Carpaneti*, & *Pioræ Vercellensium* posuere castra mense Novembris, & ibi steterunt loquendo sæpius super Campis cum Domino *Petro Fasolino* Cancellario, & *Pio de Lomeno* Ambasiatoribus Domini *Mediolani*, agentibus de concordio cum ipsis Dominis Marchione, & *Ugolino*: at quia nil hostile fiebat, & Terræ *Liburni*,

A & *Bianzati* jam fuerant evacuatæ sine aliâ guerrâ, Marchio recessit ad Terram *Ziliani* spectantem ad Episcopum *Vercellarum*, & omnes cum eo illuc perrexerunt viâ rectâ, ubi captis universis bonis, omnia reperta destruxerunt: mox eversis locis illic adhærentibus, ceperunt *Desanam* Terram fortem, ubi in hybernis steterunt, omnia devastantes. Deinde flumine *Sesite* trajecto, venerunt in Terras *Candiæ*, & *Villatæ* districtus *Papiensis*, & prope *Vercellas* sitas, quæ se tenebant pro Domino *Mediolani*, & ibi omnia devorarunt. Deinde *Papiam* reversi sperantes, seu meditantes Comitatum *Mediolani* denuo invadere, conquieverunt.

B Nam Magnificus Dominus *Barnabos* tunc *Mantuam* premebat, habueratque Terram *Burgifortis*, Faralium vero *Mantuæ* valde, & graviter, & cum maximâ militum, & equitum quantitate infestabat. Hisce auditis, visâque concordiâ Comitis *Landi*, cui Domini *Mediolani* dederant potum, Dominus *Ugolinus* cogitavit de rebus suis, præsertim cum videret, quod omnia communiter acquisita, veluti *Novaria*, non possidebantur communiter, sed per solum Marchionem, videretque quod ab eodem Marchione nullam poterat pecuniam trahere: Præsidiarios revocarunt e *Castano*, nempe 20. banderias equestres, & 24. pedestres, & balistariorum, quas ibi-

C dem pro loci defensione, & Comitatus *Mediolani* infestatione dimiserant, ut supra, & quas Dominus *Galeazius* obsederat, dum fœderati prædabundi vagabantur per agrum *Vercellensem*. Nam dictus Dominus *Galeazius* unâ die misit Dominum Marchionem *Franciscum Estensem* de *Ferraria*, ut supra, pulsum, quem tunc habebat pro Capitaneo Generali, & posuerat in partibus *Gallarati*, & *Lonati*, pro occupando præsidiarios *Castani*, misit, inquam, cum maximâ equitum, peditum, & barbutarum comitivâ, cum instrumentis bellicis, uncinis ferreis, mantellis, gattis, scalis, & infinito lignamine ad obsidionem *Ca-*

D *stani* recuperandi, soluto etiam duplici stipendio anticipato pro integro mense, ut milites ardentiores essent in obtentu. Terrâ tot gentibus, tantoque apparatu circumdatâ, præsidiarii timuerunt valde, verentes tanquam debiles habere fidem in loco, & procul dubio abiissent. Verum arrectis animis cogitaverunt de defensione, & omnes tam equites, quam pedites, & eorum balistarii, una cum faldis, & manipularibus, ac alis *Papiensium* suorum fuerunt circa Terram distributi: faldas ad Palancatum erectas posuerunt, locarunt super plateâ Communis duas electorum banderias aptas ad succurrendum, ubi major es-

E set infestatio. Summo mane obsessores aggressionem fecerunt, & projectis lignis in circhis in pluribus partibus, refossum subito transierunt, & fossatum siccum penetrantes, ad palancatum cum uncinis ferreis accesserunt, illudque pluribus in locis lacerarunt; sed defensores opposuerunt subito faldas *Papienses*, & inter faldas se miscebant stipendiarii equites cum lanceis, & targhettis, prohibentes ascensum, & alii male armati subsequentes projiciebant lapides infinitos, & aquam calidam. Hujusmodi conflictus usque ad meridiem in multis partibus duravit, nec propterea aggressores potuerunt intrare, quamvis

F in decuplum fuissent: Quare Marchio *Franciscus* revocavit suos ab aggressione, nec amplius ad pugnandum rediit, sed quotquot ex obsessis (sive forent stipendiarii, sive non) cepisset, ad arbores suspendi faciebat, & unâ die 32. suspendi fecit; quare nemo e *Castano* exire audebat pro saccomanno faciendo. Præterea Marchio *Montisferrati* cum per districtum *Vercellarum*, ut supra, cursitaret, tenebat confinatos in *Asta* eos *Novarienses*, quos habebat suspectos, signanter *Torniellos*, quos sciebat esse antiquos amicos *Viceco-*

*mitum*, nempe *Joannem Torniellum de Burgo*, *Ubertinum Torniellum*, quondam Domini Lanfranchi de Sancto Mapheo, *Joannem Cacciam* Domini Galvanei, *Benedictum Cacciam*, Domini Roglerii amicos Torniellorum, *Nicolinum Torniellum* Domini Romangnoli, Dominum *Guilelmum de Rozate* Jurisperitum, *Antonium Torniellum*, quondam Domini Robaldoni, ac tenens ibidem pulchro modo *Opicinum Torniellum*, fratrem dicti *Antonii*, pro *Astensi* Potestate ad cautelam, quem tempore illo ad reditum destinato licentiavit, & me Notarium pro Collaterali existentem, & ad cautelam datum de consilio *Joannis Savii*, nam officia, ut dixi, habueram *Bononiæ* pro Dominis *Mediolani*, neque Domini *Joannis de Olegio* amicus eram in aliquo propter enormia, quæ committebat, & quæ nusquam fuere in aliquo de *Novaria*. Jam Ego post discessum a *Bononia* me contuleram in Burgo *Maynerium*, & ibi cum universa familia habitabam, ubi per litteras mihi jam missas ex parte Domini *Galeazii*, tenoris, ut terram *Invorium* peterem ad loquendum Domino *Petro* Cancellario Domini *Antonii* Potestatis Astensis (*non Opicini*) creati ad consilium Domini *Joannis Savii*, ut Civitas *Novariæ* ipso careret, irem *Astam* pro Collaterali. Etiam idem *Joannes Savius* ducebat secum ad prædicta contra voluntatem ipsorum *Joanninum Torniellum* de Parma, *Joanninum Torniellum* de Vignarello, *Piccarugam de Fissarengo*, *Panepolum Cacciam*, *Nigrum Boliottum*, *Maginum de Martio*, *Nicolinum de Cantono*, *Olreghinum Grittam*, & alios, quos reputabat potentes, & amicos *Torniellorum*, & Domini *Galeazii*, quos secum tunc tenuit in *Papia*, ubi aliquam moram traxit. Recesserunt ergo a *Papia* Domini Comes *Landus*, & *Ugolinus* cum universo fœderatorum exercitu, ad villam *Lanterii* accesserunt, ibi pernoctarunt, flumen *Lambrum* Comitatus *Mediolani* trajecerunt; *Laudensem* agrum intrarunt, flumen *Abduam* transiverunt, districtum *Cremonensem* intrarunt, & deinde dictis ordinatis super campis *Brixiæ* celerrime insilierunt vastabundi, omnia in itinere diripientes, & super planitiem *Montisclari* pervenerunt, & ibi castramentati sunt, & de bello suscipiendo habuerunt consilium. Erat tunc Dominus *Jo*: *de Besocero* Generalis Capitaneus gentium Domini *Barnabovis Vicecomitis*, & cum gentibus illis partes *Mantuæ* multum, ut est dictum, afflixerat, & *Burgum fortem*, quamvis proditione habuerat, ac jussu Domini *Barnabovis* habuit pugnam cum inimicis accipere, quamvis virtute, & potentia non minoribus, & cum de pugna ineunda tractaret, præfati Domini Comes *Landus*, & *Ugolinus* Castra ipsius invaserunt: sed a valide resistente *Besocero* fuerunt oppressi, & fere coacti dare terga, nam gens Domini *Barnabovis* erat bene armata, & acerrima in pugnando, attamen incauta, cum illa non esset hora belli: non omnis militia interfuit dimicationi, quamvis valida facta fuisset resistentia, ideo male evenit. Igitur post primum impetum feliciter rejectum, prima acies fuit pessime lacessita, disgregata, & in cuneos separata, ac deleta, nil juvante sociorum continuo subsidio. Comes ergo, & *Ugolinus* campo, & victoria potiti, maximam ediderunt stragem, capto *Joanne Besocero*, una cum *Joanne* ejus nepote, juvene valde strenuo, filii quondam Domini *Paganini*. Et quia iste *Paganinus* tempore Domini *Luchini Vicecomitis* tamquam superbus multa gravia in partibus *Pedemontium* commiserat in multos stipendiarios *Theutonicos*, eosdem cassando, gravando, & depauperando, ideo filius suus per *Theutonicum* societatis fuit ad unam arborem capistro suspensus. Hanc victoriam nacti Comes *Landus*, & *Ugolinus* magno gaudio, & cum Captivis *Mantuam* remearunt. *Landus* Bononiam profectus magno per *Joannem de Olegio* exceptus est gaudio, ubi cum sua societate, quam parumper reintegravit, stetit in hybernis, & aliquanto ex post. Fingens deinde ad Marchionem *Montisferrati* redire, allectus provisionibus, & ditiori stipendio se cum Domino *Galeazio* firmavit ad tempus, nec ab eo recessit usque in præsentem diem. Perpenderat enim ipse, quod Confœderati resiliebant a Marchione, cum ab eo nil nisi versa habere possent, neque acquisitis communiter, potiri possent communiter; Nam Marchio Civitatibus, & locis acquisitis ipse solus gaudebat, & de ipsis se intitulavit: de derobationibus, & spoliis, & tributis ipse solus fruebatur cum suis avarissimis *Monferratinis* pediculorum decoriatoribus, cæteri autem nempe *Mantuani*, *Bononienses*, & *Ferrarienses* depauperabantur, quia continuo habebant colligere Florenos, & mittere *Januam* pro stipendiis solvendis, qui Floreni in terris Marchionis dimittebantur, & nullus ex eis ad prædictas Civitates redibat. Et ideo unusquisque ex illis tribus Dominis prædictarum trium Civitatum procuravit de concordio cum Domino *Mediolani*, & præcipue cum Domino *Barnabove*. Primus ex ipsis fuit Dominus *Ugolinus*, qui proinde e *Mantua* expulit Dominum *Feltrinum*, qui ita pulsus Civitatem *Regii* intravit, eamque usque in præsentem diem male, & pauperrime detinet occupatam, ex qua occupatione Dominus *Ugolinus* factus est inimicus dicti Domini *Feltrini* Patrui sui. In eo accordio Dominus *Ugolinus* se confœderavit cum Domino *Barnabove*, & sic confœderatus stetit usque ad mensem Octobris Anni præsentis 1362. quo a fratre suo fuit *Mantuæ* interfectus, qui frater Dominium inde illius Civitatis cepit, ut infra dicetur. Et vice versâ in eodem accordio Dominus *Barnabos* restituit Domino *Ugolino* Terram *Burgifortis*, eique in uxorem dedit unicam filiam Domini *Matthæi Vicecomitis* fratris sui, quamquam ortam ex filia unius Germani dicti Domini sponsi, & affinem, libentissime id Papâ dispensante, ipsumque Dominum *Ugolinum* Dominus *Barnabos* in carum amicum semper tenuit. Curavit etiam Dominus *Joannes de Olegio* pacem cum Domino *Barnabove* habere, & habuit, accepitque ab eo Potestatem in *Bononia*, etiam sub aliis pactis, de quibus inferius scribam. Dominus autem *Ferrariæ* habuit cum Domino *Barnabove* treguam; quare in illis partibus scandala steterunt sopita: sed brevi exorta est favilla, quæ maximum incendium excitavit. Remansit ergo Marchio *Montisferrati* solummodo cum *Januensibus*, *Papiensibus*, *Thoma Malaspina de Cremolino*, & aliis debilibus Marchionibus cum eo fœderatis, & cum Dominio Civitatis *Novariæ*, & districtus, de quâ, ejusve destructione, & fundatione est tractandum; præsertim quia Ego Notarius sum *Novariensis*. Novaria Civitas brevis (*parva*) super colle constructa, planitie circumdata, Australi parte *Lombardiæ* confinata Terris Comitatus *Sabaudiæ*, & *Alemannis* trans *Alpes* includentes *Lombardiam*, fertilis, & amœna valde, vino, & aquis multum copiosa, dicta fuit *Novaria*, quasi *Nova*, & *Varia*, & scio quod de illa scribunt Marcus Porcius Cato *de Originibus*, *Annales* Taciti, *Naturalis* Plinii *Historia*, Suetonius Tranquillus *de Claris Rhetoribus*, Seneca in *Controversiis*, Quintilianus in *Institut.* Eusebius in *Chronicis*, Plutarchus in *Marco Bruto*, Ptolemæi *Tabulæ*, & *Sanctorum Novariensium Vitæ*; a majoribus meis, qui scripturas antiquas legerant, audivi hanc urbem sub initium Aristocratico (*populari*) Imperio sub Consulibus paruisse: frustra dein per Primores intentatam Democratiam: *Barbavarium* quemdam, *Martinum* agnomento, *Cavalcasellam*, & *Crollamontem* (omnes e nobili gente *de Castello*) post multa sæcula olim dominatos in Valla *Sesite*, in Valle *Oscela*, in *Riparia*, in *Velte-*

*Velcemenia*, & ad plagas *Verbani* Lacus: Consules a *Barbavario* inter principes Cives cooptato acquisivisse *Palanziam*, *Intrum*, Vallem *Intrascam*, *Strefiam*, *Oscelam* cum Vallibus adjacentibus, *Gravaronam*, *Guilengum*, *Maranum*, aliosque pagos: A Martino Cavalcasella *Velcemeniam*, *Crosinallum*, Plebanatum *Eumeniæ*, Vallem *Stronam*, Montem *Mesinæ* cum pertinentibus, *Gatticum* cum pertinentibus, *Agratum* cum Plebe, *Agamium* cum pertinentibus: A Marchionibus Romagnani, *Romagnanum*, *Pratum*, *Soramontem*, *Griguascum*, *Aram* aliosque vicos *Sesitanos* sese *Novariæ* sub pactionibus dedisse, postquam universam gentem Comitum *de Blandrato* primorum Civium tyrannidem, & stupra in eos exercentium delevissent, eorumque firmissima oppida *Blandratum*, *Venzonum*, & *Robiallum* funditus evertissent: *Ubertum Torniellum* plurimum *Novariensi* Populo ditionem ampliasse: Jus olim sub porticu *Paradisi* dictum: *Franciscum Landum* Prætorem Prætorias ædes condidisse: Templum majus a quodam nobili viro *Gallo* peregrino extructum, sed nobis est proditum, e profano Idolorum, seu Mausoleorum sepulcrorumve delubro in Deiparæ cultum conversum. Hoc Templum primo a Fratribus fuisse cultum, eisque subrogatos duos, & triginta Canonicos: Consules Episcopo in dotem tradidisse possessiones, quas de præsenti possidet in *Barazia Paglyna*, paucas in *Vespolato*, honores Comitatus *Pombiæ*, quædam prædia in *Romantino*, universas Decimas, & primitias districtus acquisiti, & acquirendi: Episcopum ex prædicti *Crollamontis* sine prole morientis testamento acquisivisse *Oscelanum*, & *Ripariam*, quas sic, ut supra, restitutas possidet pacifice. Ideoque ipsum a Comitatu *Oscelæ* insigniri Comitis titulo: ortam inter *Torniellos*, & *Brusatos* contentionem de paritate: *Torniellos* succubuisse, eorum ædes, Turrimque ad *Sanctum Matthæum* eversam, animos sumpsisse, juvante Episcopo *Englesio Caballaccio* ipsis affinitate juncto: iterum a *Brusatis* cæde petitos: Hinc exortas partes Rotundorum *Gibellinam* in *Torniellis*, & Sanguineorum *Guelpham* in *Brusatis*. Hæc inter dissidia pars *Caballatiorum* multum crevit propter potentiam duorum Episcoporum cognomine *de Caballatiis*, videlicet *Englesii*, & *Sigembaldi*, qui sapienter, & dispensate se gerentes addiderunt plures domos nobiles de *Novaria* suæ Domui, eadem insignia portantes, videlicet Caballum. Nomina additorum fuerunt hæc: *Magii*, *Panes*, *Armotti*, *Boliotti*, Domini *de Casalino*, *Lamberti*, & reliqui: dederunt prædicti duo Episcopi Nobilibus in universo districtu *Novariæ* in locis, sicut habitabant, decimas ad feudum gentile sine aliqua solutione, & universam partem *Guelpham*, sicuti *Spelorcios*, *Marrionos* in *Oscela*, & Valle *Sesite* habuerunt, salvo quod tunc *Ferrerii* Guelphi erant: *Spelorcii Tornielli*, & *Gibellini*, sed propter certos errores tunc cambiaverunt. Tempore autem illo Dominus *Aymiricus de Crusmallo* (*Papiensis*) fuit Capitaneus partis Rotundæ (*Gibellinæ innixæ Torniellis*,) & tam prave se gessit, quod fuit interfectus in conflictu ad *Bicoccam* per homines *Novariæ*: Nam dicitur, quod duci faciebat plaustrum unum onustum scarionibus pro eruendo *Novariensibus* oculos: & deinceps hi de dicta domo *Crusmallo* in *Novaria* fuerunt *Guelphi*, & in Papia *Gibellini*. Prædicti autem de *Caballatiis* multos nobiles habebant separatos de eorum domo: domus mea, & illorum *de Fossato*, & multorum aliorum fuerant de suis, quæ noluerunt adhæ-
1311. re *Brusatis* in rumore Anni 1311. quibus adhæserant Domini *Caballatii* sperantes, quod *Tornielli*, & pars *Gibellina*, quæ vires instauraverat, non posset labores sustinere; sed non bene ele-

A gerunt *Caballatii*, se jungendo *Brusatis*: quia si isti guerram fecissent, alias domos *Novariæ* excederent, quia per sequentia destructi quasi sunt in divitiis, & personis, & passi sunt destructionem infrascriptarum fortalitiarum, quarum nomina sunt, Burgus *Sesii* muratus, *Crusinallum*, *Upalium*, Turris *Spinazariorum*, *Gattegum*, *Briga*, *Verganum*, *Gargallum*, Castrum *Tabarinum*, *Marzalescum*, *Fognanum*, Castrum *Bochæ*, *Revestatum*, *Mazatum* superius, *Mazatum* inferius, *Bugonium*, *Comignagum*, & *Agamium* (*omnia in districtu Novariæ*) captis singulis ipsis fortalitiis per obsidionem a *Gibellinis* positam, quæ tamen
B non fuerunt sine magna difficultate, quia pars *Gibellina* solam fortalitiam non habebat, sed postquam acquisiverat Civitatem *Novariæ*, prædicta destruxit suo tempore: conflictus in eadem Civitate duravit a Calendis Decembris usque ad
Calendas Junii 1311. quâ die *Brusati*, & *Ca*- 1311.
*ballatii* cum sequacibus recesserunt sese reducentes ad prædicta Castra, & Burgos spe allecti, quod *Gibellini* sustinere non valerent ipsorum *Guelphorum* potentiam, & *Vercellensium*, in quibus decem *Guelphi* erant pro uno *Gibellino*. Sed *Gibellinis* profuit sensus Domini *Henrici Tornielli*, & etiam quia Dominus *Franciscus Malaspina* Mar-
C chio de *Pizzo* de *Corno Gibellinus* habuerat capere infradictas terras conterminas districtui *Novariensi*, nempe *Seravalle*, *Lentam*, *Receptum*,
*Arborium*, *Blandratum*. Cum itaque anno 1354. 1354.
ut superius narravimus, Dominus *Joannes* Marchio *Montisferrati* occupasset *Novariam*, voluit habere ab universitatibus, & personis sacramentum fidelitatis, vel per se, vel per Procuratores, & ad hoc coacti fuerunt præstandum, & per notarios publicos reducendum in scriptis: cœpitque universos officiales mutare; Domino *Undertino Torniello* quondam Domini *Lanfranchini* dedit Potestariam Vallis *Sesitis*, posuit Castellanum in
D *Pombia*, *Opicinis Torniellis* antedictis ope *Joannis Savii* recuperavit Castrum *Vergani*, posuitque in Castro *Novariæ* Castellanum, & sic in *Ceredano*, *Burgomaynerio*, *Olegio*, *Agamio*, Burgo *Lavezario* Vicarios posuit, & ubique, ubi vel Vicarius, vel alter officialis posceretur, & præcipue de suis *Montiferratinis*. Dicitur, quod suis diebus habuit in *Novaria* 27. Capitaneos, & sic firmato pede habuit de *Novariensibus* extirpandis procurare: Redditus ordinarios auxit, Novos indixit, cœpitque apud nonnullos regnare sicut *Nero*, libertates communis *Novariæ* vendidit, oppigneravit sive voluntarie, sive invitus, & sic
E cœpit homines conculcare. Habuit primum Potestatem raptorem, & omnes officiales, nemine discrepante: subdolis verbis, & semper prædicando faciebat ipse rapi unitim, & sejunctim: oblationes, & Eleemosynas publice largiebatur, & clam homines prædabatur: deinde post aliquod Tempus restitutis tacite *Torniellis*, jam expulsis, nec non *Brusatis*, & *Caballaciis* cœpit de populari statu procurare dicens, quod sicuti *Papiensis* Civitas nuper regebatur sine tyrannis, ipse volebat eodem modo *Novariam* regi: & dato ordine suo, ut decreverat, simplices *Novarienses* non curantes de futuris ita animati fuerunt sua-
F sionibus, ut elegerint Centuriones tot de parte *Guelpha*, quot de *Gibellina*, licet fictitie dixerint se elegisse, cum vere ipse elegerit, & fuerunt hi, nempe *Jacobinus Curtius*, *Joannes de Fabris*, *Thomas Marenda*, *Joanninus Prina*, *Roffinus de Capieta*, *Franciscus Baldus*, *Gregorius Ferrarius*, *Francischinus Tettonus* agnomento *Barba*, *Philippinus de Scrivandis*, *Marchinus de Mortario*, *Andrinus de Lomeno*, & *Joannes de Fosso*, quos ipse nuncupavit Centuriones, & quibus voluit, ut præstaretur obedientia usque ad mortem, adeo quidquid

agerent, esset factum. Ipsosmet unâ veste medietatis, & unis caligis expensis Communis fecit indui, voluitque ipsos salariari. Vicarium Generalem in *Novaria* habebat Dominum *Nicolaum Cattaneum* de *Regio*, Guelphum tantæ nequitiæ, & tantum Dialecticum, quod amara, dulcia ex argumento probabat, & sic sua dispensando, & participato consilio quorumdam Judicum, qui sibi adhærebant, in tantum institit, quod suburbia *Sanctæ Mariæ*, *Portæ Novæ*, *Sancti Agabii* totaliter, *Sancti Stephani*, *Sancti Simonis*, *Sancti Gaudentii* partim respective murari fecit e lapidibus Domuum diruptarum per eum, & quas dirui fecit extra fortilitias, & fine solutione pretii, aut refectione detrimenti, & ex cretâ, cum nullo modo calx haberi posset propter guerram, & certe tantos muros, & tantam fortalitiam cum Pontibus levatilibus ad portas fecit in tam brevi tempore, non secus ac si universi duobus annis laborassent: & certe tunc dici potuit quod *Jacobinus de Vehemenia* filius quondam Domini *Petri* recolebatur veluti Dominus Generalis *Novariæ*, ea pollens authoritate, quam nemo Civium per centum annos retraoctos nancisci potuerat: nam quidquid ipse decernebet de intratis, operibus, & custodia, nullam prorsus patiebatur censuram. Præfato igitur Marchione Nobiles *Novariæ*, & districtus in hunc modum conculcante, & gravia patrante, ac eosdem depauperante, plurima pars Civium per plateas, & alibi ducebat choreas, non advertens de doloribus successivis: Etenim prædia extrinseca districtus inculta jacebant propter bellum, quod faciebat Dominus *Galeazius* a terra *Galliato*, quam munierat, & perfido, & improbo præsidio firmatam tenebat, & quicumque *Novariensium* incidisset in illius manus, peribat, nisi se redemisset in duplum supra suam potentiam: & e converso si contingebat quemquam ex ipsius æmulis capi, honorabatur, & præcipue tempore prædicti primi Potestatis, qui ipsos potu, & cibo refectos relaxabat illico: Imo *Novariæ* publice dicebatur, quod ipse equos prædantes *Novariam* habebat in *Galliato*. Propter hæc, & alia nefanda remotus fuit a Potestaria, & in Præturam fuit ei subrogatus Dominus *Bartholomæus de Sancto Georgio Canapicii* ex Comitibus *de Blandrato*, qui in munere perseveravit usque ad finem Dominii Marchionis. Iste *Bartholomæus*, quamquam gibbosus in spatulis, fuit probissimus, & strenuus ad pugnandum, discretus nimis, dilexitque *Novariam*, & subditos; & profecto dicere possum, quod vidi duos Prætores *Novariæ* liberos, & probos viros, scilicet *Ameum de Suardis* de *Bergomo* tempore Domini *Calcini*, & prædictum Dominum *Bartholomæum*. Cæteros autem possum dicere, fuisse prædones. Quibus diebus dictus Dominus *Bartholomæus* Novariam, & districtum bene gubernavit, & defendit a contradicentibus ex parte Domini *Mediolani*, & certe si primus Potestas fuisset, *Galliatum*, & alia loca in districtu *Novariæ* tenta per Dominum *Mediolani* non fecissent, sicut fecerunt, & de quibus locis inferius dicetur. Nam cum a Marchione recessissent fœderati, ejus potentia non fuit tanta, quin Dominus *Mediolani* alterum *Galliatum* novum super ripa *Ticini* potuisset de novo construere, & defendere, cujus Domini potentia vires Domini Marchionis excedebat in duplum. Propterea Dominus Marchio post recessum Domini *Ugolini* parum curavit de *Novaria*, nec deinceps eam unquam invisit, sed solummodo verba mittebat. Tunc miseri *Novarienses* facta sua non curarunt facere cum Domino *Mediolani*, & proinde eis male successit, & merito. Enim Dominus ille faciendo guerram possidebat

A in Confinibus *Novariæ*, & districtus, præter *Galliatum*, & *Viglevanum*, *Rezetum* unum factum in *Varzallo Pombiæ* proditorie tamen acquisitum, Castrum *Gattici* datum per *Antonium de Gattico*, stantibus in Novaria *Lanfranchino*, *Zuccone*, & aliis consortibus, quibus (excepto Domino *Bonifacio*, qui ipso cum *Antonio* stetit) non dimisit cochlearia, cum redierunt. Possidebat Castrum *Ponzanæ* Guilielmi Varrotti, tunc *Mediolani* existentis, ex primoribus obsidibus, quod Castrum Dominus *Mediolani* artificiose acquisivit, quæ loca stipendiariis assidue firmata, & munita *Novariam*, & districtum infestabant: Nam
B *Novariæ*, & in suburbiis latitabant bestiæ (nempe *Novarienses*, quos brutis cogor comparare) videntes, & scientes, sese conduci ad Carnificinam, in victimam offerri, & nescientes resistere. Sciebant ipsi certissime, quod super Campis *Bianzati*, vidente *Joanne Savio*, & pluribus de *Novaria*, cum Exercitus Domini Marchionis potentior esset, Dominus *Mediolani* misit præfatos Dominum *Petrum Fasolum*, & Dominum *Pium de Lomeno* Legatos suos, qui fuerunt admissi: sciebant postea Dominum *Ugolinum* de *Mantua*, & Dominum *Joannem de Olegio* cum Domino *Mediolani* concordiam habuisse, & Dominum
C *Ferrariæ* armistitium habere: sciebant etiam Dominos *Bononiæ*, & *Mantuæ*, suos legatos misisse *Casale*, & in Castro *Casalis*, mediante Perurgravio, egisse de concordio. Attamen obcæcati illecebris Marchionis (qui potius de rebus suis, quam de *Novaria* sollicitus erat) ac illaqueati fallacibus verbis dicti Vicarii *Nicolai Cattanei* Regiensis, & fidem dantes fatuitatibus, quas ille *Jacobinus de Vehemenia* insinuabat Centurionibus & aliis Complicibus *Guelphis*, permiserunt sedivendi, & quidem venditi fuerunt, & cum laqueo ad collum (tamen celato) in manibus Domini *Galeazii* fuerunt præsentati, & merito. Ecquis enim fuisset tam pius Dominus, qui un-
D quam ipsis pepercisset, nisi Dominus *Mediolani*? Ipsi fuerunt causa efficiens tanti mali, tot scandalorum: sed sese excusabant dicentes, quod non potuerunt propter malos Rectores, & fuit verum. Nescierunt a furcis paratis, scilicet calamitatibus deviare, sicut poterant sine aliquo suorum periculo, & ad viam rectam, & potentem reverti, & misericordiam de gestis impetrasse; nam tunc Dominus *Mediolani* vera, & firma credidisset, quæ de *Novariensibus* dicta fuerant, nec contrarium credidisset, & de gestis habuisset ipsos commentatos totaliter parcendo, & inter ca-
E ros tenuisset eos. Sed induratum erat cor *Pharaonis*, & quod nefas erat, fas esse fecerunt. Et sic eis in eorum proterviâ, & superbiâ cervicosâ persistentibus Dominus Marchio tale poculum dedit, quod universi, & mali, & boni, & innocentes ob malignos una perierunt, & Dominus *Mediolani* eos tales sic cognoscens, tot modis, & taliter purgavit, quod cæteris erunt in exemplum, & spectaculum: Nam si primâ die, quâ Dominus *Mediolani* ingressus est *Novariam*, innocentes Cives, & Districtuales deserendo, & dimittendo perfidos, transivissent concordes ad patrias cum mobilibus, bene illis evenisset.
F Tenebat Dominus Marchio *Ciredanum* oppidum potentius, ac firmius quovis alio de districtu, ante introitum suum in *Novariam* eidem ab incolis traditum, quodve erat repagolum, & stimulus Domino *Mediolani*, & Comitatui *Mediolanensi*, præsertim pagis ejusdem Comitatus *Ticino* adhærentibus. Nam prædicti de *Ceredano* dicti sunt piscatores, & multi fuerunt, qui Navibus *Ticinum* feliciter cursitabant, & prædabantur pro libito in Terris *Mediolanensibus*, se reducentes *Papiam* cum spoliis: nec prædicta Dominus

*Me-*

*Mediolani* poterat evitare, quia a *Castelletto* existente ad fauces lacus majoris ad partes Inferiores non finebant una cum *Papiensibus* prætulati, & multum isti *Cerredanenses*, uti in medio constituti damnificabant *Galliatum*, & *Viglevanum*. Itaque Dominus *Mediolani* post recuperationem Novariæ *Cerredanum*, in quo 800. homines habitabant, aptavit taliter, quod ipso ligonibus explanato gallus de præsenti non cantat, nec gallina, & merito. Tenebatque idem Marchio *Romagnanum*, *Agamium*, *Brionam*, *Calpignanum*, *Silavengum*, *Mandellum*, *Casalinum*, *Fissarengum*, & plena alia castra, quorum partem præfatus Dominus *Mediolani* post recuperationem *Novariæ* fecit explanare. Dominante eodem Marchione; tam per suos, quam per Dominum *Mediolani* fuerunt devastatæ in *Novariensi* districtu, aut ei adhærentes, Terræ infrascriptæ, nempe,

| | |
|---|---|
| *Burgus vetus*, | *num* Domini *Ottonis*, |
| *Burgus novus*, | *Burgus Agnelius*, |
| *Sanctus Martinus*, | *Briga*, |
| *Vico longum*, | *Mazadium inferius*, & |
| *Casale Beltramum*, | *superius*, |
| *Rezeta universalia*, | *Vaprium*, |
| *Cassiolum*, | *Alesatum*, |
| *Sociagum*, | *Momum*, |
| *Trecatum*, | *Morghengum*, |
| *Camerum*, | *Briona*, |
| *Blunzagum*, | *Petrorium*, |
| *Maranum villa*, | *Farra*, |
| *Varallum Piombia*, | *Casalegium* |
| *Burgus Ticini*, | *Mozitium* |
| *Comignacum*, | *Sanctus Petrus* |
| *Arona*, | *Ponzana*, & |
| *Invorium*, | *Ulfangum*. |
| *Castellettum* supra *Tici-* | |

Non tamen in tantâ destructione cessavit utriusque Domini rabies, & utinam in eâ belli finis fuisset. Sed *Novarienses* elati, ut supra diximus, totis viribus cœperunt contra Dominium *Mediolani* resistere; quare nil mirandum, si Dominus *Galeazius* alio remedio *Novariam*, & districtum (ipsis ingratis) recuperavit. Ipse ergo, & Marchio, qui sese afferebant, & afferunt Vicarios Generales prædictarum Civitatum, elegerunt stare judicio præfati Domini *Caroli* Imperatoris, qui propterea misit in hasce partes quendam suum Perurgravium, qui de prædictis, & aliis informationes sumpsit a testibus fide dignis, super quibus Dominus Imperator præcepit, & sententiavit, dictum Marchionem debere restituere Domino *Galeazio* Dominium universæ Civitatis *Novariæ*, & districtus, cum Dominio Civitatis *Albæ*, & districtus. Et e contra Dominum *Galeazium* debere Marchioni restituere Terram *Novarum* (*Novi*) apud districtum *Januensem*, reservata Imperio potestate in aliis plus dicendis. Hasce declarationes uterque acceptavit, & observavit. Nam Marchio *Novariam* cum Castro, & districtum dimisit *Galeazio*: Galeazius ei restituit Terram *Novarum*. Quare Dominus *Galeazius*, magnifice, & alte silentibus *Novariensibus* Civitatem ipsam intravit cum prædicto Perurgravio, & Nobilibus suis, & præcipue cum *Joannolo Mondella de Ferro*, qui cum Perurgravio die præcedenti *Novariam* ingressus est. Quidnam potuerunt dicere Centuriones? quidnam *Jacobus de Vehemenia*? quidnam potuerunt cogitare ipsius complices, nisi quod Marchio ipsis fuerat mentitus? tunc prædicti, & alii cœperunt colla subjicere Domino *Mediolani*; tunc illico Dominus *Galeazius* misit pro Domino *Antonio Torniello* Astensi Potestate, & ego fui nuncius: veneruntque *Novariam* prænominati alii in *Asta* confinati, & a-

A libi: misitque pro *Opicino Torniello*, quibus omnibus pepercit de commissis considerans, quod tamquam expulsi cogitaverant repatriare, eosque intertenuit, deditque *Opicino* banderiam unam equestrem, & *Antonio* florenos 25. in mensem pro provisione usque ad guerræ tempus, bona eidem liberavit, & de præsenti ipsi favoribus assistit eundem calceando de divisa suarum caligarum: alios autem accepit, in quantum debuit: faciens tamen Arengam (*populi convocationem*) in Canonicâ Majori, injurias sibi factas remisit. Et quid de multiplici injuria facta capsonibus Domini *Mediolani* dicetur, qui occasionibus antedi-

B ctis extiterunt vacuati? quid de deprædationibus per *Novarienses* factis super Comitatu *Mediolani*? Certe pœnam luerunt, & eorum contumacia fuit purgata. Duxit igitur secum Dominus *Galeazius* Dominum *Ottinum de Marliano* militem, & primo ipsum Prætorem *Novariæ*, & districtus constituit, qui una cum *Ricardo de Firufino* de *Alexandria* ejus Vicario, tam pessime se gessit rapiendo, quod status *Novariæ* malum principium habuit, & de aliqua libertate ipsi acquirenda nullatenus curatum est, sed solummodo de rapinis: & profecto diebus meis iste Potestas superavit cæterorum Potestatum negligentiam, & rapaci-

C tatem. Eo gubernante, *Mediolanum* missi fuerunt Centuriones prædicti, alii plures, Judices, & Nobiles, Abbates, & Canonici *Novarienses*, quos Dominus *Galeazius* aliquando, & plurimum liberos remisit, & aliquando carceravit: Nam ex Centurionibus aliquos, aliquosve ex reliquis remisit sine alia redemptione. Misitque *Novariam* Dominum *Emanuelem Ponzonum* in Vicarium Generalem, & post multum temporis spatium jussit examinari gesta per detentos, contra quos etiam in Civitate *Vercellarum* recepti fuerunt testes: tunc ipsos, quos in Turriono domus suæ *Mediolani* carceratos habebat, jussit traduci,

D & reduci in castrum *Novariæ* tempore Domini *Joannis Pirovani*, qui *Marliano* in Præturam successerat post annum expletum, eosve in florenis viginti duo millia damnavit. Cum autem hi multati non solverent sive propter impotentiam, sive propter spem impetrandi diminutionem condemnationis, Dominus *Galeazius* inauditâ, & sane memorabili usus est cautelâ: nam pulsato Arango Communis *Novariæ*, ut moris est in eâ Civitate, cum quis justitiandus est, portati fuerunt in plateam cippi, & secures, & illuc nonnulli ex dictis carceratis fuerunt ducti, ut urgentiorem paterentur causam se redimendi: & tunc

E ipsis detentis novum thema datum fuit, super quo latinum construxerunt, & deinde caperent lectionem. Et tunc fuit eis insufflatum, quod deberent omnia eorum bona dare in scriptis. sed cum ex hujusmodi propalatione, neque decima pars condemnationis persolveretur, novo edicto præfatus Dominus indixit, quod parentes propinquiores ipsorum cogerentur ad solutionem: & deficientibus parentibus, ad id compellerentur amici consueti: quocirca sciscitabatur, quinam adfuerint ad eorum nuptias, & tunc factis distributionibus dictæ quantitatis, descriptis parentibus, & amicis, extorta fuit solutio, erga quos tali modo

F persolventes se obligaverunt condemnati redempti. Deinde præfatus Dominus eo anno duas taleas imposuit Clero, & ab eo exegit in Florenis sexdecim mille, compellendo Colonos, fictabiles, & ipsorum in Civitate Vicarios ad prædictas taleas persolvendas. De taleis autem Civium, & Districtualium non attinet dicere, quia in infinitum fuerunt persolutæ. Et scio quod tempore dicti Domini *Joannis Pirovani* Potestatis exacta fuerunt in *Novariâ*, & districtu centum millia Florenorum pro eodem Domino *Galea-*

*leazio* computato Datio imbottaturæ vini vendito eo anno florenis quatuordecim mille Imperatori, miseratque idem Dominus pro exactione, & incantatate intratarum *Novariæ*, & *Vercellarum* quemdam Dominum *Mazzacanem de Madragnano*, qui dictis officiis præsedit usque ad præsentem
1362. mensem Junii (quo mortuus est) anni 1362. cum salario quotidiano Florenorum 40. si fuisset *Mazzacanis*, bene fuisset dictum, & factum, sed fuit *Mazzahomines* per ea, quæ extorsit. Tanta hæc pecunia fuit *Mediolanum* transmissa, exceptis tributis, donis, & aliis datis per eos, qui sceleris antedicti culpabiles fuerant, & dimissi, quorum munerum, donariorum, & servitiorum quantitas non fuit modica. Numquid propterea cessarunt expensæ? certe non: nam eo anno vastatores, servientes, & carrigia missa fuerunt cum exercitu Domini *Galeazii* pro vastandis *Morano*, *Tridino*, *Trivero*, *Liburno*, & *Bianzato*, & vasta fuerunt data usque ad muros ipsarum terrarum: missi fuerunt laboratores, & stipendiarii in *Sanctam Agatham* cum infinitis carrigiis pro aliis vastationibus patrandis: missi denique fuerunt alii ad duo loca *Canapicii* acquisita (in mala hora) per deditionem *Bertolini de Mazadio*, scilicet *Landiam*, & *Castionum*, per quæ Dominus *Galeazius* sperabat sibi transitum aperire ad partes *Pedemontanas*, muniendo ea infinitis expensis, quas describere non possem, sed nihil profuit. In altero eorum duorum locorum periit peste *Fabottinus* de *Parmâ*. Præterea super *Vercellensi* per Commune *Novariæ* factæ sunt pro medietate expensæ occasione Dominæ *Elisabethæ* nurus dicti Domini *Galeazii*: factæque fuerunt in Civitate *Novariæ*, & in Burgis aliæ fortalitiæ. Demum Marchio contraxit cum *Novariensibus* debitum librarum triginta Imper. quod non persolvit. Propter quæ, & alia, *Novarienses* deducti sunt (& merito) in extremum, quod quasi pecunia tam super pignore, quam aliquo alio modo non amplius reperitur. Quid igitur dici potest de annis præteritis guerræ, & successivis? hoc unum, nimirum quod plus est ablatum quam haberetur: & ita de præsenti Homo *Novariensis* parum, imo nihil debet dubitare, dicente adagio: *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Alius autem casus incogitatus evenit *Novariæ*, in suburbiis, & plu-
1361. ribus in villis districtualibus anno 1361. de mensibus Junii, Julii, Augusti, & Septembris, nempe pestilentia, quæ in Civitate, & locis antedictis absumpsit octo ex duodecim, & amplius, cui morbo nulla fuit cura, nec medela, quia quasi nullus apparebat, & qui fortior erat, & junior, potius peribat. Porro ad faciendum contradictionem fuerunt per Marchionem *Montisferrati* conducti in Lombardiam *Anglici* cum ipsorum societate collecti per eum in partibus *Avenionensibus*: Districtum *Novariæ* ingressi bis mille, & ultra reliquias Terrarum diripuerunt, cæteras autem non destructas, nec superius descriptas usurpaverunt, mulieres vituperando, & ponendo ad redemptionem: Homines captos tenendo in compedibus, submergendo alios non ita cito dantes redemptionem impositam; nam supra mille interemerunt, & præcipue in terra *Siciano*, quam primitus propter morbum indefensam invaserunt, stuprando uxores in præsentia mariti, puellas coram genitoribus. Pro istis perfidis *Anglicis* expellendis Dominus *Galeazius* comburi fecit totaliter infradictas terras, (dictu horribile) adeo ut in toto districtu solum hæ remanserint in forlitia, nimirum *Olegium* in squadra Ticini, *Burgomaynerium* in squadra Aconiæ, *Calpignanum* in squadra Sesitis, & castra *Cavaliani*, *Marani*, *Gattici*, *Vergani*, *Barenghi*, *Silavenghi*, *Galgarenghi*, *Fissarenghi*, *Ponsanæ*, & non amplius.

A Spoliatæ vero, & combustæ, tam per illos maledictos *Anglicos*, quam per Dominum *Mediolani*, sunt hæ:

*Burgo lanezarius*,
*Gravalona*,
*Tornegum*,
*Terdobiatum*,
*Guilengum*,
*Cerredanum*,
*Monticellum*,
*Casalegiatum*,
*Nomenonium*,
*Paliatum*,
B *Granotium*,
*Casalinum*,
*Anco marianum*,
*Ponzana*,
*Mozitium*,
*Sanctus Petrus*,
*Garbanea*,
*Nibiola*,
*Villa Vespolati*: & hæ sunt de squadra Inferiori.
*Galnagum*,
C *Cavallianum*,
*Pombia*,
*Medium Miricum*,
*Burgoticinum*,
*Conturbia*: & hæ sunt de squadra *Ticini*.
*Calsignaga*,
*Solonium*,
*Morghengum*,
*Alezatum*,
*Agnellengum*,
*Bugonium*,
*Verunum*,
*Agrate*,
*Carissia*,
*Cavallinum*,
*Quiregium*,
*Fontanetum*,
*Cavallietum*, *desertum*.
De squadra *Aquoniæ*.
*Mazoria*,
*Grignascum*,
*Romagnanum*, quod *Anglici* tenent de præsenti,
*Pratum*,
*Soramons*,
*Cavallirium*,
*Agamium*,
*Siccianum*,
*Briona*;
*Mandellum*,
*Casalegium*,
*Aconiatum*,
*Nibia*,
*Cistum*,
*Landiona*: & hæ sunt de squadra *Sicidæ*.

Propter quas vastationes scelestissimi illi *Anglici* districtum *Novariæ* deseruerunt.

*Novaria* igitur a lacubus infra ducta est in eclypsim, & a lacubus supra de Justitia non respondetur Civitati. Nunc redeamus *Papiam*, u-
D bi expulso Comite *Philippono*, & perempto *Ricardino*, ejus fratre, regnavit Domus illorum *de Beccaria* (ita appellati a *beccaria*, prope quam antiquitus steterant) Capitanei, & Nobiles, & Status popularis defensores. Hi Domini fœdus cum Domino *Matthæo* primo inierunt de dicta Civitate gubernanda, attento quod virtute ejusdem Domini *Matthæi* dicta Civitas erepta fuit e manibus Comitum, & Nobilium, qui Populum subjugabant: Ideoque pars Comitum, quæ *Guelpha* est, Nobiles *Papiæ*, & districtus habet in amicos: pars vero illorum *de Beccaria* tamquam *Gibellina* populares, ut plurimum intus, & ex-
E tra amicos; & iidem *de Beccaria* respondentes Domino *Mediolani* tamquam simul colligati, pepigerant cum eodem Domino *Mediolani* de recipiendo in *Papia* Potestatem per ipsum Dominum *Mediolani* illuc destinandum: nec non de mittendo tot gentes in exercitus, & oppida præfati Domini, ac de ipsi suppeditando certam quantitatem florenorum cum quadam pensitatione annuâ. Et sic deinde tamquam socii Dominorum *Mediolani* possederunt *Papiam* usque ad divisionem *Mediolani*, & subjectorum factam in-
F ter præfatos Dominos *Matthæum*, *Barnabovem*, & *Galeazium* fratres. Post divisionem Dominus *Galeazius* cogitavit vindicare sibi Dominium *Papiæ*, & districtus, & post mutuas legationes necessarium fuit occulta detegere: & dum prædicta verterentur in contemptum, Marchio *Montisferrati* ipsum Dominum *Galeazium* diffidavit, & provocavit: & fortasse ea provocatio fuit accelerata, aut propter tractatum *Astensis* Civitatis, de quo superius diximus, aut propter defensionem Civitatis *Papiæ*; nam ex vulgari axiomate habemus, quod *fructus floribus præferuntur*. Marchio usque ad tempus indicendum major amicus erat domus *de Beccaria*, quam quicunque alius de *Lom-*

*Lombardia*, & e converso, nec antea inter fratres visa fuerat tanta dilectio, sicuti inter ipsos. Et ideo prædicti *de Beccaria* videntes se pernecesse guerram habituros cum Domino *Galeazio*, nisi ei dimisissent *Papiam*, fecerunt, ut Populus dominium illius daret præfato Domino Marchioni: nec est novum, quod *Papienses*, & *Mediolanenses* ad respectum nunquam se dilexerunt; imo *Papia* quando nuncupabatur Civitas *Ticinensis*, pluries *Mediolanum* oppressit, & tributa a *Mediolano* exigebat. Marchio igitur habito *Papiæ* Dominio, cœpit contra *Mediolanum* calcitrare, ortâ discordiâ, & invidiâ inter eosdem *de Beccariâ*, qui summâ felicitate, & sine intermissione per annos 42. vel circa, Deo favente, possederant. Principaliores de ea gente, his diebus erant Domini *Florellus*, *Castellinus*, *Milanus*, *Raynaldus*, filii quondam Domini *Conradini*, & multi alii, qui multa nobilissima castra acquisiverant, & construxerant tempore, quo ea domus dominabatur. Orta jam fuerant inter eos scandala tacita, & præsertim inter Dominum *Florellum* & Dominum *Milanum*: sed postquam diu latuissent, Præturam tamen *Papiensem* habente Domino *Jacobo de Tizionibus*, cognato dicti Domini *Milani*, cœperunt inter prædictos publicari, & in Civitate excitarunt rumores, cum alter altero se majorem putaret. *Castellinus*, & *Florellus* in regione *Ultrapadana* arcem *Montisbelli*, *Classigium*, *Vigueriam*, *Bronum*, *Solas*, *Casellas* (oppida firmissima) in quibus multum confidebant, & infinita latifundia possidebant. Pecuniarum autem, & bladorum numerus non habebatur, quia semper publicus usurarius perstitit, tamen *Gibellinis* semper favit. *Milanus* autem in eâdem tenebat regione *Arenam* cum Turri in infinitum forti, & multas nobilium *Guelphorum* amicitias, in eisdem partibus crediderat acquisivisse, & in Papia *Guelphis* favebat: duas filias maritavit potentioribus Castellanis *Ultrapadanis Guelphis*, scilicet *Simoni de Cigognola* de domo *Sanazaria*, quæ in potentiâ fortalitiis, castris, personis, & opibus quaslibet *Papienses* parentelas antecellit, & *Ludovico* Comiti *de Langusco* commoranti in fortissimâ arce *Montis Sicalis*, qui primarius erat *Guelphæ* partis in *Papiâ*, habebatque amicitias, ut plurimum in partibus *Lomellinæ*, ejusque frater *Raynaldus*, qui castra Plebis *Cairi*, & alibi, ut plurimum possidebat, amicos plurimos habebat in *Constantia*, *Rodobio*, *Mortariâ*, *Garlasco*, *Lomello*, *Vallide*, oppidis ultra modum fortibus, & populosis, sed prædicta scandala *Papiam* destruxerunt. Etiam hæredes Domini *Castellini* in agro ultra *Padum* habebant castrum *Robecchi*, *Sanctam Ziletam*, *Montem Dondonum*, *Montem Acutum*, & *Montem Calvum*, fortissima castra, & plena nimis. Prædictus Dominus *Florellus* possidebat etiam castrum *Revellini* in agro *Alexandrino*, & castrum *Olzeniani* cum loco fortissimo in partibus *Montisferrati*, quem vidi obsideri, & expugnari per Marchionem prædictum post exortam discordiam, ut infra dicetur. Habebant etiam alii *de Beccaria* nonnullas fortissimas arces in *Lomellina*, videlicet castrum *Sanctæ Honoratæ*, castrum *Gropelli*, castrum *Tormelli*, & castrum *Zembolati* (*Gambolati*) quod modo excisum est apud *Viglevanum*, & in *Sigomario* (*Siccomario*) castrum *Mezani*. *Sigomarium* est armilla *Papiæ*, regiuncula apud ipsam Civitatem, * durans in utroque latere milliaribus quinque, intra *Padum*, & *Ticinum* inclusa, a quâ fructus infiniti, olera, & universa bona toto anno procedunt. Profecto diebus illis nulla Civitas in *Lombardia* erat, quæ tot Civibus divitibus, tot Castris, tot Popularibus opulentis, tot Terris fortibus, tantâ pecuniâ potior diceretur *Papiensi*. Et certe talis erat *Papia*, quod si prædicti *de Beccariâ* inter sese non discordassent, nec devastassent, nec tenuissent, nec tenerent Marchionem prædictum in amicum, nec cum Populo fecissent divisionem, nunquam Dominus *Galeazius* fuisset ei dominatus, nec ipsam deduxisset in profundis; sed hæc a Deo ultore processerunt. Nam propter diu, ac dudum pacificum statum, & potentiam prædictorum *de Beccariâ* jus reddebatur, ut volebant, & non aliter: In Civitate, & districtu libitum exercebant. Nec mirum, si quæstio orta est; sed mirum, quod tamdiu tardaverit: nam primitus pauci erant de personis, & angusti in opibus ad respectum; At de præsenti multi erant, & ditissimi, & Juvenes; cum alias pauci, & senes eorum præcessores dominarentur, negotia procedebant viâ rectâ: Et hoc est, quod allegabant Domini *Castellinus*, & *Florellus*, qui senes erant, & qui volebant negotia suo modo tractare. Verum alii Juvenes, qui paupertatem & egestatem non fuerant experti, volebant peragere modo suo. & sic *Papia* facta erat prostibulum propter morbidas, & infinitas mulieres, & infinitos morbidos Juvenes, nec Deus, vel sancti illic collebantur; Imo tripudia, choreæ, cantilenæ, instrumenta musicalia ubique personabant: quod si in vigiliis fiebant excubiæ, ut antiquitus moris fuit, confluebant ad ipsos mares, & fœminæ causa deliciarum (*Author persequitur describendo quoddam spectaculum exhibitum in platea Sancti Marini, in quo*) arbor ramosa undique redimita (*ait ipse*) veletris (*donariis puto*) quassabatur, & munera per viros fœminea veste indutos, & evibrantes baculum dejecta, & decussa inter ipsos alacri tumultu, & dimicatione dividebantur. *Mox ait.* Hisce, & aliis auditis, frater *Jacobus Bussolarius* ex ordine *Sancti Augustini* excellentissimus Concionator cœpit de contemptu mundi prædicare, ad cujus prædicantias Domini *Castellinus* lectica vectus, & *Florellus*, eorum uxores, & amici primitus, & subsequenter multi alii concurrebant: etenim prædicti Domini *Castellinus* & *Florellus* curabant eundem fratrem animare, stimulare, & accendere bono zelo, ut Populum *Papiæ* corrigeret, Juvenes retraheret ab inceptis, & Populi benevolentiam captaret. eundem fratrem adeo commendabant, quod alii fratres, etiam si prædicarent, non exaudiebantur, sed ille solus. Bonus zelus non fuit in eo fratre, & ideo etiam dicti Domini *Florellus*, & *Castellinus* (licet vulpes) inciderunt in retia. Interea *Papienses* armatâ manu, terrâque, fluvioque viriliter Domino *Galeazio* resistebant, & prospere lucrabantur ascendentes navibus per *Ticinum*, cum fœderati castramentati essent in *Mazenta*. Et nolentes, quod pons super *Ticinum* constructus sibimet ipsis impediret incursiones per fluvium, unâ die eundem pontem penitus combusserunt, alio asportantes magnos lapides in parietibus introitus, & exitus constitutos. Et sic hujusmodi facultate sublatâ, gens *Mediolani* qualiter qualiter poterat, trajiciebat etiam cum aliquâ navi absconditâ in arundinetis, & Paludibus, & in locis occultis vallis *Ticini*, in quâ sunt diversa latibula. Terrâ autem *Papienses* mirabilia faciebant. Quibus inceptis, Dominus *Galeazius* primitus potitus est *Mortariâ* sub quibusdam pactis; cum quâ Terrâ, & maximis gentibus in eâ cum avantagio stantibus graviter *Papiam* infestabat. Dico, cum avantagio, quia solummodo illa Terra *Mortaria* potest dici felix, nam propter præsens bellum extitit multiplicata; cæteræ autem omnes fuerunt destructæ; Deinde æstivo tempore Dominus *Galeazius* posuit exercitum contra *Garlascum*, & aquam ad campum conduxit per fistulas, & cannalia per tria milliaria ab alveo *Terdubii* scaturientis, & defluentis ex agro *Nova-*

* distans.

*Novarienſi*, ſcilicet territorio *Agrati*, & ita exercitui nunquam defecit aqua. Machinas infinitas circum circa *Garlaſcum* conſtrui fecit, quibus die noctuque terra lapidus obruebatur, & adeo fuit preſſa, ut nullo expectato auxilio potentiori, deditionem Domino *Galeazio*, quamvis ægro, & iniquo animo, cum inde eidem Domino *Galeazio* fuerit retracta, ut inferius dicetur, Gens *Mediolani*, eâ durante obſidione, vagando prædabunda, Terras *Lomellinæ* armatâ manu vaſtavit. Poſitis inde caſtris prope Eccleſiam *Sancti Lanfranchini*, & apud pontem *Gravalloni*, vaſta fecit in *Sigomario*, arbores decorticando, & incidendo, & incendia domuum exercendo, in quibus pergendis plurima gens *Mediolanenſis* periit, pauca vero de *Papienſi*; nam *Papienſes* in aquâ ſemper vincunt, & multas naves grandes ad inſtar Caſtelli deductas e Lacu majori habent nuncupatas ibi *Ganzerre*, quarum ope *Papienſes* pluries acquiſiverunt. Deinde clamor dicti fratris *Jacobi* ferveſcebat, & incitabat *Papienſes* ad pugnandum, inculcans, quod *Papienſes* malebant mori in Patriâ ſuâ, quam ad alienas debiliter deduci, quodve fovebant juſtum bellum, quodve movebantur hiſtoriis, & exemplis *Romanorum*. Populus itaque *Papienſis* hiſce concionibus accenſus mortem non timebat, & quia concors agebat, ut plurimum in dimicationibus obtinebat, quamvis ab antiquis uſque temporibus ſtrenuus, arduus, & habilis ad pugnandum, præcipue in Navali prælio. Marchio autem in *Papia*, ut diximus, cœperat regnare ponendo Poteſtatem & Capitaneum pro libito ſuo: tamen ibi non poterat pro libito pecuniam extorquere, ſicuti extorquebat in *Novariâ*, ubi homines eviratos, fœmineos, & muliebres invenerat, ſed in *Papia* viros fortes, & præſertim quia hi *de Beccariâ* reſiſtebant nolentes, quod ſuam *Papiam* popularetur. Et tum Marchio de prædictis dolens, & iratus cogitavit expellere eoſdem *de Beccariâ*. Itaque cum ei deeſſet pecunia, & urgeretur multam confœderatis erogare, poſtpoſitâ fraternitate, quam coluerat cum eiſdem *de Beccariâ*, ut ſuperius diximus, cœpit adhærere conſilio Domini *Dondacii Malvicini* de *Placentia* conſiliarii, & exequutoris gentium *Ferrarienſium* fœderatarum eum eodem Marchione; cui *Dondacio* dirutum fuerat caſtrum *Mocaſtracum*, & alterum in montanis partibus limitrophum cum *Papienſi* diſtrictu: ad quæ deſtruenda ipſi *de Beccariâ*, & Domini *Ubertinus de Lando* Placentinus fuerant principaliores, mediante gente Domini *Mediolani* pro depopulatione ipſorum. Marchio, ut credo, non animadvertens, ſed credens, quod pure, veraciter, & de cellulâ cordis puri procederet conſilium Domini *Dondacii*, in illius ſenſum inclinavit, ſed male: nam illa fuit cauſa efficax amittendi Civitatem *Papiæ*, quæ ſubſidium, & repagulum erat ſtatus ſui: & ſic habito conſilio, indiſcrete curavit illos *de Beccariâ* expellere, uſus revelatione fratris *Jacobi* prædicti, qui tunc cœpit majora, & patentiora verba inter prædicandum dicere contra Dominos *Florellum*, *Caſtellinum*, & alios *de Beccariâ*, quos frumentarios hirudines populi nuncupabat, invehebaturque, ne expectarent diem Judicii. De hiſce ipſi Domini *Florellus*, & *Caſtellinus* cœperunt lamentari, ſed non bene perceperant eam ſententiam, quâ docemur, eam eſſe declinandam ſuaſionem, quæ in ſe plus habet periculi, quam decoris. Etenim ipſi amicis ſuis, ſuiſque ſubditis ſuaſerant, ut crederent, quæ prædicabat dictus frater *Jacobus*, ſed cum eoſdem a ſuaſionibus conarentur retrahere, non potuerunt. Et tunc Domus *de Beccariâ* propter infeſtationem Populi murmurantis elêgit e Civitate recedere, & ſine prælio, de die,

**A** & de nocte brevi tempore unus poſt alium diſceſſerunt. Quid igitur dicetur de ſenſu, & potentiâ tantæ domus, in quâ tantum conſilium, prudentia, & univerſum *Lombardiæ* robur viguit, & vigebat? Quis furor, quæ gentis dementia ipſos a laribus propriis expulit? ſed concludam, quod peccata inveterata generant mortem: & præcipue, quia ille ſaccus carbonum, ille frater *Jacobus* (homo quidem *Papienſis*, ſed nullius prolis, nulliuſve conditionis, imo obſcuriſſimi generis) verbis, truffis, ſine ferro eos fugavit. Inſudaverat ea domus, undequaque a *Gibellinis* Lombardiæ perquiſito auxilio, & ſupra cæteros inſu-
**B** daverant Domini *Caſtellinus*, & *Florellus* prædicti, in expellendo Dominum Comitem *Philipponum*, & nunc tam miſerrime ſine bello aſſentiti ſunt ſuorummet expulſioni, & propriæ. Expulſi igitur tamquam deſperati habuerunt quærere favorem Domini *Galeazii* ad eorum obtinendam vindictam: ſed male ulciſcuntur propria dedecora, quæ labe majoris verecundiæ offuſcantur; & ſic totis animis curarunt, ut *Papia* per Dominum *Galeazium* ſubjugaretur. At e converſo præfatus Frater *Jacobus* ſtuduit totis viribus, & animis, participante Marchione antedicto, defendere ipſam Civitatem, & primo ipſe cœpit
**C** domos, & ædes eorumdem *de Beccariâ* deſtruere in Civitate, deinde in diſtrictu: Ipſe prædicando fertur propalaſſe occulta illorum de *Beccariâ*, quæ ſibi narrata fuerant nomine pœnitentiæ, & præcipue de Dominis *Caſtellino*, & *Florello* talia fertur protuliſſe, ut univerſum Populum pellexerit, & animarit ad deſtructionem univerſorum *de Beccariâ*, eorum prolis, & progeniei, & amicorum ſuorum, & ad ruinam, & populationem eorumdem: & tunc nullâ defenſione præcedente, univerſas illorum, ac ſequacium domos, ædes, & Palatia dirui fecit, & aſportari
**D** lapides, & vendi, prædicans, quod quiſque *Papienſis* de ipſis lapidibus teneret ſub pulvinari, & capite lecti ad perpetuam memoriam male geſtorum per ipſos *de Beccariâ*: in fundamentis domorum nec unus lapis fuit dimiſſus: & imo prædicabat, quod *domus facta furto habebat durare tempore curto*; & ſic peragendo, tam *Guelphos*, quam *Gibellinos* illius Civitatis contra ipſam familiam totaliter incitavit, & taliter inflammavit, quod nullus ei domui amicus remanſit in Civitate. Cœpitque dictus frater *Jacobus* creare Centuriones, qui fuerunt numero 22. in quibus erant 15. Jureconſulti: creavit Decuriones, & Quin-
**E** quennarios, & ſic univerſi, diſtributis ipſis Officialibus, procurabant potius de morte prædictorum *de Beccariâ* quam de Dominio Domini *Galeazii* avertendo: deinde cœperunt armare Navigia, improbo labore, & conſtantiâ perſiſtere, totiſque viribus pro libertate pugnare, & mortem contemnere: ſed quia tot apparatus fieri non poterant ſine maximis, & infinitis expenſis, mobilia *Papienſium* cœperunt deficere, & præſertim quando Marchio amiſit *Novariam*, & *Albam*; & cum majores expenſas ipſe Marchio ſuſtinere deberet, eo plus a *Papienſibus* requirere cogebatur,
**F** & ſemper obtinebat, peteret quidquid vellet; nam quidem receſſerat Dominus *Florellus*, qui bene pro ſe rapere curaverat, ſed raptoribus numquam voluerat conſentire. Et tunc frater *Jacobus* videns, deeſſe pecuniam, aliam viam elegit propter eam a *Papienſibus* colligendam; nam e curru, quo vehebatur cœpit prædicare, & increpare, quod homines, & mulieres debebant a laqueis mundanis declinare, nempe a veſtibus luxuoſis, & ſumptuoſis; ab argenteis, a gemmis pretioſis, ab ornamentis, quoniam Deus proſterneret Dæmones *de Beccariâ*, & Tyrannos *Mediolani*, protegendo veridicos, & naturales Dominos

nos, sicuti Marchionem: de pulchris vestibus non curare, sed se vestire stola nigra, & cilicio, ut Deus ipsos tamquam justos exaudiret. Ita unanimiter factum est à *Papiensibus*, & sine morâ. Unde credendum est, quod iste niger fasciculus esset fantasticus, aut spiritus immundos coërceret ad talia facienda; & in executorem eligi fecit Officialem, quem vidi, & qui per *Papiam* discurrebat incidendo maniconos guarnazonorum *Phrygio* opere contextos, vel auro, & argento ornatos, & incidendo balthea, si quid pretiosi inveniebatur circa ea. Igitur *Papienses* dimiserunt tales vestes, & eas abhorruere, sumptis mantellis tam per juvenes puellas, quam vel maritatas, vel nuptas, colore nigris, sine aliquibus ghirlandis, incedentes, & procedentes tamquam beguinas, tecto capite, & solummodò oculi conspiciebantur. Sed hodie *Papienses* servant contrarium, etiam spernendo voluntatem, & proclamata Domini *Mediolani*. Sed nunquid per ea in *Papia* cœpit frigescere luxuria, ubi scholares, ubi picturæ virorum & mulierum. Certe prædictus Officialis nullam contraventionem invênit, nisi in aliquibus, quæ, dato quod meretrices non essent, sed obstinatæ, fuerunt expulsæ, tamquam *Gazaræ*, & profanæ. Propter meretrices prædictus Frater *Jacobus* edixit, ut nemini hominum liceret fœdare matrimonium coitu, aut mulierem: Et de prædictis impictos fecit publicam Justitiam per Capitis obtruncationem; Ideò vir non audebat uxorem suam prægnantem cognoscere, nec osculari (ut moris est) pedes *Sancti Christophori*, nec ad vigilias ire. Venditis ergo prædictis auro, & argento, gemmis, adamantibus, & lapillis pretiosis usque in *Venetiis*, magnam *Papienses* denariorum quantitatem conflarunt, undè maxima commoditas prædicto Marchioni, & Officialibus orta fuit rapiendi, & asportandi. Sed interim prædicti *de Beccariâ* foris existentes, & animati, ac freti, ut supra, cœperunt cum gentibus *Mediolani* regionem *Ultrapadanam* acquirere, & brevi totum districtum *Papiensem* ultra *Padum* Domino *Mediolani* subjecerunt unà cum pagis, & fortalitiis, exceptis tamen *Sancto Paulo* sito supra *Padum*, *Straëlla*, & *Cicognola*, quæ nunquam a Communi *Papiæ* recesserunt. In *Lumellina* potiti sunt universis Terris, & Castris, exceptis *Bremide*, & *Durno*: Item omnia in *Campania* subegerunt, excepto parvo Castro, nuncupato *Scurbisto* propè *Papiam*, quæ sic remansit obsessa. Eandem Dominus *Galeazius* cum Comite *Lando*, & ipsius legione duris repagulis cum navigio superiori, & inferiori ita perstringebat, ut Marchioni nequaquam permitteretur blada venalia, aut plaustro, aut navi mittere in Civitatem, in quâ adversus famem incrudescentem nil profuit mactasse etiam canes in epulas; mulierculas miseras, virosque imbelles, ac inutiles ejecisse. Attamen ille saccus Carbonum pluries è suo curru prædicando confirmabat, & confortabat Populum, (quem ipse sanctum nuncupabat) ne dubitaret de victualibus, cum sciret ipse (ita enim affirmabat) per Orationes, & Populo ducente, ac perseverante in vita sancta, se annonam impetraturum, & veluti mannam similem datam *Moysi* in deserto defluxuram esse ad sufficientiam. Et hæc multi credebant, sed universi miseri, & stolidi, qui post tot detrimenta, tot dispendia, & tantam suorum cladem adhæserant verbis illius fasciculi, sese unà cum eo permiserunt induci, & præcipitari in foveam, quam paraverant. Et amplius persistere non valentibus Civibus extremâ coactis fame, illi Centuriones cum dicto Fratre *Jacobo* Civitatem sub
1361 aliquibus pactis, & tandem post septennalem obsessionem tradiderunt Domino *Galeazio* anno 1361. qui Dominus *Galeazius* statim Civitate potitus

A mandavit, ut universi *Papienses*, tam *Guelphi*, quam *Gibellini* possent *Papiam* redire, exceptis *Joanne Philippo de Langusco*, *Ubertino*, & Fratribus *Guasconibus* Jurisperitis, quos propter detestanda denegavit ad benevolentiam restituere; & sic missis Castellanis, Vicariis, Prætoribus, datis *Papiæ* Potestate, & Capitaneo, & in Consilio constitutis Officialibus, tot ex *Gibellinis*, quot ex *Guelphis*, cœpit communiter regere. Frater autem *Jacobus* stans in *Papiâ*, & credens Domino *Galeazio* complacere cum verbis, & traffis, sicut fecerat cum Domino *Florello*, & universitate *Papiæ*, dabat ipsi Domino *Galeazio* intelligere,
B quod ipsum cum *Papiensibus*, & Classe reductâ apud *Papiam* faceret regnare usque in *Ravennam*: sed amplius non erat locus prædicantiæ, imò correctioni, cum Dominus *Galeazius* fingens ab eo consilium haurire, voluit ab ipso scire quantum potuit; Et tunc prædicti Centuriones, & alii fatui ipsum fratrem in maximâ multitudine à *Sancti Augustini* Cœnobio usque ad Curiam, (& è converso) stipabant, sociabantur, & expectabant, & ex hoc processit celerius exitium, & brevior destructio ipsius fratris, quia nunquam incedebat sine magna universitate, & caterva. Elapsis autem prædictis ad vacationem, & pluri-
C bus diebus per intervallum excursis, Dominus *Galeazius* habito consilio circa statum *Papiæ*, & volens determinare tam super præmissis, quam super agendis, & providere circa promissiones, & videns quod ille maleficus Frater *Jacobus* Urbis subornator omnibus iterum dabat auditum, cogitavit contra eum de remedio opportuno providere, & bene: Incautus ille Frater in deditione Civitatis per eum facta Domino *Galeazio* curaverat de aliis, non autem de se ipso pro ut semper allegabat prædicando, ideò promissiones Domini *Galeazii* ad alios spectabant, non autem ad ipsum: nam ille diabolicus Frater, spiritu maligno instigatus (si ita
D dici potest, cum illius causâ mille millia hominum mortui sint, vastati, & nasci permissi) non legerat axioma Philosophi de Charitate primâ incipiente à se ipso, ideo tamquam venia indignus semet ipsum in pactis prætermisit; & tamen meminisse debebat, se pluries à suo Magistro Generali fuisse citatum ad Capitulum, & in pœnam Contumaciæ se fuisse excommunicatum, vel in excommunicationem incidisse. Meminisse debebat, quod ipse quamvis Tyrannus tunc esset in *Papiâ*, tenebatur superiori sui ordinis Heremitanorum obedire: at superbiâ elatus, & credens neminem sibi parem, vel similem in Ordine, denegavit comparere, quamvis pluries monitus, &
E ideò ad perpetuum Carcerem fuerat condemnatus. Et quia præfatus Dominus *Galeazius* nihil de ipsius Fratris absolutione, vel indemnitate promiserat, ideò noluit se opponere, quando idem Frater jussu Magistri Generalis fuit captus, quamvis invitè permiserit hujusmodi detentionem. Itaque Frater *Jacobus* ille *de Bussulariis* Ordinis Heremitarum *Sancti Augustini* ductus fuit *Vercellas*, & in exequutionem sententiæ latæ, fuit, jubente suo Generali, in domo sui Ordinis ante dicti intrusus, & mancipatus in perpetuum Carcerem, & ibi sistit de præsenti, de cujus perpetuâ Car-
F ceratione *Papienses*, præsertim mulieres, perpetuò contristabuntur. Post hæc præfatus Dominus *Galeazius* Civitellam in eâdem Civitate construxit versus *Mediolanum* valdè pulchram intus, & extra, muratam valdè bene, & apud Castrum antiquum erectum per quondam Dominum *Matthæum*, aliud Castrum mirabile fecit de novo erigi, de cujus magnitudine, latitudine, crassitie murorum, & profunditate possent dici mirabilia; aliamque erexit Arcem citra Pontem *Ticini* versus Civitatem, & interim studuit in eâdem

Civitate instaurare, & replere Arcas exhaustas, & evacuatas: & cum *Papienses* non essent discreti, & id non procurarent ex se, ipse dedit pulchrum modum, & Officiales ad id negotium habuit adeò sufficientes, ut Arcæ repletæ fuerint, & *Papienses* perpetuò, & meritò sint memoriam servaturi. Prædictis durantibus, pestis *Papiam*, & districtum invasit, & adeò invaluit, ut in Civitate perierint septem ex decem, & in districtu duæ partes ex tribus, sine alio subsidio, & ideò de die in Civitate vix apparebant homines. Sed interea Marchio cum illâ *Anglicorum* legione,
1361. (quam de anno proximo præterito 1361. conduxerat, & à qua olim commorante in *Sicciano* eversus fuit districtus *Novariensis*, ut supra) curavit habere Terram *Castri Novi* super *Scripiam* inter districtum *Papiæ*, & *Derthonæ*, & eam diripere: Nam prædicti *Anglici* sunt prædones excellentiores quibusque aliis populantibus *Lombardiam*: de die plerumque dormiunt, & de nocte vigilant, & habent talia studia, & artificia ad terras capiendas, quod nusquam aliqui visi fuerunt similes, vel coæquales. Unus incola ipsius Terræ ex commilitonibus dictæ legionis cogitavit de ingressu in eam, tamen unus miles Potestatis ejusdam Terræ, patriâ *Thuscus*, ab indiciis præcedentibus, & subsequentibus passus est incul-
1362. pationem, & sic de mense Martio Anni 1362. ea legio *Castrum novum* repente intravit, eamque Terram magnam, imparatam, divitem, & longâ gaudentem quiete cepit sine ictu, enormia à maribus, & fœminis exegit horrenda dictu, terribilia, & inaudita, quæ mihi narrata sunt a *Martino Torniello* naturali, ab *Antonio* filio suo, *Aycardono de Camodeja*, *Petrino Torniello* Juris perito, filio ipsius Petrini, *Bonifacio de Concorrecio*, qui per eos *Anglicos* ducti fuerant è *Sicciano*, tamquam captivi cum multis aliis. Plures oppidani *Castri Novi* perierunt, vel submersi in fossatis cum fugerent, vel ferro petiti: qui fugerant, & evaserant, petierunt propinquam regionem *Ultrapadanam*, & qui capti remanserant, in compedibus de nocte, obequitante legione, clavabantur, & de die inclusi sub custodia tenebantur. Tribus mensibus duravit spolium, & populatio tam divitis Terræ, & demum cum fuisset denudata, illi *Anglici* reliquerunt eam. Ipsorum erat Capitaneus Dominus *Albaret Stertz* Theutonicus, quamvis loquelam *Anglicam* sciat, qui virtuosus ad pugnam omnes alios facit virtuosos. Eorum mos est, cum necessariò habent in aperto dimicare, descendere ab equis, armati ut plurimum vel loricâ ferreâ super pectus, sed capite ut plurimum decoperto, cum solo cupo barbutæ, & lanceis grandibus longissimo acumine ferreo munitis se opponere, & ut plurimum duo utuntur unicâ lanceâ, & aliquando etiam tres, quia tam gravis, crassa, & firma est, quod nihil tangitur, quin perforetur. Post tergus, & ad partes posteriores gestant arcus: pedites magnas, & oblongas sagittas emittunt arcubus. Cum legio illa *Anglica* sisteret in *Castro novo*, Dominus *Galeazius* misit *Terdonam* Comitem *Landum* cum maximâ Turmâ, & Comitem *Nicolaum Ungarum*, qui benè se cum 500. *Ungaris* gessit, ac diebus illis in eâ Civitate stetit Dominus *Joannes de Pepulis* pro dando ordines, ita ut dicti *Anglici* vel cogerentur acceptare certamen, vel se cum Domino *Galeazio* concordare: sed illi semper respondebant, quod erant parati ad bellum, dicentes, quod sicuti *Lombardiam* intraverant causâ belli sub stipendiis Domini Marchionis *Montisferrati*, ita etiam volebant ei legaliter servire, prout de præsenti serviunt: & durantibus prædictis, non potuit fieri, quin per aliquem saccomannum *Theutonicum* offenderentur. Imò quandò unus ibat, alter redibat, & sæpius
A unus, & alter verberabant frumenta simul, & in sero unus redibat *Castrum Novum*, & alter *Terdonam*: Ungari autem ipsos multum opprimebant, & ab ipsis tanquam perfidis inimicis infestabantur. Et sicuti *Theutonici* (ut supra dixi) non curant de guerris *Lombardiæ*, sed potius tamen de pace, ideò Dominus *Mediolani* propter suos stipendiarios diù non potuit victoriam obtinere, & pro eo destruitur status *Lombardiæ*; nam miseri *Lombardi* spoliantur intus, & extra, nec aliquem *Theutonicum* habent amicum, & ita fuit, est, & erit per tempora; Nam Dominus *Mediolani* propter infinitas expensas, quas propterea patitur, Laicos, & Clericos subditos cruciat expensis infi-
B nitis; & reliqui, qui ab ipsius Dominiis fugiunt, per ipsum, & per gentes suas molestantur, & per extraneos possessores cruciantur, & sic de præsenti, & diu evenit *Lombardis*. Veniebant autem prædicti *Anglici* ad 1500. & ultrà sæpiùs super portis *Terdonæ* trahentes lanceas intra rastellos, & quamquam infinita gens cum Comite *Lando* esset in *Terdona*, nullus exibat, & si exibat, nihil faciebat, aut inordinatè ad pugnandum procedebat: Quarè *Anglici* in tantam audaciam lapsi sunt, quod super curte *Terdonæ* frumenta in Campis combusserunt, & sic continuatis mensibus, tam super districtu *Papiæ*, quàm *Terdonæ*,
C ultra *Padum* comburentes etiam Villas, & Domos, universas terras *Papienses* ultra *Padum* extra fortalitias prædati sunt, & *Campaniam* universam frumentis plenam concremarunt, pro quibus, & aliis gravibus commissis, tam per ipsos, quam per Dominum *Mediolani*, & gentes suas, in rebellionem contra eundem Dominum sese posuerunt *Garlascum*, & plures aliæ Terræ *Lumellinæ*, & ultra Padum, *Salæ*, *Viqueria*, *Montebellum*, Turris *de Monte*, *Monteferrarium*, Burgus *de Periolo*, *Blecusium*, *Calcababium*, *Sanctus Antonius*, *Nibiolum*, *Stephanagum*, *Castegnolum*, & aliæ plures, quarum postea aliquæ fuerunt vastæ per gen-
D tes Domini *Mediolani*. In Territorio *Derthonensi* rebellarunt *Casale de Noceta*, *Castellarium*, *Viperulum*, *Vulpeglinum*, *Monslealis*, *Villa Cerretum*, *Montegualdonum*, *Casascum*, *Monte Morisinum*, sed Dominus *Luchinus de Verme* factus Locumtenens in regione *Ultrapadana* veniens *Terdonam* scivit cum pauca gente, nempe quingentis barbutis, sagacitate, & strenuitate suâ de Mense Septembris 1362. combustâ solummodò villâ 1362.
*Pulpeyni*, & præcedentibus aliis vastis, omnia Castra, exceptâ villâ, recuperare: Et prædicta perfida *Anglicorum* legio rediit ad partes *Novariæ*, bis *Romagnanum* invasit, occupatis primò *Casalino*, & *Arcomariano*, & demùm intravit in *Ro-*
E *magnanum*, cum accolæ periissent pestilentia, & forenses non auderent ibi habitare. Omnia crudelissima exercuit, sicut alibi, & peste ex eâ legione interierunt ibi 500. Et cum discessisset à *Castro Novo* ea perfida legio, illicò prædictus Dominus *Luchinus* eam Terram vacuam, & exspoliatam recuperavit, ac peditatu, & equitatu firmavit, accolas profugos, & expulsos debiliter redeuntes excepit, & pro Domino *Mediolani* custodit. Steterat ipse diù Potestas *Albæ* cum universâ ejus familiâ, & Capitaneus Terrarum ejusdem Domini in *Pedemonte*, quarum multas recu-
F peravit pro ipsomet Domino, ut inferiùs dicetur, maximis vexatus laboribus per gentes, & potentiam Marchionis, & *Astensium*. Et utinam tempore illius Comitis *Landi* præfatus Dominus *Luchinus* fuisset in *Terdona*, quoniam *Angli* non fuissent ita audaces, & temerarii, nec Terræ prædictæ *Papienses*, & *Derthonenses* fuissent perditæ, nec tot infinita damna fuissent in ipsis, & aliis partibus illata. Recuperato igitur *Castro Novo*, præfatus Dominus *Luchinus* stans *Der-*

*Derthonae*, dicto solo Castro Villae *Terdonensi* remisso pro rebelli, fieri fecit vasta ipsi Castro circum circa in plantis, & vineis; Potiùs profuit defectio, & rebellio dicti Castri, quàm reductio, quia parum illud potest, & constitutum est citra *Scripiam*, & Cives *Terdonae*, & praecipuè Officiales sese lignis ad focum providerunt, secus malè quoad ligna sese habuissent, cum pro floreno uno non possit haberi plaustrum lignorum. Deindè Dominus *Luchinus* junctis peditibus locorum Domini *Mediolani*, circum circa *Papiensem* districtum obequitavit magnâ vi contra *Viqueriam*, & *Retorbium*, quod erat Castrum, & villa valdè fortis, & de sequacibus *Viqueriae*, mancipavit violenter, & praedatus est, concremavit, exitium intulit, plures homines ipsius loci captos abduxit, inter quos Dominum *Buscaliam* vulneratum, & plures alios Dominos *de Sanazario*, quos in *Terdonam* duxit captivos, ex quibus captis duo Rustici fuerunt suspensi, & ipse *Buscalia* Mediolanum ductus, sed non fuerunt ii Rustici suspensi pro eo, quod dictus *Buscalia* dabat intelligere Domino *Luchino* praedicto de restituendâ Domino *Mediolani* Arce *Calcababii*, quae erat ipsius *Buscaliae*, & in quâ erat unus suus filius, quod tamen exequi non potuit, quia *Viquerienses* sciverant de dictâ promissione. Deindè die sequenti praefatus Dominus *Luchinus* positis multis gentibus in insidiis à parte versus *Castellarum*, equitavit subitò ad Terram *Viqueriam*, cujus superbi habitatores sperantes, quod Dominus *Luchinus* esset cum paucis gentibus, armati ad conflictum exierunt, multa damna inferentes nostro equitatui stipendiario. At nostri retrocedendo, & fugam fingendo insectatores deduxerunt à longe, & tunc prosilientibus his, qui insidiando latitabant, *Viquerienses* coeperunt versus *Viqueriam* fugere: Centum ex ipsis interfecti, & totidem lethaliter vulnerati sunt: Septuaginta capti cum bestiis multis ducti sunt in *Derthonam*, & vasta magna in vineis illata. Capti supplicium expectabant, quoniam superioribus diebus, & paulò pridem sexdecim *de Salis* in alio conflictu capti furcas in *Terdona* passi fuerant, & in *Papia* triginta novem de *Oghebiano*, idem spectaculum exhibuerant, (quam Terram in *Lomellinâ* sitam Dominus *Mediolani* vi recuperavit) & 40. de *Garlasco* in pluribus vicibus furcâ pariter perierant. Sed nemo eorum *Viqueriensium* periit, praeterquam tres sauciatos, nam reliqui fuerunt liberè dimissi ad preces Domini *Azareti de Sanazario* Gibellini amicitiâ juncti cum Domino *Mediolani.* Sequenti die praefatus Dominus *Luchinus* à *Pontecurono*, ubi cum exercitu pernoctaverat, rediit *Viqueriam*, neminem in itinere obvium habuit, ibique, & circa *Montembellum* fecit vasta, quae voluit; universos Burgos extra *Viqueriam* valdè amplos concremavit, quod valdè profuit, ut infrà; deinde profectus est *Calcababium* pro Arce promissa habenda, sed non potuit, quia filius Domini *Buscaliae* jam in *Viqueria* detentus fuerat. Verum universam *Calcababii* Villam valdè spatiosam concremavit, in *Mergasino* apud *Viqueriam*, & cum eâ se tenente, omnia extrà fortalitiam incendiis absumpsit: Villam *Montis-Dondoni*, Castrum *Nibioli*, Castrum *Sancti Antonini* in *Papiensi* districtu recuperavit, & in montanis Papiensibus *Stephanagum* cum Castro, & Castrum *Cartagnolorum*, sita omnia in uno Cuneo supra, & apud *Montembellum.* Hisce peractis ivit *Clastigium*, & deindè *Papiam* & *Mediolanum* cum Comite *Nicolao Ungaro*, cum suis *Ungaris*, qui fuerunt cassi (& quidem malè, ut infrà) & de praesenti describuntur per Dominum *Barnabovem*, & Dominus *Luchinus* in *Papiâ* graviter aegrotavit, cujus profectio è *Derthona* mul-

A tum obfuit eidem Civitati: Nam praedictus *Albaret* stans in *Romagnono* cum suâ legione, cum praedicta scivisset ab exploratoribus è *Viqueria* emissis ad eum, continuò *Derthonam* volavit cum 500. equitibus, cum reliquos absumpsisset pestilentia, & nonnullos dimitteret ad custodiam *Casalini*, *Arcomariani*, quae loca a Comite *Lando* cum suâ legione insidente *Novariae* divexabantur. Interim autem *Simoninus Buccanigra* Dux *Januae* publicus Inimicus Dominorum *Mediolani* (licet jam diù occultus) qui virtute suâ curaverat, ut *Anglici* Lombardiam intrarent, quia gens Dominorum *Mediolani* Ripariam *Januae*
B lacessebat, dando auxilium Dominis *Fliscatoribus* apud *Clavarum*, ubi *Guelphi*, & *Gibellini* terrigenae eundem pagum totaliter destruxerant, magnam balistariorum manum, tamquam *Gibellinorum* fautor collegerat in novis, & aliis Terris districtui *Terdonensi* propinquis, ubi Dominus *Bartholomaeus Buccanigra* ejus frater una cum *Luchinetto Vicecomite* effecto genero ipsius Ducis, & plurimo equitatu, & turmis 30. & ultra balistariorum dicebatur habere cum dicto Domino *Albaret* aliquem tractatum circa *Alexandriam*, aut *Derthonam.* Cum itaque supervenisset idem *Albaret* à parte *Salararum*, ubi tacite pernoctaverat apud *Terdonam* summo mane cum equitatu
C transiens *Scripiam* ad vadum *Sancti Martini* prope *Terdonam*, & procederet versus portam *Januensem*, ecce apparuit illa multitudo equitum, & peditum à partibus superioribus, eam ducentibus dictis Dominis *Bartholomaeo*, & *Luchinetto*, & stetit prope portam Burgi, prope quam fluit, ac intrat Canale molendinorum, & intra unius horae spatium se conjunxit. Hac multitudine valdè magnâ, & pulcherrimâ ad pugnandum Dominus *Albaret* universam Civitatem *Derthonae* circumdedit, & à partibus superioribus, & apud Castrum descendit: Balistarii cum Carrigiis 36. & barbutis 150. cum *Bartholomaeo*, & *Luchinetto* firmi steterunt propè *Bralium.* Plaustra
D onusta erant scalis, mantellis, lignis, ac aliis instrumentis bellicis, sale, oleo olivarum ac aliis. Post modicam moram *Albaret*, & alii equos ascenderunt, & post levissimum, ac brevissimum certamen editum à balistariis, rectâ viâ omnes profecti sunt *Vigozolum*, quam Terram scalis admotis, ac aliis machinis, & artificiis conati sunt expugnare, sed frustra laborarunt, nam hoc facinus adorti sunt fessi, & sub solis occasum, & cum pluribus sauciis *Viqueriam* perrexerunt. Deindè certificati de absentiâ Domini *Luchini*, & de gente Domini *Mediolani* solam *Derthonam* cum nonnullis Terris defensura, dictus *Albaret*
E cum universis balistariis, *Bartholomaeo*, & *Luchinetto* unà cum obsidibus datis à Castro *Noceto* parum pridem ad Dominum *Mediolani* reverso profectus est ad idem oppidum, à cujus hominibus stans supra fossatum petiit sibi Terram restitui, secus obsides se interfecturum. Et quia filii ipsorum relegatorum loci Arcem valdè firmam sustinuerunt tempore, quo dicti obsides ducti fuerant *Viqueriam* pro securitate habendâ de statu ipsius Terrae debentis remanere ad honorem Marchionis sicuti aliae rebelles, & tunc idem Castrum gubernabant filii obsidum, cum ipsi obsides non fuissent dimissi, cum Terra fuisset restituta Domino *Mediolani.*
F Terrigenis renuentibus restituere, *Albaret* fecit ipsos obsides in praesentia vicinorum, & filiorum, qui Castrum possidebant membratim obtruncare, & membra in fossatis projicere. Filii atrocissimum scelus spectantes coeperunt increpare, & invehere contra vicinos, & in ea mutua contentione *Albaret* cum gente intravit *Casale*, diripuitque more solito. Ulteriùs progressi, rursus *Castellarium*, *Vulpeynum*, *Viperolum*, *Montem* lea-

*lealem*, *Cerretum*, & multa loca versus *Cecimam* occuparunt, & devastaverunt, & signanter Castrum cum Terrâ *Grumiaschi* (pro mediatione Marchionis *de Varzio*, & ibi pluribus diebus steterunt Castra fulciendo balistariis ante dictis pro Duce *Januæ*, ) & postremò *Montem Gualdonum*. Et dum dicti *Albaret*, ac alii viderent, se nil aliud peragere posse, quia Dominus *Mediolani* à partibus *Placentiæ* Terras Marchionum *Varzii* præsidio firmaverat, *Alexandriam* redierunt transeuntes sub noctis obscuritate penes fossata *Derthonæ*, pernoctarunt in *Ripa alta*, & summo mane sequenti cum aliis manipularibus Ducis *Januæ* villam *Boschi* agri *Alexandrini*, accolis non perpendentibus, miserrimè, ac crudelissemè spoliarunt, enormia ut supra patrando: Arcem tamen minimè habuerunt. Tertia deindè die sequenti perrexerunt *Pozolium Formicarium* districtus *Dertbonæ* cum universo apparatu ad pugnandum, sed frustrati eorum designatione
1362. recesserunt die .... Novembris 1362. & hic in istis sit finis, salvo quod de *Terdona* male potest concludi, nam anno superiori, tempore æstivo eam ejusque districtum invasit pestilentia, qua sex mortui sunt ex decem, & sic illius Civitatis status similis est miserrimæ conditioni *Vercellarum*, *Novariæ*, & *Papiæ*, & pari lamentatione possunt paria infortunia collacrymari.

## *Barnabos Vicecomes.*

BArnabos secundus frater ex tribus, Magnus, & excelsus Dominus *Mediolani*, aliarumque Civitatum, de quibus in divisione, & subdivisione ut supra, Princeps verax, amator Justitiæ, constans, patiens, & virtuosus, ex conjuge *Regina* plures suscepit mares, quorum natu major nomine *Marcus* nunquam in puerili ætate risisse fertur. In gravioribus negotiis utitur consilio, cætera suo studio tractat: si quid perdidit, illicò postpositis omnibus studuit recuperare. Domum ad *Sanctum Joannem ad Concam*, de qua alibi diximus, stabulis pro infinitis equis auxit, atque adeo muris fortibus, merlatis, & altis brachiis 25. ampliavit, ut intra aream lustraret suos stipendiarios, & ipsamet Domus æquiparanda sit eminentissimo Castro, pluribus portis, & clausuris ordinato. Ecclesiam prædictam magnificavit muris, cælaturis, picturis, & altaribus, quorum majori fecit se ad vivum sulpi in marmore, armatum eo modo, quo prodit ad bellum, gestantem baculum Dominii, ac à lateribus stipatum statuis referentibus ejus Justitiam, & Fortitudinem, quibus virtutibus innixus regit, eamque statuam locavit in superficie Altaris Majoris. Amissa per Dominum *Matthæum* fratrem suum curavit summo studio recuperare, contempta expensarum gravitate. Curavit pacem habere, si potuisset, cum præfato Domino *Joanne de Olegio* occupatore *Bononiæ*, & pace promissâ, curavit cum eodem Domino *Joanne* pacificè stare, & pro pace servandâ eidem Domino *Joanni* restituit Castrum *Bazani*, quod contra voluntatem ipsius Domini *Joannis* possederat. Tunc ambo cœperunt simul famulari, & Dominus *Joannes*, ut de fide sua certiorem faceret Dominum *Barnabovem*, accepit ab eo Potestatem in *Bononia* Dominum *Guilielmum de Arrimondis* de *Parma* Jurisperitum, olim Vicarium Generalem Domini *Joannis* Archiepiscopi, qui Dominus *Guilielmus* cum regeret *Bononiam*, cœpit familiam præfati Domini *Barnabovis* advenientem *Bononiam* benè tractare, & quoslibet juxta gradum: quoniam Dominus *Barnabos* possidebat Terram *Lugi* in medio *Romandiolæ* sitam, cujus causâ debebat Domicellos suos per *Bononiam* sæpiùs mitte-

A re tamquam Officiales, & aliquando Collaterales suos, & etiam Majores, qui recreationis causâ aliquandò pluribus diebus *Bononiæ* morabantur. Sed Dominus *Joannes de Olegio* tamquam aspis non surdus, sed vigilans gressus missorum istorum sciscitabatur ab Officialibus suis, verens ne deciperetur, sicuti ipse alios deceperat. Quarè unâ die pravis suis cogitationibus non valens resistere, labi incepit ad talia patranda, ut potius timeretur, & sagacior videretur, & sic opportunitate captâ, armatisque stipendiariis suis, detinuit prædictum Dominum *Guilielmum*, & Dominum *Henricum Ducam* filium quondam Domini *Castruccii de Luca*, & *Bennum de Valgrana*,
B Domicellum Domini *Barnabovis*, ac nonnullos alios, quos omnes illicò carceribus mancipavit; ipsosque tormentis addictos fecit confiteri, quæ voluit scribi, & deindè super platea *Bononiæ* tamquam publicos suos proditores decapitari fecit anno 1356. die 8. Februarii, nihilo alio juridico expectato, & quosdam alios diversimodè torqueri, & decapitari fecit, & præcipuè unum ex Cancellariis suis, quem volebat ex toto prædicta confiteri. O quàm horrendum fuit tantum Nobilem virum Dominum *Henricum* tali modo prodere, defensione sua non obtentâ, cum præ- 1356.
C fatus Dominus *Castruccius* dominatus fuisset pluribus Civitatibus, ut sciebat, & caput esset in *Thuscia* partis *Gibellinæ*; quibus prædictus Dominus *Joannes de Olegio* debebat reverenter, & maturius ad informationem procedere. Prædicta, & etiam majora non profuerunt, quæ tacenda sunt; Imo quantoscumque poterat .... potius gloriabatur in faciendis injustitiis, ut *Bononienses*, & alios adhærentes potiùs perterreret. De prædictis doluit Dominus *Barnabos*, & ad mortem usque condolebit de perditione tanti Nobilis Viri Domini *Henrici* provisionati, & socii sui: doluit de tam antiquo sapiente, & diù
D in servitiis Domus *Vicecomitum* perseverato; doluit etiam de fidelissimo Domicello; tamen respirans, omnibus postpositis, curavit de recuperatione olim suæ *Bononiæ*, multoque magis de suorum Officialium vindictâ. Et tunc ordinato magno exercitu misit Dominum *Joannem de Besocero* Capitaneum Generalem à Carceribus *Mantuæ*, ut suprà, relaxatum, ad populationem status dicti Domini *Joannis de Olegio*: qui Capitaneus sagaciter procedens cœpit Territorium *Bononiæ* invadere cum 1500. barbutis, & infinitis peditibus, & in *Crespolano* castrametatus est, & ibi castrum ipsum reædificari fecit, & in *Casalegio* existenti prope *Bononiam* fecit Bastidam
E ita fortem, quod assiduè Civitatem *Bononiæ* vexabat, rupto Canale *Reni* decurrentis per *Bononiam*, apud Bastidam, & sic procedendo dictus Capitaneus Domini *Mediolani* cœpit montanas partes Comitatus *Bononiensis* invadere, & tunc ipsa loca Dominis *Mediolani* adhæserunt, quibus in locis officiales posuit, deindè apud Civitatem versus *Renum* locavit exercitum in villis *Arzeni*, & *Arzellatæ*, super navigio castramentando, ubi tamdiù stetit, quod maxima inopia habebatur in *Bononia* propter devastationes, & incendia in planitie, & propter occupationem montanarum partium, in quibus Dominus *Jo-*
F *annes de Olegio* solummodo duas Arces habebat, videlicet *Savignum*, & *Montemuegium*, nec alia in aliquo respondebant *Bononiæ*. In illis montanis partibus Præturam pro Domino *Mediolani* agebat *Maschiolus de Perego*, qui stans in *Scaregalasino* gubernabat *Monzonum*, *Petram malam*, *Caprenum*, *Roncastaldum*, *Planorium*, & certas vallis Terras fortes. Habebat Dominus *Mediolani* Potestates in *Serravalle* cum aliis villis in *Stagno*, & *Barzio* sibi datis per illos *de la Muscaliâ* in

in capite *Reni*, qui universas villas, & loca vallis *Reni* gubernabat, & in *Crespolano*, qui partes suas corrigebat. Et sic gente Domini *Mediolani* custodiente *Montem Sanctæ Mariæ* supra Civitatem *Bononiæ* à parte versus meridiem, nullus audebat *Bononiam* nisi furtivè intrare, vel exire, pro ut neque à parte versus sero propter Bastiam *Casalegii*, & exercitum in *Arcellata* locatum, à quibus ipsa Civitas assiduè versus sero molestabatur, quamvis Dominus *Franciscus de Ordelaffis* de *Imola* Capitaneus *Forlivii*, & *Forlimpopuli* in *Romandiola* vicinarum *Bononiæ* adversus alios in loco existentes, & *Bononiam* infestantes resisteret favendo *Bononiæ*; nam etiam Dominus *Joannes de Olegio* totis viribus se tuebatur. Tenebat autem ipse continuò *Luchinum Savium* de *Novariâ* suum fidum Cancellarium in Curiâ Papali insinuantem Papæ, & Cardinalibus, quod quidquid præfatus *Joannes de Olegio* fecerat, & faciebat de *Bononia*, cedebat & tendebat in servitium *Romanæ* Ecclesiæ, & sic evênit, quamvis tunc temporis dictus *Luchinus* mentiretur. Videns autem præfatus Dominus *Joannes* se hujusmodi infestationes, & expensas non posse amplius sustinere, cum magna stipendia erogaret in custodiam etiam *Barzani*, *Plumatii*, *Castri franchi*, *Nonantulæ*, *Creppacorii*, *Sanctæ Agathæ*, & *Sancti Joannis in Persiceto* spectantium versus *Mutinam* in districtu *Bononiæ*, nec non Terrarum *Centi*, & Plebis, quamvis jurisdictionis essent episcopatus *Bononiæ*, nec non aliarum versus *Romandiolam*, scilicet Castri *Sancti Petri* (de quo plurimus dubitabat, cum aliunde, eo perdito, non haberet) *Rochæ de la Massa Lombardorum*, & Castri *Donzel.* … ad quas præsidio firmatas custodiendum, infinitas expensas patiebatur, nec quidquam haberet de entratis, cum extra muros nihilo gauderet, nec in *Bononia* posset, sive auderet plus rapere, raptaque jam consumpsisset, cum Marchione in sociali bello, & urgeretur stipendia persolvere pro sex mensibus, tamquam probus cogitavit de remedio opportuno, eligens potius in Dominatu *Papiæ*, quàm miserè eam deserere fugiendo, & extraneas partes adire, cum senem se reputaret. Brevi igitur undique contractis viribus (& præcipuè à *Florentinis*, quibus dabat intelligere, quod quando plus nequiret, & amplius persistere non valeret, Civitatem ipsis potiùs, qùam Domino *Mediolani* daret) eandem peditibus, & equitibus implere procuravit, multasque gentes, tam de suis, quam de *Florentinis* in partibus montanis *Bononiæ* collegit, ac armavit balistis, & aliis artificiis, eisque dedit signum, scilicet, quod cum viderent fumum super Turri *Asinellorum*, ad partes *Casalegii* totis viribus, & citato gressu accelerarent. Hoc dato ordine, & expectato, quod Capitaneus Exercitus Domini *Mediolani* misisset scortam *Panarium* pro victualibus in quantitate infinitâ ducendis tutè ad exercitum, pro quâ scortâ ierant 300. barbutæ ex melioribus, & cum scivisset, eas gentes in scortâ recessisse, tunc apertis duabus portis Civitatis, & facto dicto fumo, *Bononienses* armati ronconibus, auxiliarii, amici acquisiti, & stipendiarii sui ad Bastiam *Casalegii* veloci gressu perrexerunt cum infinitis scalis sclopos, uncinos ferreos, balistas, & mantellos deferentes, ipsamque Bastiam circum circa cœperunt oppugnare mortem postponentes, & ante succursum gentis equestris Domini *Mediolani* in campo supra scripto permanentis intrarunt in eam Bastiam, tamen non sine quare: Quoniam ex *Bononiensibus* ipsis multi fuerunt lapidibus obruti, & aliis armis defensivis correpti, at prædictis non obstantibus, quot quot in Bastia repererunt, occiderunt. Quibus peractis

A Dominus *Joannes de Besocero* cum universo exercitu ibidem eos invasit, & quia equitatu prævalebat, brevis horæ spatio tercentum interemit, non levem tamen passus resistentiam à *Bononiensibus*, qui ronconibus (ut eorum moris est) equos ei incidebant, aut perforabant, quare multi ex suis equitibus defecerunt. Jam pro eo inclinabat victoria, & si conflictui adfuissent hi, quos pro scortâ ipse miserat, taliter evenisset *Bononiæ*, quod perpetuò de ipsa factæ fuissent cantilenæ: etenim durante conflictu, jam *Bononienses* fugerant ad montes, sed supervênit illa magna *Florentinorum*, & aliorum, ut supra diximus, B multitudo coadunata, quæ cum *Bononiensibus* profugis, irruit in gentem Domini *Mediolani* persequentem *Bononienses* usque in Montana, eamque non valentem sustinere impetum, & multitudinem cum avantaggio descendentem in fugam coëgit, maximâ editâ strage, campo obtento, fractis totaliter hostibus, & capto inter tot alios ipso Domino *Joanne de Besocero*, qui in Marchiâ *Anconitanâ* extitit carceratus, cui tantam redemptionem posuerunt, quod redimi non potuit: Imò de præsenti audivi, quod ibidem dies clausit extremos: gentes verò suæ, quæ fugerant, partim *Parmam*, partim *Lugum* se rece- C perunt. Campum itaque obtinuit Dominus *Joannes de Olegio*, qui gentem equestrem habuerat à Marchione Marchiæ *Anconitanæ* pro Ecclesia, sed non in tanta quantitate, quod ipse ab ea posset in *Bononia* opprimi. Hac victoriâ obtentâ universum Comitatum recuperavit, exceptâ Terrâ *Serravallis*, quam hodiè cum aliis Dominus *Barnabos* possidet: qui Dominus *Barnabos*, auditis prædictis rumoribus, doluit immodicè, & pluribus diebus vacavit, quod nullus ipsum vidit, nec ausus fuit loqui eidem. Sed respirans, & ab incepto nolens desistere, & imò in eis perseverans, maximas gentes undequaque acquisitas D collegit, cogitans Terras saltem *Bononiæ*, cum ipsa Civitate invadere non permissurus, ut præfatus Dominus *Joannes* districtum possideret. Quarè discedens personaliter à *Parma* cum immenso exercitu, & potiùs Nobilium, & potentium *Mediolani*, quos ad prædicta requisiverat, & cum infinitis peditibus, & præcipuè bannitis à Civitatibus suis, quos ad partes illas jussit convenire, invasit Comitatum *Bononiæ*, & vi occupavit Terram *Crappacorii* (cujus homines videntes mortem adhæserunt) & cautius custodire cœpit: Universum deindè Territorium rursùs adeo vastavit, quod *Bononia* iterum intus, nec extra intratam habebat, E nec habuerat tempore præterito. Propterea Dominus *Joannes de Olegio* dubitans de stipendiariis suis, scilicet, ne ipse ab eis propter stipendia restantia proderetur, aut venderetur, de remedio in prædictis peragendis cogitavit, & summo studio adhibuit cogitans ex toto sine maximis dispendiis se stare non posse: dubitabat de *Bononiensibus*, quibus tot, & tanta enormia intulerat, tamquam publicus homicida: multoque magis dubitabat de Domino *Mediolani*, quem videbat induratum in prosecutione inceptorum. Cogitabat enim, quod si contingeret aliam Terram ultra illas duas, nimirum *Serravallem*, & *Crepacorium*, reincidere in Dominum *Mediolani*, sicuti *Lugum*, & *Sanctum Joannem in Persiceto*, ipse remansurus erat tota- F liter carceratus in *Bononia*, & dato, quod Dominus *Mediolani* alias Terras non haberet, attamen cum prædictis bene custoditis vasta perpetuò inferre poterat *Bononiæ*, propter quæ idem Dominus *Joannes* tamquam non valens diù subsistere, ut supra, necessariò habebat, aut vendi, aut prodi, aut ad rumorem Populi mactari, & ita prædictis duobus malis nequibat dare remedium, quin assiduè stimularetur. Detecto igitur vul-

 ne-

nere suo, consilium habere voluit primo à suis, eosdem separatim interrogans, præcipuè quos credidit habere intellectum, à quibus tandem suadebatur Dominium Civitatis *Bononiæ* restituere potius Domino *Barnabovi*, quàm alteri, pluribus, & veridicis assignatis rationibus, de quibus nunc taceo. Mox ab aliis de quibus primum confidebat consilium sibi impertiri voluit. Habebat enim Vicarium suum Generalem Dominum *Joannem Visinum* de *Senis*, qui tamquam publicus *Guelphus* voti fuit, quod Dominium dictæ Civitatis restituendum erat potiùs Ecclesiæ *Romanæ*, ad quam de jure spectabat: quod dictus Dominus *Joannes de Olegio* deinceps non poterat sperare de Domino *Barnabove*, nec de alio Domino *Mediolani*, quia tanta gesserat contra ipsos, quod perpetuò amicus ipsorum non poterat remanere. Respondit iste Vicarius se curaturum, & facturum, ut eidem Domino *Joanni* tanta, & talia beneficia fierent per Ecclesiam, quod eimet, suisque nihil perpetuò defuturum foret. Has Domini Vicarii ratiocinationes multi approbaverunt, & præcipuè Dominus *Nicolaus de Neapoli*, qui dicto tempore in *Bononia* extiterat Doctoratus, & assumptus fuerat cum dicto Vicario. Horum ergo consilia sequutus est Dominus *Joannes de Olegio* spreto parentum suorum voto, & tunc de præsenti *Luchinus Savius* ante dictus cœpit ambasciatas pro prædictis exequendis ferre, & referre à *Bononia* Avenionem, & è converso, & sic prædicta in brevi firmata fuerunt tali pacto, quod Dominus *Joannes de Olegio* in vitâ suâ debeat Civitate *Firmanâ* in Marchiâ *Anconitanâ* cum universo ejus districtu uti, & gaudere: & quod Ecclesia *Romana* ultra prædicta habeat satis facere stipendiariis existentibus in *Bononia*, & Terris suis pro servitio præstito: nec non satisfacere Officialibus ejusdem Domini *Joannis de Olegio*. Hæc ultra prædicti *Ursinus*, & *Savius* magnam Florenorum quantitatem habuerunt pro lenocinio. Et sic Ecclesia *Romana* à *Florentinis* recusantibùs, & nullo modo volentibus habere *Vicecomites* pro consortibus, & vicinis propter præmissa, & alibi jam dicta, mutuò accepit quantitatem Florenorum, quæ modica non fuit, solutiones promissas fecit, & Terras districtus *Bononiensis* pro se firmavit præsidio, & fornivit. Dum prædicta tractarentur, stabat pro Castellano Arcis Castrofranchi *Ardicionus de Momo* Novariensis, diu amicus Domini *Joannis de Olegio*, de quo *Ardiciono* ipse Dominus *Joannes* multum confidebat, cum *Castrofrancum* in planitie alias fortalitias præcellat. Sed *Ardicionus* cogitavit de statu suo, maximè, quia illi de Domo suâ sunt multi, & Nobiles Capitanei divites super districtu *Novariensi*, & ne ipse esset causa, ut illi per Dominum *Mediolani* in partibus *Novariæ* perderentur, non curavit de Ecclesiâ, quoniam *Gibellinus* erat, sed aliam viam elegit, & talem, quod præfato Domino *Barnabovi* sub quibusdam pactis inter ipsos initis *Castrofrancum* cum universâ fortalitiâ tradidit, licentiatis gentibus Ecclesiæ *Bononiâ* missis pro muniendo illud Oppidum nomine ipsius Ecclesiæ. Quibus *Bononiam* reversis præfatus Dominus *Joannes* doluit immense de tali perditione, timens ne pacta inita cum Ecclesia, deficiente *Castrofranco*, deficerent. Postquam igitur Terræ fuissent per Ecclesiam firmatæ præsidio, stipendiariis jam satisfactis, & Civitate ipsa *Bononiæ* fornita (hæc etenim omnia præstiterat Ecclesiæ, qui ad prædicta venerat personaliter) timuit, & de vita dubitavit suspicans, ne occasione sui Populus *Bononiæ* traheret ad rumorem, sicut traxit, quia non obstantibus minis, & precibus dicti Mar-

A

chionis, curabat ipsum Dominum *Joannem*, ejusque Familiam finaliter devastare: Nam idem Populus jam sumpserat audaciam, & dum adhuc esset in domo suâ, scilicet ubi habitare solebat, ipse Populus super Plateâ, & audiente, clamabat: *moriatur*, *moriatur proditor Joannes Vicecomes de Olegio:* Viperam magnam pictam in pariete dictæ habitationis Populus malleavit, & stercoravit cum tanto rumore, quod tota *Bononia* personabat. Tunc vehementiùs timuit: sed rumore sedato, & superveniente nocte è *Bononia* clam fugit, & sic reliqua familia contra-

B

facta, & personata. Et si aliquis ex eâ remansit, fuit taliter pilatus, quod capillum extra *Bononiam* non portavit, excepto *Luchino Savio* antedicto, qui verbo, & opere studuit complacere ipsis *Bononiensibus*, & Ecclesiæ, & præcipuè in dicto fine. Eâ nocte dictus Dominus *Joannes* se recepit ad Domum *Roberti de Imola*, & in ipsâ Civitate cum Universâ familiâ suâ taliter qualiter fugatâ se reduxit, deindè Civitatem *Firmanam* adiit, ubi fuit receptus, & promissis gaudet, portatis secum, etiam suis Universis bonis: attamen pluries dubitavit, & pluries

C

maluisset consortium Domini *Barnabovis* elegisse. Profectò autem prædicto Domino *Barnabove* cum Proceribus, & Nobilibus tam *Mediolani*, quam aliundè secum sociatis, prædictæ Terræ *Serravallum*, *Crepacorium*, & *Castrofrancum* per eum benè munitæ, & provisæ guerram pro eo faciebant contra *Bononiam*, & ejus Comitatum, quantum poterant, & faciunt de præsenti. Sed elapso Tempore propter infestationem Castri *Plumatii*, quod situm est inter *Castrofrancum*, & *Serravallum*, curavit Dominus *Barnabos* totis viribus prædictam Terram *Plumatii* cum ejus Arce habere: & tunc dato nobilibus *Mediolani*, & aliis mandato, ut cum ipso Domino *Barnabo-*

D

*ve* personaliter equitante equitarent, pervenit cum infinitis gentibus super Campis *Plumatii*, ubi talia facta fuerunt, quod *Cæsar Julius* majora non fecit. Impletis Vallis circum circa licet amplis, profundis, & cœnosis, & dato ordine, quod fossa rusticis solis, & equis repleretur, nec non promissis duobus stipendiis duplicibus, & mensibus completis publicè evulgatis, nobiles, & Capitanei *de Bucca de ferro* intus existentes (pro ut etiam alii) timuerunt: & sic celebratis pactis, ipsam Terram, & Arcem dederunt Domino *Barnabovi*, quam ipse benè muniit, &

E

fornitam tenet de præsenti. De prædictis autem valdè timuit Marchio existens in *Bononia*, vere baturque, ne idem Dominus *Barnabos* Bononiam infestaret, sicut consueverat, tam vivâ voce, quàm apud acta sedem Apostolicam compellavit scribendo, & protestando, quod nisi tantas haberet gentes, quæ planitiem *Lombardiæ* cooperirent, Ecclesia *Romana* non poterat se tueri à *Mediolano*; Quarè Ecclesia subitò literas ad filium suum destinavit, nempe Regem *Ungaricum*, qui nunc alios Reges Christianos potentiâ, & personis dicitur antecellere, quique

F

filius Ecclesiæ vocatur, (quamvis alias tali nomine nuncuparetur Rex *Franciæ*, qui nunc parùm potens est propter immensos labores, quos passus est, ideoque Ecclesia à tali filio declinavit) subitoque tantos *Ungaros* induxit, quod cum fuerunt in *Bononia*, omnia comederunt. Sed quia prædicta brevi tempore expediri non poterant, & sine maximâ morâ propter longissimum iter: præfatus Dominus *Barnabos* intereà factis vastis super *Bononiensi*, dimissisque dictis Terris fornitis, *Mediolanum* rediit cum proceribus suis secum ductis. Cum ergo *Ungari* tamquam leones, & pardi attinxissent *Bononiam*, eam sese recreantes vacuaverunt victualibus. Quibus visis

ſis, prædictus Marchio (*quem Ægidium Albornotium natione Hiſpanum puto*) ipſos hortatus eſt, ut *Lombardiam*, & potius Terras Dominorum *Mediolani* invaderent, pro ut ita celerrimè, & Dominis *Mediolani* non perpendentibus, diſtrictum *Parmæ* invaſerunt lacerando eas Terras, & ſubitò ad Civitatem *Parmæ* acceſſerunt, eam obſederunt, & in eam multi intrarunt, quia *Parmenſes* nondum erant expergefacti, & etiam quia Caſtellanus à porta, per quam multitudo hoſtium intrabat, aufugerat; ſed Vicini eandem Portam aſcenderunt, & defenderunt. Ibidem ſuperioribus menſibus propter quoſdem rumores facta fuerat proviſio tenoris, ne ullus Civis traheret ad rumorem, ſicuti facta fuerat in *Novaria*, antequam caperetur: verum *Parmenſes* audientes, quod *Ungari* intrabant per portam *Sancti Franciſci*, & quamvis tres partes ſint contumaces, nihilominus dicebant: *Nolumus capi, & derobari miſerrime, & nolumus, quod noſtræ uxores conculcentur, nobis videntibus.* Quarè poſtpoſito proclamate, traxerant ad rumorem circum circa, præſertim ad locum, per quem *Ungari* intrabant, & eos taliter malleabant, quod arcus non poterat ſagittam emittere, & eos ejecerunt ex Civitate, cum magno eorumdem detrimento, & ipſam Civitatem viriliter defenderunt. *Ungari* igitur (ad decem millena, & ultra) per agrum *Parmenſem* aliquatenus vagati, coactoque inter eos conſilio ſine alio præeminenti Duce, in Comitatum *Bononienſem* regreſſi nil cum arcubus facere potuerunt adverſus prædictas Terras per Dominum *Barnabovem* munitas; & ſic Civitas *Bononiæ*, & Comitatus paſſus eſt guerram, & patitur de præſenti. In conflictu autem dato gentibus Domini *Barnabovis* ſuper Territorio *Montis-Clari* ducibus Dominis *Ugolino* de *Mantua*, & Comite *Lando*, ut ſupra ſcripſimus, capti fuerunt 25. *Theutonici*, & ducti *Mediolanum*, quos Dominus *Barnabos* in vindictam ſceleſtiſſimi ſupplicii, quod gens nefaria Comitis *Landi* ſumpſerat de nepote Domini *Joannis de Beſocero*, innocente Juvene, juſſit omnes excæcari, excepto debiliori, quem cæteros cæcatos ducturum fecit monoculum, eoſque omnes, monoculo ducente, remiſit ad eundem Comitem.

1362. Anno autem præſenti 1362. Domini *Canis*, & *Alboinus*, filii quondam *Maſtini de la Scala*, Canis fratris primogeniti interfectores, & ob id *Verona*, & *Vincentia* Civitatibus potientes, ſororem nupſerunt *Nicolao Eſtenſi* ſpurio potienti *Ferrariâ*, & *Mutinâ* ob mortem fratris *Aldobrandini*. Hinc novi affines factione *Guelphi* fœdus percuſſerunt contra Dominum *Barnabovem*, cui *Brixienſem* agrum invaſerunt, plurima Oppida deditione occuparunt, & vi *Pontevicum*, quod exindè per Dominum *Barnabovem* pari virtute fuit ſtatim retractum. Hiſce bellicis tumultibus ſucceſſit horribilis, & ferociſſima peſtilentia. Hoc eodem Anno Dominus *Barnabos* timens à *Scalenſibus*, & *Eſtenſi* turbari, *Parmam* die Veneris 11. Novembris peregit cum univerſo exercitu, præmiſſis illuc *Ungaris*, ſtipendiariis, ac aliis noviter collectis, cum ei nunciatum fuiſſet, prædictos fœderatos, ac Dominum *Feltrinum de Gonzaga* Regulum *Regii* maximas copias contuliſſe, ac locaſſe *Regii*, & *Mutinæ* ſubſidia in *Bononienſem* agrum mittenda averſuras. Fœderatos Dominus *Barnabos* provocavit in prælium: eos autem reſpuentes fraude circumvenit, & è ſtationibus revocavit, quamvis inter eos barbutæ 1200. numerarentur. Miſit igitur 500. *Ungaros*, & 200. barbutas, quos prætergreſſos *Mutinam* filius Domini *Feltrini* cum electis ſuorum manipulis inſectatus eſt uſque in apertum Campum, quò ſub ſpecie fugæ tractus fuit: ibi certamen

A evitare non potuit, & maximam paſſus cladem, paucis, fugâ redemptis, ad ſuos laceratus rediit. Die 20. ejuſdem menſis Dominus *Barnabos* Mediolanum reverſus natam ſibi prolem Maſculinam è Dominâ *Reginâ* lætatur, & gratioſum decretum evulgat, quo omnes Carcerati, & imò incluſi in Turri *Tricienſi* donantur libertate. *Ungaros* ad partes *Bononienſes*, præſertim *Lugum* miſit, cui præfecerat Dominum *Franciſcum de Ordolaſiis* olim Capitaneum *Forlivii*, & *Forlipopuli*, qui *Ungarorum* Ducem perſonaliter detinuit veluti ſuadentem, ut *Lugum*, aut alter ex tribus Burgis traderetur

B Eccleſiæ. Eſt enim *Lugum* Terra ex tribus fortibus, & firmis Burgis in Umbilico *Romandiolæ*: in medio Arcem habet valdè tutam, & fortem. De jure eſſe deberet Domini Archiepiſcopi *Ravennæ*, ſed Dominus *Joannes Vicecomes* Archiepiſcopus *Mediolani* eam (poſtquam emiſſet *Bononiam*) a ſtipendiariis *Guarnerii* occupatoris emit, & ſic Terra ſub Dominio Domini *Barnabovis* conſervatur. Caſtrum *Montis Vegii*, obſeſſum per Eccleſiaſticos, Dominus *Barnabos* liberare, vel ſuppetiis plene firmare deſperans, ad cæterarum munitionem, commeatum, & annonam maximo ſtudio, & labore ſe convertit. Quâ de re quendem Cau-

C ponem *de Calzacanibus* in *Parmâ* cum uno illius famulo capite plectendum juſſit, cum quendam *de Corregio* inhoſpitantem permiſerit abire contra mandatum ejuſdem Domini *Barnabovis*, & Poteſtatis. Ambæ partes de pace fictitiè tractaverunt. Pacta ſibi propoſita Dominus *Barnabos* non rejecit, & imo Civitatibus ſuis pro earum voto participavit, quorum pactorum ſumma hæc eſt: Nempè quod pro maxima florenorum quantitate Dominus *Barnabos* relaxaret Eccleſiæ *Lugum*, & Caſtra *Bononienſia*, fidejubentibus ipſis fœderatis. Sed pendente termino ad deliberandum, intra quem ſcribebatur Domino Papæ, an-

D nuente Domino *Barnabove* Civitates *Mutinæ*, & *Regii* commeatu firmatæ ſunt, & baſtitæ poſitæ contra *Mutinam* ſuper Canali cum aliis Terris *Bononienſibus* validiori præſidio tutatæ. Intereà Dominus *Galaſſus de Piis* factus rebellis Marchionis *Ferrariæ* tenens *Carpium* &c. profectus eſt *Mediolanum*, quo convenerant omnes ablegati Civitatum prædictarum: ibi de pluribus actum fuit, & præcipuè de pace cum Eccleſiâ ineundâ: quid fuerit concluſum, hactenus latet; quamvis Dominus *Galaſſus* in Caſtro redierit die 24. Octobris Anno 1363. tandem Reverendiſſimus Pater, & Dominus, Dominus *Andreas* Sanctæ ſedis 1363.

E Apoſtolicæ Legatus Anno 1364. die 27. Januarii pronunciavit pacem inter Sanctam *Romanam* Eccleſiam, & confœderatos, nec non Dominum *Barnabovem*, quâ pronunciatâ, reſtituit Eccleſiæ Univerſas Terras, quas unà cum *Lugo* poſſidebat in agro *Bononienſi*: quibus dimiſſis, Dominus *Franciſcus de Ordolaſiis* Mediolanum rediit anno eodem die 24. Februarii. Cum autem Dominus *Barnabos* eſſet *Parmæ*, ſuccreſcere cœperunt in *Mediolano* malæ ſocietates ipſam Civitatem corrumpere tentantes violentiis, furtis, rapinis, & ſimilibus: & cum *Mediolanum* rediiſſet, audivit querimonias ad ſe delatas de *Albertolo Bulgarono* Cancellario ſuo petito de violentiâ illatâ fratri-

F bus ſuis minoribus. Eum capi juſſit una cum aliis ſex ſuis ſociis, quibus omnibus juſſit erui oculos, & laqueo ſuſpendi: & hoc idem ſupplicium ſumpſit de aliis, qui nocturno tempore per *Mediolanum* incedebant armati. Iratus edixit, ne quis per Territoria, & Terras ſuas arma, ſeu borzas portaret ſub pœna ſuſpendii, volens, ut quiſque baculo ſolo utatur: quo circa multi furcis fuerunt ſuſpenſi. Mandaverat olim *Jannolo de Baſilicapetri* Capitaneo ſuo in *Parmâ*, ut omnibus præter-

termissis, 500. barbutas ex suis in Civitate *Parmæ* teneret: sed de novo mirabilis casus emersit: Nam sub silentio pacis propositæ, ac pendentis Domini *Mantuæ* cum Ecclesia, ut supra, confœderati tractaverunt cum Dominis *Mirandolæ*, ut ipsis dantibus Ecclesiæ Terram *Mirandolæ*, unus ipsorum frater captus in conflictu commisso in districtu *Brixiæ* adversus Dominum *Joannem de Besocero*, in quo conflictu multi alii proceres *Lombardiæ* capti sunt, de quibus Dominus *Barnabos* videbatur parum curare, liberaretur: igitur pro redimendo fratre Tetrarchæ *Mirandolani* exceperunt Ecclesiæ gentes in magna quantitate, ac recesserunt à fœderatione Domini *Barnabovis*: ad hæc alter ipsorum Regulorum unà cum Oppidanis tamquam *Gibellinis* nullatenus assentiebatur: ideò à Potestate, & Capitaneo *Parmæ* implorabat opem, ut Ecclesiasticos expellere valeret: verùm nihil obtinuit; nam dictus *Joannolus* præter unam banderiam, quam in Domo suâ habebat scriptam, & fictitiam (ut moris est *Mediolanensium*) & alios, quibus permiserat aliò equitare, auxilium dare non potuit pro successu prædicto. Quo audito, Dominus *Barnabos* Parmam celeritate festinavit, & cum propè Civitatem accessisset, præmisit, qui Capitaneum prædictum subitò in occursum Principi cum banderia evocaret. Sed hoc Capitaneus minimè præstitit, cum careret servitio, sed taliter qualiter potuit, & malè accessit occurren-
1363. do: Itaque die 15. Novembris 1363. fuit capitali pœnâ percussus in *Parmâ*, ejusque filius carceri mancipatus. Hoc supplicio peracto, Dominus *Barnabos* rediit *Mediolanum*, ubi detenti fuerant Domini *Ambrosius Vicecomes* filius Domini Lodrisii: *Lodrisolus Pusterla*, & plures alii nobiles *Mediolanenses* provisionati, qui Dominum *Barnabovem* proficiscentem *Parmam* stipare recusaverant, quamvis jussi edicto capitali, cujus executionem commiserat Domino *Ardiciono de Ardicionibus* Potestati *Mediolani*. Verùm ad preces Dominæ *Reginæ* conjugis à supplicio, & demum etiam à carcere fuerunt liberati, & quidem immeritò, cum beneficiorum receptorum essent immemores. Tantus timor, ac terror ex prædictis, & aliis atrociter commissis irrepsit in *Mediolanensium* corda, ut nemo eorum noctis tempore audeat per Civitatem ire, nec vinum in Tabernâ requirere, cum indicta esset pœna amputationis pedis. Ipsemet Prætor *Ardicionus* voluit fugere ad Curiam Domini *Galeazii* recusans, ut dicitur, Justitiam facere in personam *Andreoli de Luppa* fidissimi relatoris præfati Domini *Galeazii*. In prædictæ pacis gratulationem Dominus *Barnabos* indixit in *Mediolano* hastiludium, & Torneamentum, ad quod invitavit quoslibet Principes, Barones, Comites, & Universos Nobiles, datâ publicâ fide, ne quis molestaretur, propositis in præmium cingulo, & ghirlanda, valoris utroque Florenorum 200. sub duabus aciebus, alterâ Viridis coloris, altera Albi. Multi proceres confluxerunt: sed spectaculum à die Dominico 7. Aprilis ad diem Martii subsequentis prorogatum fuit ob mortem Domini Egregii Militis *Leodrisii Vicecomitis*, quæ evenit
1364. die Veneris 5. Aprilis 1364. in *Mediolano*, quem magnificè tumulari jussit Dominus *Barnabos*. Die itaque Martis in Aulâ Domini *Barnabovis* habitum fuit hastiludium præsentibus ambobus Dominis *Mediolani*, & in eo Albi obtinuerunt. Jam dudum *Ambrosius* filius naturalis præfati Domini *Barnabovis* cum aliis captis, ut supra, per Ecclesiasticos, & confœderatos restituti fuerant: & sic relaxati *Mediolanum* repetentes per *Placentiam* die Jovis 11. transiverunt cum *Gaspardo de Ubaldinis*, ut supra, capto in conflictu

A *Casalegii*: filium suum prædictum idem Dominus *Barnabos* constituit cum omni baylia, & potestate suum Locumtenentem Civitatis *Cremonæ*, & districtus. Quibus, & aliis magnificè peractis, dirui fecit super districtibus *Cremonæ*, *Bergomi*, & *Brixiæ*, infinitas fortalitias, & Castra præsertim *Guelphorum*, qui propterea valdè dubitarunt. *Joanni Vicecomiti* in Archiepiscopatu successerat *Robertus Vicecomes*, alias Canonicus ordinarius, & Archipresbiter *Sanctæ Mariæ Majoris* Mediolani, cui dimissus fuit Annulus, & parvæ possessiones: de cæteris jurisdictionalibus & beneficiis conferendis parùm se implicuit: ab eo, & à Clero, tum Domini *Mediolani* plures
B taleas, tum etiam nonnullas Ecclesia *Romana* exegit. In laboribus semper vixit, & moritur Anno 1361, quo in Archiepiscopum successorem eligitur *Guilielmus de Pusterna* Mediolanensis, tamen hactenus sine possessione residet *Avenione*. Eodem Anno 1361 pestilentia grassatur *Mediolani*, *Brixiæ*, *Cremonæ*, *Parmæ*, ac in aliis Civitatibus, earumque Territoriis. Thrasones, quos scarafonos vocant, Dominus *Barnabos* alit. Luxuriâ pene indomabili efferbuit in juventute. Quàm maximè dilexit, & gratiis cumulavit quandam *Antoniolam*, ex quâ suscepit fœminam, quam à nemine invisendam, &
C summo studio educandam curavit, cujus amore captus dictus Dominus *Pandulphus de Malatestis* Capitaneus gentium Domini *Galeazii*, & Regulus *Arimini* tales contumelias *Mediolani* passus est, ut odia antiquata renovaverit, & ab amicitiâ *Vicecomitum* discesserit, & veluti *Guelphus* præfectus fuerit Exercitui Ecclesiastico, & omnia, quæ potest, in perniciem *Vicecomitum* molitus sit, ut supra narravimus; quam quidem puellam Dominus *Barnabos* despondit unico, & super omnes Concives *Bergomenses* ditissimo, filio *Baldini de Suardis*. Venandi studium adeò coluit, ut sæpissimè ad intricatissimas nemorum ambages raperetur: &
D hyeme superiori à quodam rustico cædente ligna in nemoribus ignotus sub mentito habitu reducitur tempore nocturno *Madrignanum*, sed ab eodem inter pergendum explorat, qualis fama de se inter subditos vagetur, & omnia sua vitia sibi ab eodem exprobrantur: Quem tamen rusticum secum ad mensam in *Madrignano* discumbere jubet, lautè recreat, & munusculis donat. Convivia, & comessationes olim *Joanni* Archiepiscopo, & *Luchino* frequentissimas nulli exhibet: Mensam dat duobus Vicariis, & tribus consiliariis, nimirum *Uberto de Modetia*, *Ayrono Spinulæ*, & *Gravatio Raynæ*. Regia ei supellex: stipendiarios
E singulo mense ubique lustrat, & stipe recreat. Subitâ, & præsentissimâ bile adeò proripitur, ut iratum nemo præter prudentissimam Conjugem loqui audeat, quæ ipsum delinit: propterea præceps non pecuniarias multas indicere, sed capitale supplicium sumere solitus est. In Civitate *Bergomi* ad officium stipendiariorum habebat quendam Notarium nuncupatum *Antoniolum de Terrâ Hortæ* Episcopi *Novariæ*, qui in scribendo affabre, & perpolitè cæteros amanuenses excedebat, & tamquam in ea arte versatus usque ab adolescentiâ munere amanuensis functus fue-
F rat penes Dominum *Joannem* Archiepiscopum, à quo inter alios carissimus habebatur. Exercebat iste *Antoniolus* officium licentiarum: à quodam Capitaneo banderiæ equitum præ licentia danda exegit Imperiales 16. & tamquam pro bono itu, seu andata petebat grossum unum: ab eo Capitaneo accusatur penes Dominum *Barnabovem*, quod stipendiarios concuteret, & prædaretur. Quibus auditis, illicò sine alia determinatione, & defensione precedente, Dominus *Barnabos* de præsenti dat litteras Potestati *Bergo-*

*gomi*, tenoris, ut sub pœna furcarum, illicò visis epistolis, *Antoniolum* laqueo enecari faciat: & ita in Palatio *Bergomi*, denegato etiam confessionis sacramentalis spatio, factum est, quamvis gratiam Domina *Regina* impetrasset, & nuncius, qui eam deferebat, citatis equis volitasset. De hoc suspendio doluit Dominus *Barnabos*, ac de iracundiæ suæ pollenti vitio dolet ad mortem, sed nullatenus temperat. Metuendum se facit suis Officialibus, quos nec pecunia, nec commendationibus, sed virtute invitante provehit, & Magistratum bene gerentibus prorogat munus, secus contemplantur spectabile exemplum *Antonioli*.

## De Galeazio Vicecomite.

GAleaz autem *Vicecomes* (Tertius ex tribus præmissis fratribus) Magnificus, & excelsus fuit Dominus *Mediolani*, atque est Imperialis Vicarius Generalis, possidens Dominium Civitatum, & Terrarum, quas habuit in divisione antedictâ partim, & reliqua Dominia acquisivit; nunc autem Dominia infradictarum Civitatum habet, videlicet *Mediolani*, & Comitatus pro medietate: *Modetiæ*, *Viglevani*, *Laudæ*, *Placentiæ*, *Bobii*, *Papiæ*, *Terdonæ*, *Alexandriæ*, *Albæ*, *Vercellarum*, *Novariæ*, *Comi*, & quarumdam aliarum Terrarum inclusarum apud Territoria ipsarum Civitatum & aliquarum de districtibus earumdem. Factâ autem divisione ternariâ cum fratribus suis, cœpit in ipsis Civitatibus regnare modo infradicto. Habuit namque, ut superiùs est dictum, Dominam *Blancam* sororem Domini Comitis *Sabaudiæ* pro Conjuge, ex quâ duos filios (nunc viventes) suscepit, videlicet Dominum *Joannem Galeazium* natu majorem, & Dominam *Violantam* natu minorem. In divisione habuit etiam Domos, in quibus consueverant habitare Domini *Matthæus* ejus Avus, *Galeazius*, *Azo*, & *Luchinus de Vicecomitibus* præcessores: Item Domos Universas (exceptâ noviter constructâ per Dominum *Luchinum* apud Ecclesiam *Sancti Joannis in Concâ*, quam habuit in jam dictâ divisione, præfatus Dominus *Barnabos*) quas Domos, & multas alias sibi propinquas fecit funditus dirui, non dimisso solo lapide recto, exceptâ Capellâ *Sancti Gothardi* constructâ per Dominum *Azonem Vicecomitem*, & excepto Turriono antiquo, nec non alio noviter constructo tempore Domini *Luchini*, quæ Domus cum ornamentis, & picturis, & fontibus hodiè non fierent cum tercentis millibus Florenis. Domum suæ habitationis fundari fecit suo modo, & sicut de præsenti jacet, cum infinitis dispendiis, & detrimentis Civium suorum, à quibus undequaque, & qualitercumque voluit fabros, laboratores, & Magistros: lignamina pro pauco, vel pro nihilo habuit, & quod deterius fuit, facto uno pariete, cum infinitis dispendiis, & laboribus, ipsum funditus dirui faciebat, & ibi propè alium, vel similem construere. Propterea fastidio omnes consumpsit. Deinde tempore hyemali, tempore pluvioso, & omni tempore etiam æstivo non cessavit parietes, fornices, Palatia, & similia construere immensæ longitudinis, & latitudinis, ut decreverat. Et quia nimis celeriter, tumultuarie, plerumque ex laterculis mutilis, & ruptis fuerunt muri erecti, rimulas frequentissimas ediderunt, & aliqui brevi tempore corruerunt. Potest autem dici, quod domos suas simul sese tenentes, & separatas fecit fieri valdè pulchras cum expensis infinitis; deinde fecit fieri portas faciei Ecclesiæ *Sanctæ Mariæ*, ibi propè per taliam factam Mercatoribus *Mediolani*, portas scilicet marmoreas cum sulpturis intus pulcherrimis, sicuti apparent de præsenti, & cum maximis dispendiis. Non integrâ fruitur valetudine, & præsertim de præsenti. Propter eà in armis nullum exercitium facit; in agibilibus, & regimine vivit cum consilio Domini *Joannis de Pepulis* prædicti, (& præcipuè à duobus annis citra) qui honorem universorum negotiorum sustinet, mediante consilio Domini *Prothasii de Caymis*, & Domini *Roberti de Fronzola*, & aliquorum aliorum, à quibus omnia gesta, & gerenda procedunt. Petitiones, vel nunquam, vel rarissimè expediuntur, cum Dominus *Galeazius* sinat, ut Potestates, & Rectores juxta locorum statuta indicent, & statutis deficientibus, juxta jus commune, nisi aliquando aliud apparet, quod vult exequi secundum dispositionem suam. Propter otia libenter ludit ad taxillos, & conversantes cum eo ludere facit, quorum multi depauperantur. Habuit guerras infinitas, & habet de præsenti, & præsertim, quia vult amissa, & perdita, ut supra, vindicare, & recuperare, & non habita acquirere, ut jam diximus, & præcipuè *Papiam* cum districtu, ad quam habendam puteum plenum denariis evacuasset, quibus in rebus, aliisque gravioribus supportandis molestatur assiduè, postquam Marchio *Montisferrati* eum defidavit, & provocavit. Volens ideò supportare labores pro recuperatione *Novariæ*, & districtus, acquisitione *Papiæ*, tentatâ recuperatione Civitatis *Astensis*, & pro excipiendo Nurum suam, adeò cæteras suas Civitates depauperavit pecuniâ, ut pro ditando ærario plus gravet Florenis, quàm consuetum est, etiam *Mediolanum*, & Comitatum: ordinate, & inordinatè omnis pecunia è Civitatibus suis percepta, & tam ablata, seu mavis extorta tam Clericis, quàm Laicis mille modis imposita, & indicta, asportata fuit in saccis in *Alamanniam* per Comitem *de Lando*, & alios *Theutonicos*, & in *Ungariam* per *Ungaros*: sicque prædictæ Civitates remanserunt cum porro pilato, præsertim pestilentiâ eas devastante. Propter quas expensas sine fine factas dicitur idem Dominus *Galeaz* habere tenuissimum peculium, & fieri tenacissimus, & avarus in expendendo, cum eam non teneat Curiam, quam alii *Vicecomites* tenere consueverant, nec aliquis Consiliarius, vel officialis in ipsa comedat, nisi rarius; Itaque deficiente pecuniâ, cessaverunt provisiones Civium suorum, quas dare consueverat, & forensium diminuit, quantum potuit, quoniam subditi sui tam Clerici, quàm Laici propter supra narrata nequeunt amplius respondere. Etiam Castellanis stipendiariis, & Custodibus portarum Civitatum suarum, quos omnes reduxit ad stipendia *Mediolani*, male satisfacit retinendo stipendium quatuor, vel sex mensibus; quapropter illi etiam pessimè serviunt, dormitantes custodiunt, & debiliter præliantur: & hoc de præsenti experimur, nam quamvis ipse ad sua stipendia habeat peditatum, & equitatum, qui numero in duplum superat parvam societatem *Anglicorum*, attamen cum stipendiariis suis non potuit, nec valet illis *Anglicis* resistere, quin totum fere agrum *Alexandrinum*, plurimam partem *Vercellensis*, universum *Novariensem*, *Terdonensem*, & *Papiensem Ultrapadanum* everterint, Imò cum 800. barbutis Terras ipsas *Papiæ* ultra *Padum*, ac *Derthonam* populabundi destruunt de præsenti: quod quidem accidit ob nullos datos ordines, & ob stipendiarios non satisfactos, & subditos in tantum fatigatos diversis expensis pro pecuniâ ipsis extortâ, raptionibus Officialium, & stipendiariorum, ut non habeant unde

plus ultra perdere, nec sciunt illis *Anglicis* resistere, sed ducuntur ab utraque parte in profundis. Alium ordinem tenet in Officialibus, & Officiis suis, qui aliquando cassantur in termino primi semestris, aliquando (& plerumque) ad alios sex menses confirmantur, & aliquando intra secundum semestre revocantur: & causa est, quia non unicus, sed plures sunt Domini, nec aliquis (sive benè, sive malè functus sit munere suo) annum in officio Prætoris excedit, & postea in assequendo alterum officium adeò profundit, ut etiam lucrata in primo, imo, & plus, amittat. Condemnationes autem subditorum curat facere in pecuniâ, & non in personis, qualitercumque faciendæ sint. Gratias rarissimas facit. Ut reditus fiant uberiores, totis viribus studet; utque exigantur, omnem adhibet conatum. Dicitur, quod post Conjugium nullam aliam mulierem cognoverit. Multum labilis est ad promittendum: multum equis, & potius equabus delectatur. Maximas expensas passus est in *Papia*, faciendo fieri Civitellam (intra Civitatem) valdè magnam, muratam in profundum valli, seu fossi ab utraque parte, & potius in Castro suo noviter incepto, de cujus principiis infinita possent dici. Capitaneum guerræ diutiùs habuit Dominum *Pandulphum Malatestam*, de quo superiùs dixi, & qui ab eo recessit, ut est dictum; qui Capitaneus cum infinitis, & determinatis expensis viguit, sed nihil, vel parum fecit. Eo Capitaneo dimisso, Comitem *de Lando* cum societate suâ, & infinitis provisionibus post captionem *Papiæ* habuit in Capitaneum, & ipsum cum prædictis, ac aliis stipendiariis post recuperationem *Novariæ*, & districtus misit in partes *Astenses*, volens *Astam* cum districtu recuperare. Ipsi adhæserunt expulsi à Civitate *Astensi*, nempè illi *de Solerio*, *de Malabailis*, *de Ricciis*, & reliqui. Ubi totâ unâ æstate dictus Comes stetit cum exercitu, & posuit campum, & castrametatus est in *Sancto Lazaro* apud portam *Sancti Petri*, ubi diù stetit cum infinitis dispendiis, pontem *Tanari* destruxit, Villas Infinitas populatus concremavit, attamen Civitatem expugnare non valuit, sed plura recuperavit Castra (annuentibus ut plurimum Castellanis) quæ Dominus *Galeaz* de præsenti detinet. Curavit etiam dictus Comes recuperare alias Terras, & Oppida amissa in *Pedemontanis*, & illic stetit per longum tempus, & pauca quædam recuperavit. At non valens ulterius procedere, partem exercitus misit in agrum *Alexandrinum*, ubi ipsemet stetit faciendo guerram circum circa, & præcipue cum Domino *Thoma Malaspina* consorte *Alexandriæ*, à quibus partibus prava societas *Anglicorum* Lombardiam intravit. De laboribus autem *Vercellarum*, *Novariæ*, & aliarum Terrarum dictum est superius sigillatim. Ex hisce gestis non est mirandum, si præfatus Magnificus Dominus *Galeaz* pro dicta exequendo habuit Laicos, & Clericos aggravare, & potius

1360. eos, qui effugere non poterant. Durantibus autem prædictis, præfatus Magnanimus corde Dominus cogitavit filium suum Dominum *Joannem Galeazium* unicum uxore sociari: & deliberato consilio illustrem Dominam *Elisabetham* filiam illustris Regis *Francorum* in Matrimonium ei copulavit, ambobus tamen in ætate puerili existentibus, quod cum infinitis dispendiis acquisivit, & pro ipsam conducendo infinitæ expensæ factæ fuerunt, cum pro ipsâ excipiendâ miserit in Regnum *Franciæ* infinitos Proceres cum infinitis Nobilibus, nec non infinitis provisionatis, & non considerans morbum tunc in partibus illis existentem, guerras infinitas in partibus eisdem occurrentes, noluit vota sua decipere in eam trans-

A ducendo magnanimiter, Regaliter, & Imperatorie. Quàm prodigaliter dicta Domina fuerit recepta, postquam intrasset Terras suas, scilicet in *Sanctâ Agathâ* districtus *Vercellarum*, non attinet dicere. Quàm sumptuosè, & gratiosè excepta fuerit à Matronis, & Electis *Vercellarum*, & de *Novariâ*, non est scribendum. Quàm magnificenter recepta fuerit in *Papiâ*, infinita scribi possent. Quid autem dicetur in *Mediolano*? quanto magis cum arguatur à minori ad majus? & sic Nuptias prædicta Domina (curia propalata) complevit in *Mediolano*, ubi de præsenti moram trahit. Habuit Dominus *Galeazius* Dominum *Manfredum de Saluciis* Marchionem, sed

B à Marchionatu pulsum, & Cognatum Principis *Pedemontium*, pulchrum, & probum militem, & sagacem à principio sui habiti Dominii, habuit, inquam, in Consiliarium, illique multum favebat: sed hoc anno præsenti ipsum à curia sua licentiavit, & ipsemet Dominus *Manfredus* fuit causa. Non valens itaque Dominus *Galeaz* domare rebelles suos, semper studuit, quod bona ipsorum undecumque essent, & qualitercumque sese haberent, mobilia, vel immobilia, suæ Cameræ applicarentur, & sic ipsa voluit locari, & exigi, & exacta totaliter in ærarium suum transmitti omni tempore. Anno autem curren- 1362.

C te 1362. de mense Octobris mortuus est *Innocentius* Papa *Sextus*, & cum maximis quæstionibus electus fuit *Urbanus* Papa *Quintus*. Electio diù fuit dilata ob discordiam Dominorum Cardinalium, & in *Mediolano* præfatus Dominus *Galeaz* constituit *Ubertinum Siccamilicam* in Officialem ad recipiendum primos redditus quorumcumque beneficiorum Vacantium in Civitatibus, & locis ipsi Domino *Mediolani* subjectis, factâ electione in beneficiis ipsis, quam electionem mandavit ubique, ut suprà, fieri intra octavum diem, postquam ipsis constitisset de Beneficiati morte, dumtaxat exceptis habentibus literas Apostolicas, contra quas

D noluit aliam electionem fieri: & sic talem Officialem habuit, durante bello antedicto, & ultrà, & pluribus viribus consecutus est universorum beneficiorum valorem, quem habebat in scriptis, unà cum limitatione bladorum, vinorum, lignorum, & aliorum mobilium. Ille Officialis cogebat universos Prætores, & Rectores præfati Domini ad compellendum Parochianos solvere pro Parocho, in Civitatibus, & fictuales pro beneficiatis: & ubi fictuales satisfacere non possent, coëgit communitates locorum, in quibus Beneficiati erant. Propter hæc, & guerram, & quia de beneficiis nihil percipiebatur, doluit

E qui Clericus fuit: nam Clerici harum pensitationum causâ sunt detenti personaliter, & graviter, non obstante quod Divina ministrare deberent. Престереà præfatus Dominus *Galeaz* curavit habere universa studia in Civitate *Papiæ*, in qua antiquitus fuisse dicuntur: & certè de jure bene stat: nam ipsa Civitas, & Domus sunt plerumque vacuæ, & inhabitatæ, & mercatum de pensionibus Domorum habebimus pro libito. Ibi infinita copia vinorum, & frumenti, de quibus nihil, aut parum pretii invenitur, de lignis non est dicendum, quia pluribus annis præteritis nemora pacem habuerunt. Hisce considera-

F tis curavit habere in universis scientiis Doctores, & Privilegia, & facultatem conventandi in ipsis artibus, & subindè ad universos suos Prætores dedit literas tenoris infradicti, nempe: *Galeaz Vicecomes Mediolani & Vicarius Generalis. Cum habeamus studium in Civitate nostra Papiæ, tam in Jure Canonico, quam Civili, & in Medicinâ, & Physicâ, & Logicâ, habeamusque ibi Doctores sufficientes; Mandamus vobis, quatenus proclamari faciatis in Civitatibus vestris, in locis consuetis, quod*

*quod quilibet scholaris debeat ad Civitatem nostram* A
*Papiæ statim accedere sub pœnâ nostro arbitrio au-*
*ferendâ: & si qui ivissent ad aliena studia, statim*
*mittatur pro eis, & compellantur venire Papiam;*
*in ipsa enim Civitate Papiæ acquisivimus Privile-*
*gia solemnia studii generalis cum potestate, & au-*
*thoritate dandi Conventum in decretalibus legibus,*
*& qualibet facultate. Datum Mediolani, 27.*
*Octobris.* Quæ quidem literæ in locis dicto Do-
mino *Galeazio* subditis fuerunt publicatæ, & jux-
tà earum tenorem fuit proclamatum edictum.
Durantibus autem guerris prædictis, & præci-
puè postquam sceleſtissima illa *Anglicorum* societas
intravit *Lombardiam*, continuè Dominus *Galeaz*
tenuit in *Mediolano* obsides in magna quantitate B
de potentioribus Terrarum infra dictarum, & de
*Guelphis*, & de *Gibellinis*, videlicet de *Placentia*,
*Terdona*, *Alexandria*, & potiùs de *Papia*, de
qua voluit habere universos Primores utriusque
partis, & tenet de præsenti, & dicitur, quod
illi de Civitate *Papiæ* sunt 40. imò & ultra, a-
lii autem de cæteris tribus Civitatibus non sunt
descripti, nec isto tempore aliquos relegatos de
*Novariâ*, & *Vercellis* habuit in *Mediolano*, &
Comitatu, sed primos de ipsis Civitatibus pluri-
es per maximum tempus tenuerat, nec duran-
te morbo in *Mediolano* & Comitatu voluit i-
psos *Novarienses*, & *Vercellenses* licentiare, ideò C
ex relegatis *Novariensibus* mortui sunt *Henricus*
*Torniellus* filius Domini Romagnoli, *Francischi-*
*nus Tettonus* agnomento *Barba* filius Domini Ja-
cobi Pielle, & alii aliqui. Curavit etiam habe-
re relegatos de aliis Terris fortibus, & præci-
puè de *Parmensibus*, sed tardè venerunt Bubul-
ci, quia cum ipsos voluit habere, non potuit
propter subitam Inimicorum festinationem, præ-
terquam à Terra *Clastidii*, à qua plures habuit,
quorum nonnullis malè evênit, cum semper ex
intervallo faceret (& potiùs uni Presbytero) mu-
tilari universa membra, & semper tormentari,
quousque mors succedat. Quæ Terra *Clastidii*,
quia diù fuit confœderata cum *Viqueriâ*, & *Bre-* D
*mide* (clavibus districtus *Papiensis* ultra *Padum*)
cum maximis laboribus, & cautelis est defensa,
& impedita ut *Viqueriam* secuta non sit. A præ-
sidiariis *Viqueriæ* præsenti æstate detrimenta in-
finita, & maxima susceperunt; & procul dubio
si Dominus *Mussus de Beccariâ*, cujus est Castrum
*Rebecchi* valdè validum, & vicinum loco *Clasti-*
*gii*, in quo major pars est amica illorum *de Bec-*
*cariâ*; si, inquam, fuisset in *Mediolano* relegatus,
Terra *Clastigii* perdita fuisset post perditum *Vi-*
*queriam*, quæ cum maximis laboribus homines
*Clastigii* contentavit. Prædicta autem *Anglico-*
*rum* impia societas reversa, cum auxilio Du- E
cis *Januæ*, & captis Arcibus super *Derthonensi*,
& aliis locis ibidem adhærentibus, partim præ-
lio, & partim sine prælio, ut superiùs est descri-
ptum, densissimæ noctis tempore, cum sca-
lis secum devectis, prope Civitatem *Dertho-*
*næ* pertransivit, & prætergressa *Cecimam*
in Monasterio *Ripaltæ* eâ nocte jacuit, & sum-
mo mane cum aliis balistariis recenter missis à
Terra Novarum (*Italis Novi*) Terram *Boschum*
*Alexandrinum* de insultu non dubitantem intra- F
re curavit. Terra illa est super *Frascheta* in
districtu *Alexandriæ*, in quâ 600. homines habi-
tabant: verum ipsis non advertentibus, & ni-
hilo per eos amoto è Villâ, prædicta prava so-
cietas ipsam Villam invasit, universa occupavit,
sed Arcem etiam præliando expugnare non potuit.
quamvis Terram, & alias illinc propinquas, quam
diligentissimè populata sit, & incendio con-
sumpserit. Deinde venit *Bozolum*, *Formicarium*
*Terdonæ*, quod licet afflixisset aggressione, & in
illud jaculata esset plaustrum unum verettono-
rum (*sagittarum oblongiorum*) opprimere nullate-
nus potuit. Tunc per *Fraschetam* progressi us-
que Salas (*Sali*) ad Fluvium *Scribiam* pluribus a-
ciebus, & manipulis ordinata, constans equiti-
bus mille, & ultra, prope *Salas* substitit, &
cum tantæ multitudini oppidani *Salenses* dene-
gassent ingressum, prædictum Monasterium oc-
cupavit, quotidie Terram *Castri Novi*, & alias
nostras opprimendo. Deindè recedens *Vique-*
*riam*, curavit quâdam nocte populari Terram de
*Straellâ*, quæ Terra est *Papiensis* Episcopatus
ultra *Padum*; in ipsam quàm plures ingressi sunt
tacitè, sed ab expergefactis oppidanis rejecti
sunt armatâ manu. Iterum prope *Viqueriam* re-
gressa, expugnavit hostiliter Arces *Sancti Mar-*
*tini*, & Burgi *de Lareâ* valdè firmas, quas opi-
bus exspoliatas occupat, & nunc Ripam de *Naza-*
*no* pugnando tentant opprimere. Et quod deterius
& irreligiosius fuit, feruntur *Viquerienses* exhumas-
se cadaver Domini *Ruffini de la Ripa Nazarii* ex Do-
minis *de Sancto Nazario*, illudque membratim
dilaniasse. Pridem etiam habuerat præfatus Do-
minus Galeaz *Picardonum* filium *Antonii* Vassal-
li de *Vercellis*, quem carissimè diligebat, ut po-
tè socium continuum in eâ peregrinatione, quam
idem Dominus *Galeaz* passus erat in partibus
Ultramontanis metu Domini *Luchini*, ut superiùs
diximus, cui propterea *Picardono* tamquam Do-
mestico suo committebat cara officia, & unam
ex Dominis de *Gualdengo* in uxorem dederat,
quæ pulcherrima erat, licet ipse esset deformis,
niger, parvus, & pravus. Qui dum esset generalis
executor pro dictis apparatibus, & aliis laboreris
faciendis, se adeò superbè gessit verberando ho-
mines, & ipsos tributando, ut clamor malè ge-
storum ad cælum usque personuerit. Ipse *Pi-*
*cardonus* delectabatur quoque (tamquam pessimus)
in faciendo condemnationes ad Cameram Domi-
ni sui, & factas exigere continuo, talia faciens,
quod universas Civitates, & loca præfato Do-
mino *Galeazio* subdita tyrannizabat, nihil pen-
dens primates Curiæ, & signanter Cives, tan-
taque rapuerat etiam pro se, quod brevi factus
est dives triginta millium librarum Imperiali-
um, cum primitùs non haberet unicum Flore-
num; & quia superbi neminem habent amicum,
ideò & ipse à Domino *Joanne de Pepulis* scanda-
lizato de prædictis pravitatibus, non plenè dili-
gebatur: ideo fuit carceratus, & syndicatus. De
quo autem fuerit petitus in syndicatu opus non
est declarare: sed potestis cogitare, quoniam
tam celeriter & intra tempus adeò modicum non
cumulasset tantas divitias recitando Pater noster;
Fugam è carcere arripuit, & quia Diabolus, cu-
jus erat, noluit, quod impunis evaderet, extra
*Mediolanum* fecit ipsum inveniri, & demum tam-
quam latro fuit ad furcas suspensus, & tantarum
suarum divitiarum fuit hæres præfatus Dominus
*Galeaz* restitutâ solummodo dote prædictæ uxo-
ri suæ, & *Antonius* pater ipsius nunc *Vercellis*
stat carceratus. Hisdem diebus repertum fuit,
quendam ex familia *Medices* de *Mediolano* incum-
bentem, & suprastantem laboreriis Castri *Pa-*
*piæ* multa suffuratum fuisse, quem ideò Domi-
nus *Galeaz* erectis furcis super fossâ ejusdem Ca-
stri suspendi fecit, & ibi denigrari. Prætereà
hoc anno præsenti *Tadiolum de Carcano*, ejusque
filium (ambos Castri *Viqueriæ* Præfectos) pro eo
quod in Castro non erat ipse *Tadiolus*, cum *Vi-*
*querienses* sibimet ipsis nuper vindicarunt Domi-
nium Terræ, & Castri, curavit Dominus *Ga-*
*leaz* per cambium habere, & ambos tamquam la-
trones ad caudam Asini trahi ad supplicium, &
laqueo suspendi fecit. Summo studio venatori-
bus edixit, ne feras bestias caperent insidiis, &
proditoriè, & de hujusmodi inhibitione sæpius

per universa loca sibi subjecta literas renovavit: Jussit etiam, ne quis præcipuè in flumine *Ticino* t mulos piscaretur, & si quem fortasse caperet, illicò ad coquinam Dominicam deferret: eos etenim pisces præ cæteris appetit, & sic facit in fructibus, & præcipuè in amarenis dulcibus de *Zotego*, & *Mosicio* districtus *Novariæ*, pro quibus totaliter habendis Commune *Novariæ* multa dispendia passum est, ac patitur. Idem hoc de equabus curat, & ubi scit aliquam equam habilem ad gignendum extare, eam vel sub stipendio, aut alio modo necessario habere vult. Hoc tamen anno refriguit amor venandi, & habendi equas, quia *Anglicorum* incursiones, & Terrarum rebelliones alia exordia concluserunt. Prætereà prædictus Dominus *Albaret* una cum prædicto fratre Ducis *Januæ* recuperarunt, & seu denuò occuparunt in districtu *Papiæ* hasce Terras, nempè *Stephanagum*, *Gravanagum*, *Fortunagum*, *Montipechium*, *Roccam fesellam*, *Podium* . . . . . *Castagnolum*, *Sanctum Antonium*, *& Nibiolum*: quibus Terris habitis, profecti sunt *Novas* (*Italis Novi*), & deindè frater Ducis perrexit *Januam*, & Dominus *Albaret* cum 300. Barbutis ivit *Astam*, alia verò turma, seu societas petiit *Aquas*. Paucos post dies Dominus *Albaret* cum Domino *Othone de Brusvich* vênit *Valentiam*, & Domini Comes *Landus*, & *Joannes de Pepulis* pro Domino *Mediolani* venerunt *Bassignanam*. Simul juncti propè *Valentiam* egerunt de pace componendâ, mox unusquisque ad partes suas rediit. Deinde Dominus *Galeaz* dicitur in *Garlasco* (Terrâ rebelli, ut supra) habuisse tractatum, & pro eam occupando, & arripiendo stipendiarii ipsius Domini missi fuerunt à *Papia*, & aliis locis, quorum pars intravit: sed oppidani quoscunque ingressos capiunt, & laqueo suspendunt. Evanuit ergo illa expeditio ob nimiam stipendiariorum pigritiam in equitando. Quarè Dominus *Galeaz* iratus, quod sui rediissent *Papiam* re infectâ, mandavit Dominis *Joanni Pallavicino* de *Scrippiono* Marchioni Potestati *Papiæ*, & *Ubertino de Petrasanta* Capitaneo, quatenus visis literis suis dictos tales stipendiarios detinerent: mox aliis literis continuò, & illicò datis jussit, ut ipsos omnes stipendiarios (enim sexaginta in vincula conjecti fuerant) facerent de præsenti suspendi. Visis hujusmodi literis horruerunt Potestas, & Capitaneus, & executionem protelarunt. Interim unus in *Mediolano* impetravit gratiam, ne suspenderetur, quam Dominus *Galeaz* indulsit, sperando quod dicta executio facta fuisset. Cum igitur virtute gratiæ omnes fuissent relaxati, Dominus *Galeaz* adeò irâ correptus fuit, ut jusserit, & imperaverit carcerationem *Ambrosoli Cribelli* sui Cancellarii, quem condemnavit in salario unius anni, quia nimis lentè scripserat literas suspensionis, aut in scribendo distulerat. Potestatem autem, & Capitaneum prædictos ad carceres coëgit, quos tamen aliquot post dies dimisit. Euntibus autem, & redeuntibus prædictis Domino *Conrado* Comite *de Lando*, & *Joanne de Pepulis* nunciis Domini *Galeazii* versus partes Marchionis pro pace tractandâ, universa societas convênit in *Romagnano* districtus *Novariæ*, deinde perrexit *Garlascum*, & post nonnullos dies *Ticinum* tranavit ad *Vadum*, nam Dominus *Galeaz* portus, & naves, & imò etiam iter terrestre vetuerat,
1363. & ita anno 1363. die Mercurii quarto Januarii, Comitatum *Mediolani* omni conatu ingressa est, & Terras *Mazentæ*, & *Corbettæ* occupavit faciens, quæ facere consueverat. Quibus Terris captis, se in plures Cohortes, & manipulos divisit vagatura per *Seprium*: Itaque pars *Lignanum*, pars *Nervianum*, altera *Castanum*, altera

A *Vitudonum*, alia *Sedrianum*, pars *Magalia* prope *Mediolanum* ad quinque, vel sex miliaria petiit, multaque alia loca parva non nominata; Invênit multos Nobiles vacantes ob festivitates, & ludentes noctis tempore, & non suspicantes de tanto infortunio. Quotquot ex eis voluit, abduxit. Matronis autem pepercit, propter brevissimam moram, sed eas ornamentis exspoliavit, quæ non modico pretio dicuntur æstimari. Quid ultra? Sexaginta ex Nobilibus viris captos consignavit in *Castano*, & si plures potuisset ligare, & ducere, plures ad commune spolium præsentasset: sed perfidæ illi genti defuere funes, &
B conductores, adeò ut unus ex illis *Anglicis* aliquando decem captivos abigebat, & sic incautè, & tam miserrimè, & imò vilissime prædicti *Mediolanenses* se capi permiserunt, & sine ullâ resistentiâ, & dicitur, quod prædicti capti se redemerunt centum millibus Florenorum inter sese collatis. Quid autem de aliis raptis dici potest? & tunc dicti *Anglici* verentes perdere tot parta, regressi sunt cum ita pinguibus spoliis in districtum *Novariæ*, nempè *Romagnanum*, quo tutò se receperunt timentes impetum *Anichini de Bongardo*, qui cum mille barbutis *Parmâ Mediolanum* tendebat: sed cum pervene-
C rit, poterit dici: *serò sapiunt Phryges*. Hæc igitur est confirmatio pacis præsentis, de quâ Dominus *Galeaz* sperabat esse concors cum prædicto Domino *Albareto*, & aliis *Anglicis*. Tamen ipse Dominus *Albaretus* magis sapiens artem delusit arte. Quarè Dominus *Galeaz* post promissionem meditabatur patrare alia, de quibus propter nimium opus tacetur. Bestias illi latrones non potuerunt in totum abigere propter transitum *Ticini*, in quo naves Domini *Galeazii* multum obstiterunt. Præterea dicto Anno 1363. die 22. 1363.
Januarii, Illustris Rex *Cypri*, & *Hierusalem* (agens ætatis annum 25.) cum pulchro comitatu,
D & servitio *Mediolanum* applicuit profecturus *Avenionem*: Magnificè per utrosque Dominos *Mediolani*, & cum magnis expensis fuit exceptus, diuque & cum magnis solatiis ibidem stetit. Durantibus istis, Dominus *Otho de Brusvich* cum præfato Domino *Albareto* curavit Burgum prope *Bassignanam* furtim, & clandestinè subtrahere: & die 25. Januarii plures ex suis in dictum Burgum sub noctis favore immisit, sed pluribus ingressorum vulneratis, & sex interemptis, eâdem nocte *Valentiam* petiit; Intereà nihilominus *Anglici* custodiebant Terram *Romagnani*, à qua multa damna inferunt agro *Vercellensi*, & *Novariensi*,
E pabulatum euntes per miliaria duodecim, & ultra. Urgente igitur pabuli inopiâ, summo studio curaverunt supprimere Terram Burgi *Maynerii* in eodem agro *Novariensi*, & adeò studuerunt, ut istis diebus eam circum circa expugnaverint: & cum descendissent ex equis pro ipsam aggrediendo, supervenerunt à *Novaria* 300. barbutæ in auxilium Oppidi, quæ *Anglicis* obsidentibus intulerunt magna damna, sed nec ipsæ fuerunt sine pœnâ. Rursus deinde agitur de pace. Conversus autem Dominus *Galeaz* ad conterendam nequitiam proditorum, & ad compescendos cujuscumque perfidiæ motus, manda-
F vit Rectoribus suis, ut infradicta tormenta exequerentur, & infligerent in personis proditorum suorum, & complicum. Tenor autem, quo tormentorum series indicitur, talis est: Intentio Domini est, quod de Magistris proditoribus incipiatur paulatim. Primâ, tertiâ, quintâ, & septimâ die quinque bottas de curlo, scilicet quinque ictus funis: nonâ, undecimâ, detur eis potio ex aqua, aceto, & calce: Tertiâ decimâ, pellis ab humeris usque ad cubitum tollatur in modum duarum corrigiarum: Decima quin-

quintâ nudis pedibus ambulent super ciceres: decimâ septimâ eadem deambulatio: decimâ nonâ, ponantur super equuleum: vigesimâ primâ eadem equitatio: 23ª. eruatur eis è capite unus oculus: 25ª. truncetur eis nasus; 27ª. amputetur eis una manus: 29ª. incidatur alia manus: 31ª. incidatur pes unus 33ª. incidatur alius pes, 35ª. incidatur unum castronum: 37ª. aliud castronum incidatur: 39ª. incidatur virga. 41ª. forcipibus super plaustro membratim lanientur, & posteà in Rotâ ponantur. Cæteris diebus intermediis, ac alternis reposetur. Harum pœnarum
1362. executio facta fuit in personas multorum anno
1363. 1362. & 1363. Recessit à *Mediolano* præfatus illustris Rex, *Papiam* petiit, ubi magnaliter jussu Domini *Galeazii* fuit exceptus: deindè perrexit *Viqueriam*, ubi ex parte Marchionis *Montisferrati* fuit magnificè susceptus: Die sequenti, scilicet sextâ mensis Februarii, *Terdonam* pervênit cum comitivâ, & proceribus suis, ubi pernoctavit. Die insequenti *Januam* versus profectus est. Porrò Dominus *Galeaz* per infrascriptum decretum suum contulit suis Rectoribus plenam facultatem confiscandi proditorum bona. Edictum est hujus Tenoris: *Nos Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius Generalis: Ad refrenandum multorum facinora, qui ruptis debitæ fidelitatis, & obedientiæ habenis, adversus statum nostrum, imo veriùs adversus Imperialem Majestatem in Civitatibus, Castris, Villis, & Territoriis à Cæsarea Dignitate nobis concessis, quas, & quæ tanquam Imperialis Vicarius regimus, & gubernamus, hostili animo, seu quocumque alio modo Nobis, & Statui nostro tranquillo animari conantur, ne dum humana, verum etiam Divina præcepta, quibus jubetur, quod omnis Anima Principibus sit subjecta, sceleratissimis facinoribus, & assiduis rebellionibus demoliri, & dicta nostra Territoria, imò verius imperialia cum multitudine latronum, & aliorum pulsorum hominum invadere, atque occupare, ne ex eorum absentiâ, vel quacumque contumaciâ in detestando læsæ Majestatis, seu nostræ Dignitatis, & Status nostri extimationis crimine, seu rebellionis processus, & sententia retardetur, & tanti sceleris nefanda temeritas remaneat impunis, hoc edictali (Deo propitio) perpetuò valituro Decreto nostro, omni Imperio, & authoritate, quibus meliùs possumus, sancimus, ut in quocumque læsæ Majestatis, & offensæ cujuslibet prædictæ Nobis, & Statui nostro illatæ crimine, & maximè contra rebelles nostros, vel invadentes Territorium nostrum hostili animo, seù modo prædicto, per quemcumque Vicarium nostrum Generalem, Potestatem, Capitaneum, & Vicarium Civitatum, Terrarum, & Villarum prædictarum possit procedi per accusationem, inquisitionem, seu denunciationem, summariè, & de plano, sine strepitu, & figura Judicii, & alioquocumque modo extra ordinem, juris, & statutorum solemnitate, & formâ omissis, pro ut illi, qui jurisdictione præest, videbitur expedire. Adeò ut si qua Communitas, Corpus, vel Collegium, vel alia quævis persona cujuscumque status, Dignitatis, vel conditionis existat, super dicto Crimine læsæ Majestatis, vel rebellionis per nuncium, vel per epistolam, seu etiam per edictum pure propositum citata, vel citatum neglexerit in termino personaliter, vel legitime comparere, contra ipsam, vel ipsum, ac si præsentialiter omnibus interesset, & lis foret legitimè contestata, tam ad receptionem testium, & eorum publicationem, & sequentia, quàm ad definitivam sententiam inclusivè, & ad publicationem omnium bonorum, & jurium Cameræ nostræ applicandorum, & ejus executionem realiter, & personaliter procedatur, legibus, statutis, & consuetudinibus non obstantibus quibuscumque; quibus omnibus in contrarium facientibus mentionem ex cer-*

A *ta scientia, & de nostræ potestatis, & authoritatis prædictæ plenitudine derogamus. Decernentes, & declarantes, quod illi omnes, & singuli sint rebelles, & Infideles Imperii, & nostri proditores, & pœnam capitalem, & publicationem bonorum suorum incurrant, qui in quocumque publicè, vel occultè contra debitum fidelitatis, vel subjectionis faciunt rebellionis opera, & in nostram prosperitatem aliquid machinantur, sive in his, quæ ad commissum nobis Vicariatus Officium, seu Dignitatem Generalis Imperialis Vicarii pertinet repellendo. Hoc autem nostrum generale Decetum volumus ad præterita, præsentia, & futura, & quod ex nunc*
B *absque ulterioris temporis expectatione, & transcursu, suum integrum vigorem decernimus obtinere.* Dum autem dictus Comes *Landus* morando *Novariæ* duceret cum magnâ cautelâ concordium cum *Anglicis* in *Romagnano* existentibus, & *Mediolano* rediisset (ubi à præfato Domino *Galeazio* increpationem habuerat tenoris scilicet, quod de guerrâ suâ nihil fiebat, & *Anglici* jure merito, & sine alio obstaculo patrabant contra Dominum *Mediolani*, quidquid eis libebat, & placebat) & dum prandium sumpsisset *Novariæ* Domi *Omarini Piscatoris*, ubi non defuerat bonum vinum, & exindè benè refectus se contulisset ad Domum Episcopi *Novariæ*, accessit ad
C eum *Joannes Caymus*, tunc in *Novaria* Capitaneus, armatus, & stipatus *Ungaris*, & stipendiariis, & impatiens de processibus *Anglicorum*, contra quos nihil fiebat per munera, & exenia per eumdem Comitem ad Capitaneos *Anglicorum* missa, narravit eidem Comiti, quod illi perfidi cum eorum carrigio venerant *Brionam*, & omnem annonam rapiebant. Adeo igitur stimulavit, blatteravit, & perstrinxit, ut eâdem die Jovis 22. Aprilis 1363. Infelix Comes correptus verecundiâ, si præliandi occasionem evi- 1363.
taret, & imò exagitatus veris increpationibus Domini *Galeazii*, annuerit equitare cum Capitaneo: & quamvis vellet differre, ut discedentibus hostibus haberet causam redeundi, & vi-
D dendi: attamen (Deo justo Judice) habuit equitare. Profecti igitur *Brionam*, reperierunt *Anglicos* jam discessisse: eosdem armatâ manu insecuti interceperunt, ad Pontem *Canturinum* in Territorio *Romagnani*. Pons ille est adeò super quodem rivo constructus, ut per eum solummodò transiri possit. Ibi prælium commissum est, in quo *Anglici* succumbentes coacti sunt fugâ repetere *Romagnanum*, sed triumphando: nam junctis viribus ad Castrum *Sanctæ fidei*, retrocesserunt ad dictum pontem, afferentes succursum illis, qui Carrigium tuebantur dimicando.
E Superato ponte, qui plaustris impediebatur, invenerunt ibi Comitem, quem ferociter sunt aggressi, eique ictu lapidis dejectum fuit nasale barbutæ, & statim cum lancea inflictum vulnus in ore: sauciatus Comes prælium totis viribus sustinebat, sed iterum vulneratus sub brachio dextero inter captos abducitur per hostes, & brevi diem extremum clausit. *Joannes Caymus* Capitaneus unà cum pluribus ex suis capitur, plurimique cæsi sunt. Tantæ jacturæ causa adscribitur suis *Ungaris*, qui ex equis descendere noluerunt (quamvis idem Comes desi-
F liisset, & eos juberet descendere) memores de conflictu cum iisdem *Anglicis* ad *Derthonam* per eos commisso, in quo postquam hostis vires, & pugnam instaurasset, Comes *Theutonicos* suos faciebat deviare clamando: *alt, alt*, quorum causa ipsis *Ungaris*, & aliis subditis Domini *Mediolani* malè successerat, nec cum eo Comite dicta gens potuit prosperare. Et sic ille Comes, quem universa *Italia* reformidabat, fuit à Scaranis peditibus suffocatus. De illius obitu immodicè De-

Dominus *Galeaz*, Dominus *Joannes de Pepulis*, & imò *Anglicorum* hostium Caporalas doluerunt. Nam de concordio cum eis ineundo tractabatur. Quid ergo ipsi Comiti mortali profuit Nobilitas, potentia, strenuitas, industria, venustas, probitas, rapinæ? & ipse incautus, cum cautior esset, à gregariis peditibus confossus est. Eo tempore in Civitate *Novariâ* erant Legati *Pisani*, qui cum *Anglicis* ipsis agebant de eos conducendo ad stipendia, nam Civitas *Pisana* immodicè à *Florentinis* vexabatur. Mortuo dicto Comite, brevi conclusum fuit accordium, de quo supra tetigimus: proindè Dominus *Albaret* cum ipsâ *Anglicorum* comitivâ, quæ constabat ex tribus mille, Terram *Aronam* (ex permissione Domini *Galeazii*, qui dictum accordium procuraverat) profectus est, dimisso totaliter *Romagnano*, & Castro *Sanctæ fidei*. Paucis ab hinc diebus *Mediolano* transivit, & inde concomitante Domino *Joanne de Pepulis*, ut abeunti tutior esset transitus, prope *Placentiam* superato *Pado* flumine, *Pontenurum* applicuit, ubi universa illa multitudo pernoctavit. *Pisas* demum pervenerunt, ubi auxiliantibus *Pisanis* multa enormia adversus *Florentinos* patrarunt populando, & capiendo. Cum itaque maledicti *Anglici* abiissent, præfatus Dominus *Mediolani* dirui fecit Arces *Mediimerici*, *Sanctæfidei*, & *Burgimaynerii*, in quibus sese incluserant dicti hostes, seu latrones, studuitque recuperare (Duce, ac seu Capitaneo generali Domino *Luchino de Verme*, viro miræ industriæ) Terras, quas amiserat in districtibus *Papiensi*, & *Derthonensi*: Quarè brevi recuperatis Villa, *Casali*, *Vulpeyno*, *Vulpedo*, & *Monleali*, exercitum misit contra *Bremide*, ubi campum firmavit, effossis duabus vallis circum circa: tantamque adhibuit custodiam, Castris, etiam firmatis, ut nulli ingressus, seu egressus daretur. Sex Machinæ erectæ sunt, quibus oppidum die noctuque labefactatum in deditionem cogitur. Eadem ratione, & arte illicò exercitus obsedit *Salas*, quæ etiam invitè, & brevi necesse concordarunt cum Domino *Mediolani*, igitur exercitus, receptis *Salis* per deditionem, *Garlascum* die 20. Octobris adoritur, electisque machinis, campoque firmato oppidum lacessire incepit. Hoc apparatu, & rebus Domini *Mediolanensis* prosperis territa Oppida *Sanctus Antonius*, *Nibiolum*, & *Burgo Priulum*, quæ cum *Viqueriâ* rebellaverant, sese eidem Domino dedere studuerunt. Tot tamen bellici apparatus, ac obsidiones sine infinitis dispendiis tam Laicorum quam Clericorum Districtualium, & subditorum fieri non potuerunt: de extorsionibus in hujusmodi expensas exigendo patratis non scribo, quia infinita possent cumulari, attamen & *Placentiæ*, ubi pecunia reperta est, & *Novariæ*, ubi Cives, & Districtuales sunt penitus destructi, infinita sunt extorta. Obsessi autem in *Garlasco* nec viribus, nec annonâ carentes, & de machinis 17. eos quatientibus non curantes sese constantissimè tuebantur, sed verentes de taponorum, & subterraneorum cuniculorum vi per obsidentes tentanda in muros interiores, ac verentes, ne ulteriori defensione privarentur, deditionem præfato Domino *Luchino de Verme* obtulerunt, ad id assentientibus *Guelphis*, forensibus intrinsecis, paucis *Guelphis*, qui adversabantur, è pago pulsis. Pactis firmatis, sed nondum utrinque completis, gens Domini *Mediolanensis* Terram impetravit nullatenus castra custodiens cum plurima *Garlaschinorum* gens, & præcipuè ille *Rolandus de Camero* principalis proditor sub noctis taciturnitate fugam arripuisset, paucis ibidem relictis. Quarè cum diluxisset, quotquot in Oppido, & Arce, tam terrigenæ, quam forenses inventi sunt, jussu Domini *Mediolanensis* capiuntur, & die *Sancti Stephani* Protomartyris scilicet 26. Decembris, quinque *Garlaschini*, inter quos unus Presbyter dicebatur, in oppositum suarum Domuum fuerunt pedibus suspensi, & vitam finierunt, quorum unus dicitur in hujusmodi supplicio vixisse horis 33. Duo autem, quorum alter de Hortâ Episcopi *Novariæ*, laqueo eâ die ibidem fuere per gulam suspensi. Triginta duo advenæ, & exteri unà cum eorum Capitaneo, & aliquibus ipsius Terræ parvulis ad Carceres *Papienses* traducuntur, ibidem macerandi. Demum Terra militibus populabundis tradita comburitur, mœnia cum Arce solo æquantur. Hisce peractis, exiit proclama, ut volentes ibi habitare de novo, possent redire. Hæc detestanda, & sub tam infelici belli causâ duraverunt usque ad diem 27. Januarii 1364. quâ die Reverendissimus Pater, & Dominus, Dominus *Andreas* Sanctæ Sedes Apostolicæ Legatus pacem pronunciavit, cujus causâ Dominus *Galeaz* edidit literas insequentes. *Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius generalis. Reverentiâ pii, justique Patris Reverendissimi Domini Consanguinei nostri, Domini Andreæ Divinâ Providentiâ Sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, cum Domino Marchione Montis Ferrati, inter quem, & Nos diutius guerra viguit, sicut scitis, & nostis, nuper ad pacem, & concordiam Nos induxit. Ipse quidem his diebus ad partes Lombardiæ occasione suæ Legationis accedens, & transitum faciens per partes, & Terras Domini Marchionis prædicti, tractatum dictæ pacis cum præfato Domino Marchione inchoavit instanter, & indè Mediolanum applicans, Nosque ad pacem prædictam suis suasionibus venerandis exorans, vocatis in Civitate nostrâ prædictâ Ambasiatoribus ejusdem Marchionis, post longum tractatum hinc inde habitum inter præfatum Dominum Marchionem, & Nos, die Sabbati 27. Januarii pacem publicè promulgavit. Nos enim ob sinceræ devotionis affectum, quo eumdem Rev. Dominum Consanguineum nostrum prosequimur, & propter Commune bonum Vestrum, aliorumque fidelium subditorum nostrorum commoda, & utile cuicunque affectui nostro præferimus, præfati Reverendissimi Domini Consanguinei nostri acquievimus voluntati; Mandantes vobis, quatenus pacem ipsam servetis, & faciatis inviolabiliter observari, pacem eandem juxta formam inclusam facientes in locis debitis proclamari: & hoc notificetis omnibus Terris districtus vestri, in quibus cognoveritis expedire. Datum Mediolani die* 28. *Januarii.* Quæ literæ cum introclusis in *Placentiâ*, ubi tunc temporis pro Judice Victualium Nobilis Viri Domini *Antonini Tornielli* Potestatis *Placentiæ* permanebam, fuerunt lectæ, & publicatæ, ac pace ictâ, resides perfidi *Anglici*, qui sub stipendiis præfati Domini Marchionis remanserant, combustâ Terrâ *Precipiani Derthonensis*, quam Domini Abbati *Precipiani* subtraxerant, & occupaverant per *Placentiam* transeuntes, sese transtulerunt ad partes *Pisarum*, ubi cum aliis perfidè sese agentibus Civitatem ipsam & loca propinqua, faciendo guerram *Florentinis*, populationibus, & violentiâ confundunt. A pace verò prædicta, & per scripturam affixam ad plateam Communis *Papiæ*, exclusi fuerunt octo *Viquerienses* in eâ nominandi, unus *Papiensis* scilicet Dominus *Ubertus Guastonus* Jurisperitus, & alter *Lombardus*, nempè Dominus *Luchinus* Junior, seu *Novellus*, filius Dominæ *Isabellæ de Flisco*. Anno præsenti 1364. præfatus Dominus à suo proposito, & inceptis contra Civitatem *Novariæ*, non recedit; nam ultra destructionem Civitatis, & districtus, ab ejusdem Clero binas taleas exegit: Primam nempè propter expensas Ambasiatorum, quos in *Gallias* mittebat, ob mor-

mortem Regis *Francorum*: alteram verò propter instructionem, seu fornimentum Castri *Papiæ*, pro lectis, & pannis lectorum ibidem necessariis, sed potest dici, quod Laici eas Taleas pensitarunt propter impotentiam, & inopiam clericorum: etenim necessarium fuit eas à Colonis exigere, licet ii eodem anno aliud gravissimum, & importabile onus sustinuissent: quoniam præfatus Dominus habere voluit pro construendo Castro *Papiæ* universos Carpentarios, & Fabros lignarios *Novarienses*, & imo fornacum institores, ita ut *Novariæ*, & in ejus districtu unicus laterculus non remanserit. Item operas tam de Civitate, quam de districtu singulis mensibus cambiavit, eosque totâ æstate, & autumno tenuit cum infinitis dispendiis Parochiarum, Nobilium, & Terrarum, & causa fuit, quia unicuique laboratorum dabantur denarii 18. & à Civibus, vel Districtualibus erogabantur soldi quinque, vel ultra. Sed illud fuit durius, quod scilicet prædictis durantibus, & non obstantibus, Dominus *Galeaz* tenuit *Bertolottum Confalonerium* de *Placentia* Domicellum suum pro diruendis Terris, & arcibus universis districtus *Novariensis* cum salario soldorum 20. in die persolvendo à locis, ubi permanebat, qui cum aliis 200. operis districtui indictis, & cum expensis infinitis universa loca, excepto *Burgomaynerio*, laceravit, & vituperavit, incipiendo à *Burgo Olegio*, à quo post explanationem ipsius habere voluit florenos 4500. & à *Corpignano* 500. adversus hæc gravissima, & importabilia nullus *Novariensium* ausus est loqui. Quibus durantibus, & de mense Au-
1364. gusto dicti Anni venit tam in planitiem, quam in Montes *Oscelæ*, Vallis *Intrascbæ*, *Vehemeniæ*, & Vallis *Sesitis* tanta multitudo locustarum, quæ pluribus in locis Universa blada, herbas, folia, & virentia voravit. Quarum locustarum acies, declinante sole assurgebat densior densissimâ nive cadente tendens semper ad unam viam. Multa & quidem incredibilia dicta fuere de hac colluvie, de quibus taceo. Erant ea animalia capite crasso, collo crassiori, & coloris viridis, volatu validissima, & in districtu *Novariensi* perdurarunt usque ad mensem Octobris, cæterasque *Lombardiæ* regiones dicuntur afflixisse.

### *Canis Grandis de la Scala.*

Canis de la Scala Veronensis, & Vicarius Imperialis, seu vice Imperialis, vir multa suo tempore in *Italia* gessit, & plures Civitates *Lombardiæ*, & Marchiæ *Tarvisinæ* Dominio suo subjecit, & Tempore Domini *Matthæi primi Vicecomitis* floruit, & tempore Domini *Galeazii* plurimum floruit: & dici potest, seu mavis debet nuncupari Dominus Canis *Canis de la Scala senior*, ad differentiam aliorum juvenum successorum suorum, qui propter famam suam nominantur *Canis*, sed variato pronomine. Cæterorum *Italicorum* liberalitatem in expendendo superavit, continuò Curiam suam prodigaliter tenens: provisiones infinitas Proceribus tam *Italis*, quam *Theutonicis* dabat: adeò ut in *Italia* nulli Principum similis fuerit deindè Curia, nec provisiones coæquales. Et sic procedendo, & augendo semper statum *Veronæ*, & *Vincentiæ* Civitatum primò, & ab antiquo per ipsum, & suos tentarum, & possessarum, multas alias Civitates propter potentiam suam nactus est, & de Nobilitate suâ factæ sunt infinitæ cantilenæ. Unum autem potest concludi, quod filium legitimum non habuit: Quos autem extra matrimonium suscêpit, omni studio educavit, ac instituit, & in cognoscendo pulcherrimas mulieres dicitur, quod alios excesserit. Suo studio acquisivit Civitates *Tarvisii*, & *Patavii*;
A quibus acquisitis, periit juxta prophetiam *Merlini* Philosophi, & moriturus statuit sibi hæredes universales Dominos *Albertum*, & *Mastinum* nepotes suos *de la Scala*, quos ab adolescentiâ fecerat educari, & moribus perpoliri, eisque commendavit unum suum spurium. Ambo fuerunt magnanimi corde, præsertim *Mastinus*, amboque prodigi in expendendo, præcipuè *Albertus*. Ambo statum *Veronæ* magnanimiter ampliarunt: Ita ut si fortuna suis principiis arrisisset, potentiores in *Italiâ* emicuissent, cum Universi Primates *Itali* amicitias eorum procurarent. Præterea acquisiverunt Dominia Civitatum
B *Brixiæ*, *Parmæ*, & *Lucæ*, *Feltri*, *Cividalis*, & *Belluni*, & de dictis Civitatibus titulum habuerunt, tanta stipendia dantes, ut Universa *Italia* curaret ipsis Magnificis Dominis confœderari. Unum autem horrendum fecit prædictus Dominus *Mastinus* in acquirendo *Brixiam* ei datam pro parte *Brusatorum*, & aliorum complicum *Guelphorum*, & fuit annuere, & permittere, quod ipsi *Guelphi* pro libito proprio in eâ Civitate, & districtu voluntatem, etiam inpunè exercerent in opibus, & personis *Gibellinorum*, ac ipsorum sequacium. Et cum prædicti duo fratres pro Dominio illius Civitatis habendo (prout habuerunt) intrassent instructi, ac firmati omnibus
C eorum viribus, *Guelphi* cœperunt invadere *Gibellinos*. Hæc videns Dominus *Albertus* resistebat pro lacessitis: & allegantibus *Guelphis*, quod ea patrabantur permissu Domini *Mastini* (& verum erat) ipse *Albertus* tunc abiit *Brixiâ* dicendo, se utpote *Gibellinum* nolle occidi, si omnes *Gibellini* debebant occidi, & *Veronam* subitò rediit. De hoc recessu multum doluit Dominus *Mastinus*, qui de dictâ permissione fuit multum improbatus per universos *Gibellinos Italicos*, nec deindè prosperè ei successit; & imò cum curaret Civitatem *Venetiarum* submittere, malè res ei contigit per ea, quæ dicentur. Cum autem
D Dominus *Albertus* staret in *Paduâ* pro Domino, habebat amicitiam cum Domino *Marsilio Carrariâ*, & cum aliis de eâdem gente *Carrariâ* habebat etiam affinitatem, nam uxor Domini *Mastini* est ex illis Dominis, & ex ea Dominus *Mastinus* susceperat tres filios, scilicet *Canem Canem*, *Canem Signorem*, & *Canem Alboinum*, nec non duas filias, videlicet Dominam *Reginam* uxorem Domini *Barnabovis*, de quâ multa pulchra superiùs dicta sunt, & Dominam *Virdam* uxorem Marchionis *Nicolai Estensis* Domini Civitatum *Ferrariæ*, & *Mutinæ*, & pro quo Matrimonio multa mala illata sunt præfato Domino *Barnabovi*, ut superiùs est dictum. Et sic pro-
E pter Amicitiam illorum *de Carraria*, dicti Domini *de la Scala* non faciebant in *Padua*, nisi ut decernebat Dominus *Marsilius*, & reliqui de Domo suâ: Qui unà die dederunt ordinem tractatu facto in *Padua* de recipiendo ipsis *de la Scala*, Civitatem ipsam tamquam majoribus Civitatis, & *Guelphis*: & sic sine bello præfatus Dominus *Marsilius* dominium ipsius Civitatis acquisivit, & Dominum *Albertum* cepit, captumque personaliter detinuit diù, & donec cum maximis dispendiis extitit dimissus. Præ-
F dicti autem duo Fratres *de la Scala* nati erant ex unâ Dominâ Dominorum *de Corrigio* de *Parma*, sorore quondam Domini *Azonis de Corrigio*, qui tot mala, & cautelas gessit in *Lombardiâ*, & sine cujus consilio prædicti *de la Scala* nil faciebant. Qui Dominus *Azo* cum aliis de Domo suâ dedit ordinem, quod unâ die Civitatem *Parmæ* tractatu celebrato habuit, & ipsius Dominium acquisivit. Domus namque *de Corrigio* erat tertia ex potentioribus partis *Guelphæ Parmensis*, & sic ipsam Civitatem tenuit, quousque

que Dominus *Luchinus Vicecomes* Corrigienses violenter expulit, & dominium illius Civitatis acquisivit. Etiam *Pisani* in *Thuscia* moverunt quæstionem contra Civitatem *Lucæ* possessam per ipsos *le la Scala*, & in obsidionem ipsius Civitatis circum circa se posuerunt, nec umquam in *Lombardia*, aut *Thuscia* Civitas tam fortiter obsessa, quantum fuit illa; Quoniam *Pisani* fecerunt circum circa duplex vallum, quod munierant duplici palancato, intra quod exercitus stabat adeò firmatus, ut neque avibus pateret ingressus ad Civitatem, neque egressus. Hanc obsidionem decreverant *Pisani*, quia præfatus Dominus *Mastinus* inter cætera gravia, quæ patrarat, Civitatem *Lucensem* vendiderat *Florentinis*, de consensu tamen, & placito *Lucensium*, qui tamquam protinus *Guelphi* nullo modo patiebantur subjici *Pisanis*, tamquam *Gibellinis*: quâ de causâ ope, & opere Domini *Mastini*, & *Florentinorum* miserunt infinitas gentes stipendiarios pro solvendâ obsidione, quam patiebantur, & pro vastando agro *Pisano*, sed prædictæ gentes, quamvis infinitæ, nec Civitatem ingredi, nec obsidionem turbare valuerunt: In *Pisanorum* obsidentium auxilium Dominus *Luchinus Vicecomes* supplicantibus *Florentinis*, & Domino *Mastino*, misit *Joannem de Olegio* cum 500. bonis barbutis de suis, & aliis conscriptis pecuniâ *Pisanorum*. Durum ibidem fuit commissum prælium, in quo *Pisani* obtinuerunt, & Dominus *Joannes de Olegio* passus est nasi incisionem ictu spatæ, & captus fuit per inimicos. tandem *Pisani* in eorum principiis indurati, & perseverantes contra voluntatem *Florentinorum*, & Domini *Mastini* Civitatem expugnarunt, & ipsam tenent. *Gibellini* intereà, qui è *Brixia* evaserant, ægrum animum gerentes contra Dominum *Mastinum*, de quo primitus confiderant, non cessabant ordiri telam, per quam Dominus *Mastinus* Dominium ipsius Civitatis *Brixiæ* amitteret, rebusque apte ordinatis, & dispositis districtum *Brixiensem* invaserunt cum gentibus Domini *Azonis Vicecomitis*, & brevi Civitatem obtinuerunt, expulsis gentibus Domini *Mastini* (& forma, quidem Turpi) quam deinde Civitatem Domini *Vicecomites* tenuerunt, & de præsenti tenent. Contra eosdemmet Domini *de la Scala*, etiam Commune *Venetiarum* se posuit, & Dominum *Petrum Rubeum* de *Parma*, in Capitaneum generalem gentium suarum constituit; Qui Capitaneus, cui dudum in *Italia* par non fuit in sensu, & strenuitate, cum 7000. barbutis per violentiam illis *de la Scala* non solum Civitatem *Tarvisii*, verum etiam universum Dominium ademit. Quibus propterea *Scalensibus* satis fuit potuisse conservare solummodò *Veronam*, & *Vincentiam*, dimissis cæteris omnibus eorum Civitatibus. Sed post mortem Domini *Alberti* cœpit Dominus *Mastinus* vitiosè dominari, & pacem semper coluit cum *Venetis*, quorum prædictus Capitaneus *Petrus Rubeus* in hostilibus congressibus, & inter dimicandum occubuerat. Pacem etiam cum Domino *Mediolani* consecutus est, & imò etiam cum Domino *Ludovico* tunc Imperatore, à quo filiam suam nomine *Imperatricem* habuit in nurum, scilicet Uxorem Domini *Canis* primogeniti, ex qua est nata unica proles, scilicet fœmina: Confovit etiam immensam pacem cum Ecclesiâ *Romanâ*: & hisce sic deductis, dictus Dominus *Mastinus* mortuus est, relictis prædictis tribus *Canibus* filiis suis, quos instituit hæredes, quorum major natu cœpit regnare in prædictis duabus Civitatibus, & adeò potenter, ut magnanimus reputaretur in *Lombardia*. Habebat *Frignanum* fratrem naturalem multa facundia pollentem, probum, & expertem, & inter No-

A biles gratiosum, virtutibus instructum, & uxoratum. Magnanimiter regendo non curabat de fratribus, minusque de isto *Frignano*, neque de provisionatis, nam ad usque illum diem nullus *Italus* fuit, qui tot, adeoque pulchras provisiones dedisset, sicut præcessores *de la Scala*, & ita cum vitam obiisset Dominus *Mastinus*, defuerunt, & cessarunt provisiones, novam Curiam sibi eligente Domino *Cane*. In Civitate *Veronæ* curavit Castrum exstruere, quod nondum factum fuerat tempore suorum Majorum, cœpitque Curiam publicam non tenere (quam alii præcessores tenuerant) dictumque fratrem naturalem, & B reliquos (alterum adolescentem, alterum puerum) malè tractare, curans tantum de meretricibus, & de sensu suo. Sed hæc non æquo animo ferens dictus *Frignanus*, tamquam expertus, nec placidè ferentes multi Curiales antiqui, ita gessere, ut quâdam die, participantibus Dominis de *Mantua*, qui semper fuerant stimulus Domini *Mastini* in discordiâ, præfatus Dominus *Friganus* cum sequacibus suis (*Cane* extra *Veronam* existente missisque stipendiariis, qui ei reditum prohiberent) Dominium *Veronæ* intercepit, & eâdem horâ (tantæ enim fuit industriæ & sagacitatis) plura castra obtinuit in Territorio C *Veronensi*. Susceptis itaque pluribus *de Gonzagâ* de *Mantua*, & cum consilio sibi faventium cœpit prodigaliter regere. At cum Civitas ita circumduceretur in contemptum, Reverendus Vir Dominus *Joannes Vicecomes* Mediolani Archiepiscopus curans ampliare ditionem suam, & audiens *Veronam* sic duci in litigium, misit ad eam Civitatem Dominum *Barnabovem* cum 500. barbutis, qui tamen nihil gessit: dicitur tamen se respexisse affinitatem, & recusasse experiri viriliter de viribus suis: alii ferunt, ausum non fuisse ingredi, cum nemo *Veronensium* illi adhæsisset, & nullus illorum in litigiis inter *Scalenses* D dehiscat ab eis, & ita Dominum *Barnabovem*, cum prævideret se remansurum solum, & sine sequacibus, ausum non fuisse intrare, nomine Dominico, præsertim cum neuter dictorum duorum fratrum, quamvis malè, ut supra, habitorum adhærere voluerit. Recedens ergo Dominus *Barnabos* se recêpit in *Brixiâ*, & diversimodè, varieque sentiendi, & ratiocinandi materiam suppeditavit. Ego tamen sentio, illum prudenter se gessisse, tam propter matrimonium contractum, quam per subsequentia, licet dicatur fuisse redargutus, & reprehensus. *Frignanus* itaque dum *Veronæ* dominaretur, serviebat aliis duobus fratribus suis quantum poterat: E honorabat Dominam Matrem ipsorum, & Dominam *Imperatricem* uxorem Domini *Canis*: in *Veronâ* statuit Officiales pro libito, alios ejusdem Domini *Canis* removendo. Populus tamen *Veronensis* prædicta molestè ferebat, videns istos Dominos de *Mantua* ultra solitum conversari in *Veronâ*, timensque, ne eorum machinationibus Dominium Civitatis occuparent: nec mirum; quoniam *Veronenses*, & *Mantuani* facti sunt rursus inimici Capitales. Intereà præfatus Dominus *Canis* in *Vincentia* stans sic dolenter imploravit auxilium à Domino Marchione *Brandeburgensi* F legitimo fratre uxoris suæ, potentissimo, & pacifice possidente Civitatem *Tridenti*, & juxta petita impetravit. Quibus auxiliis fretus Dominus *Canis*, ac dicens, se visurum, quinam ipsi prohibiturus esset regressum ad domum suam, accessit armatus ad *Veronam*, & non obstantibus gentibus de novo per Dominum *Frignanum* acquisitis pro illius Civitatis custodia, suburbium *Sancti Petri* intravit sine molestia, cum nulla prorsus offensio mutua fuerit inter eum, & suburbanos. In Civitatem ingressus est per flu-

vium

vium *Athesim* eandem per Civitatem defluentem, multis suorum præmissis per foramen aquæ ductus, cum fluvius esset valdè depressus. Restiturus, ac obstiturus Dominus *Frignanus* tamquam generosus, & probus, & cum bonâ societate se dignè exercens, multa præclara facinora edidit de personâ suâ: Quod si alii sibi adhærentes virtutem illius fuissent imitati, certe Dominus *Canis* minimè intrasset, cum aliqui, & præcipuè optimates timentes de personâ, & ingressu Domini *Canis* potius fugam ad extremas partes, quam Civitatis defensionem quæsivissent. Malè igitur Domino *Frignano*, ac aliis, & præcipuè Civibus cum eo existentibus evênit: nam ipse Dominus *Frignanus* post multa strenuè gesta hostes amplius repellere, & sustinere non valens, tum propter ipsorum multitudinem, tum propter cives tunc Domino *Cani* faventes, interemptus fuit super ejusdem fluminis ripâ multum occupatâ per utramque partem, & magna fuit mutua clades, nec facilis fuit introitus; imò multi intrando, & pugnando perierunt submersi in flumine, quod propterea ob cruorem rubescebat. Demum Dominus *Canis* vix ingressus, illicò omnes *Frignani* socios furcis suspendi fecit, tamquam impios proditores, furcis etiam suspenso nudo Cadavere Frignani. *Alboinum* etiam *de la Scala* naturalem unà cum aliis 34. in tribus vicibus fecit suspendi: qui *Alboinus* per alia, & ista certè non fuit indignus suspendio, cum ipse tempore Domini *Mastini*, & propriâ manu jugulasset Dominum episcopum *Veronensem* affinem suum, & ex illis *de la Scala*. Iste *Alboinus* fuit secundus germanus in lineâ præfati Domini *Canis* interfectoris sui. Hisce peractis, Dominus *Canis* cœpit cautius se custodire, sed nihil profuit; Castrum erexit in *Verona* fortissimum, in quo uxorem cum universo servitio tenebat, & ipsemet continuò habitabat: ejus autem mater unà cum cæteris filiis morabatur in antiquis Palatiis ipsorum *de la Scalâ* sitis ad Plateam, sed satis obscurè, nam idem Dominus *Canis* tyrannizans non curabat de ea, nec de fratribus, nec multum de Conjuge, quamvis valdè formosa, deditus duabus meretricibus, quas extra Castrum noctu invisebat. Unicam filiam ex Conjugio suscepit, sed nullum masculum, plures autem spurios habebat, & solummodò in ipsis delectabatur, & cum adolevissent, curavit, ut pecuniâ, quam *Venetiis* habebat, iisdem spuriis adscriberetur, & in eorum manibus à stipendiariis suis præstaretur sacramentum fidelitatis, Cæteri duo fratres ab eo pessime habiti, & in ætatem capacem provecti (præsertim *Canis Signorius*) de hujusmodi rebus dolebant, & verentes de morte, propter præmissa, consuluerunt propriæ saluti statuendo ipsum interficere. Habebant ipsi duo fratres unicum famulum sibi fidum: equitabant soli, vel cum solo prædicto famulo, cum nullus Civium, aut forensium auderet eos sociari. Et Dominus *Mastinus* equitabat, & aliquandò cum unico socio, & sine ense, præsertim cum aliquam ex amasiis invisurus erat. Prædicti autem fratres concordaverunt inter se se illum occidere, quandocumque ipsum invenissent solum, & eâ horâ cœperunt equitare simul in locis, in quibus Dominus *Canis* conversabatur luxuriandi causâ. *Canis* igitur unà cum socio fit obviam fratribus, quibus aliquid dixit de dicto famulo, & alio *de Malaspina* equitantibus; Quibus auditis dictus *Canis Signorius* respondit: *Per corpus Domini cum tuâ superbiâ non evades*; & stricto ense eum fugere non valentem vulneravit in capite, & ex equo prolapsum, juvantibus aliis, occidit, & exinde cum alio fratre parvo cucurrit ad plateam ubi morabantur. Universi cives prosilierunt ad arma, sed non multum curantes de nece Domini *Canis*, qui tam superbè, & austerè contra cives, fratres, matrem, & uxorem se gesserat, statim *Canem Signorium*, & *Canem Alboinum* ad Dominium Civitatis provehunt: etenim Populus *Veronensis* de nullo alio Domino unquam curavit, ubi unicus *de la Scala* vixit. Itaque dicti duo fratres cœperunt sine ullâ molestiâ dominari *Veronæ*, & *Vincentiæ*, ac egerunt de ducendo in uxorem Dominam Cognatam viduam, præviâ Pontificiâ dispensatione; sed vidua rejecit hujusmodi nuptias, & *Veronæ* permansit, donec per præfatum inclitum Marchionem fratrem suum accita rediit in Patriam cum maximis expensis ipsorum Cognatorum, qui summo studio ipsam honorare curaverunt, timentes impetum tanti Domini Marchionis, quem volunt in Amicitia, si possunt, conservare. Nupserunt autem hoc Anno 1362. reliquam sororem in *Ferraria*, ut est di- 1362.
ctum, cujus Matrimonii causâ se confœderarunt cum ecclesiâ, & Domino *Regii* contra Dominum *Barnabovem* eorum Cognatum implacabili odio se gerentes. Aliud horrendum accidit etiam in Civitate *Mantuæ*, ubi Dominus *Ugolinus Gonzaga* ibidem Regulus a duobus suis fratribus (de quibus confidebat) ad ipsius lectum juxta eorum morem accedentibus confoditur. Interfectores Dominium *Mantuæ* occuparunt, & tenent pecifice. Quæ causa fuerit tanti sceleris, ignoratur: conjectari fas est, quod propter crudelia ipsius gesta, Deus id permiserit.

## *Dominus Marchio Montisferrati.*

JOannes Marchio *Montisferrati* natus Domini *Theodori* olim *Græcorum* Imperatoris sororem habuit nuptam Illustri Principi Domino *Aimoni* Comiti *Sabaudiæ*, quæ fuit mater *Aimi*, nunc Comitis, & *Blancæ* Conjugis Domini *Galeazii Vicecomitis*, à suis Illustris Principis nomine nuncupari meruit, & Imperialis Vicarius Generalis. Strenuus est, probus, sapiens, moderati Animi, formosus, & inquietus. Terras omnes, vel amissas, vel venditas, vel oppigneratas per quondam genitorem suum, qui nullius fuit virtutis, redemit, vel pretio, vel bellicâ virtute, usque ad unam, nempe *Gasanam*. Nil umquam de suâ ditione amisit, Imò postquam ipse, licet viribus impar, bellum indixisset Domino *Mediolani*, multa acquisivit, & contra voluntatem ejusdem Domini detinet. Primò uxorem senem duxit sororem Domini Cardinalis de *Conunzi*, quam adhuc puellam Pater ejus spoponderat, & propter divitias eam, sicut juvenem honoravit, & coluit semper, nullique alii mulieri se unquam immiscuisse dicitur. Secundò autem nupsit nepti Illustris Regis *Aragonum*, filiæ scilicet Regis *Majoricarum*, fœminæ quidem satis pulchræ, ex quâ *Reginam* suscepisse dicitur. Post autem difidationem factam *Vicecomitibus*, se ita gesserat circa recuperationem Terrarum suarum ut *Hector* ipsi nullatenus prævaluerit. Nam semper bellum habuit cum illustri Principe *Achaiæ* in partibus *Pedemontanis*, & cum universis *Guelphis Pedemontium*, *Astensibus*, *Iporegiensibus*, *Canepitiis*, & *Alexandrinis*, intra quorum vires ipsius ditio includitur. Subditos suos (sive *Guelphos*, sive *Gibellinos*) amavit, & honoravit juxta ipsorum merita. Amavit semper *Gibellinos* Civitatum sibi adhærentium, & Præsertim *Papiæ*, *Vercellarum*, *Iporegiæ*, & *Taurini*, & *Aquarum*. Sed circa finem refrixit amor ob discordiam cum Domo *de Beccaria*, & cum *Canibus* de *Casale*, quorum unum videlicet *Franceschellum Canem* capite damnavit, aliosque è *Casali* expulit, eo-

rumque Domos diruit. Pluries se armorum conflictui immiscuit, in quibus semper obtinuit, & præcipuè apud *Gamaneriam*, ubi prælio ordinato, & cum amicis suis Senescalcum Regium, (de Domo illorum *de Balzano*) virum magnæ potentiæ, & virtutis occidit, fusâ universâ hostium acie, auxiliante universâ parte *Guelphâ*, cui Victoriæ multum contulit Nobilis Miles Dominus *Otho de Brusvich* Theutonicus, ejus affinis, probus, & sapiens, de quo plusquam de alio idem Dominus *Joannes* (& quidem meritò) confidit. Vindicavit Burgum *Caluxinum* in *Canapicio*, adversante eodem Principe unà cum *Guelphis*, quæ Terra multum Dominio suo nocebat, nec sine maximis dispendiis fuit acquisita. Acquisivit *Valentiam* contra voluntatem *Guelphorum* ipsius loci, ac circumstantium, illudque oppidum tenet de præsenti cum ponte super *Padum*, per quem intrant, & exeunt omnes sui, per quos turbat statum *Papiæ*, *Novariæ*, & *Mediolani*. Recuperavit etiam *Bremidem*, quem continuè tenuit cum detrimento Dominorum *Mediolani*. Alia per ipsum Marchionem gesta jam superius sunt descripta.

# FINALIS CONCLUSIO,
## indictione 15. 1362.

*Circumdederunt me dolores mortis, & pericula Inferni invenerunt me. Ego autem* Petrus Azarius *Notarius infrascriptus stans in Agone, vidensque naviculam* Petri *remige carentem, & destitutam nautâ in partibus Italicis, & signanter* Lombardiæ *propter defectum, & absentiam * duorum Pastorum, qui malè custodiunt Gregem suam, nec Lyram in uno sono quærunt concordare, & tamquam desperans habui dolores delinire, ut exinde consequi valeam beneficium sanitatis scribendo. Sed non profuit, cum morbus chronicus medelis non curetur. Heu quot angoribus animus meus fuit excruciatus? heu quot dolores Corporis passus sum propter nefanda, quæ audivi, vidi, & propter morbos cum peste simul ad unum concurrentia, & in malo proposito persistentia? Tot malis nullum datum fuit remedium per præmissos malos Pastores, neque* Lombardiæ *saltem in malè gestis, incendiis, populationibus, cladibus &c. data sunt per Medicum remedia sanitatis prævalentia morbo, quo humanum genus in* Lombardia *ferè periit. Igitur ipse stans* Derthonæ *in infrascriptis officiis, circumdatus fui mortis doloribus: Nam discedens* Burgomaynerio, *ubi casualiter cum familiâ meâ moram trahebam, positis pro discessu calcaribus, vidi* Ambrosium, *filium meum annorum septem vivum, & mortuum: & tunc cum tribus aliis, videlicet* Philippo, Jacobo, *&* Joanne *natu majoribus fugiendo evasi morbum, dimissis Domi* Francischinâ *Conjuge meâ, filiâ quondam* Ardicini de Fossato, *&* Antonia *filia ætatis mensium quatuor,* Catharina *annorum trium, &* Joanna *agente annum nonum, quas non potui sublevare: evasi quidem, sed nescius quò diverterem, cum de infectione dicti loci jam esset evulgatum, &* Anglici *prædicti permanerent in Terra* Cavallii. *Fugi cum quibus potui, & prædictas dimisi cum gratiâ Jesu Christi. Nec mora. Mihi in* Derthona *relatum est Uxorem meam, filiamque* Catharinam *periisse: aliam parvulam, aliamque grandiusculam omni carere subsidio, quibus subvenire nec audebam, nec poteram propter morbum, & propter scandala belli circa Civitatem* Derthonæ *ingruentis, in quâ pericula Inferni invenerunt me: quoniam ibi frequens* Anglicorum *rumor, & quater in Hebdomadâ Universa Civitas commota fuit ab ea scelestissima perditorum hominum societate talia perpetrante, ut pluries ego ipse, & quilibet* Derthonensis *dubitaverit de personâ. Nulla igitur ibi quies, nullus ibi ordo, nulla Annonæ copia, nulla vestitus commoditas: Propereà nunc morari* Derthonæ *est morari in Infernis. Sed recogitans, quod etiam atrociora, & horribiliora olim evenerunt, statui dolere cum dolentibus, & gaudere cum gaudentibus. Si qua autem in præmissis superius scripta defectiva reperiuntur, suppleat manus corrigentis.* 1362. *Indictione* 15. *de Mense Novembris. subscriptum cum signo antepositο: Ego autem* Petrus Azarius *filius quondam Domini* Jacobi *publicâ authoritate* Novariensis *Notarius dum essem in Civitate* Terdonæ *Judex ad bancum æris dicti Communis luendi, nec non Cancellarius Nobilis Viri Domini* Joannis de Pirovano *Civitatis* Terdonæ *honorabilis Potestatis pro Magnifico, & Excelso Domino* Galeazio Vicecomite *Mediolani &c. Imperiali Vicario generali, prædicta diversis temporibus gesta compilavi, scripsi, & in Testimonium præmissorum signum meum consuetum apposui.*

* suorum.

FINIS.



IN-

# INDEX

## Nominum & Rerum Notabiliorum.



F. Azarius. G 2 Cay-

Lan-

Vi-

# INDEX NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.



F I N I S.






# FR. ANDREÆ BILII,

*Mediolanensis, Ordinis Eremitarum D. Augustini,*

# HISTORIÆ PATRIÆ LIBRI NOVEM;

*Quibus*

# JOANNIS GALEAZ & PHILIPPI MARIÆ,

*Illustrissim. Mediolani Ducum, res gestæ commemorantur:*

Nunc primum publici juris facti, Indiceque donati.



*LUGDUNI BATAVORUM,*

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

*Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.*

# TYPOGRAPHUS LECTORI ÆQUO SALUTEM.



Um perhumaniter a Viro Celeberrimo *Apostolo Zeno*, Sacræ Cæsareæ & Cathol. Majest. Historiographo & Poëta nostra ætate memorandæ eruditionis, Manuscriptum *Commentariorum rerum Mediolanensium*, a fratre *Andrea de Biliis* conscriptum, ut & plura alia; sicut testimonium *Jo. Gerardi Vossii*, de auctore nostro latum, quod præfationi nostræ affiximus, nos docet, oblatum sit, quo non solum Ducum illustrissimorum *Mediolanensium*, sed & plurium aliorum virorum Principum, bello invictissimorum, res præclare gestæ, quæ intra triginta annos acciderunt, explicantur: nolui eorum nominum claritatem, & famam in puteo oblivionis abscondi; sed cum orbi literato liberaliter communicavi. Spero hoc meum conamen historiarum amantibus non ingratum fore, sed diligentiam meam manu scripta ex bibliothecarum claustris eruendi approbaturos esse. Cæterum quædam subobscura occurrunt, quæ credo descriptorum negligentia esse commissa, qui ubique fere peccaverunt, quod videre est ex variantibus lectionibus, in oris editionis nostræ appositis; vel forte auctor eodem fuit judicio, ac *Vossius*, qui Institutionum lib. IV. cap. I. dicit, *non necesse esse ita scribere, ut omnes omnia intelligant, sed potius ut quædam sint, quæ rudiores investigare, ac discere cogantur.* Vitia, quæ typothetarum culpa irrepserint, amicus Lector facile emendabit. Librum autem ipsum quod attinet, ut nitide in publicum prodiret, studium adhibui; nam non solum nomina virorum, urbium, pagorum & fluviorum, sed etiam totas orationes, ab legatis Principum habitas, literis, ut dicunt, cursivis imprimi, & lectiones variantes numerorum characteribus quoque signari curavi. Summaria deinde librorum, quæ in MS. nostro omissa, sed ex alio sunt addita, operi ipsi præmisi. Indicem tandem rerum materiæ conformem excerpi & adjici feci. Fruere his & vale.

---

# ELOGIUM

## EX

## JO. GERARDI VOSSII

### De Histor. Latin. Lib. III. pag. 171.[b]

ANdreas Bilius, *Mediolanensis, ordinis Augustini, floruit anno* CIↃCCCCXX, *librum scripsit de propagatione ordinis Augustiniani. commentarium historicum de detrimento fidei Orientis, sive de origine Turcarum: ad hæc historiam Longobardorum: item historiam Mediolanensium: pluraque alia.*

# AUCTORIS
# PRÆFATIO.



QUæ sum scripturus, nec oculis quidem perspecta dicere ausim, nec tamen longe repetita, aut quasi per alienas relationes imaginario quodam sensu audita. ferè enim præterita relegentes, vel quæ Seniorum verbis accepimus ea in præsens velut exemplaria cogitatione conferimus. Quæ verò ex præsentibus, & conventantibus audiuntur, quasi intuentes percipimus. Accedit Varietas sermonum, & famæ frequentia, qua fit ut vulgo quoque ac negligentes omnia rescifcant. Ego verò quemadmodum dixi, ista nec præsens, neque omnino peregrinus refero ab tempore potius quam [1] ex hominibus cognita. Nempe quæ cis triginta annos acciderunt, qua ætate partim ipse me me e medio rerum sustuli; reliquum fere dimidium puerulus egi, cum jam non liceret per ætatem facta comprehendere; tametsi, ut ferè liberaliter educati, non ignavus, nec iners ingenium [2], & domi audiebam multa, & in civitate, atque in ipsa Dominorum aula, res novari, atque agitari videbam. Post itaque memoriæ deditus eadem vi quadam cogitationum revolvens, plus fortasse intellexi, ut quondam majores a pueris imbibita doctius recensemus. Ergo hæc potissimum patriæ conscribimus, cujus primum res mihi curæ est, tum nostræ quoque ætati, si quæ intervenerint, ne penitus interierint, potius quam ut scientes doceamus; nec discedemus ab Vicecomitum nostrorum familia, ea ut modo [3] diximus relaturi quæ, ut ajunt, jam claudicantibus nunciis, per omnium voces jactata suscepimus.

1 vel ex.

2 ingenii.

3 modo (ut diximus.)

---

Quæsequuntur, desunt in Codice Comitis Pertusati.

# ANDREÆ BILII
# HISTORIÆ PATRIÆ
## *Librorum* IX.
# SUMMARIA.

### SUMMARIUM LIBRI PRIMI.

MOrs primi Ducis. Ejus filii legitimi, & ex pellicibus. Pompa exequiarum. Tutores dati filiis. Divisio Dominii inter filios. Inter amicos, & socios reliquit Venetos. Florentini hostes. Ætas filiorum. Nominat capita factionum, quæ quietem rerum conturbarunt. Mors D. Joannis de Cosate, unde postea tanta mala provenere. Nominat copiarum Duces primi Ducis, & quæ in Tuscia evenere, & de Senensibus. Novitates in Brixia per Carrarienses. Longo bello occupant Florentini Pisas, Gabriele expulso. Quæ gessit Facinus Canis contra Bononienses. Quæ occurrerunt Veronæ, Vincentiæ & in aliis Civitatibus. Bellum contra Paduam, & Carrarienses per Venetos, post longam obsidionem Victores, qui necarunt sine ulla misericordia patrem, & filium veniam petentes.

### LIBRI SECUNDI.

LAudes primi Ducis. Creverunt Veneti, & Florentini nostris malis. Gesta Regis Ladislai. Revertitur ad calamitates nostras Mediolanenses. Civitas Comum prædæ exponitur per Pandulphum. Mors crudelis Abbatis S. Ambrosii à populo, factiosis instigantibus, & Monasterium prædæ expositum. Decapitati duo fratres milites de Porris, & G. Aliprandus. Recedit Ducissa e Mediolano, vadit Modoetiam, & ibi capta, & postea veneno interfecta in Arcu Portæ Romanæ.

Post tantas (proh dolor) exortas in Mediolano calamitates exemplo pernicioso per diversos Tyrannulos occupatæ sunt aliæ Civitates Mediolano adjacentes. Occurrentes discordiæ in Mediolano. Conflictus Facini per Ottonem apud Miramundum.

Hestor Modoëtiam, & Jo. Piccininus Canturium de progenie Bernabovis occupant. Facinus Canis Vercellas, Alexandriam & alia. Dux Philippus solam tenebat Papiam, sed Potentes Beccariæ. Carolus Malatesta Gubernator expugnat Castrum Mediolani. Mors Gabrielis in Janua. Mors Antonii Vicecomitis primarii auctoris tantorum malorum.

Vindicta de captivitate, & morte primæ Ducissæ. Bucicaldus e Janua Mediolanum venit. Rex Franciæ capitur à Rege Angliæ. Præda Facini de Civitate Papiæ.

Laudes castri Papiensis. Dura servitus Philippi sub Facino. Dux Joannes interficitur à conjuratis. Nomina eorum, quorum memoria hodie in Civitate extincta est.

He-

Hector, & Joannes Picininus *capiunt* Mediolanum.

*Mors* Facini, *ejus Testamentum*, *Laudes*, & *Vita.*

## LIBRI TERTII.

F*Elicia gesta* Philippi. *Ejus connubium cum* Beatrice Facini, *è qua habuit* Vercellas, Alexandriam, & Novariam.

*Ductore* Carmagnola *intrat* Mediolanum. Hector *fugit.*

*Capitur* Modoetia. *Mors* Hectoris. *Capitur Castrum*, Comum, Canturium. *De concilio* Pisano. *De electione* Alexandri, *Papæ*, & *ejus morte. Bella* Ladislai *contra* Florentinos. *Intrat* Romam *pulso* Joanne Papa. *Mors* Ladislai, *ejus morientis verba. Gesta in concilio* Constantiæ. *Creatio* Martini V. *extincto Schismate. Felicia facta* Philippi. Tricium *capitur.* Crema *recuperatur. Ductores* Philippi, *major* Carmagnola. *Mors* Castellini, & Lancelotti *de* Beccaria.

*Furcis suspenduntur illi de* Arcellis, *inspectante filio.*

*Crudelitas* Ottonis Tertii. *Ejus mors*, & *execranda de eo.*

Parmam *recuperat* Philippus, *Regio* Nicolao *dimisso.*

*Initium Belli cum* Pandulpho. *Recuperatur* Pergamum.

*Papa* Martinus *venit* Mediolanum & *dedicat Ecclesiam.*

*De* Beatrice *Uxore* Philippi, & *ejus morte.*

*Facta* Braccii, & Cabrini. *Capitur* Carolus *ab* Angelo *de la* Pergula.

*Gesta* Carmagnolæ *in territorio Cremonensi.*

*Induciæ* Philippi *cum* Venetis *ad annos decem.*

*Victoria* Philippi *capto* Ludovico Firmano.

*Recuperatio* Brixiæ. *Conflictus contra* Suecios. *Eorum strages.*

*Concordia* Philippi *cum* Florentinis.

*Initium Belli cum* Januensibus, *Duce* Carmagnola.

*Dominium* Januæ *acquirit* Philippus.

## LIBRI QUARTI.

I*Nitium belli cum* Florentinis *propter* Forlivium.

*Conflictus contra* Florentinos. *Decernunt* Florentini *bellum contra* Philippum. *Gesta in* Neapoli, & *de navali potentia.* Guido Torellus Neapolim *recuperat.*

Alfonsus *intrat*, & *prædatur* Massiliam. *Gesta per* Philippum *in* Romandiola. *Capitur* Carolus, *fuso ejus Exercitu à* Philippo. *Ejus in* Carolum *Clementia.*

*Mors* Sfortiæ. *Mors* Braccii *in conflictu.*

Franciscus Sfortia *venit ad stipendia* Philippi.

*Recessus* Carmagnolæ *à* Philippo, *unde tot mala.*

*Transitus* Carmagnolæ *ad* Venetos. *Adversa* Philippo *fortuna*, *maxime ob æmulationem* Oldradi, & Zanini.

Cabrinus *capitur sub fiducia compatris* Oldradi.

*Publicum de eo* Mediolanum *supplicium.*

## LIBRI QUINTI.

A*Dversa* Philippo *pergit fortuna.*

*Oratio Legati* Florentinorum *in Senatu* Veneto, *ut secum arma caperent contra* Philippum, *non attenta induciarum pendentia. Contraria Oratio* Joannis *de* Aretio *ad* Venetos *cum* Oldrado *Legati.*

*Venenum* Carmagnolæ *dari tentatum*, *unde mors* Joannis Aliprandi *ejus criminis rei*

*Oratio* Carmagnolæ *ad* Venetos *pro bello contra* Philippum *movendo. In idem Oratio* Franc. Foscari Venetorum *Ducis.*

*Confœderatio multorum contra* Philippum, & *quæ pacta.*

*Proditio* Brixiæ *ad* Venetos *cum arcibus* & *munitionibus exinde captis.*

*Gesta exercitus* Philippi *extra* Brixiam *maxime per* Franc. Cotognolam. *Item aucto exercitu ex* Forlivio. *Pontificia Legatio Cardinalis S. Crucis ad componendam pacem.* Philippi *querelæ ad legatum contra* Venetos.

Mediolanensium *Civium Oblationes* Philippo *factæ ut iniquam pacem detrectaret.*

## LIBRI SEXTI.

*Renovatio belli contra* Philippum *per* Venetos *cum* Florentinis, Sabaudis, Monferratensibus, & Arragonensibus. *Laus filii* Guidonis Torelli. Philippus *ad Castra proficiscitur. Ejusdem reditus ad Urbem.*

*Profligatio exercitus* Philippi *apud Machalò.*

*Constantia* Philippi *in hac adversa fortuna.*

*Arma* Mediolani *reperta pro* 4000. *militibus iterum armandis.*

*Populus* Mediolani *super* 30000. *armatos ex se præstare potest.*

*Cardinalis S. Crucis iterum missus pacem componit*, *ex hac* Veneti *retenta* Brixia Pergamum *recipiunt*, Florentini *jus navigandi. Quatuor* Francisci *eo bello* Philippo *infecti.*

## LIBRI SEPTIMI.

P*Etulantia* Carmagnolæ, *uxore*, & *bonis receptis ex hujus pacis fœdere.*

Philippus *Uxorem ducit* Amadei Sabaudi *filiam.*

Bononiensium *bella civilia. Eorumdem rebellio contra Papam*, *Ejusdem contra illos.* Caroli Malatestæ *Laus.*

Volaterranorum *à* Florentinis *defectio onerum causa.*

Justo *cive præcipitato redeunt* Volaterrani *ad* Florentinos.

Bononiensium *factiosorum immania facta.*

Peregrini, Montani, Placentini, *à* Philippo *profligantur. De puella admirabili*, *quæ in* Francia *apparuit.*

Boemorum *hæresis.* Turci Tessalonicam *capiunt.*

*Venenum contra exercitum primi Ducis à* Florentinis *olim machinatum nunc detegitur.*

## LIBRI OCTAVI.

B*Elli* Florentini *initium contra* Lucanos. *Quis status hinc inde.*

Senensium *legati ad* Venetos *mittuntur*, *ne permittant* Lucanos *à* Florentinis *opprimi. Interim bellum accenditur.*

Antonius Senensis *pro* Lucanis *obsessis opem implorat à* Genuensibus, & *Duce* Philippo.

Franc. Cotognola *à* Philippo *dimittitur*, *ut ad juvandos* Lucanos *cum exercitu proficiscatur.*

*Ingresso* Lucam Francisco, *capitur Dominus* Lucanus.

Franciscus *pecunia à* Florentinis *corruptus recedit à* Lucanis.

Nicolai Picinini *Laudes*, & *ejus acta in* Liguribus.

*Oratio* Antonii Senensis *ad* Genuenses, *ut pro* Lucanis *arma capiant contra* Florentinos. *Annuunt* Genuenses, *missis proinde legatis ad* Philippum, Venetos, & Florentinos.

*Profligato* Florentinorum *exercitu per* Picininum *liberantur* Lucani *ab obsidione.* Martini *Papæ obitus. De nepotibus ejusdem*, & *Laudibus*, *dempta avaritia*, *Amicus fuit* Philippi.

## LIBRI NONI.

E*Lectio* Eugenii *Papæ* Veneti, *qui acriter persecutus est nepotes*, & *benivolos* Martini.

Guarnerius Philippi *legatus ad* Eugenium.

*Novum bellum in* Lombardia.

*Profligatur* Carmagnola *apud* Soncinum, *captis ex ejus exercitu sexcentum equitibus ultra pedites.*

Picinini *gesta in* Tuscia *contra* Florentinos.

*De nefando Archiepiscopo* Pisano, *præcipue contra* Pisanos.

Carmagnola *validum ducit exercitum contra* Cremonam.

*Similem mittit* Philippus *ad ejus tutelam.*

*Admirandus Navium in* Pado *apparatus* Venetorum, & Philippi. *Insignis* Philippi *Victoria navalis.*

*Alius conflictus in Mari prope* Genuam.

Florentini *contra* Senenses *Duce* Micheleto.

*Filius Ducis* Sabaudiæ *cognatus* Philippi Vercellis *moritur.*

Franciscus Cotognola *contra* Montem ferratum.

*Ejecti* Veneti, *qui portam* Cremonæ *ceperant.*

Siluit postea ab opere, quia mortuus.
Deo optimo laus & gloria.

*Tomas Curtius Presbiter Mediolanensis transscripsit hoc opus*, & *id expedivit* XVI. *Mensis Maji* MCCCCLXXII.



F. AN-



# [1] F. ANDREÆ BILII, *Mediolanensis*, HISTORIÆ PATRIÆ LIBER PRIMUS.

[1 Sequitur Narratio.]

[2] Um itaque inter curandum *Johannis Galeaz* funus omnibus consiliis tutores atque amici agebant, qui res ita confirmarent, ne quæ novandi causa, aut occasio cuiquam foret. Ante omnia, aperto testamento, legunt vel quæ *Johannes* de se, hoc est de [3] suo corpore fieri voluerit, vel erga filios. Hi duo legitimi erant, *Johannes* ac *Philippus*; duo ex pellicibus, *Gabriel* atque *Antonius*. Omnibus præter quam ultimo, additum nomini *Maria*. Funus *Mediolani* quam magnificentissime, atque opulentissime apparatum est; verum in [4] specie, nam corpus ex *Melignano*, ubi per secessum positus obierat, *Viboldonum* per subitationem Jure majorum rerum translatum erat (Monasterium illud [5] humiliatorum est) ibique cum magnis divitiis conditum ac sepultum. Undique ex omni dominatu Nobilissimi concurrerant, convenerantque ex Regibus, & amicis significando, ac celebrando mœrori. Plurimæ legationes, omnium proceres ac primi maximorum ordinum lectum e Castro in majorem Ecclesiam gestarunt. plus triginta [6] hominum millibus sequebantur. omnibus indutæ terræ ex aula pro cujusque merito, aut ordine dilargitæ. Trecenti in equis, versis vexillis, [7] variisque insigniis adoperti comitabantur. Defuncti laudationem non minime pro illo tempore infacundam habuit *Petrus Papiensis*, homo nostri ordinis frater; cæteris (nam multi orationes dederant) eo maxime prælatus, quia stirpem Ducis nominatis gradibus in usque *Æneam* produxerat. Tum ita sedentibus Principibus apertum Testamentum: Tutores lecti *Petrus* [8] Archiepiscopus, quem [9] ille in minorum ordine educatum, per *Vicentiæ*, *Brixiæ*, *Novariæ* Episcopatus in eum locum provexerat. Alter [10] *Carolus Malatesta Ariminensium* Dominus. Inde *Jacobus Vermius*. Ii præcipui nominati erant. ita cæteris primoribus filii commendantur: Corpus ipse in partes legaverat; locis Christianissimis, celeberrimisque sepulchri S^ti^ *Jacobi*, atque *Antonii* ubique Ecclesiæ construerentur velut ipse, [11] concedente quoque *Babylonio*, *Hierosolymis* instituerat. Horum nihil præ rerum difficultate [12] observatum; Corpus delatum ubi diximus. Legata filiorum erant hujusmodi. *Johannes* natu major Dux *Mediolanensium* declaratus. Subjectum Imperio utrinque Alpium, hinc *Pergamum*, *Cre-*

[2 Cum] [3 corpore] [4 speciem.] [5 est Humiliatorum)] [6 millibus hominum] [7 variis insigniis] [8 Mediolanensis Archiepiscopus] [9 in Minorum] [10 Karolus] [11 quoque jam concedente] [12 observatum est.]

A *mona*, *Brixia*, *Verona*, ac *Vicentia*: inde quoque *Pannoniis Feltrum* ac *Civitale*, non ignota oppida, cum aliis obscurioribus Castellis. Inde per *Laudum* ex *Placentia* usque *Bononiam* atque in ipsas Alpes per omnem *Apeninum*; In *Tuscia Senas*, egregiam Urbem, ac *Perusiam* dedit. Alteri nato *Philippo Papiam* legat, Comitemque decernit. Inde *Novariam*, *Vercellas*, *Alexandriam*, *Tredonam*, & quidquid in ea regione tenebatur. *Gabrielem* tertium, ex nobili, ac familiari pellice natum, *Pisarum* Dominum constituit, *Lunam*que, ac *Saressanam* cum plerisque ejus littoris Castellis conjungit. Quartum vix dum natum, quem ex rustica sustulerat, præterivit cæ-

B teris modo infantulo commendato, ac neque in bonorum [13] partem numerato. Reliquit sane amicos ac pæne socios *Venetos*; *Paduanum* ex relaxatione filiorum, quos *Bononiæ* ceperat, jam ante constitutum vectigalem, is erat *Franciscus*, cognomen ei ex Villa *Carrarius*: *Mantuanum* itidem consertum in amicitiam. Quid opus est alios dicam? Non in *Italia* modo, verum etiam ex *Gallicis* affinitatibus, quibus sibi & *Germanos* & *Francos* Duces adjunxerat; universum pæne terrarum orbem (tantum erat Ducis nomen) notum ac suffragatorem reliquit. Solus adhuc in *Italia* supererat *Florentinus* hostis, quem tamen [14] affectum male ægre se tuentem, videbatur, si paulo

C plus superstes fuisset, confecturus, vix ut ajunt, unus atque alter hostem juvabant: imminentibus capiti plus ferme sexdecim equitum millibus, nec minore peditum numero, imperium modo expectantium, qui in agros irrumperent, ac pene ab latere *Senensium* propinqui ad muros evaserant. Cæterum omnia unius hominis fatum abrupit, de quibus rebus dicturus, non ita quasi majora narraturus bella. Nam fere quæ hac ætate aguntur casus potius rerum sese circumvolventium, quam virorum gesta sunt. Non incommodum tamen fuerit tantam mutationem potentiæ, quam paulo ante omnis *Italia* spectaret, miraretur, loqueretur, agnovisse.

Relicti igitur impuberes (nam à decimo & in-

D fra [15] decimum tertium claudebantur cum Matre in aula) præcipuorum hominum magisterio, alebantur. Nulli tamen contigit ad aliquarum litterarum studium egregie evadere: tum [16] pecunia nobilium grammaticorum, quæ hoc tempore, ac dudum jam fuit; tum malignitate rerum, de quibus referemus. Quod primum est potentum vitium & quasi [17] aulæ venenum, primores dissi-

[13 parte] [14 male affectum, egre] [15 tertium decimum] [16 penuria] [17 venenum, aulæ]

debant: Consilia rerum *Mediolani* in Castro ha-
bebantur: id fere consultabant quod minime erat
necessarium: quonam modo res *Mediolani* quie-
tæ essent, quasi, ea arce immota, omnia illis
tuta essent. Unus erat in aula *Franciscus*, cogno-
men *Barbavaria*, quem dudum *Galeaz* potentis-
simum voluerat. ad hujus invidiam cæteri am-
biebant, ægre ferentes tot Proceribus prælatum,
quem pene purgandæ aulæ ministrum meminis-
1 ut sent. Illum tamen Dux,[1] ita à viro monita, sin-
gulariter audiebat observabatque: Id vero etiam
magis curiam incendit, multæque per angulos coi-
tiones ad unius hominis eliminandam potentiam fa-
ctæ. Primi illi ab Duce nominati, quibus altior
sensus esset, ut videre jam non se per has seditio-
nes consuli, verum tanquam Procuratores potius,
quam familiæ tutores, aut rerum administratores
haberi, discesserunt, ultro aula abstinentes. *Ja-
cobus* tamen summæ rerum intentus extra specta-
bat. Solus Archiepiscopus *Mediolani* restitit, ne
pedem domo elaturus. Ille ire *Bononiam* pergit,
quam eodem anno universi exercitus Legatus ce-
perat. Propositum erat, relictis in *Tuscia* copiis,
quæ res curarent, reliquas in Provinciam, ac *Me-
diolanum* contrahere. Verum ubi audivit *Brixiæ*
non nihil è partibus timeri, eo ex itinere diver-
tit, seque intra munitiones, quæ castrum cin-
gunt, locat. In aula jam discordiæ erant. *Jo-*
2 Limprandus *hannes*[2] *Luiprandus* cum fratre *Giavaccio*, juve-
ne ad omne facinus prompto, una & consobrinus
*Galeaz*, *Porri* duo fratres *Galeaz*, atque *Antonius*,
militiam gerentes; *Saxus Arisius*, *Andreas Ba-
gius*, cum *Johanne* & *Paulo* fratribus omnes no-
bilissimi, proindeque ægre memores non omnia
dudum potuisse, hi curiam agebant, palamque
3 viduæ adversabantur & *Francisco* & [3] viduæ Ducissæ adversabantur:
quæ ut melius inimicitiis firmarent, *Franciscum*
Vicecomitem in Urbem inducunt. Hunc tur-
bulentissimum hominem Dux ingenii gnarus non
quidem exulem, verum expertem curiæ semper
habuerat. huic erat frater *Antonius*, minus sane
malus, sed cui nec bona solerent valde placere.
Primum hunc in curiam mittit, patiturque ire
in castrum, & si minus provisurum, tamen ut
de suo nomine sæpius referretur. Ipse paulatim
in Civitate partes regionis *Ticinensis* ad sua consi-
lia instruebat. Erat unus *Johannes Casatius* mi-
les, ac scelerum insons, hujus etiam frater *Geor-
gius Manfredo*, *Barbavariæ Francisci* fratri filiam
desponderat. *Johanni* potissimum dati erant cu-
ræ pueri, quos optimis moribus imbueret. Soli
4 hominem tamen duo penes [4] hominum erant. Nam spu-
rius cum matre *Agnete* jam *Pisas* emigraverat,
neque ita multo post *Philippus Papiam* ad desti-
natum Dominium concessit. Constitutum ita-
que inter aulicos primum hunc *Johannem* tolle-
rent; ita demum Ducis ipsius potituros, quem
si à matre abstraherent, nihil deesse, quo minus
regerent omnia. Nec mora, parati qui operam
pollicentur. Die *Johannis* festo innoxium truci-
dant: partim his, quos dixi, agentibus, partim
jubentibus, aut consciis. Cæsus est in vico stri-
cto contra S. *Georgiam* ad *Palatium*. Illuc ad *An-
tonium* Vicecomitem perrexerat, nonnullos com-
plicum alloquuturus, quos inter, & Barbavarios
pacem tractabat. Vir integerrimus, sanctissi-
5 abs quo musque, & [5] à quo rite initium fuerit tot casuum
ac nefandarum calamitatum, quæ post Civitati ac-
ciderunt. Hæc de curia agebantur. Verum quod
accidit, perturbatis Rectoribus, nec foris res ste-
tere. Jam ex morte *Johannis* secundus annus ver-
6 quum tebatur, [6] cum interea *Florentini* nullo in loco
7 civitates modo defuerant, quin ubique semina fererent, [7] modo
Civitates ad societatem, modo ad libertatem mo-
8 desidendum dis omnibus ad [8] desciscendum vocarent, atque
incitarent; copiarum duces vel ad se pollicitis

A stipendiis, vel ut quaqua dilaberentur [9] allice- 9 elicerent
rent. Nec difficile id factum est: [10] cum mali- 10 quum
gne stipendia ex *Mediolano* præberentur. ab *Ja-
cobo*, qui erat omnium ductor, ad Dominam mit-
tebantur, cui vix ex domesticis seditionibus pa-
rebatur, filio jam in alienam potestatem facto,
ex arce à matre in avitam aulam, quæ ex eo *Ga-
leacea* dicitur, transierat, in dies apud potentes,
quam apud matrem, frequentior. Ipsi copiarum
Duces ubicumque restiterant, [11] stationes occu- 11 stationes
paverant, quamquam ægre tutabantur. *Pandul-* quamquam
*phus* præsidio *Senensium* datus, inde *Florentinorum*
B eruptionibus nec animo, nec robore satis firmo
resistebat. *Pisanos Johannes Columna* itidem ma-
gno equitum numero tutandos habuit. Ergo
*Florentini* ut vident parum adversus utrosque pro-
fici, maleque tutum domi bellum, convento in
fædera *Bonifacio* Rom. Pontifice, simul in pro-
vinciam nostram exercitus transmittunt. Præ-
sens inter copias *Janellus* (ita vocatus frater Pon-
tificis) earum Duces *Paulus Ursinus*, alter *Mu-
stardus* atque alii ignotiores, ductore omnium
*Nicolao Ferrariensi*. Hoc modo translatum in fi-
nes nostros bellum: ac fortuna mutari videbatur.
C Primum in agris *Parmensibus* stetere; nec segni-
ter his [12] *Ocoo* Tertius repugnabat, undique tumul- 12 Otho
tuariis certaminibus, ut erat armorum ferox nunc
lacessens, nunc propellens. Tandem ad collo-
quia est ventum. Ibi tum [13] *Carolus* pro *Medio-* 13 Karolus
*lanensi* Duce respondebat. *Janellus* pro Ecclesia.
*Perusiam* ac *Bononiam* petere *Florentinus*, tanquam
ex composito in Societate *Bonifacii* usque adeo
ausus fertur poposcisse licere, dum viribus posset;
*Senenses*, *Pisanos*que ad jugum detrahere. Id [14] *Ca-* 14 Karolus
*rolus* sevocatum *Janellum*, tanquam ne Ecclesiæ
quidem conduceret tam potentem socium fieri
avertit. Ita concessum *Bonifacio* de his, quæ ad
D Ecclesiam pertinerent, hoc est *Bononia*, *Peru-
sia Ascisio*, atque aliis, nulla in fæderibus *Floren-
tinorum* mentione. Reditum inde in *Tusciam*,
[15] facto *Janello Perusinorum* potestate, quorum 15 facta
ille secum exules habebat. Hæc erat factio No-
bilium, [16] quas adversi, Raspantes dicti, non 16 quos
multo ante trucidatis super centum, & quinqua-
ginta hominum, Civitate ejecerant, optimorum-
que illa cædes fuit, qua omnis fere Nobilitas ex-
tincta, pauci, qui restiterant, spe potiundi reditus
*Janellum* nunc adversus [17] exactatores comita- 17 exactores
bantur. At illi sumpta reddendæ Civitatis pa-
E ctione cum *Janello* pacem occupant, auspicibus
*Andrea Ubertino*, & *Antonio Sumano*; qui tum
in Civitate pro rebus Vicecomitum, alter Præ-
tor, alter Quæstor [18] fuerat: nobiles exclusi, 18 fuerant
omnique spe elusi, quaqua potuerunt, abiere. *Se-
nenses* inter hæc tumultum fecerunt, non quo mi-
nus Duci afficerentur; sed res ex discordiis ini-
tium cæpit. [19] Præfactus erat Senensium *Geor-* 19 Præfectus
*gius* [20] *Carrettanus*, Vir fortis, ac sapiens. Is 20 Cajetanus
intellexit *Franciscum* quemdam ex familia *Salim-
benum* res novare. Hunc haud dubium *Florenti-
ni*, quamquam spe ad libertatem populi, re tamen,
& adversum factionem Domini, & in urbis ser-
F vitutem pecunia ita [21] alebat, ut nunquam deef- 21 alebant
sent Domi quotidiana convivia, quibus jam cer- 22 quum
ta ac proxima seditio oculis cernebatur; [22] cum
jam & conferri arma, & vulgo conveniri mani-
festum esset. Id ut *Georgius* comperit prius [23] pe- 23 quam pene
ne quam sensisse, aut suspicari potuisse [24] puta- 24 Franciscus
retur, *Franciscus* ad domum hominis pergit iner- putaretur,
mis, nec multorum Comitatu. Itaque hominem
salutat, peneque interrogat [25] quicquid novi in 25 quicquam
Civitate, quamobrem arma induerit: titubans ne novi
ille ac fere trepidus pauca sub vultum versus re-
spondet: ut rem potius detegere quam sese excu-
sare videretur. Gubernator [26] prensum manu ad 26 prehensum
Palatium invitat, ne qua in re dubitet non ab se
juvari

juvari, omnia ibi melius statui posse, quæ pro Civitate benevertant. Sic leviter nunc dissimulantem, nunc tergiversantem, fratre reclamante, ut erant in
1 pedetemptim equis, [1] pedetentim per [2] decessum Salariæ in pla-
2 decessum team, atque in palatium versus [3] producit. Cer-
3 perducit. nit ibi *Franciscus*, (quod primum illi admirationem, ac timorem dedit) per plateam frequentiores armatos atque ipse tamen armatus erat; in Palatium plures dispositi; rerum Ducis fautores non tamen pro numero adversæ partis, si audaces convenissent. hic recusantem ingredi Rector habenis prehenso equo visus est arripere. ita dum tumultuatur, plures concurrunt: Unus ex porta Prætorii refugere volentem levi veruto rectus in faciem percussit. id fecisse ferunt (quamquam res obscura est; nam quis civili cæde glorietur?) *Memmum Gazagium* filium *Thomæ*, quem ex *Senensibus Johannes* carissimum atque honoratissimum fecerat. Eaque cædes paulo post etiam vulgo probata, quibusdam asseverantibus composuisse illum de Civitate *Florentinis* tradenda; quamquam fere id non creditur. Ego potius cum aliis existimaverim nobilissimum Juvenem occasione novarum rerum sibimet dominatum parare voluisse. Non restitit tamen in uno partium audacia. Erectus statim nocte insequente populus reliquos ejusdem factionis persequitur, juvante maxime Præfecto. Qui ex ordine Novem dicuntur, alios, qui appellantur duodecim, palatio ac potestate depulerunt. Ita qui se populum vocant, omnem Nobilitatem depressere: quatuor
4 æmulis duabus, familiis acerbissime mulctatis, *Rubeorum*, *Ptolomeorum*, majoribus atque [4] æmulis, quarum altera *Salimbene*, altera nomine opposito *Maleversi* [5] di-
5 dicitur. cuntur. Hos vero non contenti Magistratibus dejecisse, etiam conati sunt penitus extinguere. Plerisque per id tempus in Civitate, vel privata nece, vel publica damnatione interfectis; reliquos Civitate expulsos dimissis cum præmio si-
6 ad internitionem persecuti sunt. cariis semper ex eo tempore [6] persecuti sunt ad internecionem. Eoque (ut intelligas vulgus nunquam mediocriter insanire) furor erupit, ut illorum ædes quoque verterent, quibus nihil erat
7 Quin etiam in tota Urbe nobilius. [7] Quin & postera die fertur idem qui *Franciscum* occiderat spe potiundi episcopatus ipsum Civitatis episcopum Domi pluribus confossum vulneribus pro interfecto semianimem reliquisse; nam lecto incubans senex paululum cervical complexus obtexerat. *Florentini* ut videre *Senensium* rem non satis ad votum cogitatis fraudibus impelli, arma parant, bellumque in *Senenses* decernunt. Moxque illi, ut viribus impares, cum *Janello*, vel de Societatis fæderibus, vel commendanda ecclesiæ Civitate colloquuntur. Quod veriti *Florentini* ne novum, ma-
8 conventionibus gnumque hostem exciperent, pacem *Senensibus* non iniquis [8] conditionibus dederunt. Tum emis-
9 conditionibus so placidis [9] conventionibus Præfecto, se se auctoribus, ac pene Magistris *Florentinis* ad remp. titulo populi componunt, eam usque ad hunc diem continua cum *Florentinis* pace tenuere. Pau-
10 inde post lo [10] post litteræ ex *Mediolano* referuntur, quæ *Senenses* suis legibus dimissos faciant, restituta omnium libertate (sic enim poposcerant) ac relata Castellorum signa, quibus visis præsidia facessere, quorum tamen alia vi, alia pretio, alia favore educta erant. Ad omnia *Florentinus* juva-
11 videretur bat, modo [11] videret Vicecomitum nomen pulsum ex *Etruria*. quod nec difficile, tutante nullo, obtigit.

*Brixiæ* quoque per id fere tempus alius tumultus excitus, ac sedatus. Potentes montani
12 habiti paulo superbius se ab *Johanne* dudum [12] habitos, duce quodam *Johanne* Viro audacissimo, &
13 omnem regionem Cognomine Rocionam Nobili, [13] omnem montanam regionem ad desciscendum cogunt, voca-

A toque ad Dominium *Francisco Patavino*, Urbem sub infestis signis intrant; interiores quoque munitiones, cui Urbeculæ nomen est, aggressi. Intus (quemadmodum diximus) [14] sine tamen præ- 14 tamen sine
sidio *Jacobus* erat; sed eam partem Gibellini habitant; cum fere reliqua Guelforum esset. Is itaque evocatis ex *Bononia* auxiliis, in Urbem ex munitione [15] aggressus, hostes non magno labore 15 egressus
ejecit. *Johannem* [16] quoque in Monte cæsis com- 16 in monte quoque
pluribus, aliquotque obviis partium odio incensis, persequutus, *Patavino Carrario* minatus fertur. Quod postea in odium *Venetorum* lapso
[17] officit. [18] Atque ne ex *Etruria* infecto negotio 17 effecit
B discessisse videamur; *Pisanis* gravior fortuna in- 18 Atqui ex
cubuit. Eam Urbem (quod ante diximus) *Gabriel* tertius filiorum *Johannis* in sortem patris testamento habuerat: sive igitur spurium *Pisani* con- 19 inverecundia
tempsere, sive illos [19] in verecundia Officialium irritavit (quam rationem ipsi quoque videri volunt) sive & civitas novitati rerum prospiciebat, & *Florentini* dolis invaluere, aut denique fata Urbis illius exitium petebant, erecti in arma sub signis populum ad libertatis spem vocaverunt. Juvenis ut qui nec virium, nec industriæ rationem haberet, dilapsus fuga protinus *Genuam* petiit. Mater (nam eam quoque secum habuerat) *Agnes* dicebatur, intra munitiones con-
C cessit. Quæ cum à *Pisanis* expugnarentur crebroque & balistæ, & machinæ, ac tormenta utrinque jacerent, illa, dum spectat, ictu ruptæ machinæ percussa interiit. Amici juvenis sumpto de rebus consilio, nusquam apparentibus auxiliis, nihil aut tempori aptius, aut [20] perfidia Pisano- 20 Pisanorum
rum arbitrati dignius cum *Florentinis* de retentis perfidia
munitionibus, & Civitatis jure paciscuntur. par- dignius
te pecuniæ numerata (super dimidium enim præter arbitrati,
pactionem tenuere.) Mox amici *Gabrielis* cum tenui, si quæ erat, gaza abeunt, *Florentinorum*que introductum præsidium, frumentum, ac reliqua rerum copia importata. [21] Nec vero *Pisani* citi- 21 Nei
D us fere ab Domino, quam ab se ipsis descivere. Quippe interim postea quam libertatem conclamarant, revocatis exulibus, quorum plerique etiam nobilissimi, dato, acceptoque osculo in pacem quandam conjuraverunt. Non lætum id facinus Urbi: quo scias nihil ad perfidiam plus quam fidem posse. Nam paulo post alii alios nihil tale ob pacis fiduciam verentes trucidavere. Hinc ad expugnandas munitiones conversi nec dies, nec noctes intermittunt. Tantus animorum ardor populo præsertim pollicitationibus decepto, ut nihil neque mœnia, neque arces ad obsidendum valere viderentur. Rapta cum incre-
E dibili furore, & comprehensa triremis, quæ per *Arnum* ad inferendos obsessis commeatus subibat. Multi juvenum nando ensibus ex summa aqua ad carinam suspensi pugnavere. Ita paucos dies frequenti oppugnatione adjecta munimentorum *Pisani* potiuntur. Incensi eo pudore *Florentini* exercitum instaurant; conductis undique stipendiis. auctæ copiæ; res uni Civium *Gino* cognomen *Caponi* commissa. Is ductores ad muros ducit; ibi triplicibus Castris Urbem cingunt. Multæ tamen eruptiones, [22] multaque certamina fiebant; 22 multa
in dies vero fames acrior Civitatem premebat. Nihil vero [23] tam *Florentinos* juvit, aut delevit 23 tam aut
F *Pisanos*, quam quod *Genuenses* lucro liburnarum *Florentinis* adhæserant. [24] acceptisque inde trire- 24 acceptis
mibus *Arni* ostium custodiebatur, ne quid inferri posset. Quo [25] malo super modum *Pisani* afflicti; 25 malo Pisani
frustra *Burgundionum* Duci se dedunt. Quippe missum ad id nuntium *Ginus* in fluvium præcipitem dedit. Quamquam ea res post aliquot annos negotiatoribus *Florentinis* Parisius magno [26] ste- 26 stetit, uti
tit tempore, uti forsan deinde referemus. Inventus tandem proditionis auctor *Johannes*, cognomen *Gambacurta*, Patriam *Florentinis* vendidit.

Infelix mercator, egregiam Urbem ludibrium, quod vix hodie cernimus, esse dedit. Captis inde quoque per agros Castellis, *Florentini* intra annum, *Pisarum* quod nunquam speraverant, facti Domini, quamquam tanta pecuniæ effusione, ut in archivis [1] sumptum *Pisanum* montem pro magnitudine contracti ex Civibus æris nuncupatum habeant. Hic vero finis vexandæ armis *Tustiæ*.

1 sumptuum montem Pisanum.

Reliquum belli in pacatos congerenda undique pecunia, tot inde annos per fas, nefasque perque omnem mortalium, atque immortalium injuriam valet. Nec *Bononienses*, ut jam Cisalpina facta referamus (sic est illius populi ingenium) quievere; tum cernentes ex *Mediolano* res parum integras referri; itaque ad arma concurrunt. Præerat [2] *Facinus* munitioni, qua Dux ante *Lombardiam* versus magnam partem Urbis non sine gravi civium, quorum ædificia, aut includebantur, aut fossarum causa diruebantur, detrimento cinxerat. Is ut sensit tumultum, omnibus copiis, quas super decem millia hominum fere equitum habebat, Oppidum aggreditur. Vias omnes illi interjectis impedimentis quæque ex domibus potuerant objicere usquequaque sepserant. Ægre tandem circuita per aliquot vicos Urbe in platea substitit, nonnulli quoque [3] sociorum pluribus locis ignes conjecerant; quod facinus omnibus fere maxime periculo constitit. Quippe incensus illis flammis populus, qui tum numerosissimus erat, obsesso omni in plateam aditu, universos conclusit. Inde ex [4] circumforatis domibus stantes, balistis & jaculis incessebant, quibus ictibus cum plerique essent vulnerati, irritati alii, effracturi propinquarum ædium fores subierant. Ita jam crudescente ad viarum exitus pugna, prope erat, ut futura magna cædes videretur. Quod ut videre capita populi, sive Urbi timuerunt, sive movit verecundia, quod illius exercitum impugnarent, a quo essent paulo ante honorati (nihil enim re vera habebant quo justum Imperium accusarent) in medium processere, simul ac vocatis copiarum Ducibus, convenerunt, ut innoxii intactique abirent. Dirempto eo modo prælio facti ipsi usque ad portas comites, tutos dimiserunt. Nec difficile post ab Duce præsidii munitiones quietis conditionibus receperunt; momentoque & aggeres & turres, ut ne vestigium quidem superesset, diruerunt. Inde erectis populi insignibus, Magistratus suos, donec animis mutarentur, creaverunt. Nam paulo post [5] eam quoque vertit *Baldasar*, cognomento [6] *Cassanus*, Cardinalis, ac vir ferox, datus à summo Pontifice *Bononiensibus* Gubernator. Amissus hoc modo intra paucos menses externus ille dominatus, quem *Johannes* tot bellis, tantaque auctoritate paraverat. Reliqua enim si qua per Alpes restiterant, alia *Florentinorum* fuere, alia *Genuensium*, alia demum subortis [7] Tiranculis (quorum sane copia est) paruere.

2 Fazinus
3 suorum
4 circumforanis
5 ea
6 Cossanus,

Nec *Veneta* felicius retenta. Non contentus *Franciscus* vectigalia negavisse, *Brixiam* vexavisse; *Lombardiam* in arma suscitavisse, undecunque posset, bella conducit. Ergo revocat ex *Gallia Guglielmum* Cognomine *Scalæ*, quondam *Veronensem* Dominum. Duos tum filios hic habebat, unus iste *Brunorius* erat, qui hodie quoque apud Imperatorem versatur. Illico affuit *Guglielmus* admodum sane [8] paucis auxiliis, sed favori Civium fidens. Hi statim ad Tutricem Dominam scripserant, quo in loco res esset. Responsum factum quod sibimet providere videbantur, aut siquo pacto possent auxilia ab se expectarent, quæ mox submitterentur. Hæc tamen *Jacobi* potius quam Ducis pollicitationes erant. Nam infensissimus *Patavino*, cujus potissimum auxiliis fretus *Guglielmus* movebat arma: Idem accessit ad *Venetos*

7 Tyrannulis
8 parvis

A cum mandatis [9] *Elisabet*, quibus postulabat [10] si bi *Veronæ*, ac *Vincentiæ*, *Feltri* quoque ac *Cividalis* curam susciperent, donec foret præsentibus periculis occursum, aut meliore loco sese filiorum [11] fortuna componerent. Non expectatis [12] hujusmodi litteris, ac legationibus, *Veronenses* veterem *Scalanam* una cum Carrario in Urbem accipiunt. Non nihil adjuvit [13] *Carolus* quondam ex *Mediolano* in patris captivitate pulsus, aliquot millibus florenorum. Hos post ingressum Urbis repetens, postero die inventus est mortuus. Nonnulli tamen ferebant non ob restituendam pecuniam esse necatum, verum quod uno verbo

9 Helisabet
10 Sibimet
11 fortunæ
12 ejusmodi
13 Karolus Barnabovis

B videbatur, ægre tulisse insignia Vicecomitum fædari, quæ omnibus in locis eruebantur. At meliore [14] indicio quo malignior erat ejus mortis suspicio, eo sane verior. Nec multo lætior *Guglielmo* ingressus fuit, nam simili parricidio, quamquam dicebant insueto, ac nimio armorum labore, paulo post extinctus est. Auxit suspicionem [15] quod *Patavinus* pro impensis arcem ab adolescentibus accepit. Paulo deinde pollicentibus pecuniam civibus rogatus redderet, in Urbem venit, adolescentulisque per speciem solatiorum missis *Patavium*, sese *Veronæ* Dominum constituit, erepta nihilominus pollici-

14 judicio
15 quod impensis arcem

C tatoribus pecunia: qua confirmatus viribus contendit ut dominatum servaret. Juvenum solus *Brunorius* ex *Padua* in *Germaniam* defugit. Ipse dehinc *Vincentinos* petit. Illi [16] cum ex *Mediolano* aut nihil de auxiliis responderetur, aut ad *Venetos* remitterentur, sæpius à *Venetis* repulsi, tandem metu *Carrariensis* potentiæ, quæ nimis apparebat, sponte dediti, liberalissimis fæderibus accipiuntur. Mox illi [17] in castra ad *Franciscum* tubicinem mittunt, qui jubeat [18] de deditiis abstinere, ægre ille ac tandem respondet, obsidionem soluturum. Cæterum ejus quoque pæna re-

16 quum
17 ad Franciscum in castra
18 deditiis

D bus debebatur. Filius nequior patre, atque avo adolescens, cui nomen *Franciscus* Tertius, veniens in castra, nuncio obitus auditum quid referret, contra jus gentium trucidat, neque ingressus castra à patre est increpitus. Audito *Venetiis* flagitio, nulla fuit mora, quin *Patavino* bellum decerneretur. Itaque coacto exercitu, missoque super *Paduanos* agros, *Franciscum* ex *Vincentina* obsidione ad tutandas res suas convertunt, neque ita multo post *Veronenses* [19] *Vincentinis* ad *Venetos* succedunt. Ibique captus [20] filiorum optimus *Francisci Jacobus*, quem *Venetias* ductum in vincula conjecerunt. *Patavii* bellum summa vi geritur. Ductor armorum primus *Malatesta Cæsenaticus*, vir impiger, omnia perturbat, facileque ex agris

19 Vincentinis succedunt: ibique
20 optimus filiorum

E in Urbem compellit: eo & maximus agrestium numerus convenerat, quibus *Franciscus* (nam paucos habebat mercenarios) pro defensoribus utebatur. Vix est in *Italia* Urbs usque adeo mœnibus, & aquis munita, quibus & ipse multa adstruxerat, ducta per agros multorum milium fossa plus triginta pedes lata, & profunda, qua hostes accessu ad Urbem *Venetias* versus quinque milium spatio arceret. Dehinc in agris longius ab Urbe diversis locis aggeres, & castella communierat. Verum quod semper accidit, omnia penetrat, ac diruit validior, numerosiorque armatus. Nihil igitur ista profecere, quin mox in-

F tra muros cogeretur. Paulum tamen segniorem [21] fecit Ducum mutatio obsidionem. *Malatesta* Domum revocatus, ad majores *Neapolitani* tum crescentis *Ladislai* spes discessit. Huic suffectus *Sabellus Paulus* acerrime munimenta instaurat. Castra erant [22] ante Portam S. Crucis, quo ab exterioribus subsidiis (nam inde plura Castella in fide tenebantur) prohiberent. Ex his visus est qui in arce [23] *Montis Stilicis* præsidebat, velle se dedere. Ad id constituto die missus *Galeaz Mantuanus*, castraque magna parte equitum nudata. Quod

21 obsidionem fecit Ducum mutatio.
22 contra
23 montis silicis

Quod ut *Franciscus* advertit, sive (ut vulgo fe-
runt) à Præside Arcis ictu tormenti monitus ra-
ptim eductis ex Urbe quicunque arma ferre pos-
sent, castra adoritur. Nec spes eo die dissipan-
di belli fefellisset, ni revocatus *Galeaz*, (nam pau-
lum aberat, decem enim milibus Castellum ab Ur-
be distat) redisset auxilio: castris jam se se ægre
tuentibus: vexilla ductoria in manu hostium e-
rant, captaque ad *Franciscum* delata, ac pleraque
ex tormentis in Urbem trahebantur. Commotus
ad injuriam Dux, simul irritati omnes ad demen-
dam Ducis, castrorumque ignominiam, *Galeaz*
fortissime rem gerente, in hostes feruntur. Nec
diu illi certamen sustinuere: compulsi fuga in op-
pidum recurrunt, tantusque fugientium tumul-
1 quum tus fuit, [1] cum undique in portas ruerent, illi-
que instarent tergo, ut relatum sit plus trecentis
ex ponte in amnem lapsos cecidisse, ex quibus
multi in gurgite extincti, multi ad hostes ex cur-
su fluminis ducti, nec pauci inter vias per tumul-
2 cæsi tum oppressi [2] cæsique. Fuit is finis prodeundi op-
pidanis: simul exteris castellis spes auxilii dempta.
3 ejus-modi Itaque uno die *Mons Silicis*, ac *Montagnana*, &
nonnulla [3] hujusmodi Castella in potestatem *Vene-
torum* concessere. Ita deinde sub mænibus perse-
verat obsidio. Verum paucos post dies *Sabellus*
morbo implicitus moritur, Vir per omnia suæ
ætatis egregius, summus nobilitate *Romana*, ne-
que scio an hoc dicam *Virgilium* de his loquutum,
ut, qui primi ex *Romanis* stirpibus fuere ultimum
hunc vere *Romani* generis arma gerentem habue-
4 Subje-ctus rint. Sed hæc alieno proposito. [4] Suffectus Re-
5 Eo in gimini *Galeaz*, vir quantum eo tempore militaris
roboris esset acerrimus. [5] Eo itaque in dies spe-
6 quid ctabat, [6] quid facinoris edere posset, ut castra ipse
rexisse putaretur, denique statuit in muros rem
experiri. Hac igitur succedit, qua minus defen-
sa videbantur, reperitque minus opinione resisti,
erectis igitur crebrioribus scalis, inde in suburba-
7 integra urbs num (oppidum Sanctæ Crucis vocant) irrumpit.
Adhuc tamen [7] urbs integra restabat, quanquam
asperrimæ res erant. Primum annona laboraba-
8 quum tur, nam *Franciscus* [8] cum primum *Veronam* cepit,
eo ex *Patavio* omne frumentum convexerat. Tum
aliud commune, atque irreparabile obsessorum ma-
lum, pestilentia gravissime urgebat. In Urbem, ut di-
ximus, ex agris passim confluxerant. Ita multiformi
9 famem contagione morbi vagabantur; corpora item multa
fame conficiebantur, ut ferme ipsa debilitate [9] ta-
bem contraherent. imbecillioris sexus atque ætatis
corda continuis pavoribus exanimabantur, quo san-
10 diur-nis guinis, ac viscerum motu pestis inurget. Denique o-
mnium Civium animi [10] diuturnis, nocturnisque
præsertim insuetis laboribus afflicti vexabantur:
quæ omnia solent ejus generis morbis fomitem da-
re. Sæpe ipse intellexi per id tempus habitam ratio-
nem plus quadraginta millium capitum, quæ tum
absumpsit pestilentia; quo fiebat, ut per muros
11 segni-ores rariores, ac [11] rariores essent vigiliæ: ne portæ
12 fir-mis, nec quidem [12] vigiliis, firmis, aut fidelibus præsidiis
custodiebantur. Quibus rebus non tam victus,
quam desperatione prostratus ille ferox *Francisci*
13 quum animus, ipse quoque potius mortem, quam sa-
lutem quærebat. Auditus nonnunquam, [13] cum
per muros visendis custodiis circuiret, quasi a-
mens Diabolum ad sese interficiendum nomine in-
vocans, quandoquidem ab omni humana divina-
que ope exclusus videretur. Interim tamen ple-
rique civium haud minus Civitati quam Domino
14 si quæ solliciti inter se legationem eo auctore ad *Venetos*
15 quum statuunt, si quo pacto possint ad Civitatis mise-
16 pedi-tum rationem flectant, ipsique Domino, [14] si qua via
17 impe-tratos sit, veniam ab hostibus precentur. Quamquam
quoque fertur, & huic legationi adversatus tertius, quem
pro se diximus *Francisci* filium, [15] cum ille in castra [16] pe-
titum isset, [17] Imperator pro se legatos *Venetias*

A

mitteret. Audita benigne pro Civium respectu
legatio, hominis temeritatem, quantum fieri [18] po- 18 pote-rat,
test excusantium, qui potius temporum, quam
suo sensu in id bellum incidisset, quippe qui sem-
per *Venetum* nomen coluisset: quem ipsi hactenus
continuis beneficiis coluissent; facile ea fiducia
elatum, nunc armatum fuisse, [19] cum illi de *Vin-* 19 quum
*centinis* nova statuissent, quæ si omnino credidis-
set, nunquam fuisse arma retenturum. Nec du-
bium captam quoque [20] *Vincentiam* fuisse *Vene-* 20 Vincentiam Venetis
*tis*, quando ita [21] voluisset, largiturum. Maxi-
me vero orabant, Civitati innoxiæ parceretur, 21 voluissent
quæ jam tot cladibus exhausta, & consumpta es-
set: vix superesse populum, cui pax, ac salus de-
tur: tot corporibus morbo extinctis: huic tamen
qui supersit, necessitate rerum communem esse
cum Domino fortunam: simul utrisque aut con-
cidendum, aut [22] vivendum. Postremo ut memi- 22 conviven-dum.
nissent, hunc Civem *Venetum* esse, quem à pri-
ma ætate pæne in delitiis habuissent: hanc esse
paratam, dignamque eorum clementiæ materiam,
ubi si vellent, uno veniæ beneficio, & præteri-
ta omnia & quæcunque sperari possent, cumula-
rent. Hæc fere *Patavinorum* fuit oratio Fa-
cta dehinc consultatio. *Venetorum* nulli sane id
placuit manere *Patavino*, post tot commissa, Do-
minium; eruendum potius, quam sæpius haben-
dum hostem. [23] Duci ita commissum, qui lega- 23 Ita commissum Duci
tis rem planam faceret: omnino *Venetis* [24] præ-
stare, & persequendum tyrannum, & habendum
Civitatis imperium. Dux *Venetorum* (id enim 24 constare
caput est omnium apud illos magistratuum) erat
*Michaël*, cognomen familiæ *Stennus*. Ergo revo-
catis legatis, fere in hanc sententiam ex omnis
senatus voluntate respondit: Non esse *Venetis* cum
illorum Civitate bellum, [25] quum semper ut so- 25 quam
ciam, & bona fide junctam habuissent; nec se id
bellum quæsisse quod *Vincentinorum* miseratione
suscepissent; coëgisse unius hominis, qui se Ci-
vem *Venetum* ferret, non temeritatem [26] modo, 26 modo, verum
ut illi dicerent, verum amentem quandam, ac sce-
leratam perfidiam, quæ jam non posset diutius
ferri. Neque oportere eo loco præsertim apud
bene scientes proferri, quantum ex illo dudum
[27] protulissent. Nunc scirent statutum *Venetis*, 27 pertulissent.
aut perimendam illius ferociam, aut *Veneto* Do-
minio esse omnia incommodanda. Proinde re-
nuntiarent, sibi prius fuga, aut morte consule-
ret, quam eorum vinculis teneretur; tum id ci-
vibus referrent, omnibus parci, nec secus quam
optimorum amicorum loco fore, si se, illo vel
ejecto, vel trucidato, ad *Venetos* meliores Domi-
nos, quibus velint fœderibus, composuerint.
Illi cum his responsis *Patavium* redeunt, non ul-
tra *Venetias* reversuri, nisi ut de Civitate refer-
rent. Quibus de rebus [28] dum inter Cives agi- 28 inter
tur: nihil pro tempore disponebatur: nihil jam
pene obruto sensu metuebatur: ut erant omnibus
malis affecti, vigiliæ quoque in portis negligen-
tissimæ erant. At contra hostes ingentibus præ-
miis desponderant, quisquis muros primus ascen-
disset. Erat in Castris quidam *Florentinus*, seu
nomen, seu cognomen, Quadraginta octo voca-
tus. Hic primum conspicatus nullas fieri nocte
vigilias, statuit scalis rem peragere. Itaque [29] cum 29 quum
eo tempore imber quoque gravis omnia obstupe-
faceret, facinus aggreditur, uno solo super pon-
tem constituto, quem & ipsum dormientem mox
jugulat, dehinc socium, quo uno erat comita-
tus, in castra remittit, qui Imperatori nunciet
urbem in manu esse. Nec cunctatus *Galeaz* au-
xilia submittit: momento pluribus erectis scalis:
Porta ad Sanctam Crucem capitur: [30] seris perfra- 30 serisque
ctis, pontem relaxat, ac Dux cum omni exer-
citu ingreditur. *Franciscus* ex Aula in Castrum
per viam tyrannicam se recepit, ubi jam ut re,

& ſpe deſtitutus, vocato ad colloquium Imperatorem, de ſalute ſua ultimum conſilium exquirit. Ille refert, nihil ſe ſcire, aut habere, quam ſi ex *Venetis* imploret; tutus eat, præter vitam multa fortaſſe impetraturus. Itaque ea ſpe inductus, relicto eidem ad cuſtodiam ſub fide Caſtro, verſus *Venetias* per amnem proficiſcitur. Nec dum Oriachum dimidium itineris attigerat [1] penitentia motus conſilium, ut erat animi impos, revocat, præſertim nuntiantibus quibusque ex ripa obviis, vix, ſi iret *Venetias* evaſurum, quin à pueris diſcerperetur, aut obrueretur lapidibus. Quo pavore attonitus jam prorſus amens *Patavium* revertitur, caſtrumque ingreſſus vacuam reperit. Nam *Gàleàz*, ne iterum opus eſſet pugnam nova obſidione extrahi, omnia effuderat. Quippe locum, vel magnitudine fluminis, vel ambitu murorum munitiſſimum, omnium rerum, quæ ad vitam ſuppeterent, copia refertum, machinis præterea ac tormentis inſtructum intellexit vix unquam poſſe expugnari. Fruſtra ille depoſiti fidem quærens, ſumma tandem deſperatione admonetur qui ſe ad *Venetos* referat, non paſſuros diutius ad genua pro ſalute deprecantem. Sic ille nec fidens, nec ſperans, neque aut humana, aut divina ſatis cogitans, *Venetias* navigat, ſecum habens filium, cujus pene temeritate in eum locum venerat, auſpicatus neſcio quid fiduciæ ex conſuetudine *Venetorum* adoleſcentium, qui *Venetias* plerumque euntem gratiſſime comitari aſſueverant. Non tamen permiſſus eo die Civitatem ingredi; in noctem apud S. *Georgium* quæ eſt Suburbana Inſula cuſtoditur. Factumque interim [2] conſilium quidnam de eo fieret. Longe ſententiæ variabantur. Cum demum *Jacobus*, quem ante diximus ab illo [3] inter munitiones *Brixiæ* coactum, juſſus ſententiam dicere, multis commemoratis, multaque forſan ex eodem capite ſi viveret futura referens, qualemcumque hominis mortem decrevit. Tum ab cæteris præcipue Senioribus, qui melius pericula, ac mala meminerant, in eandem ſententiam itum eſt, frequentique conſilio mors [4] homini decreta: verum ut prius in præſentiam vocaretur, locoque judicii publice corriperetur: de his rebus *Michael Venetorum* Dux verba faceret. Itaque in Senatum per cuſtodes introductus ante ipſum Ducem paratæ damnationis non inſcius ſtetit. Ille (ut eſt [5] juſſum) in tyrannum per ſummam acerbitatem multa eſt loquutus, è quibus hæc fere emanarunt. Si te, inquit, crederem poſſe quicquam his quæ dicturus ſum referre, priorem certe locum dediſſemus, qui verba faceres, ſeu velles errata excuſare, ſeu undecunque ſperandam veniam precari. Nunc [6] eum te omnes intuemur, qui neque ex omni ætate quam vixeris, neque modo ſi veniam [7] demus, ſanitatis ſpem facere poſſis: nempe ex majoribus accepta male gerendi indicia majore ipſe animo es perſequutus. Neque adhuc tua pro ultimis habenda eſſent, [8] cum ipſum filium edideris, qui jam plane paternis odiis ſupereſſe velle adjuret, multis facinoribus eam voluntatem proteſtatus. Quid itaque expectaverim ipſe prius in cauſa ſermonem haberes? aut quid ego velut [9] excuſationem reo detulerim, cui nullus ſatisfaciendi locus, nulla juſta deprecandi ſpes, aut ratio ſuperſit? [10] Nec tibi quidem vita potius, quam ingenium officit: omnia dudum ſuſcipienti ac paranti, quæ crederes *Venetorum* paci, ac nomini fore adverſa. Nec ſatis erat, quod erga immeritos unus inimicitiam gereres; quoſcunque unquam potuiſti hoſtes huic dominio [11] quibuſcunque artibus, atque auxiliis reddidiſti, tanquam patri hanc operam deberes, qui totius generis invidiam graviore odio ulciſcerere. Taceo quotiens in *Italiam* peregrina arma advexiſtis; quotiens barbaris hoſtibus ad perden-

1 quum pœnitentia
2 concilium quid de eo fieret. Sententiæ variabantur, quum demum
3 intra
4 hominis
5 viſum
6 quum
7 damus
8 quum
9 accuſationem
10 Ne
11 quibuſque

A dos nos fœdera, ac manum conjunxiſtis; quotiens ipſi impiis bellis *Venetum* nomen laceſſiſtis. Quis neſcit patrem tuum *Germanici* tumultus auctorem fuiſſe? Simul & mendacibus litteris auxilia adverſum *Gallos* petentem à nobis, & [12] eos ultro nefariis pollicitationibus evocantem? Ita demum Tranſalpinis bellis affecti, *Tarviſium* amiſimus. Nec diu pater tuus diſſimulavit ejus facinoris auctorem, [13] cum parvo evoluto tempore eam Civitatem ab Duce Auſtriorum emit, & quidem pecunia ex vendito *Venetiis* frumento per dolum coacta. Quid referam *Genuenſium* bellum, in quo & ſi nobis victoriam [14] reus contulit, eo ta- B men loco, ac periculo res *Venetiana* fuit, ut pæne crederetur [15] nunquam ultra in hac Civitate Dominium fore. Neque ipſe ignoras patrem ejus belli cauſam, ac Ducem fuiſſe, quem ſi forte illi [16] audiviſſent (quamquam piget ea pericula reminiſci) dudum de noſtris rebus actum eſſet. Dedimus tamen veniam [17] præteriti actus ipſe meminiſſe debes, qui patris loco (nam ob admiſſum *Venetiis* parricidium noſter interdictus erat) huc ad pedes noſtros orandæ veniæ interpres adveniſti. Poſſem eodem modo & clades noſtras, & pericula, & caſus memorare, quibus ſtirpem [18] noſtram infenſam ſemper habuimus. Tandem coacti C in Societatem *Joannis Galeaz* [19] *Mediolanenſium* Ducis ſuccedere, quo bello vobis *Patavium* ademit, reſtituto nobis ex fœdere *Tarviſio*, patremque tuum in Arce *Modoëciana* coëgit mori. Nos te tamen paulo poſt ex *Germania* redeuntem læti vidimus, atque accepimus, auxilioque, ut reſtituereris benigni fuimus. Verum quid noſtra in te [20] beneficia repetam, qui ſemper & te, & patrem, & cæteros tuos non ſane, ut vicinos, aut finitimos, tanquam optimos certe, & honoratiſſimos Cives coluimus, [21] maximiſque beneficiis, ac latiſſimis honoribus impios, & ingratos homines perſequuti; ut ſi ipſe poſſis verum fateri, non D neges profecto majora eſſe dona, quæ ex *Venetis* nobilibus ipſe abſtuliſti, majora inquam fuiſſe opibus tuis. Nec tamen unquam noſtra liberalitate veſanas tuorum exiſtimationes ad juſtam [22] benevolentiam flectere potuimus, quin [23] te ipſe potiſſimum hoſtem graviſſimis declaraveris ſuſpicionibus. Jam plures annos eo ſemper intentus, quaſi contra potentiam noſtram fines tuos cuſtodires. Jam denique optimo & æquiſſimo omnium rerum Judici Deo gratias agimus, qui ſive furiis tuis finem facere inſtituit, ſive nobis pro tot fruſtra in malignitatem tuam collocatis rebus merita referre, te ipſum ſub poteſtatem noſtram dedit; eos E fortaſſe *Venetos* ad perniciem tuam [24] inventurum, quos nunquam ad [25] ſalutem accipere noluiſti. Illi [26] nec vultus, nec animus inter hæc ſteterat, qui poſſet [27] de objectis, vel de vita, ac ſpe verbum referre. Nec ſuſtinuere diutius præſentiam Seniores. Juſſum duci in vincula: paulo poſt ex eodem decreto in carcere cum duobus filiis necaverunt. [28] Deinde reliquam ſtirpem, ſi qui forte in manus venerunt, ſimili exitio conſectati. Ita *Veneti* quod nunquam [29] pene antea (ita dicam) ſperaverant, maritimo Imperio terreſtrem quoque dominatum è noſtris cladibus adjecere; id perpetua cura obſervantes, ne quis pulſorum F in eas Civitates reverteretur: vetuſto more populos haud minus ſeveris quam æquis legibus, tamen in pace, continentes. Sed ipſe ea deinceps velut aliena, intentior domeſticis prætcribo.

12 illos
13 quum
14 Deus
15 nunquam in hac
16 audiſſent
17 pœnitenti: ac tu ipſe
18 veſtram
19 Mediolanenſis
20 repetam beneficia?
21 : ſemper maximis ac letiſſimis
22 benivolentiam
23 te potiſſimum hoſtem graviſſimis ſuſpicionibus declaraveris
24 incenturus
25 ſalutem tuam
26 nec animus, nec vultus
27 vel
28 Dein
29 antea pene

# LIBER SECUNDUS.



DIceret quidem simul cum his quæ scribimus, & patriæ fortunam queri, sœpeque etiam malis nostris deplorandis lachrymas dare. Quandoquidem jam nostræ calamitates in manu sunt, quibus ferme [1] par nunquam fuit illa antiqui Ducis nostri gloria, tametsi ille omnem *Italiam*, aut imperio, [2] aut legibus, aut amore & societate, aut metu, ac fama continuit. Ea vero si quæ fuerunt bona, non modo cum cæteris communia erant, [3] & apud exteros potiora, ut nulli non relatarum civitatum descitio sua aut deflenda, aut certe pœnitenda fuerit. Soli *Senenses* quieta pace integri stetere, semper tamen memores, contentique per id tempus optimo Domino paruisse. Nostra omnia pro perniciosis calamitosisque habenda sunt, si id tamen satis credi potest: Nullum tam magnum malum esse, quod non discordia paret. Verum scio aliud officium, tempusque historiæ esse, aliud querelarum, præsertim nequis putet minorem fuisse locum vero, ubi memoriam [4] luctus exceperit. Itaque interim facessendum lacrymis, dum acta referimus: gratiæ habendæ divinitati, quæ nos, si patiamur, levioribus malis ad se colligat. Sed hæc satis. Illud malim intelligi mutatione nostrarum rerum *Italiæ* statum conversum esse. *Veneti* hoc modo nomen suum late vulgaverant, nostris rebus ampliores. *Florentini* quoque haud dubios totius *Tusciæ* administratores ostenderunt, accedentibus ad auctoritatem compluribus *Etruriæ* Populis, & Castellis. Reliquum *Etruscorum Perusiam*, [5] atque inde *Romam* versus, mox, ut fere consueverat, [6] nulla tyrannorum segete, pullulavit. Cui & *Benedictus* Romanus Pontifex vulgata Ecclesiæ potestate [7] non exilem materiam præbuit. Nec passus tamen Deus *Italiam* capite orbatam videri, sublato inter *Nepolitanos Ladislao*. Hic fuerat [8] *Caroli* Potentissimi Viri filius, quem Patre mortuo in eum locum fortuna redegerat, ut pene cogeretur omnem paterni nominis memoriam ponere. Nutritus apud *Gajetanos*, [9] qui soli ex omni *Apulia* fidem retinuerant. Factus inde Adolescens mox de paterno regno cogitat. Nec tamen visum posse in tanta rerum malignitate consilium succedere, cui nec facultas esset, neque auctoritas. Primum igitur statuit facultatibus, si quæ essent, viam dare: nihil vero ad rem concurrebat, quam adversus perfidos, & simulatores simulatæ fidei uteretur. Ergo ex fraude conjugii initium capit quæsita in uxorem filia *Manfredi Clarimontani* longe *Siculi* nominis hic princeps erat. Eam vero, factus paulo potentior, quod non diceretur regiæ stirpis, manu prehensam uni Comitum suorum *Ludovico Capuano* uxorem adjudicat. Cui illa: bene, inquit, exulta miles, qui reginam pellicem tuam habes. quo mærore confecta propediem moritur. Aliam despondet sororem Regis *Cypri*, quæ [10] ut ipsa non multo post diem obiit. Petiit inde [11] comitem matronam, ut dicebatur, *Liciam*. Hæc Uxor fuerat *Raymundi Ursini*, vidua locupletissima, ac gemina prole superstes. Ille *Nolanus* Comes, ac Princeps *Tarentinus*. nec dubium quin conjugio fæminæ ac divitiis puerorum *Ladislaus* regnum adeptus sit. hodieque Vidua cum filiis *Maria* vocata, retento etiam Reginæ nomine, *Tarenti* vivit. Jam igitur *Ladislaus* partem Regni occupaverat; jam *Neapolitani* Regem sperare cæperant, [12] cum per *Calabriam*, & *Apuliam* multa

A possideret. Eodem consilio [13] intentus, comites qui dicebantur *Sancti Severini*, dolo aggreditur, tanquam velit in Regno primos esse. (13 ad cetera intentus) Læti favorem accipiunt, ut qui cuperent super *Ursinos* videri, quorum erat magnum in illis oris nomen. Denique ad unum fere singulos astu in regiam convocatos, comprehensosque obtruncat; sic deinde cæteros ejus oræ tyrannulos aut vi, aut pari dolo conficit. Quamobrem factus omnis illius dictæ quondam [14] *Græciæ Majoris* Princeps, Regem *Neapolitanum* paternis nominibus, ac titulis profitetur. (14 Majoris Græciæ) Quæ ita mihi visa sunt commemoranda, quod & nostris temporibus inciderunt, B cujusmodi de rebus decrevimus nonnulla referre, præsertim quæ è nostro discrimine [15] emerserint, & magna ex parte casibus nostris maximeque hujus *Philippi*, de quo plura dicenda [16] sunt, consilia extiterant. (15 emerserunt) Itaque ad nostra redeo tametsi vix modus referendæ calamitati haberi potest. (16 sunt. Itaque) *Johannes*, ut ante diximus, abreptus a matre in potestatem *Francisci* Vicecomitis, ac totius conjurationis venerat. Vidua in Castro auxiliorum, consiliorumque inops versabatur. Nullum itaque hinc responsum subditis vectigalibus dabatur, nec ullum in civitatibus regimen. C Omnia seditionibus in partes divisa; tum, ut quique plus poterant, ita ad se contrahebant omnia. Infelix *Comum* inter *Victanos* [17] *Rusconos*que feralia familiarum, ac partium nomina, agebatur, [18] cum alii Guelphos, alii Gibellinos profiterentur. (17 Rusconesque) (18 quum) Eo omnes montani vicini *Galbianenses*, *Leucenses* ad prodenda facinora vocabantur. Missus ex *Mediolano Pandulfus*, auxilio *Rusconum* introductus, omnes simul in prædam dedit: quæ pro tanto oppido fuit incredibilis; quippe & Nobilissimi, & ditissimi negotiatores incolebant, opportuno loco siti ad lacum *Larium*, qui inde D in Alpes *Gallicas* magno tractu porrigitur, quasi publicum totis Alpibus forum, ac *Mediolanensibus* quoque permagno questui qua ad *Germanos* transitus est. Itaque gravi dolore qui sana cupiebant, socios direptos acceperunt. Tanquam ex integro autem seditiones in Aula ebulliebant. Non contenti hominem, de quo supra diximus occidisse, [19] dominum in suam potestatem traduxisse, matrem quoque statuunt Urbe pellere. (19 aut ipsum dominum) Primum in *Barbavarios*, velut qui temporibus *Galeaz* gravandorum [20] onerum auctores fuissent, plebem concitant. (20 tributorum) Itaque ad singulos discursum [21] dirupta Domus *Francisci*, quæ Palatium E Curiæ contingit, non inventus ipse jam pridem ingressus castrum, unde nec pedem efferebat. (21 direpta) Tum ad alios, ut quique opibus eminebant, itum. maxime autem Guelfi premebantur, quo tempore & familiæ nostræ (hæc [22] *Bilia* vocatur) ingens periculum fuit, tum affinitate [23] *Casatium*, ac *Barbavariorum*, tum divitiarum fama. (22 Billia) (23 Casacium) Juvit tamen & innocentia nominis, quod in plebe erat, & unius familiæ capitis *Jacobi* prudentia [24] simul, & audacia. (24 simulatque) Quem, nisi metuerem propinquitatis arrogantiam videri, profecto dicerem prima- F rium fuisse hac ætate, & principem nostræ Civitatis. Unus sæpe totius vulgi furorem repressit: unus in ea perditorum rabie plurimos domos servavit. Sic statutum erat neminem superesse, quem non adversæ partis facerent, modo esset locupletior, ac pulsos aliqua amicitiæ parte contigisset. Nec ante destitere quam tractum ex summa ecclesiæ turri Sancti *Ambrosii* [25] Præpositum trucidarunt (Glossa: *imo de alta turri fratrum minorum ibi vicina Abbatem Joannem de Lampugnano amicum J. Barbavariæ Monasterii Sancti Ambrosii* (25 Abbatem Hæc glossa non extat in altero MS.)

*broſii in prædam ponentes illud tam celebre Monaſterium, quæ puerulus vidi)* Omnium maxime auctores *Bagii*, ac *Luprandi*. Itaque etiam impellunt plebem ad oppugnandam urbeculam, quæ caſtro adjacebat. Ejus munitiones juſtæ Urbis circuitu ad uſque Portam Vercellinam tendebantur: vix ulla vi expugnabiles ni vidua ſponte diruendas tradidiſſet. Vix nunc apparent tot faſtigiorum ruinæ. Non tamen impune id omnibus actum quippe comprehenſos in caſtro geminos fratres *Porros*, ſimul item *Galeaz Luprandum*, cujus manu erat *Joannes* interfectus, truncos [1] capite, prima luce ſummo cum ſtupore omnium in forum miſit. Quamobrem territi partium principes, quod [2] apud Dominam nequibant, in cives, quoſcumque appetiſſent, [3] graſſabantur. Illa vero ſeu metu quo rabidos abſens mitigaret, ſeu [4] etiam ut commodius provideret, ex Caſtro *Modoetiam* adverſis omnibus commigrat. Non viſum *Barbavariæ* velut ad certam perniciem ſequi ſuper *Novariam* ad *Vallem*, cui nomen *Siccida* ex amne, ubi illi datorum ab Duce Caſtellorum Comitatus erat, pergit. Hoſtes columbam in pullarium introiſſe rati per arcem, cui *Johannes Poſterlanus* præſidio erat, in oppidum introducti viduam capiunt, ſimul pleroſque Civium nobiliſſimorum, qui aulam comitabantur. *Pandulfus* vix e ſtrato nudus perfugit; *Tricii*, ut erat [5] altero pede incalceatus recipitur. Hinc acceptis cum ſigno litteris *Brixiam* tendit, ſeque oppido, ac munitionibus traditis, *Brixienſem* Dominum appellat. Illi captivam in arce paucos poſt dies [6] veneno extinguunt. Nihil enim vero tum in fide manſit, cuique Caſtello ſuus Dominus. [7] *Bergomum Suardi*, prima ejus oppidi familia, obtinent. *Tricium Cogliones* ex *Pergamo* profecti, occiſo per dolum Præſide, occupant. *Cremenſibus Georgius* cognomine *Benzonus* ſe tyrannum conſtituit. *Laudi Johannes* ex macellario Rex factus. Nunquam tamen non ante mutua cæde parentatum [8] quam poſſet quiſquam oppreſſis cæteris dominari. *Cremonæ* latior cædes. Primum *Jo. Ponzonus* maternæ noſtræ conſobrinus Vir, [9] cum Dominium cepiſſet, juvenis ingenio mitior, extinguitur. Succedunt rebus dicti *Cavalcaboves*. Verum ex his [10] *Cabrinus* cognomen [11] *Fondulus*, *Piſgotunenſis* diverſo favore [12] introductus, ſcelerata audacia dominatum capit. Tum eoſdem aggreditur, a quibus acceptus erat. Nonnunquam ſane audivi ſeptuaginta ex ea Domo, aut prope, quanquam diverſis temporibus occidiſſe, quorum ferme ſex militarii ordinis, quos uno noctis principio necatos in putorium locum demerſit. Tot mala noſtræ clades meruerunt. *Mediolani* quoque omnia incrudeſcebant, bacchantibus in Civium cædem [13] ſceleratis, quo metu abibant multi. [14] *Caſati* cuncti ceſſere, *Cuſani*, *Raudenſes*, *Currentes*, quorum nobis cum quatuor avunculis [15] avoque, multi alii facti ob eadem pericula exules. Magna pars *Laudum*, alii [16] *Tritium*, aut uſque *Brixiam* contenderunt. Denique plures collecti ad urbem veniunt. Nec mora, per Portam novam accepti intrant Principes factionis. Hinc *Otho* ex *Ruſconibus*, inde *Joannes Laudenſis*, verum ea ſpe ut ingreſſis Guelfi occurrerent. Præcipuè vero putabant noſtram Domum, quæ captæ Portæ ſat propinqua erat, mox ad tumultum erigi. Quod ſi feciſſemus, haud dubitem [17] de omni Gibellino nomine in ea Civitate actum eſſe: tantus erat affinitatum ordo, tantus Clientelarum numerus, qui rem juviſſent. Quippe ſoli in ea Civitate, omnique *Italia* metallicum artificium componimus. Noluit *Jacobus* tantæ ruinæ viam dare, [18] ac ſuos continuit. Nec tamen ſuppreſſum vulgus, quin pulſis illis ad Domos prædatu-

1 capita
2 adverſus
3 craſſabantur
4 etiam commodius
5 uno pede
6 extinguunt veneno.
7 Bergamum
8 qua
9 quum
10 interveniens Cabrinus
11 Fundulus, Piſgatunenſis
12 inductus
13 ſceleroſis
14 Caſates
15 avus: multique
16 Tricium
17 eo die de
18 , ſeque ac

A
ri [19] venerint. Memini puer eo die ſub tectis noſtris cæptam cum popularibus pugnam, obſtructa [20] fortiſſimis trabibus, & catenis utrinque via; nec dubium magnam futuram fuiſſe hominum cædem, ni ſe *Jacobus* furori auctoritate interpoſuiſſet; hac ſola prohibuit, ne ab illis interficeretur, quos velut concionabundus nunc hos, nunc illos compellans longe ſequutus erat. Late dehinc manavit furor. comprehenſi, aut fugati quique ad eam Portam ſpectabant. Nec modus uſque [21] aut rapinis: affecti variis ſuppliciis multi: coacti alii ſe ex vinculis pecunia [22] redemere, ac plerique tamen ſoluti vinculis mox obiere mor-
B
tem jam ante in vinculis cæptam. Nobiliſſimi plures publice damnati, ac perempti. Unus [23] ſcelerum inventus miniſter, *Marcus*, cognomine *Pilotus*. Hunc tandem ferunt dixiſſe *Franciſco*: *Tu mihi hominem dederis, meus labor ſit mortis cauſam inveniſſe.* Itaque laxata in Guelfos judicia, ut nemo inſons haberetur præter quem extrema calamitas tutum faceret. Soli, ut plane ita dixerim, ex omni factione reſtitimus. Exules identidem omnia extra Urbem vaſtare, alii ex *Laudo*, alii ex *Tritio*, quique in ſuas regiones diſcurrentes; nec cædibus, aut ignibus temperabatur, dum partes occurriſſent. Deleta per [24] idem tem-
C
pus fere omnis, quæ ad Orientem ſpectat Regio, nec vicorum, aut caſtellorum numerus referri poteſt, quæ tanta nunc cernuntur exuſta. *Comum* item *Ruſcones* ceperant, tametſi paulo ante [25] præda conſumptum. Complices igitur quo paululum veſaniam occultarent, & quaſi gratificarentur puero, in exteros quoque bellum parant, conducto in ſtipendium *Galeaz*, *Mantuano*. Hunc paulo plus mille equitibus, ac pari peditum numero adverſus *Tritienſes* mittunt, quo ſane major exulum vis convenerat. Verum nihil pro forma caſtrorum [26] agebant. Itaque [27] *Abduam* tranſit, velut in Montanos profecturus; ſed ra-
D
piebat hominem, armorum illa ætate illuſtriſſimum, in aliquem abditum fortuna. Nam ibi, dum forte ignoti cujuſdam vici male hærentem parietem expugnat, clauſtrum pro foribus objectum refringens, rejecta ob oculos galeæ [28] ſpecula (*mox ſagitta, quam vulgo verretonum nominamus*) verreculo per eum locum ictus cecidit. Miſerabilis caſus tanti hominis, quo nemo fere me puero audacior dictus. Secuta inde peſtis graviſſime Civitatem afflixit, quippe agricolæ undique ex agris in Urbem coacti, & penuria rerum, & corporum male ſuetis contagiis tabem concipiebant. ita in vulgus, ac demum in cæte-
E
ros vulgata peſtis tumulos coacervabat, ut ferme aliquod diebus ſexcentum corporum mortes narrarentur. Neque ita paulo poſt *Mediolanum*, appellatam à Græcis [29] Urbem populoſiſſimam, ſed deſertam quandam Coloniam diceres. Mirum dictu quo numero per id tempus Cives veluti per fugam exibant. Proinde viciſſim in unam Urbem provincia commutata, ne qua ut cerneres [30] ubi non *Mediolanenſes* occurrerent. Tum & *Facinus Mediolanum* commigrarat, ne quid vel factioni vel ſceleri deeſſet, ac per ipſum omnia
F
fere tractabantur. *Gabriel* quoque ille ſpurius, quem *Piſis* pulſum diximus, *Mediolani* à fratre acceptus ignava adoleſcentia partes fovebat. Ductor copiarum, quæ tum erant, inſtitutus, non tam fortaſſe qui decus referret, quam qui haberet locum in facinoribus. Jam igitur exules, cum nullam [31] ad reditum ſpem haberent, tanquam vere exules ad *Jacobum* cognomine *Vermem* confugiunt: [32] Si quidem forte illum tantæ calamitatis miſeratio [33] haberet. Refert neſcire, quid in ſe auxilii eſſe poſſit, qui nec exercitum, nec arma, aut pecuniam habeat. Quærit tamen ſi quo pacto ad eam rem præſtare poſſit. *Othonem*

illum

19 venerunt
20 firmiſſimis
21 cædibus, aut
22 redimere
23 inventus ſcelerum
24 id
25 mirabili præda
26 agebatur
27 Adduam
28 ſpecula, verretulo
29 quoque urbem
30 non ubi
31 prope ad
32 ſi quid
33 moveret

illum cognomine Tertium *Parmensem* edocet, quo in loco res *Mediolanensium* constitutæ sint, meminisse debere stipendiorum, quæ in omni Vita pro illa Civitate gesserit. Porro hanc fidem servandam manibus *Galeaz*, quem penes sit tantis muneribus, atque honoribus functus,[1] siquidem paratum mortuo quoque beneficiorum vicissitudinem rependere, quippe frustra totiens pro ea Civitate pugnatum, si non præsenti quoque periculo servetur. Una cum litteris plerique [2] exulum ad *Othonem* iere precibus apud Imperatorem supplicantes, ne miseros cunctaretur eripere, cujus unam opem cælitus crederent servatam destitutis. Si quid unquam de illo *Mediolanenses* [3] meruissent, hoc unum beneficium esse quo simul omnia, quæ unquam ex illo speraverint, possit implere. Primam quidem hanc esse *Mediolanensium* necessitatem. Quod si latius cogitare velit totius Guelfi nominis, si ob hoc nomen pulsos ita fari liceat, rationem videri, neque pecunia resistendum, quam abunde hostes præbituri [4] sint, se quoque corporibus, & totis viribus in exercitu affuturos, qui primi in omnia pericula viam aperiant. Quibus ille permotus, qui præsertim speraret omnem adversam factionem in potestate habere, de auxiliis quantum ad se attineat, ultro spondet. Simul itaque coactis viribus *Otho* ac *Jacobus*, magna manu [5] comitante, *Mediolanum* versus properant. Paulo minus quatuor millia equitum fuere, idque omnem adversam partem exterruit. [6] Non ausus *Facinus Mediolani* expectare, se se prope *Ticinum* subducit non longe à Monasterio ([7] *Miramondum* incolæ vocant) victum se ferens, qui cum vel sapientissimo hujus ætatis vel audacissimo [8] victore esset pugnaturus. Eodem & gemini gubernatores exercitus *Gabrielis* convenere, ambo *Romani*. Hic *Strabo*, ille *Citulus* vocati: *Franciscus* ex *Mediolano*, quæ ad exercitum opus erant, suppeditabat. Ut igitur constitere propinqui, jamque esset premente *Jacobo* dimicandum, *Facinus* sane metuens, ne totus obrueretur, dolum parat. se se in eo loco aciei constituit, unde & bellum, & fugam tentare possit. Vix pugna inita est, deprehensum [9] quod acies labaret. Itaque *Jacobus*, mox aliquot ex acie delectos equites ad signa hostium mittit, nec prius circumversi cæpere, quam *Facinus* terga nudaverat, seque ultra *Ticinum* ponte ad id navibus parato abstulerat, ac sui fere eodem ponte trajecti: nullum vero in acie discrimen fuit, quo minus qui restiterant omnes caperentur. Nemo tamen pugnando occisus. Solus nescio quis *Marchoaldus Othonis* desertor, cum in propinqui Castelli foveam tempestiva fuga præreptus se se trajecisset, ab ipso ductore extractus, trucidatusque est. Facile erat tum, si vellet, [10] *Facinum* delere: cæterum dudum noti, qui in eisdem Castris militaverant, habitis colloquiis, tanquam nullæ essent inter armatos [11] dissensiones, discessere. Nec dubium *Jacobo*, quin statim portas *Mediolani* ingrederetur. Dux ipse puer lætus, quasi patronis, ac tutoribus occurrit. Factio, quæ hactenus aulam servaverat, Duce *Francisco*, omnes [12] diffugiunt. *Otho*, & ab *Jacobo*, & [13] ab aliis exulibus conventa exigit dari sibi reliquæ partis domos in prædam. Id vero *Jacobo* nec fas, nec tutum videri: melius, & facilius eosdem cogi, qui se persolvendis exactionibus redimant, quem morem ipsi prius [14] indixissent. Hæc indicta [15] *Othoni* gravis maximam pecuniam conflavit, quem numerum ipse tum puer in ærario versatus confeci. Nec contentus argento lævus Imperator majores rapinas petebat, quæ cum ad votum non præstarentur, indignatus non ita, ut vellet, [16] ab *Jacobo* exaudiri, minabundus ex Curia, atque ex

1 se. 2 exulum iere. 3 bene meruissent. 4 sunt. 5 exulum comitante. 6 Nec. 7 Miramundum. 8 auctore. 9 quæ. 10 Othoni Facinum. 11 offensiones. 12 defugiunt. 13 ab exulibus conventas. 14 induxissent. 15 gravis maximam pecuniam Othoni. 16 se exaudiri ab Jacobo.

Urbe proripitur, non multo post ad [17] vexanda omnia rediturus. Moxque trajecto *Pado*, *Parmam* fertur. *Jacobus* cum Principibus factionis de reliquo statu, deque omni rerum [18] firmitate consultat. Et primum quidem Aula novis hominibus repletur, factaque circa adolescentem alia familiarum turba. Magnifici habebantur *Antonius Vercelini* Vicecomes, *Christoforus* [19] *Casateus*, *Joannis* olim perempti filius,[20] *Galeotus* eidem propinquus, tum alii, ut quisque erat Duci gratior. *Jacobus* seu ægre ferret, *Johannem* illorum contubernio gubernari, seu gerendis rebus parum intenti viderentur, simulata expeditione, pontem in [21] *Abdua* construit, quo prætervectus domum abiit, nec ultra est *Mediolani* versatus. prius tamen advocato [22] *Carolo Ariminensium* Domino, eodem adolescentis paterna legatione tutore, ex illo iterum alia administrationis forma quæsita. Cæterum qui adversæ factionis aut cesserant, aut pulsi erant, ipsi quoque in agrestes Colonias, & Castella dividuntur. *Modoetia* in potestatem [23] *Estoris* data. Hic fuerat quondam *Bernabovis* ex pellice filius, quem isti ad accipiendam dominationem evocaverant. Alteri quoque *Johanni* cognomine *parvo*, ejusdem *Bernabovis* nepoti, *Canturiam* venit, utraque ferme, & numero hominum, & Copia divitiarum præclara municipia. Alii ad *Aquilonem* urbis Castella communiunt. Cæteri ad *Facinum* bellum facturi colliguntur, qui jam in ea circumpadana ora tyrannus constiterat. Atque ut ante diximus, *Philippo* illa contigerant; neque illi res integræ steterunt, de cujus [24] & fortunis pauca hoc loco referenda sunt, nam posteriora hujus voluminis ejus sermoni debentur. Nec passus ille quidem domi tantam partium rabiem, ut cui minor esset malorum materia, & ipse sane quietioris ingenii paulo moderatius imperabat. Verum defuere continendis potentioribus vires. Jam *Placentiæ* omnia diffidebant, colluctantibus familiis, cui potius vastanda patria contigisset, nec parum juvabant partes *Laudensis*, *Cremonensis*que, eo quidem studio, ut alter ejus Urbis potiretur. Tandem *Laudensis* pro æquiore Domino introductus, cum diu essent variis malis conflictati. Alia quoque ex parte *Vercellensium* seditio *Facinum* excivit, illeque per factionem [25] Gibilinam ingressus universum oppidum præter paucos perfidiæ auctores in prædam dedit. Iisdem dolis *Alexandrinos* occupat, cum alii [26] alios pepulissent, utrosque publicis rapinis populatus est. Id sane mirum dictu, potuisse ab illo *Franciscum Barbavariam* seduci, quem ante diximus apud *Siccidenses* versari, nam data illi spe potiundi meliorem statum, fraude circumventum una cum *Bonifacio* Cive *Mediolanensi* militarique capit. Et hunc quidem obtruncat. *Franciscum* vero ereptis fere quæ in ea regione possidebat, tandem emittit ad obsidionem *Castellaciensium*. Hi quatuor millibus ab *Alexandria* [27] sunt propinqui. Obstinatior fuit obsidio, [28] quam vix ut queat hominum virtus enarrari. Prope tres annos obsessi perseverarunt munitionibus vallati nulla auxiliorum spe, nullo agrorum fructu. Tandem voluntarios accepit, nec cuiquam populorum benignior visus est, quanquam partium discordia infestissimos habuisset. Ita *Philippo* sola *Papia* obtemperabat. Nihil vero damnosius quam quod domesticos habebat *Beccarias*, quæ est familia quondam *Papiæ* [29] Princeps. *Castellinus* malarum partium nequissimus. nec *Philippum* fallebat quam suis rebus essent inimici. multa tamen simulantem, quæ post oblata opportunitate retexit. Contra frater *Mediolani* Dux à patre relictus, feriocioris ingenii. multum vero addiderant, qui fuerant apud illum præcedentibus annis versati: quamquam omnia suis capitibus para-

17 versanda. 18 infirmitate. 19 Casatius. 20 Galeotus ejusdem. 21 Addua. 22 Karolo. 23 Hestoris. 24 etiam. 25 Gibellinam. 26 alios varie. 27 sunt. 28 ut vix queat. 29 Potens Princepsque.

paraverunt, ut jam ad nostra conversus referam.
Nempe *Karolus*, ut ante diximus, curæ *Mediolanensium* præfectus, novandis rebus operam da-
1 & omnia bat; verum difficilis expeditio, quod [1] omnia tur-
bata offendit, nec paratum ullum exercitum quo
ad subitaria uteretur. Quam difficultatem auxit
2 Stanghelini perfidia [2] *Strangelini* cujusdam *Paludani*. Hic col-
3 Montiflorum legam in exercitu *Baptistam* [3] *Montiflorium* dolo in-
terfecit, fugitque ad *Facinum*. Quamobrem
4 copiæ omnes [4] omnes copiæ dissipatæ. Coactus igitur ex dele-
ctis partium exercitum conficere, ac primum *Mediolanensem* arcem ex præsidibus repetit illi: negant;
*Christoforus*, ac *Vincentius* cognomine stratarius,
ille ex Villa *Marlianus*: aggressus oppugnationem
*Karolus* circum clusis per fossas aquis, late omnia
in castro fecit inundare. Tum omnibus machi-
5 extrinsecus nis ac tormentis [5] intrinsecus parietes concutit,
introrsus diruit tecta, nihil ut in tanto spatio tu-
tum superesset. Magna quoque impensa muni-
tiones in pomerio extruxit, quibus prohibentur
auxilia. Nec spes tamen dabatur potiundi, nisi
se illi ultro salvis omnibus tradidissent. præter
6 quam [6] quod pauci principum in potestate venerunt.
*Gabriel* (nam ipse quoque eodem confugerat) di-
missus *Genuam* petit, ubi summa illi pecunia erat,
ex divendita *Pisana* arce, in publico locata. Eam
fuisse causam puto, quamobrem ignoti Criminis
7 occiderunt. insimulatum [7] occiderent. *Antonium* Vicecomi-
tem tenuere, ut *Cassianum* traderet, quo admissi
8 Hestorem pedites invenere [8] Estorem illa nocte Castrum ce-
pisse per cuniculos veteres, quos ex [9] *Abdua* cri-
9 Addua pta quadam in Castrum penetrare didicerat. Pau-
lo post obsessum castrum ad deditionem cogitur.
Traditum inde *Johanni* meo propinquo, qui ac-
cepto præsidio omnem eam oram servaret. Ibi
astrictus vinculis *Antonius* paucis post mensibus ab
Duce necatur. Frater quoque *Franciscus* eodem
pene tempore *Somaliæ* prementibus malorum fu-
riis tandem morte obiit. Tum primum *Johanni* in mentem venit superesse matrem vindicandam,
10 facinoris cujus [10] factionis *Johannes Posterlanus* in primis
reus dicebatur. Hunc è Castro *Mediolanensi* edu-
ctum, tormentis agitatum, canibus lacerandum
tradidit. sic plerosque juvenes clarissimarum
familiarum Gibellinæ partis obtruncat. Præ-
terea genus illud nefandæ necis, quæ canibus
urgebatur, adversum plures intendit, tam ferme
sanguinis sitiens, ut nullum fere diem per id tem-
11 Quod pus incruentum fineret. [11] Quoad si forte occi-
dendi homines deessent, necesse erat vel ex feris
12 Karolo cruorem emittere, quæ res haud dubium [12] *Carolo* acerbissima videbatur. Factum itaque Con-
13 adolescenti uxoris silium jungendæ [13] uxoris adolescenti, quo pacto
forsan trux ille animus mitigaretur. Advecta ex fa-
14 Malatestum milia [14] *Malestarum* puella ejusdem [15] *Caroli* ex *Cæsenatico* neptis. Paululum deſævit ille furor,
15 Karoli non tamen cessit; tametsi *Pandulfus*, & socer fe-
16 ageret. stivitate nuptiarum omnia [16] agerent. Quæ qui-
dem *Mediolanensi* velut per ocium transiguntur nec
tamen aula erat concors, *Casate Christophoro*, ac Vi-
cecomite *Antonio Vercellini* rem omnem ad hujus
*Philippi*, qui tum dicebatur *Papiæ* Comes, so-
cietatem trahentibus. Spes facta erat habendo-
17 Bucicaldo rum ex *Gallia* auxiliorum, si se [17] *Bucicando* Gu-
bernatori *Genuensium* conjungerent. Id vero *Ma-*
18 Karolo *latesta* horrebat, a [18] *Carolo* ad res generi tutandas
relictus. Plus vero illi in aures Adolescentis po-
terant, nec injuria quidem. Nihil enim fere
19 aliud Karolus [19] *Carolus* in administratione gesserat, quam edu-
ctis in agrum *Papiensem* copiis fratrem fratri infe-
stum reddiderat, paulumque abfuit, si vera ajunt,
quo minus ab altero hic *Philippus* per speciem
20 discident colloquii opprimeretur. His igitur dum [20] desi-
dent aliqui equites *Gallorum* (numerus trecento-
21 pervenirunt rum erat) *Mediolanum* [21] præveniunt, quorum

A interventu aula factioni permissa. Verum paulo-
post *Pandulfus* majore exercitu suburbium Portæ
[22] Cumanæ ingressus in aulam deducitur. Nec 22 Romanæ
diuturna potestas: nam inde parvo tempore ex-
acto, cum hi fere tepuissent, *Galli* ductore ipso
[23] *Bucicando* acriores redeunt. *Philippus* tum ejus 23 Bucicaldo
amicitiæ interpres erat, qui cum gente prior con-
venisset. Interea *Facinus* ubi intellexit [24] *Bucicandum Mediolani* versari, sollicitatos *Genuenses* ad 24 Bucicaldum
desciscendum compellit: severius quam oportuis-
set imperasse dicebant. Rectorem cæpere Mar-
chionem dictum *Montisferrati*. Rector ex *Mediolano Genuam* properat, sed obvius illi apud *Garcium*
B *Facinus* iter avertit. Quamobrem revocatus ab
Rege *Franciæ* [25] *Bucicandus* male actæ administra- 25 Bucicaldus
tionis damnatur. Hoc modo gens ex *Italia* pul-
sa, nec ultra *Genuensibus* ex ea defectione pericu-
lum fuit. Ortis in Regia summis contentioni-
bus, quarum initium *Aurelianensis* [26] Ducis cædes. 26 cædes
Hic & Regis frater erat, & nostrorum Ducum
Sororis Vir. Continuata inde mala, tracto ad au-
xilia Rege *Britanno*, debellata pars, super trigin-
ta hominum millia in acie cecidisse feruntur. Ibi
vero omnis *Gallica* Nobilitas interiit. Captus
Rex ipse atque in *Britannos* ductus, quamquam
demens moritur. Multi quoque potentissimi in
C vincula conjecti. Urbs *Parisiensis* in potestatem
*Britannorum* venit. Nec cessatum post Gallicis
certaminibus, donec ipse quoque *Britannus* cum
magna suorum cæde [27] Scotiorum manu occubuit; 27 Scotorum
relicto impubere ex capti Regis Gallici filia. [28] Quin 28 Quin etiam
& *Genuenses* adventanti in *Italiam* ad capiendum
*Apuliæ* Regnum *Ludovico* [29] *Massiliensi* Regi na- 29 Massiliensi
vibus occurrunt; paucique non aut interfecti, aut
capti: ex quo *Ladislaus* tutum semper id Regnum
habuit. At hæc fere peregrina: nostra jam in
alias calamitates transeunt. Quippe dum hoc mo-
do aula *Johannis* fluctuat, nec cuiquam rei aut pe-
riculo satis providetur, exules ad *Facinum* collecti
D jam graves copiis in dies magis magisque [30] pro- 30 urbi
pinquant. Denique *Johannes* ut circum se silen- propinquant.
tium vidit, nec esse, qui ire adversum pergat,
*Facinum* ad Portam Romanam castra habentem ul-
tro ipse cum exulibus evocat. Cæteri ut quique
[31] plus sibi timuerant, effugiunt. Ita rursum ne- 31 sibi plus
gotia alium locum repetunt. *Facinus Mediolanum*
tenet, data factiosis licentia, undecunque ex
partibus ut velint rapiant: sibi quidquid pecuniæ
publicum esse potest relinquant; nec tamen id æ-
que omnibus licebat. Quæ res fecit aulicos alie-
na cogitare. *Bagii* maxime, ac *Posterlani* omnia
poterant. Exclusi rebus alii, quorum Princeps
E *Johannes Luprandus*. Hic Ducem secreto subor-
nat, quid tamdiu [32] subjectum se patiatur; semel 32 se subjectum
ausit, non deesse vel Cives qui facinus sequantur:
*Facinum* si oppresserit, omnia in tuto esse, quan-
do ille omnia in potestate habeat. Plerique exi-
stimant, hujus *Philippi* consilium fuisse. *Papiam*
enim alterius factionis exules diverterant. Itaque
id fidelibus internuntiis velut oraculum ad aures;
quod ut importune, ita debilem eventum habuit.
*Johannes*, seu Juvenili impetu, quod rem majo-
rem ingenio esset agressurus, seu consuetudine a-
micorum *Facini* quibus cum [33] vescebatur, non 33 veniebatur
lætus accederet; tamen consulto nullo, venienti
F ad se prima luce *Facino*, inquit, captivus [34] est. 34 es.
Nec ille moratus ad verbum, ut erat in equo,
habenas vertit, solusque Porta puellari elapsus,
ceteris vestigia persequentibus *Rosatum* petit. Nec
vero id prius factum, quam facti adolescentem
pœnituit, rejecta in alios causa, qui facinus sua-
sissent. Itaque mox Legationes ad *Facinum* cæ-
pere, quæ veniam [35] precarentur adolescenti, qui 35 deprecarentur
non tam odio, quam temere ausum movisset. Ille
suppressa interim erga *Johannem* iracundia, ne-
quiorem

quiorem se adversus *Philippum* parat: morbumque astu simulans de occupanda *Papia* cogitat; nec secus ac voluit traditum negotium. Cum *Beccariis* perfidiam componit, ac per illos nocte, quæ diem Domini Natalem præcedebat, in oppidum est introductus. *Beccariæ* mox ingressi quemque adversæ factionis locupletiorem occupant. Quod intelligens *Facinus*: ergo, inquit, mihi nihil prædæ derelictum? Falso existimatis [1] *Gibilinis* parcendum, postquam vobis Guelforum opes contraxistis; utrosque ego [2] jubeo simul diripi. Ad eam vocem in omnes domos discursum, momentoque omnia armis occupata. Hoc modo *Papia* Civium suorum proditione in rapinam cessit. *Philippus* paulo ante admonitus in arcem redierat, cum illum *Castellinus* ad hostes ducere [3] tentasset. Verum in arce [4] parum præsidii, & spei erat, ubi nemo [5] *Philippi* jussa curaret; ita omnia minatus *Facinus* dirupturum, ni *Philippus* descendat; pollicitus tamen, si id faciat, haud aliter ac Dominum habendum. Quod itaque inter notos res agebatur, paucorum interventu castrum *Facino* aperitur, locus ferme quo nescio an hodie sit in terris quicquam pro eo opere magnificentius. Nec multo post *Facinus Mediolanum* advocatur, ut nihil [6] illi ad utriusque dominium [7] jam præter nomen deesset. Omnia uni parebant: omnia pro illius imperio statuebantur, [8] nec tanto quidem ad impensas juvenum relicto, quod vitæ satisfaceret, quo minus magnificentiam [9] decoraret. Additum quoque sceleri flagitium. Juvenem his monitis imbuerunt, ut jam uxorem si non repudiatam, certe pro dissociata haberet. Vulgus quidem annonæ copia delinitum; cæteri quicunque bonorum civium loco essent, intolerandis tributis gravabantur. Alterius factionis nemo non pro nocente habebatur. Multi vel publica, vel privata odiorum licentia interfecti. nec majus unquam familiæ nostræ periculum stetit. Quo tempore ipsi tantorum malorum tædio in hanc religionem confugimus. Inter hæc *Facinus*, dum *Papiæ* versaretur (sive illum tutela arcis, sive amænitas delectabat) in extremum morbum decidit, magna adolescentium expectatione, quos ille ad summam inopiam redegerat. Id enim constat, nec *Johanni* licuisse ministris uti, nec quid ad vitam suppeteret uxori datum: & hunc *Philippum*, ut uno verbo dicam, [10] subtegminibus eguisse; tanta vel *Facini* avaritia vel factiosorum rapacitas. Instituit tamen adversus *Pandulfum* bellum, omnia per legatos agens. Jamque ademptis [11] pluribus Castellis, haud dubium fuisse, tandem provincia pulsurum. Namque [12] *Bergomum*, captis suburbanis, oppugnabatur, quod oppidum ille pridem ab *Suardis* emerat. Verum, ut ante diximus, morbo gravatior in desperationem vitæ cecidit. Quæ res *Mediolani* intellecta magnificos illos, qui libidine partium dominabantur, maximis curis incendit, ne iterum *Johannes* [13] adversus exules revocaret. Itaque aliud facinus statuunt, quo simul totius rei summam commutent. Hæc erat mors adolescentis: inde ut Civitatem atque imperium ad *Bernabovis* prolem traducerent. Idem *Papiæ* [14] de *Beccariis*, si *Facinus* moreretur, agendum erat. *Mediolani* quidem flagitium perpetratum. Conscii *Otho* ex familia Vicecomitum, *Andreas Bagius* cum fratre *Paulo* (ille majorem natu *Johannem* prius occiderat) *Johannes* [15] *Posterlanus* laniati patrui memor, atque alii præcipue ex Domo *Mainorum*, quorum item geminos fratres Dux [16] obtruncaverat. Hi [17] *Johannem* altari inter celebranda sacrificia circumsistunt, perfossumque multis vulneribus, ac pene trucidatum ex aula in Ecclesiam majorem jubent efferri, ne quid velut in vivente spei cuiquam superesset. Sub idem tempus parati ad urbem *Hector*, [18] ac *Johannes* parvus, vix duodecim famulorum comitatu ingressi; Civitatem occupant nullo labore nec metu cujusquam Domini constituti. Sic illi primam *Galeaz* stirpem eruerunt, adolescentem, cui ferme (quod ad ingenium attinet) nihil paternæ Indolis deesse videbatur, modo [19] consimilis ingenii Magistros accepisset, ac non corruptorem *Franciscum*; tum cæteros, quorum formatus institutis & se & omnia secum perdidit. Non tamen cessit res *Hectori* integra; quippe castrum superfuit. Huic [20] *Vincentius* præerat à *Facino* [21] in eum locum restitutus; nec ab *Hectore* aut pretio, [22] neque promissis, aut denique supplicationibus vel compelli potuit, vel induci, ut arcem traderet, quam se stirpi *Galeaz*, ubicunque esset, debere affirmabat. Nec eodem modo *Papiæ* adversus *Philippum* successit, tanquam majoribus fatis servaretur. Rem quidem ferunt nuntiatam *Facino*, [23] cum pene extremam animam traheret: Vociferasse perfidos, qui perpetrassent, nec defuturum se vindictæ, si longior esset spiritus, qui tanti Ducis prolem violassent. Verum in ultimo vita erat, quamvis illi non videretur; propterea fabulam, & quidem veram referunt; nuntianti mortem *Antonio* cognomine [24] *Bossio*, minatum necem intra unius horæ spatium, dum posset novissima confiteri: ubi cum ille anxius anhelaret: ergo, inquit, eodem modo puta mihi tuo nuntio evenisse. Tum ad *Bartholomeum* designatum *Mediolani* Archiepiscopum conversus ait. *Quoniam ut cerno jam me extrema superant, atque ego te semper unum in omni nostra factione habui, nunc te per fidem, per* [25] *dexteram, per tuam illius animi magnitudinem oro, ut hæc memineris, creditaque & tanquam mandata retineas: primum id quantis possum precibus, expetiverim, Beatricem meam curæ, ac fidei tuæ commissam putes. Dein ut vere es* [26] *Gibilinus, omnem factionem suscipias: verum ante omnia Philippus incolumis sit: Quamobrem vide, ne è castro pedem efferat. Hic se tutum existimet, unde etiam si quæ fuerint providenda, gubernet. Denique & armigeros socios qui mecum sunt tot annos enutriti, quoad potueris, serves, beneque acceptos disponas; quanquam in primis fratrem, tum & propinquum Ludovicum honoratos præbeas. Hæc mihi ultima fuerit rerum cura, si hoc præterea tenueris & nostri corporis sollicitudinem & nominis memoriam. Vale.* Nec plura loquutus animam reddidit: vir (præter hoc quod armorum strenuus aliquando) omni vita nequitiæ cultor; cui nec fides satis probata esset, nec humanitas servata. Itaque creditum [27] ob rem non aliam passum adolescentes Dominos vivere, quam quod vel ipse carens liberis, frustra esset paraturus, quæ videret relinquenda nulli; vel quod partibus non satis fidendum putaret, si se intellexissent principatum struere. Id constat unum fuisse, in quem & servandæ, & delendæ provinciæ potestas venerit. Nec tamen aut fides, aut pietas obstitit malignitati, quamquam [28] sibi hoc assumpsissent, nihil integrum sinere, quod perdere posse [29] viderentur. Verum habendus lacrymis finis, quando jam reliqua proniore sidere spectanda sunt.

1 Gibellinis
2 simul jubeo
3 tentaret.
4 parum &
5 jussa Philippi curaret. Itaque omnia minatur Facinus dirupturum
6 jam illi
7 præter
8 ne
9 decoraret
10 subtegminibus
11 compluribus
12 Bergamum
13 adversos
14 Beccariis de Philippo, si
15 Pusterlanus
16 obtruncarat.
17 juvenem
18 simul ac
19 consimiles
20 præerat
21 ante in
22 aut
23 quum
24 Boscio, minitatum
25 dextram
26 Gibellinus
27 non aliam ob rem
28 hoc sibi assumpsisset
29 viderentur.

# LIBER TERTIUS.

Fratris B. Andreæ patriæ historiæ liber secundus explicit. Tertius incipit feliciter.

1 nolumus



ncertum facit, quid in his probem, ipsa fortunæ varietas, tum nostræ spei labilitas; ut tanquam in fraudem nati videamur, dum nihil superest, ubi paululum liceat fiduciæ præstare: sive[1] noluimus ipsi optima complecti, sive cupientibus hodierni fati iniquitas obstat. Hoc sane certus dixerim, nihil adesse quod optemus, ac satis fore quæ quidem in hoc Vitæ cursu accidant toleranda adipisci. Verum certiora omnia fient spectato rerum exitu, maximeque interim referendæ Divinitati gratiæ, cujus beneficio, ac per unius *Philippi* sortem datum est, paululum ab intestinis partibus secedere; quæ mala jam decem annos continuos duraverant.

2 His

[2]Hic ferme, nec Domino caruisse, nec Gubernatorem quempiam rebus extitisse dixerim. Cæterum jam ex *Philippi* institutis negocia sunt in hunc diem referenda. Erat hic *Papiæ*, ut[3] diximus, adolescens: hoc solo ex[4] fraterna cæde servatus, quod intra arcem versabatur. *Facino* mortuo[5] quid minimæ curæ habitum est de tumulando corpore[6] fuit. Delatus in propinquum arci Ordinis nostri monasterium; posteaquam tertium diem insepultus, ac nudus jacuit instantia Fratrum, cum nemo intenderet, humi obrutus est: quo in loco Vicecomitum reliquiæ sunt, & antiqui *Galeaz*, & patris *Philippi*, *Johannis* itidem *Galeaz*. Nam ex *Viboldono* metu *Triciensium*, qui eam oram procurrebant, *Papiam* est relatus, quamquam divitiis ablatis, quas prius contumulatas narravimus. Primum omnium arcis Præsidem *Philippus* rogat, velitne illi pro fide gratificari. Is *Antonius Bozerus Cremonensis* dicebatur, perfamiliaris[7] *Bartholomæi de la Capra*. Nec cunctatus *Philippo* respondet, nihil pro illius salute[8] non facturum. Ergo inquit Portas obsera, ne quis nostro injussu aut ingredi possit, aut egredi. Factum id protinus, observante omnibus vestigiis *Philippum* præside, ne quis improvisus contingere, aut accedere posset, id plane cavens, quod[9] & *Beccariis* intenti suspicabantur. *Papienses* quoque ob ejusdem memoriam de flagitio dubitantes armantur, petuntque ex arce *Philippum* ostendi, ac demum non plane incolumem credentibus ipse in conspectum venit, jussitque bono animo esse, brevi optimum[10] statum visuros, nec se aliud satagere quam ut Cives atque amicos servet: sic cætera, ut[11] humane est facundus, in bonam spem conclusit, Deum illi orarent, qui se rebus præsentem faceret. Quibus alacriores facti animis, corporibusque in obsequium parati, domos redeunt, ponuntque arma. Tum inter se *Bartholomeus*, atque *Antonius* de statu rerum conferunt; quid in præsentia saluberrimum videatur. Denique ita visum: *Philippus Beatricem* Uxorem accipiat: eo pacto futura illi tanquam pro dote integra omnia quæque fuissent *Facini*, cujus item nomen majore uxoris conjugio superset honoratum. Nec *Beccariæ* abnuunt, rati hoc modo *Philippum* adhuc inter partes fore, neque illi futurum dolo[12] quicquam intendissent, quando participem haberent veterum consiliorum Dominam. Contra vero est factum, nam nullos[13] unquam illa suspectiores duxit, cui ferme ingenia hominum essent notissima. Itaque pepigerunt; tametsi *Beatrix* parum ætate congrueret, facile adolescentis Mater, [14]cum ille nec dum esset [15]vigesimus. Cæterum quid verbis opus est? præsentibus consulebatur, quorum nisi per eam nihil

3 ante diximus
4 confraterna nece
5 , quod
6 . Fuit delatus
7 Bartholomæi. Nec
8 factu-rum.
9 ex
10 rerum statum
11 est humane
12 quicquid
13 illa superiores unquam
14 quum
15 vicesimus.

A statuebant. Nec Civitates quicquam dubium fecere ultro in fidem venientes; quin læti *Vercellenses*, *Alexandrini*, & *Novarienses* imperium acceperunt. Pleraque Castella in potestate propinquorum erant. Nam *Ludovico Cani Burgenses* [16]erant subditi. Hic pecuniæ ingens summa erat, cujus partem tradidit *Philippo* in usus præsentes, eo pacto, ut Castellorum ipse possessionem teneret. *Beccariani* quoque potentes erant, aliquot circumpadanorum municipiorum Domini relicti demum omnia tenentibus in præsens concedebantur. Tum ubi majus discrimen erat, cura intenta *Mediolanum* in arcem ad *Vincentium* missæ litteræ,

16 subditi erant.

B quæ & acta docerent, & ad fidem hortarentur: cito affuturum cum exercitu *Philippum*, qui obsessum eximeret. *Hestoris*, ac *Johannis* non tam lætum, quam facile primo adventu Imperium fuit; quos inopes cernerent, nec satis præsidii ad res firmandas habere, præsertim assueti Ducibus, [17]cum etiam nunc in dies *Philippi* fama augesceret. Id pene in medio erat, qui prior *Facinianum* exercitum occupasset; rerum is futurus Dominus videbatur. Et quidem in castris tumultuatum, frementibus sociis, non ultra velle se oppressos pati, qui hactenus *Facino* ob rapinarum mercedes servivissent. At [18]causa erat æs alienum,

17 quum
18 causæ

C quod cum illo contractum habebant. Jamque erat non longe, ut discederent alii ad *Pandulfum*, alii ad *Hestorem* abituri: nam undique novorum stipendiorum spe [19]tenebantur. Melius successit quod paucis in mentem venit, multitudini meliora consulere. Fertur *Siccus Paduanus* novo, ac salubri argumento socios monuisse, quid datam fidem irent perditum? quasi immemores non *Facino* modo, verum etiam *Beatrici* jusjurandum præstitisse, an vero id[20] decere parva pecunia tot benemerita stipendia corrumpere? Denique expectarent dum litteræ ex Beatrice haberentur: futuros forsan eo loco, ut nihil pœniteat in officio perseverasse.

19 tentabantur
20 dicere

D Haud [21]mora, sermone facto *Papiam* litteras conscribit, quis sit multitudinis animus, quæve expectatio; ipsi provideant quonam modo velint exercitum contineri: Mox *Philippi* litteris respondetur, quæ sint ex morte *Facini* acta: sibi in animo esse exercitui omnia largiri, cujus spe eam fiduciam ceperit, qui paterno jure in locum fratris succedat: debitorum nullam velle rationem, quin novis[22] stipendiis stipendia instauraturum: Itaque ad se veniant, non jam ductorem *Facinum*, aut *Papiensem* Comitem, sed prorsus *Mediolanensem* Ducem sequuturi. Ut igitur venit exercitus numeratis protinus stipendiis ex *Papia Mediolanum* movet. Hîc *Hestor* cum *Johanne* jam rebus diffidens per Urbem aliena moliebatur, conjectis aliquot Civium in vincula, unde

21 mora, Papiam
22 pecuniis

E pecuniam exigeret. Magna tamen celeritate Castrum munitionibus sepserat, fossa, atque aggere objectis, nec minus interea convivia obibat, quasi ludicrum Imperium possideret. *Philippus* itaque statim cum exercitu adest, directo ad castrum itinere, ubi in conspectum prima luce factus munitiones aggreditur, parvaque dimicatione turrim valli quæ ad suburbanum erat, capit: inde in castrum cum exercitu est acceptus. Jam *Hestor* frænatis sub Porta Cumana equis in profectione erat, præsertimque ex Civitate jam tumultus audiebatur. Quippe paulo ante solis ortum ad *Jacobum* propinquum venerat, quod in nostris domibus intellexerat armatos convenisse. Quamobrem[23] plerique ingressi domum *Jacobi* clausis

23 ingressi plerique

foribus

foribus rapinam conclamant. Ad quam vocem exilientes domestici, nam *Jacobi* educti sex filii erant tum[1] ex fratribus nepotes, hi cum omni famulorum clientumque turba ingressos[2] evadunt, nec temperatum esset à cæde, ni se prostratis illis ad veniam[3] opposuissent. Qua audacia compressus *Hector* cœpit æquioribus verbis uti: nihil responsum, præterquam ob tutelam domus arma induisse. Hinc ille abiit ingredientis jam *Philippi* metu revocatus, atque ex obviis, quos armatos comperit, plerique ab illo occisi, uno etiam reste suffixo. Actum denique intelligens, paucis comitatus effugit, cursu *Modoetiam* raptus sequuti complices cum *Johanne*. Nec[4] postea fere verbum ullum pacatum ex *Hectore* potuit audiri. *Philippus* Urbem lætam accepit, gratumque id omne plebi simul ut est ingressus eodem momento tanta spes, atque alacritas civium fuit: annona tertia parte vilior est facta. Nihil per eos dies aliud quam de confirmandis rebus egit; cum undique omnes vel *Faciniani*, vel veteres fratris amici ultro omne obsequium pollicentes ad hominem convenirent, atque ille nunc universos, nunc singulos fiducia implebat. *Paulus Andreæ Bagii* frater, unus è numero eorum qui *Johannem* occiderant, inventus in arce Portæ Romanæ publico judicio laniatus, membraque locis illustrioribus penderere. Nec multo post profectus *Modoetiam* oppidum positis castris obsidet. Ibi primum *Franciscus Carmagnola Philippo* simul fere cognitus gratusque extitit. Quod dum *Hectorem* ad munitiones egressum in oppidum pellerent, ille ante cæteros evectus paulum abfuit quo minus caperet. [5] At jam in manu habebat, fuso vi præceps equo frustratus corruisset. Hinc *Philippo* habitus carior copias ducere cœpit. [6] talis nonnunquam præfectus ita sensim ad honores prolatus est, donec is evasit, quem sequentibus voluminibus referemus. Hoc modo fere ex minimis primordiis eminentia maximarum rerum[7] oriuntur. Nec ille se aut ingenio, aut fide inertem rebus exhibebat; ingens[8] enim viro cunctis honoribus superandis animus. Quamobrem ferunt rogatum aliquando *Facinum*, cur non altius hominem efferret, digito hunc demonstrantem, respondisse, si honores unquam ille erit nactus, nullis satiabitur, quippe quo nemo sit rusticioris arrogantiæ. Nec passius *Facinus*, tametsi eo pro tempore ad egregia facinora utebatur,[9] se ductore ultra quam decem equitum caput videri. Quin dum *Hector* imperaret, ex *Bergamo*[10] ex reliquo exercitu *Mediolanum* venit, majora petens stipendia. negavit *Hector* super quindenum equitatum mereri. Quid te oro, tam cæca es fortuna, nisi te ille in hominibus regit, qui ultra hominum omnium oculos videt? Jam hoc ductore igitur *Philippea* succedunt negotia. Primum omnium ubi Castra erant, *Modoëtia* capta. *Hector* ex oppido in arcem coactus oppugnatur, animum ad omnia obstinatum servans. Demum ut crebro movebantur machinæ, dum pene sub[11] Dio spatiatur,[12] & unum ex Comitibus, qui cavendum monuerat, ludens, ictu lapidis percussus, indeque in stratum delatus tertio die occubuit: Juvenis sane qui & animi, & corporis robore,[13] & magnitudine *Bernabovis* filium fateretur, nec vitio absimilis, ut qui esset in feminas proclivior; itaque nec tam consiliis, quam viribus acer: corpus omni habitudine ad justissimam formam; visu tamen hebetior, pene intolerabilis in quemcunque lanceam direxisset, ex eo apud *Gallos* intrepidi militis nomen sortitus. Recepta *Modoëtia Canturium* mox itum est. Jam inde *Johannes* abscesserat, ad Regem *Ungarorum* profectus tanquam[14] injuriarum vindictam repetens, qui nequivisset in paterno dominatu permanere. Vix

1 & ex
2 invadunt
3 Jacobus opposuisset.
4 fere postea
5 Ac
6 alis
7 exempla oriuntur
8 item viro
9 se ductorem
10 ab reliquo
11 divo
12 etiam unum
13 ac
14 injuriarum repetens,

igitur[15] facta oppugnatione oppidani, & quidem libentes sese Duci tradiderunt. *Comanus* interea ipse quoque in fœdera venit, tanquam non oppidi Dominus, sed *Philippi* procurator hactenus fuisset; filius[16] enim erat *Franchini Rusconum* familiæ, humanæ indolis juvenis, corpore item super fidem speciosus. Quamobrem habitus liberaliter à *Philippo*; datum illi ex reliquis castellis, ubi pro majorum dignitate vitam duceret. Hoc medio tempore cum *Triciensibus*, *Laudensibus*que conventa pacis habebantur. Atque ipse *Johannes Laudi* Dominus pro se *Mediolani* habitabat. Quo nescio an ab re fuerit referre, unde se isti ex tyrannis Dominos sunt professi. Nempe *Sigismundus* Rex *Ungarorum*, atque[17] ex *Gallis* Cæsar nuncupatus, quo de post futurus est major sermo, statuerat, si quo[18] modo posset Ecclesiam convenire. ea tum discissa erat, ut ferme tres Pontifices dicerentur.[19] Cum esset Transalpinis omnibus *Benedictus Lunensis*, tametsi *Germani* minus parebant. In *Italia Gregorius Venetus*[20] familia *Coriariorum*, ac *Johannes Cossana Neapolitanorum* familia hunc ante diximus legatum pro *Bonifacio Bononiam* accepisse: qui hoc modo provenere. *Gregorius* cum esset *Lucæ*, neque de Concilio constituere videretur, plerique Cardinalium ab homine[21] *Pisas* secessere. Inde coactum *Pisis* concilium; quo[22] cum *Gregorius* venire recusaret, absens damnatus est. Substitutus *Alexander* olim *Petrus Cretensis*, quem à Patre *Philippi* ex inope per gradus *Mediolanensem* Archiepiscopum factum ante retulimus. Cum[23] igitur circum Romana regio bellis, ac periculis titubaret, *Bononia* quoque crebros motus fecisset hortante *Cossano*, qui in ea Civitate Legationem habuerat, eo perducitur læto *Bononiensium* occursu. Brevi cognitum est, id salubre fuisse. Nam ex Transalpinis mox legati venere, *Aquilonaris* fidem atque[24] benevolentiam ferentes. Sola *Betica Benedicto* paruit, tanquam illum non judicio, sed quasi cognationis affectu colerent, cujus præsertim arbitrio *Tarraconensis* regnaret, quem in Imperio constituit: tanta erat hominis[25] in omni *Hispania* auctoritas, repudiato *Federico*, quem id Regnum cum omni *Sicilia* contingebat. Ergo *Alexander* tanto favore auctus sublimis conspicitur. Quod vero ad *Italiam* spectaret primum haud dubius *Mediolanensium* Pastor. *Veneti* quoque repudiata *Gregorii* severitate in fidem concesserant, eundem colebant *Florentini*. *Ladislaus* restabat, jam potentia regni ferox, qui *Gregorium* sustentaret, continuatus inde per *Brutios*, atque *Umbros Anconam* usque, & *Ariminum* favor. Ibi *Gregorius* apud[26] *Carolum* versabatur. At pauco interjecto tempore *Alexander*[27] *Bononiæ* obiit. Homo in primis optimus, atque ita doctus, ut pene[28] eodem tempore litterarum parens haberetur, ex his præcipue qui sunt hac ætate Doctores cathedrati. Plus[29] tamen valet existimatio, quam de illo *Philippi* Pater conceperat, tum tantarum dignitatum successus, quam eruditionis copia. Nihil vitiorum habuisse diceres, si non tanta cura invigilasset ventri, ut sæpe inhærens mensæ, juberet ex mercato, quod forte in mentem venisset emi & concoqui. Ita sane dimidium temporis conviviis trahebatur: levitatis id modo notatum, plus quadringenti vernaculæ uno vestitu insignes in domo versabantur. Verum hæc imputanda *Græciæ*, ex qua oriundus dicebatur. Cæteris enim rebus professam Religionem in usque ultimum diem summa pietate coluit, etiam ingemuisse dictus quo die[30] factus Pontifex togam mutavit. Hunc hodie quoque fratres sui *Bononiæ* sanctum colunt, quem ad locum est *Galeaz* Duce summæ benignitatis gratia provectus. Mortis tamen ejus, quod inter omnes con-

15 tacta
16 enim Franchini
17 a Gallis
18 pacto
19 : quum
20 familiæ Coriarorum
21 secessere.
22 quum
23 omnis igitur
24 obedientiam
25 auctoritas in omni Hispania,
26 Karolum
27 diem Bononiæ
28 eo
29 tamen valuit
30 Pontifex

onſtabat, atrociſſima veneni ſuſpicio. Nec du-
bium notatus *Balthaſſar Coſſanus*, quem mox crea-
tum Pontificem *Johannem* ſalutavere. Neque il-
le fuit in gerendo quam in ſumendo Pontificatu
felicior. plus enim delectabant hominem ſcuta, &
criſtæ quam pallia, aut apices, ut omittam fuſum
1 civium cruorem *Bononiæ* [1] cruorem, cæſum *Heſtorem* Dominum
*Faventinum*, atque alios in ea provincia trucidatos,
ſeſe etiam implicuit gravi, atque inutili bello *Ladiſ-
lai*, adjutoribus *Florentinis*. Quamobrem irritatus
magno exercitu in *Tuſciam* venit. *Senenſes* tum ſocii
erant *Florentinorum*, pro quibus nihil eo tempo-
2 aut re belli, [2] neque periculi detractavere: Portas igi-
tur tanquam communi hoſti clauſerunt, neque il-
3 auſus eſt inde le [3] inde auſus eſt in *Florentinum* agrum congredi.
Converſus *Aretium* omnia hoſtilia invenit. [4] *Cor-
4 Cortonienſes thonienſes* pulſo Domino Regem acceperunt. Ibi
cum *Paulus* cognomine *Urſinorum*, quo nullus e-
rat inter ductores illuſtrior, prodidit, nec multo
poſt ingreſſum *Romam* capto magno Regiorum
numero ejecit. Quibus detrimentis afflictus nul-
lo dedecore permotus, [5] *Crotonienſes* vendidit *Flo-
5 Cortonienſes rentinis*, pene ita dicam meritos diuturno premi
ſervitio, qui meliores Dominos pepuliſſent. Quan-
quam ea non civitatis, quæ nunc omnia ſub *Flo-
rentinis* patitur, ſed paucorum, hoc eſt poten-
6 pacto tium, culpa. Eodem [6] modo *Jadram* [7] tradidit
7 precio tradidit *Venetis* omni cum jure, quod illi in [8] *Foro Julien-
8 Forojulienſi ſes* erat. Quod ſolum facinus potuit [9] quoque
hominem juſtiſſimum cæteris rebus infamem fa-
9 hominem quoque cere. Regreſſus inde in Regnum ſe [10] novis co-
piis inſtruit, quibus cinctus adhuc *Romam* oc-
10 iterum novis cupat fugato cum paucis *Johanne*. Hic vero de-
jectus pudor, nempe omnes, qui deprehendi po-
tuerunt, ſpoliati; Urbs quoque direpta ac pluri-
bus locis incenſa, volitantibus per flammas omnis
generis litterarum ſcriniis. Id vero infandum,
quod nec ſacris abſtinuit, nudatis auro, atque ar-
gento ſanctorum reliquiis, undecunque extrahi po-
tuerunt, ſtabula paſſim Eccleſiis proſtituta. Sæ-
vitum præterea in multos, quicunque Eccleſia-
ſticæ profeſſionis eſſent. *Peruſini* quoque ad eum
verſi, factio, quam *Raſpantes* vocant, Domi-
11 conſciverunt. num [11] conſtituerunt. Demum pari fraude cir-
cumventum *Paulum*, quem in gratiam receperat,
miſit in vincula. Omnia vero ille ſeu conſilia,
12 ſive [12] ſeu auxilia adverſus unum *Florentinum* parabat,
ac jam magnas partes in Civitate *Florentina* con-
ciliaverat, tanquam Dux partis Guelfæ declara-
tus, quam illi unice, ac pene religioſe colunt;
13 fuiſſe evaſuros itaque vix dubitant [13] evaſuros *Florentinos*. Sed ju-
venem [14] præmatura mors præripuit, tradito *Jo-
14 mors immatura hanni* Regno, quem poſtea regnantem vidimus,
atque ejus mors hoc modo traditur. Nempe coa-
15 juſſiſſet ad ſe ctis coram copiis cum Ductores omnes [15] ad ſe juſ-
ſiſſet convenire, ibi tum [16] inducto ſacrarum lit-
16 indicto terarum dicto: *Cor Regis in manu Domini, quo-
cunque voluerit inclinabit illud*, en morior, inquit,
mox in tuo complexu ſoror, cum tu ſis futura
tanti regni heres; nec me aut hæc arma, aut di-
vitiæ aut medicamina ſervare poſſunt. Tu ve-
ro hoc primum tenebis, ne quid è rebus, aut ci-
vitatibus captis Pontifici unquam reddas, quod
17 uſque adeo familiæ noſtræ infeſtum ſemper fuit. genus [17] familiæ noſtræ uſque adeo ſemper infe-
ſtum fuit. *Romam* tamen juſſu noſtro liberam fa-
cies, quo vel ipſum Mundi caput dicar exemiſſe.
Heu vero amarum hujus diei exitum, nec nobis
ſane quantum arbitror [18] vel fatis, vel ætate debi-
18 vel ætate debitum, vel fatis tum, quippe qui vix mediam ætatem conſpexi-
mus, & ea in animo erant, quæ jam pudet hacte-
nus tacita nunc morientem proferre. Verum [19] res
19 ipſa res ipſa, ac fortuna teſtimonio fuerit, quæ jam *Flo-
rentinos* eo loco dediſſet ut ſeu civium favore, quos
20 videntur. ipſi per honores aluimus, ſeu nominis atque armo-
rum metu, jugum pene implorare [20] videntur. *Ve-*

A *netis* ut neceſſaria, ita non dubia noſtra amicitia.
Tum ex reliqua *Italia* fuiſſet nemo, quin facile
datas leges acciperet, quando nobiſcum arma, &
vires collectas haberemus, nec quicquam horum
tam gratum nobis, quam quod in *Galliam* animos
trajeceramus, accipiendi jam pro *Ungarorum* regi-
bus, quod regimen *Sigiſmundus* uxoris nomine
[21] dudum ægre tuetur, paratis urbibus, ac popu- 21 ægre
lis, quem adoleſcentem vocavere, nunc domeſti- tuetur
co potentem Regno legitimum Dominum cogno-
ſcunt. Atqui tot vota, tot parata, tot conſilia
quis audit? quis perficit? Quis confirmat? Hoc
ſalubre [22] ſoror cariſſima tibi crede interim, ut ſis 22 tibi ſoror cariſſima
B [23] hoc regno contenta, cui ſuper familiarem *Græ-*
*ciam*, Campaniam omnem, magnamque & *Etruriæ* 23 regno
& *Piceni* partem relinquimus. Hac dote felicem hoc
te ducas, ſi primum *Neapolitanos* cives noſtros,
tum reliquos ſocios, atque ante omnes hos noſtros
exercitus incolumes, beneque fidos, & meritos
regia Nobilitate ſervare volueris. Quibus facto
fine, ruentibus in lacrymas univerſis, animam
reddidit. Itaque ad *Sigiſmundum* redeo. Hic
indicto *Conſtantiæ* Concilio in *Italiam* venit; ve-
rum nullo armorum comitatu, quo minus timen-
dus videretur. Cui *Johannes* Laude occurrit, ibi-
que habito de [25] ſtatuendo Pontificatu colloquio 25 conſtituendo
C *Johannes* operam pollicitus eſt. Unde cum vel-
let reverti, [26] ita ut ne quid *Venetiani* juris attin- 26 ita ne quid
geret, ſtatuit per agrum *Mediolanenſem* tranſire.
Nec quod maxime cupiebat potuit *Philippum* la-
tere. Factus igitur obviam improviſo ad tertium
lapidem qua iter [27] ſupra Lambrum erat trium mil- 27 ſuper
lium equitum comitatu pedite multo *Cæſarem* ſa-
lutat, invitatque ad Urbem. Ille vero negat, ſtu-
penſque [28] inde abiit. Nec *Philippus* ultra cupi- 28 abiit
verat, quam erga illam poteſtatem oſtendiſſe, qui
nunquam Ducem honeſto [29] nomine appellaſſet, 29 ſermone
poſt ad *Iberos* profectus *Tarraconenſem* (hic Rex
D *Aragonum* dicebatur) rogat, aut *Benedictum* ad 30 propellat
Concilium [30] perpellat, aut fidem illi, tutelam-
que abroget. Datum item *Vincentio* cuidam fra-
tri Ordinis Prædicatorum, qui in populis diſſe-
rat, abrenunciandum *Benedicto*. Ille tametſi [31] a- 31 ad eum diem alia
lia docuerat, rem nihilominus efficit. Sic eſt no-
ſtri temporis Prædicatorum Levitas. *Benedictus*
undique abjectus ſe ſe in arce *Paniſcole* abdit. Con-
cilium interea cogitur *Conſtantiæ*, de quo nunc
non eſt opus plura [32] enarrare. Hæc modo ſuper 32 enarrem.
digna memoratu. Ibi duo *Boemæ* gentis pro per-
fidis in hæreſi comprehenſi ignibus traditi ſunt.
Quamobrem gens omnis irritata excuſſo fidei ju-
go religionem vertit. Nec [33] eſt præſtandum ſer- 33 expectandum
E mone, quanta jactura fuerit tot Eccleſiarum rui-
nis, tot rapinis monaſteriorum, tot cædibus, flam-
miſque hominum, neque adhuc tantis malis mo-
dus, qui [34] debacchati, nullo adverſus ferociam 34 in circum debacchati
reſiſtente, omnia vaſtent. *Johannes* ex *Italia* fru-
ſtra ab omnibus monitus *Conſtantiam* venit. Ubi
cum præter ſpem de omnium renuntiatione agi
videret, fugam meditatus non longe ab oppido ca-
pitur, conjectuſque in Vincula quatuor fere an-
nos (tot enim concilium manſit) regio mandato
eſt cuſtoditus. Quo tempore, ut ipſe ex eo au-
divi, vix hominem aliquando nactus eſt [35] quo 35 quicum
F cum liceret humano ſermone conferre. *Carolus*
quoque eodem acceſſit, datis ab *Gregorio* commiſ-
ſis pro ſe omnem auctoritatem in Concilio pone-
ret. *Benedictus* poſtremo publicis litteris accitus
venturum ſe negat. Ob id conſtitutus Pontifex
*Martinus*; hic *Romanus* ſtirpe *Columnæ*, quamquam
ſupremi ordinis noviſſimus haberetur. Alia de-
hinc, ſi quæ rebus noſtris occurrent, ſequente
ſtylo referemus. Nunc, quod cœperam, quem-
admodum *Philippus* reliquam provinciam bellis
paraverit; id primum ratus male tutum ſe eſſe,
dum

dum quid inter utrumque fluvium *Abduam*, *Ticinum*que alienum teneretur. Itaque *Mediolani Laudensem* occupat, deditionem oppidi exigens. Quamobrem ductus *Laudum* ostenditur filio, qui arcem servabat, præterea & pecunia offerebatur, si mox omnia traderet. Dum vero ille super his cunctatur, tanquam velit [1] patrem prius liberum videre, quam de arce, atque oppido statuat, simul adversus injuriam querens, quod patrem fœderibus fretum vinxissent, hunc demum esse datæ Civitatis fructum; Equites interim per adversam oppidi partem muros scandunt, [2] ibique perfractis foribus omnes subeunt. Tum responsum juveni frustra jam querelas miscere, quando illi rem jam in potestate habebant. Direptum eodem die Oppidum, Vallumque ac monumenta objiciunt arci, quæ intra paucos dies expugnatur. Juvenis *Mediolanum* cum Patre est ductus, nec multo post ambo judiciis necati. Ad *Tricium* quoque castra posita. Verum locus munitissimus saxo impositum Castellum *Abduam* despectat; ponte quoque flumen tum superabatur, unde facilis ad *Martinenses* transitus. Ex his sæpe auxilia, & commeatus veniebant: quæ *Carmagnola* ut arceret ipse quoque ligneis pontibus transilibat. Hi utrinque funibus ripis colligabantur. Unus inventus est hostium, qui super fluvium natans incisis funibus sæpius pontes dejecit, quamobrem impediebantur opera, nam longe prius defluxerant, quam sentiri possent; donec obtensis retibus adolescens in morem piscis est captus. Hoc illi supplicium fuit, unam noctem in ponte ipso vinctus, nudusque relictus habiturus vitam, si [3] nocte superesset. At illum hyems ante lucem confecit; denique cum videret *Carmagnola* non posse satis prohiberi, quo minus in Castellum multa ex ponte trans *Abduam* commearent, statuit pontem diruere. Opus ferme, cui [4] ejus generis par nullum referatur, quippe omnem gurgitis [5] latitudinem uno fornice complexus altissime tendebatur, nec quamvis lateritius ullo ferro solvi poterat, super modum arctissima calcis coagmentatio. Castellum olim cum ponte *Bernabos* extruxerat; ipseque a Patre *Philippi* captus eodem in loco carcerem, ac mortem habuerat. Hunc pontem *Carmagnola* exteriore planta succisum diruit. Longior tamen videbatur futura obsidio, ni captus in certamine unus Castellanorum *Paulus* pro redimenda salute arcem tradidisset; atque omnes [6] liberaliter inde à *Philippo* accepti, aliisque rebus donati, quibus haud indecoram vitam agerent. *Paulum* dehinc *Leucenses* ipsi quoque super *Abduam* positi, ponte in nostrum agrum transmisso in potestatem venere. Sic *Cremæ* inventus nepos, qui *Georgium* ab oppido excluderet, mox introductis, qui pro *Philippo* Populum acciperent. Atque hoc modo ille omnium, quæ intra geminos fluvios simul atque Alpes continebantur, potitus, alia jam spectare cœpit. Quo verum vulgo [7] affirmare possis, qui *Mediolanum* teneat, oportere illi omnem provinciam parere. Exercitus is erat, qui late spem facere posset. Equitum ad quatuor millia, ac super tantundem militis; tum ex vectigalibus quoque delectus, [8] ut non difficile in castris, cum opus esset viginti hominum millia, convenirent. Equites trifariam diviserat, alios qui tanquam familiares dicerentur, id vero electissimum hominum genus nullo admisso, qui non quinque annos gestasset arma; Hi tum septingenti fuere, tanquam ad corporis custodiam locati. Alios conduxit totidem numero, quem postea duplicavit collectis *Brachianis*. Hos vocari jussit lanceas laceras, ac neutras voluit cuiquam [9] ductori certo subesse; verum cui ille Viros pro tempore regendos commendavisset. Et primi quidem quina,

1 prius patrem
2 indeque
3 nocte
4 nullum ejus generis par
5 amplitudinem
6 proinde liberaliter
7 dictum affirmare
8 habebantur, ut
9 certo ductori

A aut ad plus septena capita habebant, etiam majore stipendio aucti, præter quod sæpe, & privatis muneribus cumulabat. Hi quod plus tricena [10] habebant capita, quibus licebat *Philippeis* insignibus decoratos ire, ceteri jam conductitii erant. Quos tamen ita demum sibi devinxit, ut nemo pene ductorum secessisse inveniatur. Contraxit ex *Apulia Fabricium*, qui cum *Ladislao* ductor fuerat. Accessit *Guido Torellus*, qui etiam cum Patre quondam acies ductaverat; *Nicolaus Tertius*, *Othonis* filius aliquot turmas habens paterni equitatus tanquam in perpetuum stipendium successit. Sic B alii ignotiores inter [11] alios dispositi, ut nulli in Italia conspectiores essent. Dehinc & peditum fortes erant mille stipendio præcipui qui totis armis lucerent. Inter hos velut Tribuni plerique visebantur, quibus licebat equis incedere, quos etiam jumenta gerendis armis, & sarcinis sequebantur. Ubi locus certaminis venisset, in pedes descendebant. Stataria hæc potius, quam ad excurrendum acies erat. Hoc sane incitatus, aut etiam supergressus majores *Philippus*, quorum familiaris [12] mox componendis exercitibus fuit. Primi fere qui majorum memoria Italos militiam docuerint, cum antea consuessent Transalpina stipen- C dia nostris bellis conduci. Verum nescio an ex nobili principio [13] renovatam dixerim, quæ fuerit omni *Italiæ* ad perniciem futura, continuo jam armorum, & bellorum studio, quid dicam an furore, ut nihil malorum non hinc proficisci putem. Ac copiarum omnium ductor *Carmagnolanus*. Hunc vero *Philippus* non exercitus modo ac belli, verum etiam aulæ primum fecit; data item una ex propinquis uxore, quæ fuerat *Francisci Barbavariæ*, qui paulo ante reductus à *Philippo* in curiam cum ad Consilia summus haberetur, jam pene excrescens rerum mortem obierat. [14] Dignatus est hunc quoque cognationis nomine, [15] ut Viceco- D mitum diceretur. Ita plurima erat [16] hujus Viri gratia atque auctoritas. Habitavit *Mediolani* in Vico stratæ ad Portam [17] Cumanam, conceptis maximis ædibus, quas tamen explere non potuit. Immensæ vero opes pro *Philippi* magnificentia his favoribus accessere; Et quidem in consiliis haud minus quam in regendo exercitu [18] homini erat fides, itaque omnis cura vel domi, vel foris ad eum veniebat. Felix sane, si ut cæterarum rerum, ita invidiæ esset Dominus constitutus, hæc passim subigebat æmulos *Zaninum Hericium* olim *Facini* scribam, *Oldratum* cognomine *Lampugnanum*. Hic *Philippi* à puero [19] præceptor fuerat, sic alios E per gradus, ut fit, suggerebat, de quibus nos postea referemus. Nunc de rebus [20] in ampliando imperio gestis dicendum. Primum ultra *Padum* occupata *Placentia*, eam *Philippus Arcellanus* cepit Ducis nomine, opportuna ad id nactus; quippe *Sigismundus* ita decreverat Marchionem *Ferratum Placentiæ* Dominum; verum ut solet irritum est Imperium, cum non adsunt vires. Hoc modo incertum, ac pene titubantem cujusnam esset, *Arcellanus* idem *Placentinus* [21] hujus oppidum tradidit *Philippo*. Quamobrem inter primos habitus ipse quoque apud Ducem versabatur. Nec longa ejus gratiæ consuetudo, dum ægre fert *Carma-* F *gnolam* priorem videri, tandem æmulationis importunitate victus abscessit, pro seque iterum *Placentiam* capit. Nec vero [22] in oppido unquam hi motus fiebant, quin simul & rapinæ, & cædes essent, ut hinc causas intelligas, quamobrem *Placentiam* quondam nomine ipso [23] leviorem, nunc pene [24] diruptam videmus. Ob id commotus *Philippus* Dux *Carmagnolam* jubet cum exercitu ad oppugnandum inimicum ire. Atque ille cupidus expeditionem suscipit. *Arcellanus* interea societatem inierat cum *Pandulfo*, tanquam utrique oporteret

10 capita habebant
11 alias
12 mos
13 rem ortam aut renovatam
14 : dignatus hunc
15 Vicecomitum
16 ejus viri
17 Comanam
18 erat homini
19 præceptor
20 ampliando
21 civis
22 unquam in oppido
23 lætiorem
24 dirutam

porteret manus jungere, qui uno *Philippi* proposito peterentur. Sic scire ab illo decretum, ne præter se quisquam in provincia pedem haberet. Admoniti quoque fœderibus *Genuenses* tyranni, quippe *Thomas* cognomine *Fulgosius* Dux creatus *Genuensium*, qui est apud illos velut apud *Venetos* caput Magistratuum, Dominum se constituerat juvantibus quinque fratribus, quorum imperiis non difficile omnia tenebantur. earum rerum cæteri impatientes profecti ex Urbe tyrannis obsistebant. Hæc una erat omnium familiarum conjuratio. Visum igitur *Philippo*, data exulibus parte copiarum, posse tyrannos comprimi. Præterea & cum [1] *Beccariis* bellum eodem tempore geri oportuit. Ex his *Philippus* comprehensum Castellinum [2] vinculis necaverat, incluso nihilominus filio, quem adhuc in arce *Papiensi* vinctum servat. Ejus frater *Lancellotus*, adjuncto *Ludovico Facini* propinquo, aliquot municipiorum Dominus, hinc *Terdonensem* agrum, hinc *Alexandrinum* infestabat. Interim *Carmagnola* pulso *Arcellano Placentiam* occupat. Verum supererat utriusque Castri dimicatio, nam geminis castellis tanquam è diverso spectantibus oppidum [3] munivit. Verum capto uno, ad alterum, quod vocant Castrum Sancti *Antonii*, vires conversæ, ubi cum longior ea dimicatio videretur, nam simul & munitiones Castello adjunctæ expugnandæ erant, omnibus machinamentis contendit: multi in dies variis certaminibus cadebant. Utrinque enim maxima vi pugnabatur. Relicto demum Castro solo, nam munimentorum potitus est, ipse objectis ad diuturnam obsidionem aggeribus adversus *Beccarianos* aggreditur, brevique pluribus municipiis spoliat. *Lancellotum* intra *Serravallem* obsessum capit, qui ductus *Papiam* publico foro per ignominiam in patibulo est suspensus. Hic finis eorum, qui vel ad matris, vel fratris *Philippi*, quin etiam ad ipsius necem tetenderant, quasi erudiente fortuna, ne quid unquam scelerate audeatur. Perempti fratres in patria, cujus diripiendæ, ac deferendæ auctores fuerant. Captum inde *Ganium* ab *Serravalle* tribus millibus distat tanquam geminæ ad Appenninum fauces, eæ sunt quibus [4] in *Genuensem* agrum pervaditur. Impositus cum præsidio *Johannes* propinquus noster, qui omnem eam oram ab tergo exercitus tutam redderet. Quæ dum adversus tyrannos geruntur, conjuncto exulibus *Carmagnola*, *Pandulfus* ægre ferens *Placentiam* ad *Philippum* venire, quasi post hæc ipse in manus venturus esset, pacta cum Arcellanis societate [5] auxilium parat, quibus Castellum ac simul Urbem obsidione liberet. Ubi id *Philippus* audivit, nova cura visus est implicari, cum tot locis spargendum esset bellum. Itaque in ancipiti casu ipse quoque difficile consilium capit, misso *Placentiam* cum navibus *Georgio Valperegensi* jubet omnem populum in naves transferri. Miserrima quidem unius gentis comploratio, quippe in modum commigrantium, [5] vel nunquam patriam visuri, mœnia è navibus [6] prospectabant abeuntes. Datæ Sedes potissimum *Papiæ*, ac *Laudi*, dein permissum, quo quemque sors aut voluntas tulisset. Mox venere ex *Pandulfo* auxilia, nec fuit mora, quominus oppidum pateret. At ubi videre solitudinem, nec præter Domos vacuas quicquam restitisse, cum alii [7] gentis calamitatem miserarentur alii ut spe prædæ [8] lusi incendendam urbem censerent, non ultra quam pervagato oppido, qua venerant [9] revertuntur. *Carmagnola* interim *Genuensem* agrum populatur, sæpeque sub muris ipsis [10] quæ vocant *Besamnium*, castra [11] locat. Quo cum *Bartholomæus Arcellani* frater simul ac *Ludovicus* cum exer-

1 Beccarianis
2 in vinculis
3 munitur
4 inde in
5 auxilia
5 velut
6 abeuntes prospectabant.
7 calamitatem gentis
8 delusi
9 revertebrunt.
10 pugnatum, dum in suburbanis
11 essent

citu ad ferendum auxilium venirent, cœpto [12] Excremolino itinere imperiti viarum, qua initium est [13] *Procumbriæ*, Ducem sequuntur. Hic vero obviam manus exulum velut iniquis faucibus comprehensos occupat; ad unum fere capti; cædes fuit paucorum. Nam agricolæ, qui sunt in ea loca nequissimi, certamini affuerunt. Missis tamen cæteris [14] Gibilinæ partis beneficio *Bartholomæus* una [15] cum altero adolescente fratris filio in vinculis servatur ut tanquam hoc pretio *Placentinum* castrum redimeret. *Thomas* igitur nuntio audito fractus, de fœderibus incipit, si quomodo apud *Philippum* possit veniam promereri; neque *Philippus* negat, qui videret hinc *Malatestam* in bellum paratum. Intercessit grandis pecuniæ mulcta, qua maxime succursum exercitui, nam exules stipendium spoponderant, quis cum etiam pax valuit, addita spe, ut in Patriam reducerentur. *Bartholomæus* cum nepote jussus ad fratrem duci, si forte captivorum misericordia Castellum traderet, atque inter verba suspensuros minitabantur. Ille, ut erat [16] lingua procacissimus, ultro etiam [17] contumeliis à *Philippo* missos appetit; renuntient, non esse tanti animi, qui tam illustrem Virum contingere ausit. Ea ad *Philippum* relata haud secus quam dignum erat animum moverunt, multis quoque, ut fit, [18] apud Dominos injuriam exasperantibus, denique, seu plane, seu dissimulanter ab Duce extorquent, quasi significatum, de captivis agerent quid vellent, ni castrum redderetur. Nec moratus *Carmagnola*, cum eadem ex Arce hostis responderet, captivos in patris, fratrisque conspectu furcis suspendit. Idque non dubium veteri inimicitia *Carmagnolam* fecisse: nec gratum *Philippo* supplicium, neque putaverat levi nutu tantum facinus ausuros. Nempe necatum Juvenem, quo, nec virtute, nec viribus quisquam illustrior haberetur, sive prudentia hominem existimes, sive ipsa humanitate percenseas. Supra modum [19] robore, & forma præstabat. Itaque [20] non cum luctu eam mortem solitus audire. Matri vero per acerbum id spectaculum, nam è speculis castri rem tuebatur, quod ubi peractum vidit non sine rabie ad *Philippum* versa pene in oculos involat, proditorem vociferans & fratris, & filii, quos per nequitiam in fraude neci tradidisset: tum orare Deum, qui [21] ab eo pœnas similes exigat, nec sinat tanto sceleri superesse. Hæc atque alia hujusmodi inclamitantem, cum non posset *Arcellanus* sustinere, nocte ipsa proxima Castro excessit, statimque facta deditio. Ille tanquam exulatum ad *Venetos* abiit, nec diu post persequentibus usquequaque furiis *Tarvisii* morbo correptus interiit, tanta, ut ferunt, victus desperatione, qui in morte diceret, se se ultro animam inferis dare. Vir sane aliquando egregius, magnæque fortunæ proximus, si se paululum tolerare potuisset. Nec dubium, si Duci obsequeretur, futurum fuisse superiorem [22] *Carmagnolæ*, quippe juvenem nobilissimum, cui frater inauditæ [23] probitatis esset, pater ea probitate apud *Philippum* spectabilis, ut, profecto ad rebellionem filio nihilominus in suscepto Magistratu perseveraret. Tum vero capta *Placentia*, restitutoque in suas domos populo, *Orlandus Pallavicinus* petendum jam se arbitratus, sponte ipse quoque tradito Burgo santi Donini venit in fœdera. Sic deinde *Rubei*, *Peregrini*, atque alii nobilissimarum familiarum Comites [24] in agrum usque *Parmensem* se se Duci obtulere. Atque idem facturi *Parmenses* videbantur, tametsi *Nicolaum Ferrariensem* [25] habebant, in cujus potestatem hoc modo venerant. *Otho* ille Tertius, quem ante diximus cum *Jacobo Facinum* in *Mediolanensi* agro profligasse, ex *Mediolano* per indignationem egressus,

12 ex Cremolino
13 Porcimbriæ
14 Gibellinæ
15 cum adolescente
16 linguæ
17 contumeliis missis
fo. appetit
Philippo renuntient,
18 apud
19 vero & forma & robore
20 nemo non
21 similes ab illo pœnas
22 Carmagnolæ
23 virtutis
24 in usque agrum
25 dominum habebant

sus, eundem furorem gerens sese in *Parmensem* agrum tulit, ibique omnia infesta reddens concitis quibuscunque turbulentis, ac perditis, nullo armorum præsidio obsistente, demum pro se *Parmam* cepit. Nobilissimum quidem ac vetustissimum oppidum agro super modum fertili. Ejusdem nominis torrens urbem dividit planis, ac montibus, pascuis ac sylvis. Non arva, non vineæ, non prata desunt, crebris quoque & fontibus & fluminibus. Vetustissimæ præterea incolarum familiæ, quorum maxime cognominatos *Rubeos Otho* persecutus pene funditus delevit. Siquidem necesse erat exercitum, quem stipendiis non poterat, latrociniis alere. Quisquis erat ditior, inter partes habebatur, atque in ipso Oppido multorum factæ cædes, ut ferme uno die quatuordecim [1] carros ejectos referant, posito Edicto, ne quis *Rubeus* servaretur. Oblatum jam evoluto tempore parvulum, qui per misericordiam indolis servatus erat, mox arreptum pedibus parieti illisit. Eadem in *Pallavicinos* molitus, *Doninenses* obsidet. Oppidani crudelibus exemplis admoniti oppidum tutati sunt; itaque relictis adversum munitionibus vix mille passuum intervallo, adhuc enim apparent fossarum vestigia, in alteram partem contra *Regienses* proficiscitur, nec multo post ab *Nicolao* male defensos capit. Jam *Mutinensibus* imminebat, ipsique *Ferrariensi* jam inde transiturum *Padum* minabatur; nec forsan vana foret superbia ni [2] Sfortius, hic erat armorum Marchionis ductor, aliud consilium reperisset. Dat *Nicolaus* spem tamquam venturum in fœdera, quæ [3] *Othoni* Tertio placeant. Quamobrem dictus colloquio dies, qui ut est factus, non longe a *Mutina* in campestri [4] cellula conveniunt, execrante *Othone*, quod in Ecclesiam esset vocatus. Inito igitur colloquio [5] *Sfortius*, ut erat cum paucis comitibus armatus, ex insidiis *Othonem* aggreditur, frustraque oblatrantem quod inermis in fidem venisset, trucidat. Hominem ferme, si tamen hominem, humani generis parricidam convenit appellari, quem diu [6] cæsum oportuit; ita miserandam provinciam, quæ tot [7] perfidos in suam perniciem aluerit. Nos omnium præda fuimus: nos cuique scelerato [8] jugulum objecimus, nobis tot annos jam nefandi, & crudeles imminent, ne quidem nunc ob præsentem rerum statum occupatamque armis provinciam meliora sperare licet. Hanc vero ille mortem obiit quem pene dixeris sæpius sancta blasphemavisse, quam de ulla re unquam locutum. Atque ego hæc scripserim, quod nequeam, o Cælestis Virgo, impurissimum adversum te hominem sine indignatione præterire. Peracta cæde *Nicolaus*, ductorque e sacello exiliunt, [9] accurrentibus quibuscunque laniatum, ut sane constet mulierem ob memoriam cæsi viri, heu fœdum dictu, cordis particulam manducavisse. Neque exercitus amisso ductore constitit. Alii in diversum aut *Philippum* adeunt, alii [10] se *Nicolao* adjungunt, alii [11] veniente cum exercitu [12] *Sfortio* capti atque oppressi. Quo uno facinore *Nicolaus* non se modo è tanto lapsu recepit, brevi quoque & *Parmæ*, & *Regii* est Dominus appellatus. [13] *Sfortius* tamen inde in *Apuliam* longe ad *Ladislaum* est profectus, seu pudore rei, quam etiam vulgo cecinerunt, seu quod evenit, majorum stipendiorum opportunitatem quærens. [14] *Philippus* tot rerum potitus *Parmenses* quoque, ut ante diximus, cepit, ut qui non inviti [15] veterem dominum recognoscerent. Nec longe aberat quominus idem facerent *Regienses*, ni mediis [16] intercessoribus, quorum præcipui *Veneti*, *Nicolaus* cum *Philippo* in amicitiam venisset, quæ gratia hodie quoque in eandem benevolentiam studentibus perseverat. Versa hinc ad *Pandulfum* arma. Primaque in *Bergomensem* agrum profectio. Pleraque ex municipiis [17] audito Vicecomitum nomine statim [18] dediderunt sese. Nec [19] *Pergomenses* ipsi diu obsidionem pertulere, ut ferme quibus res inopiæ sit non frequentantibus *Mediolanum*, ac necesse sit externis commeatibus ali. Ex eo in castella *Brixiensium* ductus exercitus, multaque visis castris in pristinam fidem veniebant. Valles illæ *Martinensium* cupientibus incolis non magno certamine occupatæ. Tum jacentia in planis castella [20] deditionem, ut facile appareret cessurum *Malatestam*, ni successum rerum *Martinus Faventinus* parumper impedisset. Hunc ductorem *Veneti* submisere, virum armis egregium. Octingentis ille equitibus labantem *Malatestam* visus est restituere. non [21] aperta acie decernebat, verum apertis locis castra tentabat, nunc à tergo vadentes feriens, nunc impeditis occurrens, atque ita cum reliquis copiis agebat, ne facile possent obsidiones tendi. Quæ dum geruntur, *Martinus Constantiæ* declaratus Pontifex jam inde profectus ex *Taurino* in *Italiam* adventat. Primum à *Philippo* eximiis honoribus susceptus, ibique primus novello celebratu *Mediolanensem* ecclesiam dicavit. Neque id forsan non ad Civitatis nomen, ac pietatem pertinet, quod cum a *Martino* impetratum esset id facere, ut dignaretur, (dies erat Sabbati) atque in sequentem dominicum dicandum altare (nec dum vero constructum erat) occupante locum fornice hemicyclo: hic sane plus triginta cubitis altus, latusque erat, ubi prius adorabatur: necessarium itaque hunc erui omneque illud tectum, quod fornici imminebat, diversis fulcimentis aptari. Nemo sane credat uno nocte opus factum, transportatamque inde ducentos passus maceriam: sic tectum illius domicilii ante lucem renovatum, ut incredibilis fieret spectantibus admiratio. At licet forsan hoc facto deprehendi, quis plebis nostræ numerus, quæve hominum religio. Sed in præsenti omittamus. Quamobrem de *Martino* dixi, ea causa est, quod ex *Mediolano* proficiscens, *Brixiam* erat iturus, qua *Mantuam* procederet, inde ut alio itinere quam per *Bononienses* ([22] tum rebelles transitum negabant) *Florentiam* perveniret. Ante igitur profectionem *Philippum* precibus coegit cum *Pandulfo* in fædera, ut ille certum stipendium in præsens daret exercitui, tum ad recognitionem parvum annuum tributum penderet; ita vivo remaneret *Brixia*, quæ post illum defunctum in imperium aut Domum *Philippi* reverteretur. Incidit hoc medio tempore [23] casus domesticus, quem ita referam, si non nihil putetur ad hominis vitam, ac fortunam pertinere. Nempe, quod ante diximus, conjugium illi *Beatricis* erat, annosæ jam mulieris, cujus nec illecebræ [24] delectare possent, neque uterus naturæ officium præstare. Quamobrem dudum ab illa vir abstinuerat. Adolescens erat illi familiaris, *Michael* cognomine *Orombellus*, cui ferme nihil ad artes lasciviæ deesset, seu canere, seu fidibus, [25] ac fistulis pulsare velis. totus denique ad aulæ mores compositus, quamquam hæc vulgo urbanitatis, & elegantiæ officia dicuntur. Relatum denique, ac propterea creditum, juvenem cum *Beatrice* consuetudinem habuisse. auctæ quoque veneficii suspiciones quod sub thoro ejus rei instrumenta reperta sint. Itaque ut statutum est facinus publicari, mulier [26] deprehenditur, inde in arcem [27] *Binasci* deducta eodem & juvenis vinctus perducitur, ubi demum habitis, ut ferunt, quæstionibus utrique capitalis sententia indicta, primus juvenis traditus supplicio jussus ante præsente Domina crimen fateri, id ille sive tormentis conflictatus, sive alicujus spei credulus supplicio astans,

17 sese audito
18 dediderunt. Nec Bergomenses
19 Bergemenses
20 deditiones sequebantur, ut
21 ut aperta acie decerneret, verum omnibus locis
22 nam
23 Philippo casus
24 jam delectare
25 aut
26 comprehenditur
27 Binaschi

A quamquam trepidus, ac verbo ipso nutabundus fecit. Enim vero mulier, ut erat eximii, & ad constantiam animi, & ad omnem honesti sermonis elegantiam docta: [1] *ubine, Michael*, inquit, *eo loco videmur, cum mendacia valere possint, aut quicquam debeat plus metu divinitatis movere? Ipsa quidem, ut mihi recte tum conscia, nullis unquam tormentis adigar ea fateri, quæ tu perfide nescio an trepide es mentitus, nec me ut veriora dicam, tam parvi unquam duxi, ut si non pietas, certe amor nobilitatis à flagitio* [2] *me revocaret. At mihi nunc tandem nequissimus videris, qui in ipso parandæ gloriæ momento veritati scelus anteponas.* B *Quando igitur* [3] *mondana in testimonio supersunt, neque ipse injuriæ particeps iniquam confessionem vereris. Te unum, Deus meus (quæ dicens oculos in Cælum sustulit) invoco, te meum obtestor, qui & vides, & facis innocentem, nunquam me suscepti thori fidem* [4] *violasse. Hoc ipse nosti, qui* [5] *mihi semper eam mentem dederas, qui propositum atque institutum meum his rationibus, consiliisque imbueras, qui mihi denique in omni vita timorem tuum præstiteras. Idem nunc oro confessionis meæ testis* [6] *sit, quo uno servasti ex omni scelere integram, ut ne in familia quidem potuerim ullum impudicitiæ* C *vestigium pati. Ejus modo* [7] *sive peccati* [8] *sive erroris abs te Deus veniam precor, quæ me imparem Philippo conjugem tradiderim; quæ non uno vinculo contenta fuerim, quæ non provecta reliquam* [9] *ætatem omnem tibi soli subjecerim. Quanquam mei hujus utcunque facti auctorem habeo Mediolanensem Archiepiscopum. Si parum est quod illi pro dote salutem tuli, quod egenti* [10] *Terdonam, Novariam, Vercellas, Alexandriam, quæ meo nomine tenebantur, mecum tradidi, quod postremo una tot rerum dominum constitui. Aut vero in quo ego me conjugem potius, quam nutricem dedi? nunquam negatos complexus questa: postremo nec ancillæ pro te, ut scis,* D *nomen* [11] *atque officium fugi. Omnia ille* [12] *habebat, omnia* [13] *ille possidebat, quæ per me ipse tuis beneficiis paravisti. Nihil jam queror, nec mortem misera lugeo. Tuum fuerit, omnipotens Deus, ut servasti innocentem, sic reliquam commissæ innocentiæ memoriam tueri.* Quibus dictis sumptum, ut diximus, de juvene supplicium. Atque illa omni religionis tenore servato cruciatis palmis cervicem præbuit. Femina quidem, si vitæ, ac morum ratio spectetur, nullo conjugio indigna: felicior tamen, ac vere *Beatrix* futura, si post unius viri mortem restitutis *Philippo* omnibus una cum ambitu conjugii curam posuisset. Nec certa quidem, E aut simplex ejus mortis opinio. Atque id sane constat, juvenem potuisse capta domina effugere, cui multi in aures susurrabant, illum quæri. Nec destitit quominus de more in Castrum iret, se omnis facinoris nescium publice professus. Neque egomet, si non illi in aula [14] immutatum ingenium sit, de juvene perfidiam [15] suspicor, nam fere puerilibus ludis socii fuimus, cujus sane indoles, ut est liberalis vitæ consuetudo, ad virtutem egregie ex ætate proficiebat. Itaque & plures existimant [16] hæc *Philippum* fastidio egisse, qui paulo post nobilem puellam eandem Civem F *Mediolanensem* [17] ad se traxit, ea quidem re minime culpandam, quæ vim potius perpessa ad consuetudinem deducta est. Ego id factum [18] arbitror odio *Facini*, ne inultum nomen remaneret, cujus usque adeo memoranda esset injuria. Atque huic [19] indicio extitit, quod ex eo omnia *Facini* insignia ac monimenta omnibus locis abrasa sunt. Patefecit alio aditu fortuna viam potiundæ *Brixiæ*, ac pene auctoribus *Florentinis*, quo omnes intelligant divinis consiliis humanam imperitiam gubernari. Quippe *Florentini Braccium* favoribus atque auxiliis juvabant, cum antea alterius partis

1 tibine
2 revocaret
3 mundana
4 violavisse.
5 semper
6 sis
7 seu
8 seu
9 omnem ætatem
10 Terdonam, Vercellas,
11 aut
12 habeat
13 possideat
14 ingenium mutatum
15 suspicer
16 hoc
17 pellicem traxit, si tamen hoc nomine culpanda est, quæ vim
18 odio arbitror
19 indicio astitit

A fuissent. Is vero una cum nobilitate *Perusiam* oppugnabat, quæ factio jam secundum, [20] & vigesimum annum exulabat; & pauci quidem ejus partis supererant, maximo numero, ut ante retulimus, in ipsa exactione trucidato. Adversi [21] *Carolum Ariminensem* in auxilium vocant, ad quos ille juvandos profectus est, magno coacto exercitu, comitante *Angelo Pergulano*, futurus sane omnium judicio victor, si nihil egisset prius, quam se in Urbem contulisset. Ille vero, ut erat temeritatis audacissimæ, nihil omnino actum videri posse credidit, ni prius hostem ex obsidione B [22] depulset. Concursum in ripa *Tyberis*, atque in ipso oppidi conspectu, tracto pene in medium [23] diem certamine. Ubi [23] *Carolus* subductis ex acie præsidiis aquatum vadit, nam æstu conficiebantur, *Braccio* ex propinquis vicis commeatibus abundante, nunc inquit *Jacobus*, cui cognomen *Tartalia*, tibi *Bracci* res agenda est. ipse quanta vi potes aciem divide, ego meis copiis in signa illa, quæ deserta vides, incurram. Nec secus factum est, quam dixit. Itaque in eo stetit victoria. captus cum Nepote [24] *Carolus*, ductores fere universi præter *Angelum* cum omni exercitu capti. ille paucis comitantibus aufugit. Ea C res *Malatestam* confecit, uno ex ipsis fratribus, qui *Johannis* [25] frater fuerat, præ tantæ jacturæ dolore mortuo, nam ante ipsum periculum dudum ægrotus jacuerat. Nec destiterat litteris, & precibus [26] fratrem monere, neve se, antequam esset *Perusiam* ingressus, pugnæ committeret. Ipsi [27] *Carolo* demum maximo [28] pecuniarum numero detrimentum fuit jussus gravi redemptione exigi, quam cum difficile præstarent, nescio an id dicam, quod vulgo sæpe audivi suspectum haberi, nacti occasionem tamquam *Martinus*, quem ductorem habebant, adversus Dominos infanda moliretur, hominem comprehendunt, nec D multo post quasi statutæ proditionis reum capite puniunt. Non dubium id est ingentem divitiarum cumulum ex *Martini* nece ad Dominos venisse. Verum ea quamobrem ante dixi, & *Malatestarum* ruina fuit, & *Philippi* potentia, quam paulo post *Florentini* sunt experti; ne dicam *Braccio*, dum vixit, semper obnoxios fuisse, quem *Perusiæ* factum Dominum gravem finitimis crescentem videbant. Inter hæc Pontifice jam ex nostra *Gallia* in *Tusciam* profecto *Philippus* adversus *Cabrinum*, *Cremonæ* se Dominum ferentem, [29] ducit exercitum, tametsi is quoque ab *Sigismundo*, quem domi cepit, nescio quid legitimi E nominis erat nactus. Verum & potentia, & nomen *Philippi* in præsens superabat. Itaque ut *Carmagnola* in agris fudit exercitum, primi *Piscigutones* tolerata parumper oppugnatione traduntur. Dein *Suncinenses*, atque alii, ut ducis castra [30] esse videbant, haud gravati accipiebant imperium. Quæ videns *Cabrinus* ad proximum *Malatestam* fugit, atque ille est pollicitus eo pacto, si *Cabrinus Cremonam* traderet, accepturus ab eo *Salonem* cum adjacentibus vicis præter *Benacum*, quamobrem honoratus, ac tutus degeret. F Ea vero tametsi fuere parum firmata, tamen *Philippo* simul & iracundiæ & querelæ adversus *Pandulfum* causam dederunt, quibus juste illi objiceret solutum pacis fædus, quam *Martinus* composuerat; nec jam se teneri, quominus cum vellet, inferret illi justum bellum. Itaque eo acrius *Cabrinum* premit. Nec longe [31] erant, ut oppidum caperent, cum ille [32] in arbitrio se *Philippi* futurum dixit. Concessum igitur tradita *Cremona Castellioni* possessionem haberet. Divitiæ, atque opes remissæ, quarum ferme immensus cumulus fuit. Quippe assiduus prædo quorumcunque hominum rapinis locuples erat factus. Verum

20 ac
21 Karolum
22 depulisset.
23 dum Karolus
24 Karolo
25 socer
26 monere
27 Karolo
28 pecuniæ
29 ducit tametsi
30 videbant
31 erat, ut
32 se in arbitrio

rum hæc, quemadmodum postea referemus, servabantur, non adimebantur *Philippo*. Interim tamen amicus, ac socius appellatus. [1] Nec vero immemor recentis injuriæ *Philippus* contra *Pandulfum* statuit. Verum qui sciret *Venetos* paululum [2] *fore Malatestam*, novam viam excogitat, si possit cum *Venetis* pacisci, dum hoc bellum parat. Quibus consiliis mirum dictu quam eodem tempore caleret. Felix futurus, si post eandem consuetudinem in maximis bellis servavisset, ne in multiplicis [3] solus congrederetur. Peracute hoc visum, tanquam dissimulato *Pandulfo Mantuam* paululum irritaret, quo ad *Venetos* fugiente eosdem ad fædera contraheret. Nec minus id factum, quam meditatum, postulatis a *Mantuano* municipiis, quæ in *Cremonensem*, aut *Brixiensem* agrum vergebant. *Franciscus* hic erat *Mantuæ* Dominus; mox id *Venetis* significat, petere a se [4] municipia, quæ patris fuisse referat. Non negant modo illi, verum etiam interdicunt, ne quo pacto postulatis concedat, præsertim quod *Piscaria* petebatur, oppidum in ore *Mincii*, unde e lacu *Benaco* exit, opportunissime situm, nec plus quindecim millibus a *Verona* distans. Capta hinc legatorum occasio, ut inter *Philippum* ac *Venetos* de novis rebus referretur; ac multis ultro, citroque jactatis, demum pactæ, ac firmatæ in decem annos induciæ, quæ *Philippo* cum *Venetis* atque omnibus sociis essent: verum ita, ne se illi *Brixiensi* bello opponerent, illos ipse, quotiens transalpinis bellis vexarentur, auxilio juvaret. At *Veneti* eo facilius *Pandulfum* reliquere, quod ægre tulerant, cæsum [5] *Florentinum*, quem ab se ductorem accepisset. Primum igitur ut bello iterum pulsari se agnovit *Pandulfus*, nec esse in *Venetis* spem, *Genuensem* pertentat, si possit ad renovandum bellum impellere; facile distracturos *Philippum*, ne simul possit utrimque vires sufficere. Paululum *Genuensis* annuit, quamquam domesticis exulum inimicitiis impeditus. [6] *Carolus* quoque idem *Pandulfi* frater pro se legationem ad *Florentinos* suscipit, simulatque ad *Martinum* Pontificem, singulos obsecrans, atque obtestans, ne fratrem desertum paterentur, qui sit unus in *Gallia* partis Guelfæ princeps, præsertim quem modo *Philippus* tanta injuria persequatur. Nempe ille *Brixiam* haberet, quam primum a Matre *Philippi* quasi justo pretio accepisset, servatam deinde e maximis periculis, continua item pace gubernatam, quando nemo esset quem aut clementiæ, aut justitiæ *Pandulfi* pœniteret. *Philippum* nunc perturbare omnia, nihil esse quod non referat fuisse patris, tanquam uni debeantur omnia, quæ cupiat. Denique ipsos superesse, ex quibus mox sit *Pisas* [7] repetiturus; propterea jam decernant idne potius *Philippo* nunc immaturis adhuc viribus resistendum, an paulo post in *Tuscia* bellum gerendum. *Martinus Malatestam* potius corripere, quam auxilia polliceri. quid oportuisse *Pandulfo* ad *Cremonensem*, qui *Brixiam* tanta pace possideret; itaque nunc consulere eidem, illatam *Philippo* injuriam [8] quibus se modis redimat, ac se, utcumque possit, ad certiorem quietem confirmet. *Florentini* quoque seu gratum præsens otium, seu *Philippi* vires aut formidatæ, aut neglectæ, responderunt: Nihil hoc tempore ad se pertinere bellum, quod ultra Alpes gereretur. Tum de *Pisis* satis provisum, quam urbem eo loco statuerint, ut ne quidem audeat in *Gallia* prospicere. *Pandulfus*, si nequeat in *Lombardiæ* ora *Brixiam* tueri, quam omnes audierint Viceccomitum perpetuam fuisse, *Fanum* in domesticam possessionem revertatur. Hæc male grata [9] *Carolus* ad *Pandulfum* scribit, rebus suis quocunque pacto provideat, cui solo in se spes relicta sit. Inde tamen in *Picenum* usque peragrat, multisque coactis delectibus, *Ludovicus Firmanus* [10] conductor copiarum accessit. Verum infelici exitu, nam ipsi quoque ut in *Brixiensem* agrum [11] venerunt, latis campis nimia [12] pabulandi ab *Carmagnola* excipiuntur ad eum locum, ubi media est amplæ latitudinis fossa. Nec diu ambiguum certamen fuit, quanquam numerosæ acies erant (ad octo [13] hominum millia fuisse referuntur) omnes profligati. *Ludovicus* ipse captus, nec multo post a *Philippo* domum remissus, ut ne captum, sed *Philippi* [14] cumulatum muneribus diceres, tanquam gloriæ haberet dominos facere, & dejicere. Quibus *Pandulfus* veluti de tradenda *Brixia* acceptis cum *Philippo* in fædera componitur, quibus *Brixia* [15], ac munimenta, & quæque in agro *Brixiensi* restabant, ad Vicecomitem rediere. Eo itaque incremento, & potentatu, ac nomine auctus *Philippus*, primum omnium *Carmagnolam* clarum, & honoratum facit, quo parandis tot rebus legato erat usus. Atque eo tempore *Pergulanum Angelum* ad se ductorem vocat, cum esset in agro *Bononiensi* Urbi infestissimus, quæ se auctore *Antonio* cognomine [16] *Bentivolio* jam summo Pontifici dederat. Ille vero occupato castro, quod vocant S. *Petri*, meritum anteacto tempore stipendium repetebat, neminem vel a *Martino*, vel [17] a *Bononiensibus* audiens. Hunc igitur *Philippus* in suam stipendiariam conduxit, statimque oblata rei gerendæ necessitas. *Philippus* [18] proxima hyeme [19] *Berinzonam*, ac *Domussolam* tyrannis eripuerat. Hæc sunt gemina oppida locis, ac mænibus [20] munitissima inter Alpes *Germaniam* versus, velut ad primas fauces disposita. Quondam sane Viceccomitum fuerant, ac, dum nives immensa altitudine extarent, ante occupata sunt quam domini intervallo medio sentirent. *Succii* locis finitimi id ægre ferre, præsertim [21] multiplici, ut ajunt imposito transeuntibus tributo, nec remittente *Philippo*, quod jam pluribus legationibus tentaverant. Ut igitur responsa acceperunt, tum quidem per hyemem impediti quievere, pari fraude [22] postea primo tempore [23] invasuri. Nec potuerunt tantum pati, quominus erumperent; collecti prope ad hominum octo millia sese e suis locis effundunt, [24] nequiverunt tamen latere. Cum primum egressos *Philippus* audiret, missis eo *Carmagnola*, [25] & *Angelo* cum turmis suis, quæ tum forte *Mediolani* erant, additis *Zenone*, ac *Brixiensi* ductoribus peditum. Nihil vero tam saluti fuit, quam barbarorum impetus, quippe dum se [26] excitant, cupiuntque alii alios prævenire, factum est, ut in agros nostros primum transirent. Circiter dimidium turbæ fuere, cæteris postridie sequuturis; Nihilominus qui transierant procurrunt, effero quodam more debacchantes; nam inconsulta gens est; clamores undique dissoni e vallibus horribiles resultabant. Major quoque numerus exiisse dicebatur, ut ipsi item numero plures apparebant, ut sane referant, *Carmagnolam* ad ineundam pugnam substitisse. Cæterum occasionem præbuit insania, quod nihil de nostris cogitantes nocte sub [27] *Berinzonæ* mænibus substitere. Quos nostri mane adorti improvisos in bellum urgent, id ferente *Angelo*: Cæterum patiemur Beluas ex Alpibus descendere, eo usque dum *Philippus* mugitus auribus accipiat? quin ingredimur ferro. Ne dubita ductor, ferocia hæc, quam vides, emisso cruore concidet. Barbari nihil territi in armatos veniunt, quos quia minus poterant, corporibus sese equis submittebant, transacto per costas mucrone labentem armatum ferientes, nec nunquam equorum crura complexi, simul equum, atque equitem præcipitabant. Itaque facto primo con-

10 cum auxiliis ductorum copiarum
11 venere
12 palabundi ab Carmagnola
13 millia hominum
14 muneribus cumulatum
15 ac simul
16 Bentevoglio
17 ex
18 media proxima
19 Birinzonam, ac Domussulam
20 & populis munitissima
21 ut ajunt, multiplici
22 post se
23 invadi
24 nequiverunt
25 atque
26 concitant
27 Birizonæ

concursu in acie *Philippi* equorum, atque hominum cædes. Quod ubi *Angelus* perspexit, majus periculum mentibus fieri: Cernitis, ait, socii perimi equos vestri ordinis, virtutisque auxilium, sequimini hac vadentem, ut pedibus, corporibusque pedes & corpora conferamus. Sic tenso conto pedes in hostem vadit, primumque obvium emisso per latera ferro transverberat. Cæteri idem jussi faciunt. Nec *Carmagnola* cunctatur, eo præsertim furiosior quod carissimum ex sociis amiserat. Pedites

1 Primores

quoque pro se operam sequuntur. [1] Priores maxime quos ante diximus, eo die celebrati. Ita undique fit hominum strages, nec tamen prius quisquam fugit, quam pene omnes ceciderunt, atque inter aciem tamen unum è Ducibus suis trucidavere, quod visus fuerat inconsulto exercitu de fæderibus significare. Tandem coacti in quendam tumulum residunt versis in terram mucronum & jaculorum cuspidibus, quod illis signum erat dedendi sese. Quorum orata ut *Philippi* ductores accepere, inito consilio rogatus ab *Carmagnola* *Angelus* censet parci capitibus, captivosque abduci. primum humanum, tum speciosum illum *Philippo* gentis [2] triumfum, ac militi quoque ad

2 triumphum

restaurandam equorum stragem questum percommodum, facta corporibus mulcta. Licere quoque inde sciri, sua ne temeritate, an alieno nutu sedibus eruperint. Inquit tum *Carmagnola* (ejus utpote primi ductoris potior erat sententia) posse id ignavum, ac timidum videri, quando in acie vicerint, potius parentanda omnia sanguine. Ergo, inquit *Angelus*, ne me formidasse putes, sanguinem hominum fundamus. Datoque saltu equi strictum ensem ad hostes detegit. Quo illi perspecto sublatis mucronibus in cervicem, præcipites fremitu barbaro per diversas acies sese ad *Ticinum* educunt (nam inde [3] non longe ex Alpibus oritur) atque eo vadis trajecto [4] *Pado* secus comitibus occurrunt, qui ex pabulationibus redibant.

3 haud

4 paulo

Tum omnium lachrymæ, ac variæ complorationes, ita simul ad notiores agros revertuntur, cum multi passim ex vulneribus saucii, & gurgitæ madidi, ac graves miserabiliter caderent. Cæsi utroque certamine, qui aut in bello, aut in flumine, ac per calles ceciderunt, super duo millia referuntur. Neque incruenta *Philippeis* victoria, aliquot equitum amissis capitibus. major ab latere *Angeli* jactura, pluribus suorum occisis. Atque id magno fuit detrimento, super quadringenta equorum corpora ex *Angeli* turmis [5] per fossa cecidere.

5 perfossa

Spectaculum certaminis fuit homo miræ magnitudinis, & corpore, & audacia barbarus. hic postquam & hominum, & equorum stragem dederat, ab uno equitum lancea est [6] perfossus, quem dum ille premeret, ferunt per lanceam tendentem vix spirante vita cum hoste pugnavisse. Relatum Duci corpus . . . . . . . . ac ferunt ipsum

6 transfossus

Sic & in altero codice.

Domi ejus magnitudinis adolescentiorem fratrem reliquisse. Multi dubitant talem exitum futurum fuisse certamini, si omnes, ut erat statutum, convenissent. intolerabilis enim [7] primæ gentis furor, quod sæpe *Austrini* duces sensere, in quos projecto jugo pugnaverunt. jam nec tyrannum [8] aut dominum norunt. Unum abeuntibus e Domo decretum jurejurando omnibus firmatur, qui nec ex acie fugiant, nec hosti parcant, [9] nec si oppida, [10] aut terras ceperint, fæmineum corpus violent. Gloriosum illis [11] vitam cum armis ponere. Nec multo post [12] iterum alia multitudo prodiit, verum non ultra, quam quod direpta [13] *Domossula*, priusquam occurreretur, rediere: sæpius idem facturi, ni *Philippus* extructis per juga fossis, ac munimentis viam omnem periculis obsedisset, donec qui suus mos est, eorum primoribus per munera collectis gentem placavit, hodieque

7 primus

8 nec

9 parcant

10 ac

11 arma cum vita

12 alia

13 Domussula

A *Mediolanum* ultro commeantes pacem tenent; id tamen impetravere, ne major esset, quam *Galeaz* temporibus transitus coactio. Nunquam inter hæc cessaverunt exules *Genuensium* [14] sollicitare, qui bellum adversus Tyrannum (sic *Thomam* vocabant) gereret, id plane significantes, quo nihil magis optabat, pulso illo futurum *Genuensium* Dominum, nec magno labore tantum imperium constare, quippe hostem superiore bello confectum, nec amicos jam nec auxilia habere, facile cogi posse, ut Civitatem deserat, ubi ab nullo jam desideretur. Primi petitores *Fliescorum*, ac

14 Philippum sollicitare

B *Spinolarum* factio. Hi in agris amicitiis potentes, hi pecunia, ac divitiis freti. Non ingratum negotium *Philippo* tanta spe gloriæ, quam præter unum *Johannem* Archiepiscopum nullus majorum habuerit. Et quidem super hanc exulum instantiam causa quoque movendis armis suberat, quod cum *Pandulfo* occultis fæderibus [15] composuisset. Eo [16] igitur *Carmagnolam* cum exercitu destinat, cui adjuncti exules protinus ad ipsa mænia succedunt. Nec præter Urbem quicquam in potestate relictum. Dum tamen id bellum geritur, ad *Florentinos* legationem mittit, eandemque [17] etiam honoratissimam, quod soliti essent dicere, non valde cupere *Philippum Florentinorum* amicitiam,

15 composuisset

16 itaque

17 hono-tissima

C quam nulla legatione peteret. Hactenus enim cum solis litteris Viatores commearant. Nec facile erat *Florentinos* in eum locum trahi, ut se *Philippo* jungerent, qui dudum omne Vicecomitum nomen horrerent. Subeunt tamen legati, singulique ut diversos cives notos habebant, nuntios interponunt, quibus ad se venire precantur, tum quibus rationibus possunt, animos explorant, [18] eo se maxime nituntur, qui suspicionem [19] pellant, ac faciant credi paratam, (si velint) cum *Philippo*, ac *Mediolanensibus* optimam pacem; nec dubitare (si fandi publice locus detur) in manu esse concor-

18 eo re

19 tollant

D diam. Denique igitur placuit legatos audiri, præsertim qui non ultra haberent, quam de pace referre. Sic fuit omnis Legatorum oratio: Lætos se, & alacres *Florentinis* pacis nuntios advenisse, cujus nulla mentio jam ante viginti annos extitisset. Nunc id *Philippum* pro se cupere, ubi speret diuturnæ concordiæ initium dari, ac propterea eo legatorum numero honorem rei detulisse, in qua existimaret maximam [20] *Italiæ* salutis partem contineri: Atque id tempus præcipue opportunum esse, cum neutri partium ea pax necessaria sit: proinde nihil præter honesti rationem reli-

20 [illegible]

E ctum, cujus nemo nescit primum officium esse, ut inter mortales benivolentia valeat, nempe qua una vulgo jam [21] difinitum sit omnibus rebus gloriam splendoremque accedere. Quid autem timendum, posse occurrere, aut quid unquam adversum posse in *Italiam* irruere, si cum *Mediolanensibus Veneti* pariter, ac *Florentini* agant? *Philippo* quidem in animo esse, quo ad se spectet, *Italiam* ab omni transalpino motu tutam præstare. *Florentinos* hic tamquam in medio orbe quieturos, nec sensuros unquam arma, dum eam voluntatem servaverint. Proximam habere gloriæ faculta-

21 difficultum est

F tem, modo juvandis [22], servandis, regendisque ecclesiæ, ac summi Pontificis *Martini* opibus curam dedant, [23] sic denique [24] omnis *Romanæ* gloriæ auctoritatem tueantur. Tunc si huic concordiæ obtemperetur, nihil posse suspecti intervenire, quandoquidem [25] ea *Philippus* habere se existimat, quæ tanquam paterno jure, ac majorum suorum titulo [26] quærere debuisset. Finitum regnum Alpibus facile *Florentinis* dare, quidquid [27] Apenninum teneant; nec jam plus gloriæ aucupari, quam quod servandis *Lombardiæ* Urbibus paraverat, nunc etiam fovendis, atque agendis intendere, omnem reliquam operam amicis peracturum.

22 regendisque

23 si

24 omnis

25 ea se Philippus habere

26 debuisse

27 Ultra Apenninum

acturum. Itaque ne dubitate, inquit, *Florentini* optima fide *Philippum* justissimoque desiderio vestram amicitiam petere, ut fœderibus confirmetis, quam dudum rebus probatam tenet. Nec sane majus adhuc experimentum quærit, quam est in eo intellectum, dum ad vos nomenque vestrum [1] *Carolus* pro juvando fratre confugit: ipsique rectissime negastis auxilia, quæ ille [2] adversum *Philippum* non recte peteret. Quid vero [3] rectius aut veris amicis dignius, quam in tantis nostræ Provinciæ tempestatibus nihil nos unquam movisse, nihil *Florentinos* pro veterum temporum simultatibus cogitavisse, jam inde [4] assueti, & coalefacti nobiscum *Mediolanenses*, simulque ut publice privatimque benivolentia obsecundet. Mandatum postremo, ne plura [5] hujusce rei verba faceremus, qui essemus apud amicos maximæ prudentiæ, ac virtutis, non minus quam fortunæ principes loquuturi. Quæ ubi sunt dicta, [6] cæteri in suo ordine legati, (nam *Johannis Aretini* communi sex majorum legatorum jussu fuit oratio) nihil se ad id velle adjicere [7] significarunt. *Florentinus*, quem tum summi Magistratus Præsidem habebant, nihil supra respondet, quam omnino se credere, placuisse verba senatui, quibus intelligerent *Philippum* constituendæ pacis, firmandæque concordiæ consensum exquirere, id esse rei sanctissimæ consilium, nec *Florentinos* [8] aliud unquam his rationibus molitos. Itaque [9] & nunc brevi responsum daturos, in præsentia habendum Senatum, quo id publice decernatur. Ita legati datis comitibus ex [10] pallatio in hospitale domicilium perducuntur. Post tres, aut quatuor dies revocatis, jussus *Nicolaus* cognomen [11] *Olzanus* pro *Florentinis* respondere; homo in ea Civitate, & dicendi princeps, & natu gravis, proindeque & omnium quæ quondam inter *Florentinos* [12] Vicecomitesque extiterant, probe memor. multa ille de rationibus & commodis pacis loquutus, quam omnes scirent bonorum nutricem, atque [13] unam præcipue rebus humanis [14] ineundam, unam item æquitati, fidei, bonitati, pietati denique, doctrinæ quoque, & dignitati peropportunam. itaque [15] debere se a *Philippo* tanto officio præventos, nunc vero acturos studiis, qui amici voluntatem æquent. Eam inde satis fidere utilitatem atque incolumitatem fore, quam optime res præstare soleant. Tum [16] commemorat quæque *Florentinis* cum illa Vicecomitum Domo antiqua fuerint, quid interea concordia amicis præstiterit, quantum malorum in omnem *Italiam* duorum populorum dissensiones invexerint: Dignam modo rem & *Florentinorum*, & *Philippi* gloria, atque in primis debitam [17] Deo, & gratam, inter se ut tanti populi conveniant, nec duarum Civitatum potentia omnis *Italiæ* quietem sollicitet. Jam se demum supernæ clementiæ fidere: arma resessura, dum ipsi rem Principes concordiam foveant. Quod vero ad *Florentinos* attineat, *Romanæ* ecclesiæ, *Martinique* salutem & gloriam curæ fore, ipsos quoque *Mediolanenses*, [18] quoties *Florentiam* venerint, civium loco habituros. Postremo in id deinceps *Florentinum* contendere, qui [19] *Philippi* nomen, ut omnium Vicecomitum semper extitit meritis [20] & honoribus cultum, ac decoratum suscipiat. Multa in eundem [21] locum *Nicholaus*. Quamobrem factum pacis decretum, moxque [22] præjussa, & conscripta [23] fœdera, quibus maxime videbantur, *Florentini*, ac Vicecomites alternis rebus abstinere. Tum ne *Philippus* ultra *Taruntiam*, hic fluvius ex Appennino cadens, oppidum Pontis tremuli appellant, [24] prævectus, [25] *Parmam* ac *Regium* fluit; pedem efferret: sic ad aliud Alpium latus

1 Karolus
2 adversus
3 æquius
4 consueti
5 hujus
6 cæterique
7 significalent
8 unquam
9 etiam nunc brevi responsum
10 palacio
11 Ozanus
12 Vicecomitemque
13 præcipue
14 jocundam
15 dolere
16 memorat
17 & gratum Deo,
18 quotiens
19 & Philippi
20 honoribus
21 modum
22 percussa
23 pacis fœdera,
24 prætervectus
25 Parmam

A ne *Macram* Lunæ Flumen transiret. Ne *Florentini* quidem, quæ ultra hos fluvios essent, quærere deberent. Quæ sunt hoc modo per legatos inter *Florentinos* ac *Philippum* constituta. Bellum interea pro foribus *Genuensium* ab *Carmagnola* legato *Philippi* exercitus una & cum exulibus magna vi geritur. Nec *Thomas* in animum inducebat Civitatem tradere, quamquam omnem agrum amiserat, conversis ad Ducem [26] *Fliescis*, quorum præcipua ope hactenus regnaverat, contentus maritimis auxiliis, & commeatibus. Verum cum inopia pecuniæ laboraret, quam necesse erat stipendiis tribui, jam omnibus, quæque rapere

B poterant, expilatis, non est veritus *Florentino Liburnas*, hoc est portum *Pisanum*, vendere centum, ut ferunt, ac viginti auri millibus acceptis. Ejus magna pars *Florentiæ* coactis stipendiis effusa. Quamobrem multis visum jam non integra esse, ac pro violatis posse haberi, quæ paulo ante Duci promissa erant. Omnia tamen pro tempore dissimulata. [27] Ceptum inde *Philippo*, atque exulibus aliud consilium, non posse solo terrestri bello *Thomam* [28] urbe pelli: itaque missus *Barcinonam* qui stipendiarias naves conduceret. Novem venere triremes, quibus ductor datus *Ba-*

C *ptista* cognomen *Montaldus* inter exules potens. Totidem erant *Thomæ*, ductore fratre illius *Baptista*. Ita [29] urique satis viribus confidere, quando essent numero navium pares, atque eo melior *Thomas*, qui solis *Genuensibus* [30] armatas haberet. Cæterum ut fere *Genuensium* est, fide potius, quam virtute laboratum. Non longe a *Genuensi* portu concursum; neque enim poterant tyrannicæ naves nisi per certamen portu egredi. Ut factum est igitur pugnæ initium, duæ ex triremibus *Thomæ* subsistunt, paululumque ad latera subducuntur. Atque id animadversum cæteras terruit, ne plures in facinore essent. Male igitur

D jam æquata pugna congressus *Fulgosius* vincitur. Quatuor e reliquo numero constantiores captæ. Ductor quoque in [31] potestate exulum factus paulo post ad *Philippum* perducitur. Superatus [32] eo certamine *Thomas* haud dubium, cum nec terra, nec mari [33] spem videret relictam; non pacto usque quaque *Philippo* auxilia externa exspectanda, non socii ex agris, qui exulum erant, non denique in urbe amici supererant. Quippe etiam [34] juventus turrim mænibus adjacentem hostibus tradidit. Verum in arduo ad hostes sita, reque adhuc pene incerta, ne quid proditores fallerent,

E prius recepta est, quam illi succurrerent. Solus *Brixiensis* maximo periculo ingressus [35] non minore ad suos rediit. Ob eas res coactus *Thomas* de tradenda Civitate componere. Quod modo faceret, a *Philippo* est jussus petere quæ vellet fœdera, juvante præsertim *Carmagnola*, [36] quo cum anteactæ pacis tempore, & compaterna necessitudine conjunctus fuerat. Ad eam itaque rem missus in Urbem *Guido* [37] ad *Carmagnolam* refert. Atque ipse *Thomas* vestigia sequitur. Ibi constituto *Carmagnolæ*, ac *Philippi* vices agenti sceptrum, quod manu tenebat, tradit, eo indicio *Philippum* & Urbis, & Dominatus Principem

F designans. Tum navi ad id parata cum omni domo, atque universis opibus, quas sane immensas pactis obtinuerat [38], *Sarassanam* citus navigat, [39] quam quasi necessariam vitæ possessionem cum paucis ejus oræ Castellis *Philippus* habendam tradidit. Ferunt illum nocte, quæ abscessum præcessit, jussisse omnium navium, quæ in portu erant, temones obrui, quos, [40] postquam pervenit [41] *Sarrassanam*, litteris retexit. Nec tamen ita animo [42] privatus fuit unquam, quin se tyrannum fuisse meminisset. enimvero [43] è tantis fortunæ favoribus non illustres modo tituli, verum etiam

26 Fliescis
27 Captum
28 ex urbe
29 utrique
30 armatos
31 potestatem
32 haud dubium eo certamine Thomas,
33 spem relictam videret, non pacto
34 inventus qui
35 non minor
36 qui cum
37 conventa ad
38 Sarezanam
39 eam
40 postea quam
41 Sarezanam
42 unquam privatus fuit,
43 Philippo e tantis

etiam alterius vitæ rationes accessere. Namque eodem Imperio factus circum *Genuam* Savonæ, atque *Andegavii* cum innumerabilibus Castellis continuo littore super centum, & octoginta passuum millia Dominus, trans fretum quoque *Chios* insula nutriti *Achillis* fama celebris, sub [1] editionem venit. dehinc quam vocant *Peram* in *Thracia* oppidum *Constantinopoli* finitimum adeptus. Ita quoque appellatam *Caffam* Civitatem, qua nulla fere hoc tempore populosior [2] numeratur, clarum omnium, quæ ad Euxinum pontum spectant, portorium, ut jam toto, [3] ita dicam, Ægeo Anguis insignia per littus navigantibus cernantur. Ipse præter solitudinem diu cæptam suspicionem quoque addidit vitæ, ut jam nulli videretur, rarissimusque esset accessus in

1 ditionem
2 memoratus
3 ut ita

A conspectum, ac tanquam ex oraculo illius mandata haberentur. Exædificata in *Mediolanensi* castro ad angulum sinistrum arce munitissima, ibi velut in custodiam datus cæpit vitam degere, adhibitis corporis custodibus, qui per vices cubiculum asservarent. Ita per agros quocunque secessus erat, munitiones distinxit, palatia tutissima fabricatus, cujus rei est [4] cupidissimus non modo auctor, verum etiam ingeniosissimus artifex. Nihil ut [5] jam credatur ad sequentem fortunam offuisse. B Quippe natura super cæteros benignus omnem eo genere vitæ humanitatem abdidit. Nec dubium ob eam rem [6] descivisse plerosque amicorum, & negotia cessavisse, & denique aliarum rerum percrebuisse rumores. Cæterum nos his litteris, quæ sunt publice gesta, consectamur.

4 non cupidissimus modo
5 tam
6 & desivisse

---

F. B. Andreæ patriæ historiæ liber III. explicit. Quartus vero feliciter incipit.

# LIBER QUARTUS.

1 Hinc jam



[H]inc fatale bellum scripturi initium faciemus tanquam elato extra provinciam pede aliena sequamur. rem sane difficilem, & qua nostra ætate nulla est audita illustrior. nempe & inter potentissimos certatum est, & fortuna ita suo jure variavit, ut qui propinquiores fuere victoriæ, hi postremo ceciderint. Et quidem initium belli ad *Philippum* pertinet. finem, ac fructum cepere, qui tanquam spectatores futuri videbantur. Modo hoc *Philippus* est consequutus, plane ut intelligere potuerit, fortunam optare se illi gloriam dare, si cætera consensissent. Nemo autem *Mediolanenses* Duce *Philippo* ac *Florentinos* viribus conflixisse mirabitur, qui [2] *Florentinorum* ingenium, ac [3] naturam perceperit, vel temporum, ac majorum, quantum ad hos attinet populos, gesta acceperit. Quippe *Florentini* nunquam non in [4] alios successus intenti. *Philippus* in id semper intendere, qui se conspicuum videri faceret, idque a majoribus acceptum novis successibus augere. *Florentini* identidem majoribus consiliis obstare, præcipueque huic Vicecomitum nomini infestiores, quibus [5] quidem attrectare consueverint. Universos si enumeres, qui in hac familia memoria patrum claruerunt, neminem [6] reperias, qui non *Florentinum* hostem habuerit: ut ipse hujus belli initio, cum *Florentiæ* essem, commemorasse recolo, plerisque civium præsentibus, tum me pene nihil arbitrari [7] cum *Philippo* acturos, quam cum superioribus egerant. Sed ea alias: huc etiam accedebat, quod *Florentini* diutina pace vix opulentiam sustinebant, tanquam necesse foret materiam dari, in quam cumulatas opes effunderent. Nec segnior fortuna casum obtulit. *Forlivienses* Dominum amiserant; relictus heres infantulus. Huic Mater erat filia *Ludovici* tyranni *Imolensium*. Atque is audita Generi morte *Forlivium* contenderat, tutelæ specie simul & puerum, & Dominationem recturus. Quæ res & plerosque Civium per [8] indignationem offendit, & eos in primis, qui dudum curiæ ministeria gessissent. Idem omnibus videbatur, *Forlivienses Imolanis* [9] subjectum ire. Conjurant itaque plures Principum Urbem puero [10] eripere. Jam avus traditis filiæ regulis, ne extra Castrum cum impubere egrederetur, domum redierat. Factum consilium de tradenda Ecclesiæ Civitate. Romanus Pontifex *Martinus*, [11] qui bellum atrocissimum hinc cum *Braccio Perusinorum* Domino,

2 vel Florentinorum
3 naturam percepit
4 alienos
5 pridem detrectare
6 reperies
7 melius cum
8 indignitatem
9 subjectos
10 arripere.
11 cui

inde ex *Apulia* cum [12] *Alfonso Aragonum* Rege, non ausus deditionem ad se palam recipere, rem C ad *Philippum* remittit, qui, si videtur, *Forliviensium* negotium suscipiat. Neque ille ut qui jam magna ex parte Ecclesiæ patrocinium suscepisset, respuit, nec forsan nescius *Florentinos* in id [13] consensuros. Locus præterea visus idoneus transmittendo ad *Braccianum* bellum exercitui, nam antea *Florentini* transitum negaverant. Re igitur composita *Siccum* unum ex ductoribus *Forlivium* mittit, dato levi exercitu, quo minus consilium sciretur, ne quave iter [14] impediri posset. Illi magnis itineribus profecti *Forlivium* pervenere, moxque in foribus conspecto signo, quod convenerat, [15] dato, oppidum tradidit. Conscii D exercitum introduxere, quanquam est in portis paululum titubatum. Erat enim paucis notum facinus, nec aperte ferebatur, [16] quod Dominum acciperent; nullius enim nomen sub signis prodebatur. Itaque ut fit, æmuli partium parumper restitere. mox vero ut intellexerunt exercitum *Philippi* esse, nemo visus est asserendæ puerilis fidei auctor. Ita *Forlivium* cujuscunque nomine capitur. Vidua mox tumultu audito ex Castro in *Forlivium* populi, quinque inde millibus distans, una cum infantulo transiit. Ingressis Urbem nulla prior cura quam ut Castrum obtineant. Nec longa fuit obsidio, tolerata paucorum dierum E oppugnatione *Sicco* deditur, Dominum adhuc prodebant neminem. Nunc [17] *Nicolao Ferrariensi*, nunc *Martino* captum oppidum referebant. Pulsi mox ad *Florentinos* litteris concurrunt, præcipueque maternus pueri avus solicitat, ultroque instigat, rem suscipiant, nec sociam Urbem *Philippi* integram fieri patiantur, posse parvo impetu dejici paucos, qui erant ingressi: *Florentinos* movet, tum periculum, quod rebus suis proximum, ac pene præsens vident, tum amici respectus, nam patrem pueri *Georgium* dilexerant, paulo ante cum ex *Florentia* [18] illuc defugissent, summa caritate F accepti. Itaque statuunt, quisquis eam Urbem acceperit, defendere. Lecti decem principum, qui bellum consiliis suis curent. Eorum primus *Nicolaus* [19] *Vizanus*. *Pallas Strozzius*. *Joannes Medicus*; cæteri obscuriores, data his more ejus populi summa, quod ad bellum pertineret, rerum potestas. Unum tamen omnibus suspectum erat *Philippi* nomen. Idque vulgo ingenti cum superbia fremebatur. Quod ubi *Philippus* intellexit, se unum ejus rei auctorem *Florentiæ* citari, nec adversum se minus quam adversus Urbis captores *Forliviense* bellum decerni, primum tentat, si possit *Florentinos* ea opinione verbis absolvere.

12 Alphonso
13 consensuros
14 posset impediri
15 oppidum ut dictum ditur.
16 quem
17 Philippo, nunc
18 ob patriam illic
19 Uzanus

vere. Atque ipse *Nicolaus Ferrarienſis* miſſo *Jo-
anne Strozzio* idem agere nititur. Juſſus quoque
*Pileus* dictus *Genuenſis* Epiſcopus ex *Roma* ven-
turus per *Florentiam* iter facere, *Florentinos*que
illa eadem docere, non ſubeſſe fraudem facto,
nec captum *Forlivium*, præterquam beneficio Ec-
cleſiæ, qua copiæ ex *Mediolano* adverſum *Brac-
cium* pergant. Vix auditi, cum hæc referre vel-
lent, nec niſi per minas paucis reſponſum. Præ-
1 Caſtilionem. ter hos *Philippus Franchinum* [1] *Caſtellionem* ad hanc
unam rem legatum mittit, qui certos faciat *Flo-
rentinos*, non ſibi *Forlivium* uſurpaviſſe. Teſtes
dare *Venetos*, teſtem Romanum Pontificem,
teſtes eosdem ipſos, ſi conſilium experiri ve-
lint. Daturum Urbem cuivis ſervandam, dum
ſibi liceat inde tranſitum exercitui habere. Ve-
rum, ut opinor, hoc fatis debebatur. Nihil
enim tantorum virorum legationes, aut verba
valuere. Omnes arrogantibus reſponſis dimiſſi:
*Florentinum* ſatis noſſe, quis eſſet facinoris au-
ctor, quæve cauſa ſibi in animo eſſet innoxiam
pupilli ætatem juvare; ita rem omnem detectu-
rum. neminem ratione credere poſſe, *Florentinos*
2 majorum decipi poſſe, qui jam in *Philippo* [2] majorem ima-
3 paſſuros de concordia ginem recognoſcant; nec aliter [3] de concordia
paſſuros agi; quam ſi in ſuum locum *Forlivienſes*
4 concitandum. reſtituantur. Additum quoque, ne quid ad [4] co-
gitandum bellum deforet, velle *Genuenſibus* liber-
tatem aut priorem Dominum, qui eſſet *Thomas
Fulgoſius*, reddi. Alia ſubinde ad terrorem ſpe-
ctantia & in Palatio legatis objecta ſunt, & vul-
go jactata, ut eſt dicendi procaciſſimum: re au-
5 nugas minus tem vera in eum dicebantur, quo nemo [5] minus
nugas curat. Tandem miſſis omnibus, reſponſum
ituros ex *Florentia* legatos ad *Philippum*, qui
coram hominis animum cognoſcant, certumque
ut faciendum ſit referant. Paucos interim ſtipen-
dio conductos *Caſtrocarum*, *Forlivium* populi,
*Forlivienſem* inde agrum infeſtaturos mittunt. Nec
6 ex tamen bellum geri videbatur; pauci enim ſtipen-
diis ſeſe offerebant, atque [6] & paucis pauciores
7 complures annos bello legebantur. Deſueti jam [7] plures annos *Florentini*
8 vellet ægre erigebantur, quos vix mercenarii crederent,
poſſe bellum capere, nec temere ſi [8] vellent, con-
ductitii occurrebant, omnibus diverſo bello oc-
9 quibuſcum Præſes ab cupatis. Aliud viſum eſt opportunius, ſi poſſent
*Bononienſes* bello innectere, [9] quibuſcum Præſes
10 Gregorii illius ab ſummo Pontifice erat *Gabriel Venetus*, [10] illius
quondam Pontificis nepos, ac *Philippi*, quantum
rebus apparuit, inimicus. Itaque non invitus,
audito *Florentinorum* legato, annuit, ſeque ut tum
ferebatur, & inconſulto *Martino*, & adverſus con-
ſenſum populi, in ſocietatem *Florentinam* dedit;
Quæ dum aguntur, non nihil tamen certaminis
*Forlivii* erat, *Florentinis* ſæpe ad mænia procur-
rentibus. Vix ſeptingenti equites erant ductori-
bus *Chriſtoforo Lavellano*, & *Lucano* exule *Ludo-
vico*; nec multo ſegnior *Siccus* arcendis excurſo-
ribus, quantum quingentis equitibus poterat; id
enim eo tempore *Forlivii* erat præſidium. Deni-
que ſtatuit ante exitum æſtatis aliquid peragere,
quo doceret *Florentinos* ejus belli pænitendum,
cui & tempus opportunitatem dedit. Vindemiæ
erant, ut non fine magno diſcrimine unus menſis
negligi poſſe videretur. Nec hoſtes tum maxime
unum diem quietum dabant. Quo igitur die vi-
ſum eſt, ante lucem trecentos mittit in equis, ac
totidem fere pedites, quos jubet *Caſtrocarum*
verſus paululum ex via locum inſidiis capere,
non ante exituros, quam ab ſe ſignum tubarum
acceperint. Tum ſub diem agricolis mandat, ſi
velint vindemiatum ire, ſeſe ſubſidio affutu-
11 Spem rum. Atque illi jugatis carris maximo numero
procedunt, equites non multi in [11] ſpeciem ſe-
quuntur. Quod ubi ſunt conſpicati hoſtes, ut

A qui ex alto vicini eſſent, mox armati velut ad
communem prædam egrediuntur. *Siccus* ipſe non
longe, aliis ſupra ducentos; pleriſque etiam ci-
vium aſſumptis, ſequebatur. Mox in conſpectum
venere hoſtes, ſeque inter carpenta effundunt.
primi, qui dati erant præſidio, ægre impetum
ſuſtinent, ac parvo [12] certamine in fugam pellun- 12 in certamine
tur, ductori, qui jam proximus erat, occurren-
tes. Ille, ut videt hoſtem cogendæ prædæ impe-
ditum, ſimulque & equiti peditem, & boves, uti
pellebantur, exercitui permixtos, effuſo impetu
teſe in hoſtem ducit, ſimul dato ſigno [13] in inſi- 13 inſidiis
diis, ut alia ex parte adorirentur. Ita utrinque
B *Florentinus* hoſtem habet. Ductores, quo ad poſ-
ſunt, & animis & viribus ſuccurrunt, ſed impar
erat tanquam in alieno agro animus. magna per-
tinacia ad tres horas certatum eſt, uſque adeo ut
nonnulli eminus jactis mucronibus invicem appe-
tiſſe referantur. Tandem ſuperior *Forlivienſis*, nam
ex [14] eo oppido multi quoque erant, audita car- 14 oppido
pentatorum trepidatione egreſſi. Itaque hoſtes fun-
duntur, ſuper dimidium capti in poteſtatem ve-
nere; pauci per agricolarum iram cæſi; reliqui,
quo quemque fuga tulit, in agros diſperſi. At-
que [15] hic fuit *Florentinis* eo anno infeſtandi *For-* 15 is
C *livii* finis. Verum alio itinere quærunt ſi poſſint
adverſus *Philippum* tumultum agere, quando qui-
dem cernunt non eſſe paci modum, nec [16] in re- 16 recuperando
cuperando *Forlivio* ſpem; ac jam palam *Philippo*
ejus belli originem tradunt. itaque omnia legatio-
nibus concitant, ac primum omnium *Thomam Ful-
goſium* contra *Genuenſes* armant. Atque ille & fe-
rox animo, & partium [17] potens ſtatim [18] illam 17 favere potens
omnem *Genuenſis* littoris oram in perturbationem 18 omnem illam
conjecit. Ad *Philippum* quoque legatos mittunt.
princeps legationis *Bartholomeus* [19] *Valonus*. Is 19 Valorius.
præter quæ in mandatis habebat cum *Philippo*
de reſtituendis *Forlivienſibus* etiam dicebatur qua-
D ſi gloriabundus alia jactare, quæ ſe ſuo jure [20] 20 dicturum coram
coram dicturum minaretur. Ac *Florentini* interim,
quamquam res forte dictu exigua eſt, quo intel-
ligi facerent, [21] id bellum in patrocinii ſpem ſuſ- 21 ſe id
cipere, tum primum publicis inſignibus, quæ
in [22] pallatio ſervantur, Clypeum intulere Ro- 22 palatio
manis litteris inſcriptum S. P. Q. R. tanquam
*Florentino* nomini relicta eſſet Romanæ libertatis
hereditas. *Bartholomeus* mandatis, ac minis plenus
in *Galliam* contendit. Ubi vero *Laudum* perve-
nit, audit negari ultra progreſſum. *Philippum* ſta-
tuiſſe, ne quis ex *Tuſcia* profectus intra *Abduam*
E admittatur, hunc eſſe morem, undecunque pe-
ſtem audierit, qua tum *Florentia* non minime la-
borabat. In eoque loco mox parati [23] erant, qui 23 fuerunt
pro *Philippo* legationem audirent. *Florentinus* ne-
gat præterquam ad *Philippum* mandata ſe habere,
ei omnia relaturum, ſi coram fari detur, nec
acceſſurum [24] propius corpori, quam ut poſſit 24 proprius
audiri, non ſe peſtem, ſed pacem illi, ſi velit,
afferre. Quæ fruſtra identidem locutus ex *Laudo*
[25] receſſit nullis enim verbis potuit aditum obti- 25 abſcedit
nere, ſive id *Philippus* pertinacia decreti, ac ve-
ro, ut conſueverat, pavore, ſive ut ferunt, non
inſcius minarum, quibus ille dicebatur gloriatus,
F egit. *Bartholomeus* recto itinere *Florentiam* rever-
titur, undique bellum ferens, ut vix abſtinere vi-
deretur quin erga obvios iram funderet. Eodem
furore, ut attigit *Florentiam*, concitus ſenatum
ingreditur. Nec viſum eſt opus quærere quid re-
ferret. intellexere omnes non admiſſum colloquio.
Sic ille frementc concilio pauca per iram retulit.
Non jam *Florentinos* infenſos *Philippo* haberi, ſed
pro victis ſuperbe contemni, qui [26] nec legatos 26 ne
patiatur audire. Hoc dudum repetitis legationibus
[27] quæſiviſſe, *Florentini* legatum mitterent, quem 27 Philippum quæſiviſſe
deluderet. Tum ſe cogitent auditum iri, ſi vin-
cantur,

cantur, qui nunc integri pacem petentes sermone arceantur, inventam [1] simulationem quasi pestem timeat, qui *Florentinum* genus odit. Non esse hunc *Philippi* morem, sed malignam erga *Florentinos* superbiam, quorum [2] nec conspectum quidem sustinere possit. Quid pluribus opus esse? aut jam *Philippo* cedendum, aut viribus tuendum nomen, quod ille quidem constituit eruere; idque fore ut in oculos objiciatur, quod sentire auribus non potuit, quippe armatos allaturos quod ex legatis noluit accipere. se quidem ad conveniendam pacem profectum. Nunc si *Bartholomei* consilio utantur, belli nuncium, atque auctorem revertisse. Nec dubia vox fuit; omnes cum pedibus streperent, occurrendum superbiæ, quando jam *Philippus*, erga *Floréntinum* nomen destinatam tyrannidem ageret. Nec [3] amplius, si in præsentia dissimulent, hoc videri, quam quod viribus conferre non audeant. Eodem concilio dimisso in vulgus exeunt, omnesque bellum conclamant. Itaque coacto universo, quod populare vocant, concilio, [4] pactis sententiis bellum decernitur. Vix reperti, qui dissentirent, viginti; hos creditum quemque Civitatis optimum fuisse, cum supra trecentos essent, qui periculum probarent. Multi eo anno, [5] & Magistratus novi acciti erant veterum bellorum aut immemores, aut sane expertes. Primi leguntur decem superioribus subrogati. Ante omnes *Bartholomeus* ipse, quibus permissa ex more publica potestas; inter cæteros notissimus, ac pene princeps *Laurentius* [6] *Rodulfus*. Hi quidquid virium cogere possunt, *Bononiam* destinant, indeque per *Bononienses* agros castella *Florentinis* militibus occupantur, ne quis sit *Philippo* ad tuendum *Forlivium* transitus. Ille vero hoc bellum ægre respiciebat, uni intentus *Neapolitano* Regno, ut inde *Aragonensem* pelleret, *Ludovicus*que *Massiliensium*, ac Provinciæ Rex id regnum acciperet. [7] Verum ut ante omnia *Martinum* Pontificem liberum, ac tutum videret. Quippe magno in periculo vertebatur, cum inde *Aragonensis* magna *Iberorum* manu ex *Gadibus* usque profectus *Neapolim* teneret. Hinc *Braccius* *Aquilam* [8] obsidem, *Romam* quoque ipsam terreret, ac magnis viribus quæcunque ad Ecclesiam spectarent, vexaret. *Alfonsus* erat non multo ante *Neapolim* vocatus, Regina pollicente ejus Regni deditionem. Verum cum male *Iberi* mores cum *Græcis* convenirent, Principibus quoque *Apuliæ* moleste [9] imperium peregrinum ferentibus, Rex ab Urbe in arcem pellitur; nec longe ab obsesso erat, ni *Catelani* (hi sunt *Barchinonenses*) magno navium numero Regi succurrissent. Nec tamen id præstiterunt, nisi magnis acceptis ab Rege Civitati suæ, quæ illi parebat, remissionibus. Per arcem itaque introducti ejecta Regina, *Sfortioque* cum omni præsidio in periculum deducto, multis occisis, captis, ac sauciis pluribus omnem eam Urbis partem, quæ Castro [10] objacet, cremaverunt. Inter hæc *Philippus Romani* Pontificis misericordia motus, sexdecim armatis magnis navibus, Triremibus sex, ac viginti, [11] dato *Guidone* copiarum ductore ex *Genua* ad liberandam *Apuliam* mittit. Numerus, magnitudoque erat navium, ut facile toti pelago hac ætate possent terrori esse. Parum tamen læti *Genuenses* in bello erant, qui non assuescent fluctibus, præterquam domestico Duce pugnare. Itaque ingressi *Neapolim* peragrato omni littore *Apuliam* liberaverunt. *Alfonsus* [12] *Philippum* adversus magna animi indignatione ex *Græcia* ad *Iberos Valentiam* revertitur, nec sine damno *Ludovici*; nam ex itinere appulsis *Massiliam* navibus oblata occasione mœnia uno impetu cepit, oppidumque ingressus magnam prædæ, ac ho-

1 dissimulationem
2 ne
3 aliud,
4 jactis
5 ad
6 Rodolfus
7 verum ante omnia ut Martinum
8 obsidens
9 peregrinum imperium
10 adjacet,
11 magnoque aliarum navium numero, dato
12 magna adversus Philippum animi

A minum copiam abduxit, rapto secum Beati *Ludovici* capite. Hoc modo regnum repetit, spe omni *Neapolitanæ* ditionis potita, quamquam in hodiernum usque *Neapolitanum* Castrum mari imminens suo nomine servatur. [13] Nec vero ultra ab exercitu *Philippi* est processum, quam ut Reginæ regnum restitueretur, quamquam videtur *Romano* Pontifici verius quam *Jabannæ* stare. Et quidem magnum ex [14] eis rebus *Philippi* nomen erat, ac jam vulgo ferebatur *Ludovici* sorore despondisse, quasi hoc præcipue Regium nomen meritus, quod Regnum *Italiæ* liberum fecisset; quod jam illi secundum conjugii nomen fuit. B Res, ni fallor, gratissima Deo futura, si spem implesset puellæ, qua nulla per hanc ætatem dicta est aut [15] facile honestior, aut sanctior pietate. Ac sane præclara in ea re *Philippi* virtus, qui [16] sibi præter gloriam e tanto labore, [17] & periculo nihil servavit. Nec tamen classis prius *Genuam* reducta est, quam *Hispani* [18] in bello redierunt, concitantibus maxime *Florentinis*, cum jam *Fulgosii* suo nomine suburbana omnia, ut ante dictum est, perturbarent, quibus etiam nunc additi [19] erant *Fliesci* novi exules, atque alia *Genuensium* factio. Hi simul terra, marique Urbem premebant. Quæ res duci maximo detrimento erat, C qui cogeretur copias in ea loca partiri, nec sine gravissimis sumptibus id bellum [20] gerebatur. Cui tamen præses datus *Obicinus Mediolanensis* Vir, quo nemo poterat dari tantis rebus aptior; consiliis, nobilique audacia bellum administrabat, solus Civitatis curam tractabat. [21] Hoc res modo *Genuæ* sese habebant. Verum apud *Forlivium Florentini* novos tumultus parare scribendis exercitibus intenti, cum [22] ecce *Philippo* se offert unus ex domesticis *Ludovici Imolam* daturum pollicitus, si se sequatur. Nam eo tempore ab *Ludovico* contentionibus discesserat. Missus ad eam rem D *Angelus* duobus equitum millibus, qui, si fortuna gratificaretur, operam transigeret. Is per *Padi* ripas occultis itineribus profectus, ne quid *Florentini* exercitus, quos Legatus *Bononiensis* in finibus acceperat, moraretur, in *Ferrariensem* agrum, qua maxime *Imolam* spectat, pervenit. Proxima igitur nocte paucos equites adjuncto pedite *Imolam* præmittit speculaturos, proditorne, ut convenerat, rem in manu haberet. Neque ille flagitium neglexerat. Ejus erat illius noctis custodia, quam dies festus Purificationis Virginis sequebatur. *Ludovico* nihil minus curæ, quam Castrum, in quo esset, posse per fraudem capi, & muris præaltum, & vallatum latissima fossa, cujus E præter aquas cænum esset altissimum. Sed hæc omnia hyems plana fecerat constrictis immenso gelu fossis, nec eo anno, ut consueverat, perfractæ glacies erant. Ac vide, quid fata possint, ubi Deus contendat. Ferunt *Ludovicum* pridie quam id eveniret monitum contempsisse. Mox igitur qui venerant vocato proditore submissis funibus suspensi murum scandunt, indeque ad Tyranni cubiculum progressi hominem nudum capiunt. Atque ita *Angelus* accepto rei gestæ nuntio sub ipsam *lucem* patentibus portis ingreditur, F momento *Philippi* nomine totius oppidi potitus. Nec fuit qui pugnaret, nullo jugum recusante, sive odio tyranni, sive, ut fit, novarum rerum cupiditate. Id factum mire turbavit *Florentinos*, nam & potentem amicum amiserant, qui fuisset præcipuus ejus belli auctor, & hostem jam prope suos fines videbant. Quippe & *Antonius Faventinorum* Dominus ad *Philippum* concesserat, multa ejus liberalitate in amicitiam adductus, ut imperio subjectus videretur. Non tamen minore animo rem suscipiunt, ac ne susceptæ pænitere posset, coacto concilio publicum de-

13 Ne vero
14 his
15 facie
16 sibi nihil
17 ac periculo servavit.
18 bellum
19 Fliesci
20 regebatur
21 Hocre modo res Genuæ
22 jam ecce

decretum de *Mediolanensi* bello faciunt, ultro, (tanta erat odiorum acerbitas) capitali pœna indicta, si quis de pace *Florentiæ* verbum referret. *Philippus* interim apud summum Pontificem queritur, quod cum hoste *Bononienses* societatem teneant, ipseque ex terris ab se Ecclesiæ servatis bellum patiatur, nec saltem communes esse, ut hosti, quas suo beneficio ecclesia habeat: Nec scire, quamobrem sibi *Florentinum* ante ponat, nec meritis, nec voluntate parem, tum videat, ne sibi eam necessitatem det, qui cum *Bononiensibus* haud gratum bellum gerat. [1] *Florentinorum* inclinare pollicitationibus, adductus tamen est recentibus maximisque *Philippi* beneficiis, ut fortunam præsentem sequeretur, præsertim *Bononiensibus* vulgo eam societatem recusantibus, ac proinde adversus legatum frementibus. Hunc itaque [2] & ipse mandatis admonet cœptam societatem destituat, seque *Mediolanensi* non ut ad bellum adjungat, verum ad communes commoditates insinuet. Ille vero, ut erat propositi [3] constans, nihil litteris movebatur, nec adventanti legato, quem successorem imperio *Martinus* destinaverat, cessurus videbatur; ni *Bononienses* partim *Philippi* [4] favore, partim summi Pontificis decreto consilium de inducendo Præside fecissent. Multi referebant, idem nunc *Florentinos* quærere, quod superiore bello cum patre *Philippi* gesto, quum paululum abfuit, ne *Florentinorum* gratia *Bononienses* delerentur; imminere nunc itidem *Philippum* capiti plus quinque equitum millibus, hinc *Ferrariensem* æmulum, inde *Imolanos* hostes, nec amicos *Mutinenses* armigeros nihil aliud spectare, quam se in *Bononiensibus* agris locupletent. His rebus commotus Præses multa vel de *Martini* promissis, vel de sua injuria quod non tertium legationis annum ex more impleverit, questus Urbe egreditur, altero in palatium accepto. Hic erat *Ludovicus Arelatensis* Episcopus & genere, & factis *Gallus*. Primum igitur sibi quibus modis potest civitatem conciliat, totumque, [5] salvo belli respectu, *Philippo* tradit; neque id leve commodum erat patenti itinere, quo *Imolam Forliviumque* omnia usui rerum necessaria ex *Mediolano* submittebantur. *Florentini* tamen neque hoc detrimento aversi aliud bellum parant, exercitumque undecunque possunt cogunt. *Malatestæ* ad rem cupidissime favebant. Primum *Carolus*, quem nulla unquam opinio æquavit, *Pandulfus* quoque omni conatu [6] adjunctus, nec acceptis modo stipendiis, [7] verum collatis etiam, adjuvabant. *Nicolaus Tolentinus* inter ductores erat, tum omnis illa *Anconitanæ* Marchiæ ora ad *Florentinæ* pecuniæ odorem concurrerat, dominis quoque eorum locorum ad stipendia conductis. Fit itaque brevi circa *Forlivium* [8] mira castrorum species, erectis undique tyrannulorum tentoriis. *Carolus* Imperium tenebat. Solus erat *Forlivii Siccus*, [9] quadringentis equis oppidum [10] egregie tenens, quorum tamen nunc per eruptiones, nunc e muris pugnando super numerum virtus eminuit. Missus tandem est ex *Lombardia Angelus*, haud multo minus quatuor millium equitatu. Hic quo averteret ex *Forlivio* bellum, ex *Imola* ad [11] *Loncum* progreditur, idque quam maximis viribus potest oppugnat. Erat huic vicinum castellum, *Sagonoriam* vocant, ubi maxime cum præsidio locatus [12] erat *Albericus*. Itaque intra muros coactus e castris auxilium implorat, in diem certum deditionem pactus. *Carolus* spondet prope diem affuturum. Quo illucescente, quod non ante fieri potuerat, sublatis signis ad obsidionem contendit, magno per totum pene diem imbre fœdatus. Jam itaque in vesperam dies ibat, quum hostes fluctibus atque armis graves propinquant. ergo hoc conspicatus *Angelus* ut propinquos hostes vidit, jamque super munimenta (his enim se sepserat) adesse, ipse acie instructa intra vallum residet, paucis emissis, qui si [13] possent levi certamine *Carolum* ab tramite, quo ad arcem tendebat, averterent; inde enim Castello sine labore succurrebatur. Nec secus factum, quam providit, ut silente hoc *Perusino* diceres. Egressos inde pulsos *Carolus* intra Vallum persequitur, quo porta ad id disposita receptum *Angelus* omni suo exercitu circumsistat, coactumque omnibus locis fundit. Nam [14] propterea, quod iniquo loco res gerebatur hosti, disparibus quoque animis, ac viribus hinc fessi, hinc pene recentes pugnabant. Certatum tamen usque in extremum diem, [15] mox ipsa prælium, ac victoriam diremit. *Florentinorum* omnes fusi, maximaque pars capti; non in acie modo, verum per totam noctem confluentibus quoque agricolis, [16] ensibus, ac fossis rapiebantur. *Carolus* ipse semper aut vincere, aut capi solitus dum ceteris fugientibus in medio cœno pedibus stat, vivus in potestatem venit. *Pandulfus* per devia quæque actus equo incomitatus aufugit. *Ursini* duo clari duces, alter, dum præceps equo in fossam ruit, premente galea est demersus, alter vivus captus, mox, quia neptem *Martini* habebat uxorem, dimissus. *Nicolaus* vix consumpta per fugam nocte in *Cæsenati* agro apparuit. Ingens, atque omnino læta victoria, si modo ea Dux per fortunam uti voluisset. *Carolus Mediolanum* ducitur, tandemque ante *Philippum* stetit. nunc primum, postquam tutor parvuli discesserat, ex eo tempore, quo eundem *Philippum* pro fratre oppugnaverat, conspectus. *Philippus* vero tutorem potius, ac pene parentem habere voluit, quam aut captivum, aut hostem meminisse. Nec sane velim hoc loco existimare quemquam, [17] nunc me de *Philippo* vera per adulationem scribere. Res in aperto est, nec quemquam fallere potest factorum memoria, ut quæ intra decimum annum gesta sunt. Non contentus enim *Philippus Carolum* apud se vinculis [18] liberum servare, ultro etiam summo cum honore vidit. quæsitosque omnes vernaculos non secus ac domesticos curavit, nulla re demum prætermissa, quæ ad [19] colendum ac fovendum parentem pertineret. Ita denique, ut visum est illi locupletem, atque ornatum domum ad suos remittit, singulis [20] quoque ex famlia equis dilargiti fuere. Ipsi super omnia unum argento undequaque phaleratum, [21] alios complures magnis pretiis sericatos, tum arma, indumenta omnium, pecuniam his sumptibus parem, quibus pene haud scias *Philippum* ne suo more magnificum, an ludicro fortunæ aliud spectantem dixeris, & amicis, & hostibus rem projectam vulgo referentibus. Regresso *Ariminum* omnia mandavit restitui, quæque ante bellum illius fuissent. Quippe *Angelus* profligata acie ipso impetu circa *Ariminum* omnia ceperat, nec longe erat quin oppidum caperet. Nec vero postea cuiquam pepercit *Carolus*, quocunque audire potuit periculis cessisse, qui fuit illi ingens damnatorum quæstus. Non dubium vero [22] hujusmodi victoriam fuisse, quæ *Florentinos* e statu rerum dejicere [23] potuit, si cætera victores essent sequuti. Verum [24] ita fit. Quibus fortuna nimis indulget eos ad se sectandam negligentes facit. Rogitabant omnes exercitum *Florentiam* duci; nec secus illi trepidabant, quam si in portis hostem haberent. Undique per *Florentinorum* agros palmæ [25] tendebantur. *Aretini*, [26] *Crotonienses*, cæteri quique signa Ducis implorabant. Sed cito reperit fortuna remorandis tot fatis remedia. Primum *Antonius Faventinus* ad *Florentinos* descivit. Multi causam putant, quod non satis ægre ad animum tulisset

[1] Quibus litteris Martinus tametsi plerique ferunt, tum cœpisse Florentinorum pollicitationibus inclinare,
[2] ipse
[3] constantia
[4] favore ac metu,
[5] salvo
[6] adstrictus
[7] verum etiam collatis,
[8] mirorum
[9] vix quadringentis
[10] ægre
[11] Loucum
[12] Albericus locatus erat.
[13] possint
[14] præter quam iniquo
[15] noxque prælium
[16] & sentibus
[17] me nunc
[18] liberum ultro
[19] colendum favendum pertineret.
[20] quique ex familia fuere, equos dilargitus. Ipsi
[21] tum alios
[22] ejusmodi
[23] potuerit,
[24] (ut fit) quibus
[25] ad cœlum tendebantur.
[26] Cortonienses.

*Philippus*, a *Carolo*, qui erat *Avunculus*, *Mediolani* extremis conviciis laceſſitum; Quo tempore *Nicolaus*, cui cognomen *Parvus*, ab ruſticis captus eſt, ductusque ad *Faventinum*. Multum
1 qui ad ille hunc juvit, [1] qui ſe ad *Florentinorum* ſocietatem acceleraret. Id enim vero certum eſt, nihil potuiſſe eo tempore *Florentinis* gratius accidere. Itaque etiam publico decreto, ac monimento eſt honoratus, primusque inter *Florentinorum* ſocios nuncupatus. *Angelo* quoque non idem animus ad finiendum bellum, qui ad tuendum, & confirmandum fuit. Ante omnia reſtitutis *Carolo*, quæ
2 Gradariam *Philippus* juſſerat, [2] *Gradaram* pergit, caſtellum
3 Ponſauri *Malateſtæ*, [3] *Piſauri* ejus oræ opulentiſſimum. Ibi
4 exceptus a filio Domini comiter [4] acceptus, ut intra muros extitit, manu prehenſum captivum nuntiat *Philippi*. inde cæteri irruptione ingreſſi momento Caſtellum diripiunt. Fama exiit partim *Carolum* ita inſtituiſſe, partim culpatum, quod cum *Florentinis* fœdera ac ſocietatem tractaret. Magna ejus caſtelli, & gravis rapina, nec rebus aut corporibus abſtinuere; ubique præda, ubique vincula, ut ſtupra omniaque infanda taceam; donec paulo poſt litteræ ex *Philippo* venere, quæ juberent, reliquis *Malateſtæ* rebus parci, ut multi exiſtimaverint inſcium ejus injuriæ *Philippum*. *Ange-*
5 id inductum *lum* ſuo conſilio id feciſſe, [5] vel inductum a *Carolo*, vel quod, ut dixi, audiſſet Malateſtam *Florentinis* ſtudere. Hinc ergo in Alpes tandem effunditur, omniaque aut ſocia *Florentinorum*, aut obnoxia, vi, metu partim in deditionibus in poteſtatem deducit. Mixta tamen phana, ac prophana non religioni, non pudori, non naturæ cautum: quidquid apud inopes liberum eſſe debuerat, in ſcortum, ac impudicitiam traxere. Spectabamus *Bononiæ* raptas Virgines, quas ſinguli ex hoſtilibus agris referebant. Manavit ea
6 Penſauro peſtis ex [6] *Piſauro* in Alpibus [7] *Aretium*. uno in
7 Aretium uſque: uno loco paulisper bellum hæſit. Arcem dictam ſancti *Caſſiani* expugnabant, ibi quum multos dies fruſtra conſumpſiſſent, unus pœnas dedit ſcelerum *Zeno* rector peditum, Vir, quantum in pedeſtri bello nunc conſtat, expertiſſimus, dum ſubit incautior, baliſta ictus cecidit, quæ res omnem exercitum perturbavit. *Florentini*, ut videre bel-
8 non parvo abducto equitum lum minus hoſtiliter tractari, quippe *Angelus* [8] non educto parvo equitum numero ad *Philippum* reverterat, ad pecuniam iterum verti, non difficile aliam manum conflaverant, coactoque novo exercitu, agros jam non impares tutabantur, du-
9 Berardino ctore maxime [9] *Bernardino*, nec videbantur ultra noſtri aliud in Tuſcia facturi. Id vero perlatum *Philippo* induxit, ipſe quoque ut alium exercitum in eas oras ex *Mediolano* mitteret. Datus his *Torellus* rector, homo minime dolis, aut inſidiis captandus. Itaque ut in *Tuſciam* venit, primum labantes, ac deficientes confirmat, tum prope pergit in hoſtem. Conſedit in Burgo *Sancti Sepulchri*, cum *Florentini*, *Angluriæ* ſtarent. Utrique inſidias ſpectabant, quis alterum circumveniret. Non ita
10 egreſſi multo poſt quum aliquot dies levibus certaminibus conſumpſiſſet, in æquiores campos [10] ingreſſi manum conſeruere. Varia paululum primo certamine acies fuit. Verum ubi cœpere noſtri, quorum magna pars ex familiaribus *Philippi* lancearíis erant, velut per iram in prælium incendi, omnis ibi *Florentina* acies fuſa eſt: captaque ſuper dimidium ex omni exercitu; pauci interempti, quos ex delectu provinciæ in bellum traxerant, nec armis, nec uſu ad præſtandum in acie validos. Captus ipſe *Berardinus*, ſimul cum eo plerique ductorum. Solus tamen vinctus ad *Philippum* eſt deductus, atque in Caſtro *Papienſi* *Johanni* Cognato noſtro, qui jam ſenior caſtrum ſervabat, cuſtodiendus traditus. Acceſſit huic *Flo-*

A *rentinorum* malo non converſio tantum rerum, verum & animorum ad *Philippum*. Nempe *Nicolaus Peruſinus*, ſeu ſpectata fortuna, ſeu majores alas cupiens, *Philippi* ſtipendia accepit, quanquam *Florentinis* fidem accuſantibus. Ipſe ſemper ac publice [11] ſe retulit emeritis ſtipendiis *Floren-* 11 retulit
*tinos* reliquiſſe. Adjunctus *Johannes Camerinus*, ſequutus. *Arditio Carrarius*, nam illum *Martinus* Pontifex *Eſculo* ejecerat, Eſculanis uno pene tempore ſimul ac *Firmanis* ad rem Eccleſiaſticam converſis. [12] Utroque ipſe alios inter hoc conſue- 12 Ultroque
B tis poſſeſſionibus pepulit, potentiorem quemque ſuo loco ejiciens. Caſtellani præterea *Philippo* favebant, alii quoque paulum eminentiores quondam [13] a *Florentinis* humiliores habiti, fortunam 13 Florentinis
aut ſequebantur, aut præſtolabantur. Sic undequaque lucebant pro *Philippo* fata, ac liberum pene erat, modo intendiſſet, ad *Florentina* mænia proficiſci. Unus *Nicolaus Tolentinus* paulum ab ſuperiore bello erectus nonnunquam fines ab eruptionibus tutabatur. Cæterum quod ſæpe fit in Caſtris *Philippi* luxuria ſimul, ac avaritia regnabant, nec præter aurum, ac libidinem quicquam ſpectabatur, & quod omnium caput erat, nihil referebatur ad Ducem. Interea & [14] *Franci-* 14 Franciſcus dimiſſus
C *ſcus Sfortia* dimiſſus ab ſummo Pontifice novo ſtipendii fœdere cum *Philippo* eſt junctus. Erant illi omnes paterni ſtipendiarii, ſi quidem *Sfortius* in *Nigra* vocato flumine quum adverſus *Braccium* tenderet, ſuos ad tranandum timidiores conſpicatus, ipſe armatus ſocios convocans non ſemel ultro citroque enavit. Quod dum ſæpius faceret, explorato amnis vado, tandem ſonipes inter natandum uno pede per habenas correptus, dato in præceps ſub gurgite ductore, vix ipſe longo excurſu evaſit. Stetere filio remiſſo quidquid ſocii debebant patri, cum quibus mox apud
D *Aquilam* in acie conflixit ubi ipſe *Braccius* poſtquam diu humana, ac divina terruerat, a Papali exercitu eſt interremptus. Res utrique & *Philippo*, & *Martino* lætiſſima. Occiſus vir omnium fere hac ætate armorum incomparabilis, nec minus aſtu quam viribus potens, animus illi multo ſuper genus fortunamque immenſus, omnium fere inter *Peruſiam*, ac *Romam* Dominus & ipſi *Romæ* imminebat. Creditus de omni *Italia* concepiſſe, ſi ultimum illi ſucceſſiſſet. [15] Atque ex 15 Corpus delatum Romam, quum is Pontifex interfectum crederet. Atque
illo res Eccleſiaſtica & aucta latiſſime, & vehementiſſime confirmata. Tum itaque, ut qui [16] minus *Martino* opus eſſet, *Franciſcus* *Imolam*
E venit juſſus a *Philippo* *Faventinum* concutere. Quæ quidem ſic pro Duce verum per ignaviam, 16 Martino
& ſocordiam [17] gerebantur. *Florentini* haud du- 17 regebantur.
bium ſe his calamitatibus deprehenſum iri exiſtimabant. [18] Nondum vero ſupernus ille regnator 18 Nundum
conſtituerat, cui ferme neceſſe eſt omnia tandem obſequi, nec unquam non eo Judice temeritas humana comprehenditur. Univerſi *Philippi* exercitus relictis per vicos, & Caſtella turmis, ut jam cum amicis bellum gererent, ſalutatum Ducem *Mediolanum* contenderant. *Franciſcus*, huic erant quingenti, ac mille equites, juventus habita totius *Italiæ* robuſtiſſima. Pariter *Nicolaus*,
I *Johannes* [19] *Ardicio*, hi ſuper duo Equitum mil- 19 Ardiae
lia ducebant. Quos cupiens *Philippus* in vultum pernoſcere, per hyemem ad ſe viſendum acceſſivit. Nec multo ante [20] *Chriſtoforus Lavellanus* re- 20 itidem Chriſtoforus
lictis [21] item *Florentinis* advenerat. Pariter *Antonius* quoque *Piſanus* eosdem fugiens diſceſſerat. 21 Florentinis advenerat pariter. Antonius
Prius vero quam cæteram rerum molem attingo, id referendum eſt, quod tantis rebus certum nomen dedit. Quippe inter hæc, quæ ſunt ad hunc locum relata, nullum *Carmagnolæ* nomen poſitum eſt. Ille vero unus [22] auferet omnem hujus, quod 22 aufer.
modo dicturi ſumus, belli gloriam. Poſt enim eam

eam paratam classem, quæ, ut ante [1] diximus, in *Neapolitano* Regno res ita gessit, ut ex eo maxime ecclesia firmaretur, nunquam non *Carmagnola* ægro animo fuit, quod alteri ejus belli potentia data esset. Idque in Curiam delatum Causam præstitit solicitandæ inimicorum factioni. Itaque insusurrant Duci, videat, quantum *Carmagnolæ* credendum sit, quem tam sæpe audiat impacatis verbis uti, nec minus litteris aliena queri. Hi præcipue erant *Zaninus Hericius*, *Oldratus Lampugnanus*, ac plerique alii, quorum tunc æmulationibus Curia æstuabat. Multo vero Civitati nostræ id salubrius, ejusmodi homines nunquam natos esse, quippe qui fuerint, quantum illorum studiis stetit, omnia in ruinam daturi, per quos nihil ad Ducem referri posset, quam quod placere arbitrarentur. Sic agebantur omnia malis consiliis, quæ ferme una regeret, & gubernaret ambitio. Non difficile igitur *Philippum* suspicionibus impleverunt, qui cuperet *Franciscum Carmagnolam* paulo inferiorem videri. Is adhuc *Genuæ* præsidebat, nec minus tamen pro trecentis equitibus stipendium sumebat. Huic primum *Philippus* litteras scribit velle se ex turma equitum alia agere; itaque libitum [2] sit ei stipendia ponere, quem novit hoc tempore castra haud sequi. Ille autem orat, ne se inter arma nutritum armis nudet. non enim fallebat, inimicorum hoc decretum esse, qui, si privatum facerent, omnia viderentur auferri. Quibus nec quicquam rescriptis, ut sensit non moveri *Philippum*, ac plus propinquis credere, ne quidem suas litteras aperiri, tum postremo dimissionem petit: malle se apud alios fortunam requirere, quam dudum possessa apud *Philippum* privari. Nihil vero [3] obsessis auribus accipiebat, id solum jubens, *Franciscum* sibi credere, nec quærere aliud, [4] nisi quod præsenti voluntate statueret. Quod ubi *Carmagnola* intellexit omni cura definitum, seque conflatis inimicitiis premi, agitatis in omnem partem curis, statuit præsens apud *Philippum* Causam suam loqui; sat fidens posse æmulis [5] satisfacere, quos nihil præter æmulationem offenderet. Dux eo tempore *Abbiati* in secessu erat. Eo *Carmagnola* aliquot vernaculis comitatus venit. Mox itaque ad pontem ire in castrum pergit. Custodes ita jussi paululum aditu interdicunt. Ille primum miratus mandatum pro omine accepit. Tum jubet nuntiari in Castrum *Carmagnolam* adesse, qui [6] ad *Philippum* velit, aliis rebus impeditum teneri, si quid velit *Heritio* aperiat, [7] non esse tunc adeundi Ducis copiam. Ægre ille passus ad alium mitti, cui nunquam limen negatum fuisset, refert pauca se habere, quæ sint ad *Philippum* necessaria nihil ad id responsum, quam cum [8] *Zenino* loqueretur. Ille identidem majoribus vocibus repetit, si forte [9] illum possit *Philippus* audire. Quid hoc [10] miraculum sit, unam quærere causam, cur non sit ex more intromissus; præverti non posse quin [11] *Philippum* præsens alloqueretur: Saltem Dominum, ac Ducem suum videre liceat. tum omnia quæque de se ille statuerit. hoc maxime orare fas sit, unum loqui, quamobrem ex *Genua* venerit, protinus abiturum. Verum ad hæc nihil redditur; mirum silentium omnes obstupefecerat [12] qui ad Pontem astabant. Itaque agnovit prorsus negari aditum, jamque æmulos Ducem imbibisse. Postremo igitur elatus in iram, cujus est per superbiam quoque impotentissimus, [13] ad *Philippum*, quem ut ajunt e balistitiis conspicabatur, exclamat. *Quando apud Dominum & Ducem suum nihil detur eloqui, Deum se innocentiæ & fidei suæ testem facere, qui ne male cogitati quidem sibi sit conscius, cum tanta pro Philippi nomine, ac dominatu gesserit, nec aut sanguini, aut* *vitæ unquam pepercerit, non posse ultra æmulorum machinamenta pati, quibus intelligat Ducem omnia credidisse.* Tum insolentia verborum actus perfidos proditoresque incusat, Deum in caput obtestatus, ni se brevi faciat desiderari, quæ nunc vera, & utilia ferentem noluerit audire. Atque hæc dicens simul conversis æquis limine se castri [14] eripit, properatque ad *Ticinum* Flumen. Sequutus aliquot cum armatis *Oldratus*, qui transitu prohiberet, aut in itinere turbam, ac periculum faceret. Ut sensit furentem per agros vadere, nec impedire ausus est, nec manu congredi. Ille vero cæptum iter non pene ante destitit, quam pervenit *Ipporediam* antiquum Ducis *Sabojorum* Castellum. Inde se *Carmagnolam* transfert. Unde item facto cum plerisque potentum colloquio ad ipsum Ducem pergit. *Amadeus*, hoc enim nomen Duci, illum haud ingratus accepit. Quippe clarum viri nomen audierat, lætus fortasse & hominem raræ, ac celebratæ virtutis præcipue suum vectigalem apud se videri. Atque hic nihil prius aut potius, quam querelis agere, referre [15] tanta quæ pro *Philippo* summis vitæ incommodis, periculisque egisset; frustra tot annos totque labores in illius salutem, ac potentiam consumptos; dehinc omnes, qui circum ducem assisterent, criminari, quos præcipue nunc videat quæsitorum ab se præmia possidere. Nec *Philippo* videri ea, sed [16] cantatoribus, histrionibus flagitiorumque omnium opificibus comparasse, qui per otium, atque ignaviam alienis sudoribus fruantur. Quæ ut vidit *Sabojum* non omnino aspernari, nec difficile a *Philippo* alienum fieri posse, tum secretioribus consiliis hominem pertentat jamdudum & a *Florentinis* concussum, & a *Venetis* non multo ante tactum, vellet ne in societatem belli transire, si quid forsitan communiter [17] statueretur. Eadem quoque *Carmagnola* commemorat, suadetque consilium capere [18] prius quam in eo loco *Philippum* videat, ut ei salus, aut quies supplicanda sit. Nimium vicinas superbasque esse tyranni vires, qui in animum induxerit, nulli vel amico, aut socio parcere. Scire præterea quid ille sæpius quasi per jocum retulerit. *Sabojum* jam timore vectigalem esse. itaque non dubium accipiat, oportere aliquando ab eo injuriam pati, abs quo jam per contumeliam spernatur. nihilominus paratum esse quid speret, cui sint in conspectu *Vercellæ*, *Asti*, atque *Alexandria*, multaque alia, quorum, si cupiat, sit facile potiturus. Non ita parum jam labantem impulit, paravitque [19] semper, ut ex eo quippiam adversus *Philippum* cogitaret, jam quidem animo infensus, ut nihil in mora aliud videretur, quam si quid fortuna ostenderet. Sic deinde gnarus, quid nam erga Dominos opus sit, cæteros, qui sub Duce eminebant, iisdem rebus, consiliisque implet, nec quemquam intactum relinquit, cui possit aut rationibus, aut promissis spem facere, cupiens, si possit, aut in *Philippum* ulcisci, aut deleri pariter omnia, quo pacto se ipse desertum cerneret. His conspersis seminibus ad *Venetos* proficiscitur, missis jam antea sæpe, & receptis litteris vocatus, ad illos se conferret. Itaque ingressus Alpes, quæ olim *Perimæ* dicebantur, per Montium dorsa fertur, incognitus quidem, atque obscurus *Suetiorum* metu, quod sciebat sumpturos [20] pænas dudum acceptæ cladis, etiam si *Philippi* hostem cepissent. Eo itinere paucos dies continuatos *Tridentum* pervenit. Unde mox [21] *Tervisium* perlatus, *Venetos* de adventu suo certiores facit. *Philippus* interim neque itineris, neque ullius consilii, quod ille egisset, nescius (nam ego ex [22] *Lemino* Cognato audivi datam sibi operam, qui singula ejus vestigia pernosset) omnia *Carmagnolæ* bona ad se trahit,

Marginal notes: [1] retulimus. [2] sit ei stipendium. [3] Philippus obsessis. [4] Præter quod. [5] satisfacere, quos. [6] ad Philippum velit: Philippum teneri. [7] nunc non esse adeundi. [8] Zenino. [9] possit. [10] miraculi. [11] præsens Philippum alloqueretur. [12] Itaque ad pontem astabant. [13] quem, ut ajunt, e balistitiis conspicabatur, exclamat ad Philippum. [14] abripit. [15] quæ pro. [16] cantoribus. [17] statuerent. [18] potius quam. [19] ut semper ex eo. [20] pœnas. [21] Trivisium. [22] Leonino.

hit, non quæ modo fuerat largitus, verum & quæ ille vel stipendiis, vel patrociniis, vel amicorum muneribus cumulasset. Id enim certum est *Carmagnolæ*, quo extremo tempore apud *Philippum* erat, super quadraginta auri millia annuos reditus constitisse; quippe jam annumeratus Comes inter dominos visebatur. Eodem quoque tempore, quo hæc facta descripsimus, fortuna aliud signum dedit. *Cabrinus Fondulus Castelioni* quietem agebat paucis passibus ab *Cremona* distans. Is redditus erat *Philippo* suspectus, quasi habitis cum internuntiis *Venetorum* Colloquiis res novare cuperet. Ac fuit ea cura [1] regularis *Philippo*, ne quid seditionis homo turbulentissimus intra *Cremonam* excitaret, nec tamen facile erat consilium adversum eum, qui neque hoc tempore per vim, nec per fraudem [2] unquam capiendus videretur. Postremo hoc fuit, *Oldratus* negotium susciperet. *Cabrini* hic erat compater, itaque solus, qui insidiis locum habere posset. Tum forte aliud intervenerat, ut necesse foret in Castellis *Cremonensibus* quippiam provideri. Ad quam rem missus *Oldratus*, qui in specie id curaret, re ve-

1 singularis

2 capiendus


A ro, si posset, *Cabrinum* in laqueos traheret. Ille aliquot armatos secum ducens proficiscitur, consultoque juxta *Castilionum*, tanquam eo loco sonipes ferrum e pedibus [3] posuisset, moratur. ita in Castellum pro accersendo fabro mittit. Quamobrem excitus *Cabrinus* compatrem vocari jubet, ac respondetur, muros non posse ingredi, qui iter nimia celeritate destinatum habeat. Tum *Cabrinus* nihil suspicans ad amicum ire pergit, paucis e domo inermibus raptis. Hunc ut *Oldratus* vidit, mox cum suis obviam progreditur. Omnes vero cupiditate audiendi, [4] quid inter se compatres referrent, utrumque circumsteterant. Nec B moratus compater prehensum manu *Cabrinum* stringendum suis assignat, hinc nihilo remissius intra Castellum nondum tumultu facto contendit, momentoque omnes, qui e familia fuerant, vincti. Tum gaza omnis correpta, ubi præter cæteras res incredibile margaritarum pondus fuisse ferunt. Omnia *Papiam* in Castrum devecta: eodemque ipse cum duobus filiis perductus. De eo paulo post *Mediolani* sumptum publice capitis supplicium.

3 posuisset ita

4 quidnam

F. B. Andreæ patriæ historiæ liber IV. explicit. incipit quintus feliciter.

# LIBER QUINTUS.



Qui mos est bellorum semper ut majora implicent, aliumque rebus finem parent, quam vulgo est creditum, idem nostris quoque rebus incessit. Est enim hæc [1] supremi conditoris ars, se solum velle prudentem videri, tanquam ferme divinum proprie esse conveniat de futuris judicium facere. Tum, quo nihil est nobis salubrius, omnes mortales docere, qui se audacia, atque iniquo abstineant, quandoquidem unus præsidet rerum omnium Gubernator, cui nisi recta placere nequeant. Sed nihil est, quo non adversum tendat humana temeritas, quasi [2] ob id Deus quosque homines concedat in Mundo regnare. Sed nos alia relinquimus. Unum id inter hujus belli causas conferendum est, quod mihi semper est visum, Deum interim *Philippum* [3] extitisse, qui *Florentinos* corriperet. Dehinc ita *Venetorum* quale fuerit judicium, res gestæ docuerint, quam nunc seriem digerimus, ab societate *Venetorum Florentinorum*que novum initium sumentes. Quippe, ut ante diximus, cum nihil esset *Florentinis* non ad dignitatem modo, verum nec ad salutem tutandam reliquam spei, si se solos cæteris rebus opponerent, legatos iterum, atque iterum *Venetias* mittunt, atque eo pacto, ne ex *Venetis*, nisi composita societate revertantur. Atque etiam suos *Philippus* eo miserat, qui *Venetis* & diuturnam amicitiam, & præsentem adhuc induciarum fidem commemorarent. Hi erant *Oldratus* ipse cum *Johanne Aretino*: grandis ferme & apparata equis, & Comitibus legatio. Verum non iisdem animis, nec simili cura res agebantur, præcipue *Oldratus*, tanquam ad rem superfluam, nec ad negotia, sed ad spectacula venisset, Urbem in dies lustrabat. rem sane *Venetis* ridiculam, ut pene se ab Duce ex ea legatione ludi arbitrarentur. Contra vero *Florentini*, ubi Princeps *Laurentius Rodulfus*, nec dies, nec noctes obeundis civibus intermittere, nec quemquam quietum sinere, primores ubique manu prehensare, quocunque loco occurrissent, omnibus sese in faciem, atque humanitatem ostentare, denique ut sordi-

1 superni

2 non ob

3 extulisse

C datos diceres, ex singulis, atque universis opem saluti implorare, præcipue vero ipsum Ducem adibant, nacti hominem factis suis non incommodum. *Franciscus* erat Cognomine *Fuscanus*, *Venetorum* Dux, qui est apud illos non rerum Princeps, sed ordinum caput. Multa vero ille per facundiam simul, ac prudentiam in Civitate poterat ea virtute, quæ nihil tam appeteret, quam suo tempore patriam illustrari. Is plane se *Florentinis* dabat, sive ita existimans fore *Venetis* necessarium, ne supra Ducem viderent, sive hanc ratus studiis suis materiam. Nec aberat consiliis D *Franciscus Carmagnola*, tametsi [4] nondum omni reconciliationis spe destitutus, minus negotio incalescebat. Ita demum exploratis omnibus petit ab senatu Dux, placeatne in consessum deduci *Florentinorum* legatos, qui publice exponant quidquid habeant pro suis referre; quandoquidem nec *Philippi* legatos ultra detineri conveniat, quo minus sciant omnes, quid domum referant. Idque jussum, ac decretum. Introductus *Florentinus* hæc pæne, ut ferunt, loquutus est. *Non negaverim* [5] *enim, Principes Veneti, me propterea ad vos venisse, qui Florentinorum quod maxime intersit, postulem. Neque id puto quemquam succensurum* E *nobis, quod* [6] *vestram utilitatem in tempore requiramus: si quidem hoc ita honestum ferunt, dum publice expetitur. Verum ego item sic arbitror, hoc quod modo Florentinis proprium videtur, re ac tempore omnibus* [7] *esse commune, quicunque libertati studeant. Semper hæc fuit Regibus, atque Principibus, ne dicam tyrannis, libertatis invidia, ut quantum vi, aut ratione possent, nemo se liberum profiteretur: nec terrarum usquam, aut libertatis, aut Reipublicæ, aut denique populi, ac senatus nomen haberetur. Ac ne vetera commemorem, quoniam plane licet, si historias referimus, vel Philippum Macedonem, vel Mithridatem vel* [8] *Antiocum an-* F *tiquos Reges referre. Nos sane cum universa hac Vicecomitum familia decora exempla sumus, quorum regnavit nemo ad hunc diem, qui non Florentinam libertatem appetiverit. Cum omnibus bella gessimus, omnium soli Florentini* [9] *odium tulimus, si a primo* [10] *hujus familiæ regnatore Luchimo petantur initia. Sic Archiepiscopum Johannem, quoniam & sacerdotes invident, sic Bernabovem, sic hujus Pa-*

4 nondum

5 inquit principes

6 nostram

7 commune esse

8 Antiochum cum

9 odii

10 ejus

*Patrem Galeaz triplici bello pæne* [1] *inter portas acceperimus. Hic postremo, ne a majoribus degeneret, eadem sequitur vestigia.* [2] *Id idem vos Carrariensium insidias pertulistis; totiens illi vestram clementiam irritavere, donec intolerandos justa ultione confecistis.* [3] *Itaque semper utrisque erant patiendæ tyrannides, ni semel æquam libertatem ab illis communi potestate vindicemus. Conspiravere illi adversus omnem Italiam, tanquam debita sit volentibus imperare omnium libertas. Verum ego vobis forsan videor, Veneti cives, frustra hæc referre. Nec vos periculum formidatis, vel magnitudine potentiæ, vel fiducia induciarum securi. Nec ipse vero Florentinam potentiam Venetianæ æquaverim. quantum initio possemus, successus belli docuit, qui in hunc diem plus consumpsimus auri, quam creditum cuiquam esset, Florentinos posse* [4] *aggerere. Ultro ipsi nos dispoliavimus, ipsi nostras domos diripimus denique Italiam Uxorum ac Virginum nostrarum ornamentis implevimus. Aut nullo sumptu Philippus armatos continet, quos jam dudum crebris facinoribus sibi obnoxios fecit, aut mirum, si cuiquam suorum vita superest. Nos* [5] *vero hactenus super geminos auri* [6] *milliones per bellum effudimus, qui minus quarta parte putassemus confectum in bellum. An vero quieti inducias feretis, quarum ille interea solum exitum spectet, dum nos obtriverit? Nempe cui firmiora esse debuerint, quam Florentinis fœdera,* [7] *ille eodem, quo bellum cæpit, anno pacem composuerat, atque hoc inter conditiones summum erat, ne vel* [8] *intra Macram ex Ligusia, vel ultra Taruntiam Regium versus pedem efferret. Nunc Forlivii memineritis, ubi terrarum jaceat, tum inde in fines nostros quantus exierit. Nunquam mihi credite, ille quiescet, dum inveniat, ubi ponat arma, nec pacem unquam vobis servabit, præterquam alio bello occupatus. Nunc, si ita libitum est, fortunam nostram spectate. Verum si vestra venia dicendum est, soli post nos eadem arma excepturi, quibus modo nos quatimur. Quod si vos potius Florentina societas juvat, si totiens professum libertatis* [9] *nomen placet, jungite cum liberis arma, eandem sumite nobiscum publicæ salutis curam, neque ita existimate confectos, ut nihil ad tuendam dignitatem supersit animi adhuc quidem opulenti, & locupletes societatem petimus, adhuc potentes, fidentesque reliquum bellum subimus, quid vis oneris imponite, quamlibet sociis rerum difficultatem adhibete, tum quidem, si non integram, certe haud levem toleraturis. Hoc denique si placitum fuerit, cætera æternis amicis Florentinis curanda, atque observanda credite, quibus ferme semper futurum præsens hoc beneficium Deus fœderum testis addixerit, idem ut semper arbitrentur Florentinis commodum, quod vobis, Veneti Patres, saluti, ac dignitati fuerit.* Sat præsens visum est ex ea oratione periculum *Venetis*, [10] cum ut naturalis est ambitio, quæ nunquam ab invidia secernitur, tum quod fere in aperto erat *Philippum* nimis alas extendere, nec quieturam, si *Florentinos* oppressisset. Non tamen præterpaucos, quibus [11] ut acrior *Mediolanensis* potentiæ metus, aut futura quæstui, & gloriæ ejus belli administratio, *Florentina* oratio movit, præsertim quod suspectum ac pene invisum habebant *Florentinum*, qui nunquam fere socios quærat, nisi ut incommodis implicet. Visum deinde [12] *Philippi* legatos quoque audiri. Itaque [13] postea & illi, ut verba facerent, introducti. Nec latuit quid antea *Florentini* exposuissent, multis referentibus, quos & longa *Mediolanensium* consuetudo, & præsens legatorum amicitia delectabat. Suscepit ejus orationis laborem concedente *Oldrato Johannes*, nec pro *Tusca* dicendi consuetudine infacundus, & qui diu curialium littterarum scriba fuerat, mediocriter eruditus. Ut igitur est jussus loco præcipuo coram

1 intra
2 Itidem vos
3 Ita
4 egerere.
5 certe hactenus
6 millionas
7 quiscum
8 ultra
9 placet, ?
10 cum ut est naturalis ambitio
11 aut acrior
12 Philippi quoque legatos
13 Postera

assidere, facto silentio, ita loquutus fertur. *Non ad vos, nobilissimi viri, venimus, qui novam requiramus pacem, aut fœdera iterum petamus inter vos, & Philippum componi,* [14] *quippe qui nihil aut permanentibus induciis, aut veteri amicitia diffidimus: Verum ita jussit Philippus ad confirmatos animos, sociosque venire. Primum ex eo ut de rebus gestis bene nuntiata acciperetis, simulque pro vestra religione apud tantarum rerum largitorem Deum gratias ageretis, quibus ille satis demonstratum putat, quam iniquo velut per contumeliam Florentini quiescentem ad bellum traxerunt. Hanc sane cogitationem veteri, ac diuturna vestra erga se benivolentia dignam putat. Neque ipse hanc existimationem de vobis unquam mutaverit, quin ex omnibus majoribus prolatam, ac acceptam tuendam arbitratur. Neque id Florentini figmentis, & consuetis fraudibus potuerint, qui mutuam hanc vestræ consuetudinis liberalitatem pervertant: nisi putamus uno die nullis interpositis beneficiis plus facturos, quam inter nos tot probatissimarum rerum tempora ac merita valuerint. Nempe si ab initio hujus familiæ Vicecomitum primordia repetantur, nulla sane* [15] *unquam injuria, verum nec ulla suspicio simultatis audiri, tantum effecit vel caritas illorum, vel vestra benignitas, ne quare potuerit concordia labefactari, quæ jam per gradus deducta, patientibus Florentinis dicam, ad immobilem, ac securam pacem pervenit. Quod nam enim dici, aut cogitari potest experimentum firmius, quam quod rebus ipsis probatur? Non passi modo estis, verum etiam* [16] *læti vidistis, & vestris opibus juvistis Vicecomites, qui fierent Veronensium, Vicentinorum, ac Patavinorum Domini. Denique ut usque quaque per hoc vestrum littus ad Dalmatas usque regnarent. post, quemadmodum tempora circumferunt, cum provincia intestinis bellis grassaretur, semper apud* [17] *nos tutissimum fuit* [18] *Mediolanensium refugium. Est hæc nobilitatis lex scire alternam gloriam pati, nec levi suspicione diu beneque cæptam, & servatam amicitiam temerare. Jam igitur videant Florentini, quæ Causa tam justis, & erga vos benemeritis Principibus continuos hostes effecerit, ipsine, an Vicecomites pacem turbaverint, quando præsertim apud nobiles nec odium, nec invidia extare potest, ut inter vos, & illam familiam nihil interesse potuit.* [19] *An non cum illis Principes amicitiam tenuerunt, quam inviolatam vobiscum servaverunt? Quid enim ad Vicecomites Florentini habere poterant ultra Alpes remoti, cum vos nullis faucibus mediis tot annos continuam benevolentiam servaveritis. illi a finibus quoque tot millibus passuum disjuncti in pace durare nequiverunt, denique hujusmodi hos Principes habuere, quales fecere ipsi; nempe quoniam se omnibus hostes fuisse gloriantur, referant, quis, cum ab Ecclesia dissiderent, ex summis periculis præter unum Barnabovem eripuit, e quo intelligere* [20] *possint, sese causam præstitisse, quominus cæteros amicos invenirent. Nec jam scientibus Philippum fabulas commemorent Mithridatem, Anthiocum perpetuos populi Romani hostes. Miror non commemorasse Porsennam Etruscorum Regem, quem contendisse ferunt, ut Reges* [21] *Ro. in Imperium restitueret. At ego quoque, si historias refecimus, nonnunquam audivi Reges populi Ro. amicissimos fuisse, ne dicam quod primi Romæ regnaverint. Referunt sane Massinissam, quamvis barbarum Regem, Romanam amicitiam super pene centum annos tenuisse. Nec commemorem Hierones ex Sicilia, non ex Libia Jubas, non* [22] *Egypto Ptolomeos, aut alios aliis ex gentibus, qui Romanam libertatem non modo dilexerunt, verum etiam summis opibus juverunt, nec Romanos, nisi regum auxiliis fretos, in Asiam, aut Orientem arma transtulisse; denique, ut cernere ea tempestate erat, multo frequentiora in Romanis Templis Regum,*

14 qui nihil
15 usquam
16 & læti
17 vos
18 Mediolanensibus
19 Ac non
20 possunt
21 fabulas Philippum
22 Romanos
23 ex Ægypto

*quam populorum dona. Verum nescio quæ vis me in hunc sermonem impulerit, præter quod illi tanquam ex superfluo fabulas retulerunt. Id certe fidens, certusque tum nunquam illis Vicecomites nisi lacessitos hostes fuisse. Enimvero Forlivium accusant contra fœdera acceptum, cum non liceret duci pedem e domo efferre, tanquam ipsi ignoretis, quemadmodum Forlivii se res habuerint, quos totiens in eo facto Judices* [1] *Philippus tum poposcit. Non illi Venetos, non Martinum Pontificem, non Carolum Arimini, non Nicolaum Ferrariæ Dominum, sed arma pro judicibus habere voluerunt. Tantum fiduciæ aurum dabat, quo nunc se exhaustos deflent, sed pax inter utrosque erat, & quidem si non ipsi pecunia ac stipendiis Fulgosios, certe etiam ipsis testibus, Genuensium Tyrannos adversum Ducem juverunt, si non Liburnas male ipsis debitum coemerunt. Quid postremo in Philippum referre possunt, quam quod ille pro fruenda, liberandaque Ecclesia egerit, quasi dolendum sit non omne Ecclesiasticum nomen Braccii persecutione interiisse. Credo equidem, mærent, non sibi Forlivium venisse, quo Pisanum, Volateranum, Aretinumque excidium ultra Alpes quoque intenderent. At nobis nihil gratius, quam quod* [2] *justis Judicibus ista loquimur. tum sat fuerit Philippo ipsi, causam intelligatis, quamobrem* [3] *Florentini vos adversus veterem, confirmatamque a Patribus vestris amicitiam, adversum constantes inducias, adversum (vestra venia dixerim) jus gentium, nulla Causa, nulla forsan spe in hoc bello adjutores quærant.* Vehemens, magnaque ex parte utilis hæc oratio multis in Venetiano Senatu est visa, simulque & ad *Philippi* dignitatem, & ad *Venetorum* causam, & ad communem æquitatem pertinere, multis præterea occurrebat humana, ac fructuosa *Mediolanensium* hominum consuetudo, ex quibus tot negotiatores *Venetianum* Forum, Urbana diversoria frequentabant. nec parva ea jactura videbatur tanto [4] quæstu amisso, quem velut ex vectigalibus annuum expectabant. Nec minus privatæ amicitiæ intercedebant, quæ per familias jam dudum *Venetiis* morabantur. Erat omnino difficile, ac periculosum cum tanto hoste nulla [5] certa causa bellum subire, præsertim quieti assuetis, nec [6] sic naturæ belli exitum spectantibus. Verum omnia abrupit unius *Carmagnolæ* (sive ille inopinatus fuit, sive consulto paratus) casus. Nempe *Tarvisii* habitabat *Carmagnola*, nondum quidem pro ductore acceptus, verum ad id servatus, quemcunque casum fortuna obtulisset. nec diu laboravit [7] illo, quo minus aliquid inveniret, quo vel summa turbaretur. Itidem erat *Tarvisii Johannes Luprandus* parum securus *Mediolani*, itaque discesserat; ibi tum vulgatum est, hunc una cum filia *Bernabovis* (nomen Feminæ *Varenzina*) venenum *Carmagnolæ* paravisse, quo sibi reditum in patriam apud *Philippum* mercaretur. Quamobrem deprehensus capite mulctatur. Objectum quoque illi, quod vetitas litteras accepisset, non quæ de rebus publicis quicquam afferrent, verum jussus nullas aperire prius, quam ad Magistratus detulisset. Id [8] certum, non continuisse ex eo die *Carmagnolam*, quin statim *Venetias* citus advolaret, seque totum *Venetis* civibus afferret, omnia suscepturum, quæ vel adversus *Philippum* statuissent. Erant [9] illi cum Duce maxime consilia, atque hi simul totis pectoribus bellum anhelabant. *Florentinorum* legati itidem in [10] Civibus iras serebant, nonnunquam quoque auditi abs *Philippo* fœdera petituros, si *Venetiis* negarentur, nec sibi multo minus gratiorem *Philippi* societatem, quam *Venetorum* fore. Tum si pergerent *Philippum* Regem facere, consensuros *Florentinos*, qui Imperatorem statuerent. Hæc, seu vera, seu vana jactabantur, causam præbuere

2 æquis
3 vos adversus
4 quæstu amisso
5 satis certa
6 sat naturæ.
7 illa
8 certum est,
9 vero illi
10 ferebant

A Duci, qui in senatu præferret; placeret ne *Franciscum* introduci, qui (coram quæ de rebus præsentibus forsan opportuna consilia haberet loqueretur. ac vocatus venit, orationemque habuit non plane militarem, ut qui etiam apud *Philippum* consuesset æqua mediocritate fari. Ea quoque hujusmodi fertur. *Non existimo*, inquit, *potentissimi Veneti, huc me propterea accersitum, uti de his potissimum referam, quæ ante paucos dies inter Philippi, ac Florentinorum legatos hoc loco tractata sunt,* [11] *sane neque ego aliud tam nosse profiteor, quam de rebus, & consiliis Philippi, quippe* [12] *ad omnia, quæ ille gessit,* [13] *unus interfui, maxima-* B *que pars eorum extiti, quibus ille* [14] *Florentinos nunc coegit victos vestram societatem requirere, quanquam & id fateor non tam linguæ me esse compotem, ut plane disseram, quemadmodum oporteat consilia illius excipi, quam fidei, & factorum, quibus ille, me excepto, neminem auctorem referre potest. Si quidem is sum Franciscus, quo Ductore, atque auspice Philippus tanta paravit, tantoque nomine hodie triumphat. Primus ego illum perempto fratre in Mediolano firmavi, cum nec ad decimum lapidem aliud quicquam possideret; æmulum, & quasi competitorem rerum Bernabovis Hestorem Modoe-* C *tiæ in Castrum, atque in arcem, denique ad mortem coegi. Illum ego hinc Bergomi, Laudi, Placentiæ, Cremonæ, Brixiæ, Parmæ dominum constitui. Quid deinde Novariam, Vercellas, Alexandriam commemorem? Sed horum nihil a me factum sit, quandoquidem illud satis est quod mihi digne videor vel cum superbo posse referre, qui Genuæ, ac pæne ita dicam totius* [15] *Thyrreni Maris Principem feci, uti quod post Archiepiscopum non contigerat, jam in Thracia, ac Phrygia,* [16] *atque omnem illum maris tractum lucentia anguis* [17] *insignia videantur,* [18] *propterque hæc jam omnibus terris* [18] *tremendum feci. Neque negaverim mihi apud Philippum, uno ut* D *verbo dicam, etiam summa licuisse, quem ille summis honoribus semper voluit esse illustrem, quem & in familiam nomenque Vicecomitum adoptatum, domestica, ac propinqua uxore dotatum dedit. Verum abeant beneficia, quæ non tam ut haberem, quam his ut interim compeditus essem, tum denique infestus privaret, adjecerat. Nempe id mihi retulisse videor, quod modo habeo illius inimicitiam, qua est, velut ante paucos dies perspexistis, ad infandam quoque necem persequutus. At, ni fallor, neque vos consilium meum negligitis. magno illius malo, vestræque felicitati servatus sum. Neque me delectat Mediolanensi Civitate aut tantæ domus cognomine* E *donatum. Hinc mihi potius Deo referendæ sunt gratiæ, qui me ab ingratis liberum fecit. Reliqua nunc vita apud vos, si conceditis, Veneti cives, agenda est, nec ultra aliam Patriam, aut sedem petiverim, qui mihi penes vos reliquam omnem spem locavi. Habeat ille uxorem, ac filias, quoniam* [19] *hisce putat Carmagnolam in vinculis tenere. Ipse, ubicumque liber sum, ibi me familiam invenisse arbitrabor; aut quæ negotiatoribus civitas tuta est, non eadem Carmagnolæ libera dabitur? Una est ars, quam præstare possum, si mihi arma tradideritis, neque adversus alium, quam qui me ad hanc neces-* F *sitatem perduxit; neque existimate futurum unquam tempus vestris rebus opportunius. Novi ipse quid referam, qui & vires illius, & consilia teneo, ni vos* [20] *fortasse illum eundem existimatis, qui integer ad inferendum Florentinis bellum successit. Mihi Veneti credite, in speciem Florentinos vicit, re vera una, cum bello est consumptus. Quotidiana quidem, verum exigua Mediolanensium* [21] *pecunia, ac totius provinciæ, eam ille diuturnitate tributorum exhausit.* [22] *Verum & qui viderunt retulere, illud omne aurum, quod in Papiensi arce servabatur, in castra magnaque ex parte Genuam deportatum est, ut vix ad*

11 neque sane ego
12 [illegible]
13 inter[illegible]
14 nunc Florentinos cogit
15 Tirreni
16 per[illegible]
17 signa
18 tremebundum
19 hisce
20 illum fortasse
21 ac totius provinciæ pecuniæ
22 Nempe & qui

*ad reliquum bellum antiqua supersint ornamenta, ac præsertim cui vix ulla est impensæ ratio, modo illius nomine res gerantur. nemo hoc certius me novit qui plane teneo præter bella sua, quibus nec modus extitit, nec numerus in* [1] *Neapolitano bello, quod pro Pontifice Martino gessit, plus quingentorum auri* [2] *millium missum est. Ut provincialia ædificia taceam, ut tributa transalpina, ut sumptus legationum, ut quotidiana munera, quibus factum est, ut* [3] *bello ineptus sit, & pace miser. At de bello nunc conferam. Vobis immensæ, nec inexhaustæ modo, verum intactæ vires sunt; itaque occurret lassus, defectusque integris. Florentini quoque magnam belli partem conficient, quibus si tanto labore superfuit, spectate, qualis in vos futurus est, ubi unam societatem effeceritis. Ipse propterea suorum animos novi, quos si paulatim libertatis nomen titillaverit haud dubitem paratos occurrere. Nihil demum quam ostentando bello opus est præsertim qui copias omnes in Etruria habeat, quas sane* [4] *deletis longinquitate, ac negligentia militiæ dispersas, ac fere nullas* [5] *cogitate. Atque hoc velim sciatis, non esse illum, qui belli officia curet. jam per alienos tanquam aliena aguntur, quibus dudum non tam publica salus, quam privata desidia curæ est. Ipse autem in Mediolanensi castro, aut in Villis per domestica latibula diem, vitamque audiendis venatoribus, spectandisque piscariis, aut aviariis consumit. Hæc, ita Deum obtestor, primis belli initiis cognoscetis, meum nihil ultra censeo, quam, si quid deinceps Venetianæ dignitati proferre possim, id* [6] *vero usui paratissimum cogitetis.* Habuit oratio Carmagnolæ assensum multorum, vel jam gliscentium bellum, vel facile credentium, eodem ductore posse confici, qui haud vana ex tot factis polliceretur. Omnes enim audierant quantus ille apud *Philippum* fuisset; ac proinde pignus fidei esse, quod vel tam indigne ab eo [7] pulsum, vel ab suis tam fœde laceratum quereretur, quem præsertim [8] vocaverant omni anteacto tempore fidum Duci. præterea hominis naturam insolentem, [9] quæ & facile in iracundiam excitaretur, & non nisi difficile susceptam semel indignationem poneret. Itaque vere, digneque adversus *Philippum* irritatum, omnia in ultionem tentaturum. Cum his tamen magna pars bellum horrebant, immensam molem rati, quæ, nunc pacem petentibus objiceretur: hinc suspectum *Florentinum*; hinc fortasse parum fidum *Carmagnolam*, *Philippum* in oculis fama, fortuna, rebus potentissimum, si quid alio vertat, nihil præter pœnitentiam superesse. Confirmanda hæc ratus *Franciscus*, jusso paululum exire *Carmagnola*, ita disseruit. *Quum vel humanas res, vel præcipue nostras, Patres Veneti, considero, nihil intelligo publicis imperiis perniciosius, quam quod sæpe nimia utuntur clementia.* [10] *At nescio tamen, eam, ne recte* [11] *clementiam dixerim potius quam negligentiam. Verum quod nomen istorum plus congruat, sæpius exitus docet quam ratio. Id verum commode atque opportune cum alieno discitur exemplo, quod ferme* [12] *hodie nobis, si paululum advertamus, Florentini ostendunt, quos ocium* [13] *tenentes Philippus tam ancipiti bello deturbavit. Quid* [14] *enim Philippo tum ad Forlivienses, & a finibus remotos, & ab negotiis illius prorsus dissidentes, cum majorum nemo eam Civitatem unquam possedisset? Quoniam id nimis sæpe queritur licere sibi, atque in animo esse quæcunque patris fuerant, repetere: tamquam ea pater legitimo jure, non imperiosa vi tenuisset. Nobis tamen valde superque cogitandum, quid illi non modo in mentem, verum per omnium possit occurrere: nisi putamus quietiorem Venetis fore, nulla jam finium* [15] *intercapedine, quam Florentinis quos inter ac Philippi rura, tam arduis* [16] *vestigiis Apenninæ Alpes interjacent, atque ea præsertim qua difficilior aditus putabatur.*

1 Neapolitanum bellum. 2 emissum est. 3 jam bello. 4 debetis. 5 cogitare. 6 recto usui. 7 pulsum. 8 noverant. 9 qui. 10 ac. 11 eam clementiam. 12 nobis hodie. 13 timentes. 14 enim. 15 intercapedine di... 16 fastigiis.

*Quod ego propterea adjeci, ut intelligatis, quo animo ille susceptos hostes persequitur. Neque alio Carmagnolæ Oratio pertinuit, quam ut hominis mores vobis cogniti essent, ac perspecti, quem & ipsi videtis una cum Imperio ambitionem extendere. Sic totus ab imis fundamentis crevit, donec solus in hujus citerioris Galliæ dimidio est conspectus. Tum obtulit ei sive fortuna, sive, ut refert, Martinus Pontifex Forlivium, qui forsan fuerat, ni occurrissent Florentini, vestros fines pulsaturus. Meministis ex quo tempore inducias fecimus, ausum petere a Mantuano super Benacum, atque unde Mincius exit, Piscariam, ne quid illi, cum vellet, ad petendam Veronam spacii interesset, si non* [17] *eo dum vos vestra auctoritate pro Mantuano* [18] *obstitistis. An igitur modo male securi expectabitis, dum post alterum annum induciæ exierint, interimque ille Florentinos atque omnem Tusciam in potestatem redegerit? Tum de jure potenti, atque armato respondebimus, quando ut ab illis Pisas, ita a nobis quidquid continenti possidemus, quasi paterna hereditate repetet. Sic ante paucos annos ab Nicolao Ferrariensi Parmam voluit. Dicet* [19] *forsan, præterea debere sibi quidquid hactenus ex Verona, Vincentia, Padua, ac ceteris rebus quæsivistis. ita convictos sub Prætore* [20] *Angelo de la Pergula, ut aliquo ductorum suorum, quasi jure continebit. Vos item pro illius arbitrio servatarum civitatum tamquam apud Censorem fœnus reddetis. Vestrum nunc est, prudentissimi Patres, decernere quid eligatis, daturi ne illi Veronam, an, si bene quid dicam novi, Brixiam erepturi;* [21] *Nec alia referam, quæ in manu esse dicerem, nisi vos vererer posse Carmagnolæ persuasu hæc dicta suspicari. Verum ego rem ita se habere intelligo, omnia ad salutem vestram pertinere, ut* [22] *pernoscatis quid de Philippi fortuna cogitandum sit. Quid tum, si vos libertatis nomen juvat, Florentinos patiemini* [23] *publicæ libertatis jugum accipere? At ego non* [24] *patior, etiamsi vobis ex Philippo nihil sit periculi, tam angusti, & parvi animi esse, ut satis sit securos vivere, nisi & nomen ipsum, unde securi sumus, tueamur? Nec recte sane finitimos Paduæ ac Veronæ tyrannos abstulerimus, qui deinde patiamur Florentinos, alterum in Italia libertatis caput, interire, quasi non id nobis honestum sit libertatis nomen amplum, ac splendidum esse. Nec sane turpius quicquam esse potest, quam si minus ipsi pro tuenda libertate acres fuerimus, quam pro* [25] *tenenda alii admittantur. Nec falso dictum putetis, quod Florentinus retulit, perpetuam esse tyrannis, ac principibus conspirationem, qui liberis libertatem invideant, qui semper suas leges amantibus omni conatu insidientur. Juvate igitur, juvante Deo, juvantes se Florentinos; ubique existimate oportere Venetum nomen adesse, ubicunque libertas signa ostenderit, ut nullum sit in terris nomen, quod sanctius esse conveniat. Denique ut omnes intelligant, Venetos amicorum, & sociorum loco habere, quicunque libertatis observantiam profitentur.* Haud dubia hæc Ducis oratio, quin protinus ab omni senatu appareret in sententiam iri. Itaque jactis sortibus quas illi *pallotas* vocant, exceptum de juvandis *Florentinis* decretum, vocatisque in senatum: mox de societate fœdera sunt conscripta. Scilicet *Florentini* quatuor equitum millia in bello habeant, nec si quid ex eo ab Duce detractum fuerit, [26] quicquam illi citra Alpes lucrentur. Tum ne liceat de pace inconsultis *Venetis* mentionem facere. Omnia *Florentini* confirmant, jurati ultro, nunquam ejus beneficii memoriam posituros, tum in omne tempus paratos fore, si quid unquam laboris *Venetos* ceperit. Vocati, contractique in eadem fœdera *Ferrariensis*, ac *Mantuanus*, quibus haud ferme hic invitus successit; ille, qui jam per consuetudinem *Philippo* esset devin-

17 eodum. 18 obstitetis. 19 forsan debere. 20 Angelo, aut aliquo. 21 ne alia. 22 cognoscatis. 23 publice. 24 patiar. 25 tollenda. 26 quisquid.

vinctus, gravatior viſus eſt. Nec *Senenſes* omnino expertes ſocietatis, quibus cum *Florentinis* jam dudum eſſent tolerandis [1] hujusmodi difficultatibus, ac periculis fœdera. Ita ſimul [2] pluribus locis de bello adverſus *Philippum* conclamatum. Tum ad externos quoque miſſum, ut in ſocietatem allicerentur. Quippe *Amadeo Sabojorum* Duci perſuaſum: data ſpe, cum res ſuccederet, ipſe ut *Mediolano* potiretur. Eodem pacto Rex *Aragonum* in bello confirmatus facturos liberam *Corſicam* haberet, quam tanto tempore [3] concupiviſſet. Undecunque igitur *Genuenſes* laceſſeret eſſetque auxilio *Fulgoſiis* patrium dominium repetentibus. Ita ex integro omnibus e locis adverſus unum *Philippum Mediolanenſium* [4] Ducem tanquam incredibilibus odiis, quod [5] ad *Venetos*, vel *Mantuanum* attineret, ut nunquam viderentur de mutua benivolentia cogitaſſe. Hæc & ex multis audita, & legati ipſi *Oldratus*, ac *Johannes Philippo* nuntiant. Quid vero ille ageret? ni quantum apud ſingulos quereretur, his inducias; illi donatum Regium; ſimul omnibus; præter *Florentinos*, diuturnam amicitiam: eam potius reſpectent, quam tantum excidii in omni *Italia* parent. Non tamen cecidit animus, quin ferunt potuiſſe *Venetianæ* ſocietati obſtare, ſi (quemadmodum fit) voluiſſet aliis legationibus uti; nec quicquam [6] tam *Venetos* moviſſe, quam quod viſi ſunt per *Oldratum* ludibrio haberi, cujus eſſet unum ſtudium ſemet *Carmagnolæ* oſtentare, tanquam ad id a *Philippo Venetias* eſſet miſſus. Verum ut qui animum induxiſſet nemini ſupplicem videri, de ſolo bello cogitabat, nec omnino diffidens ſuis viribus tot fæderatis obſiſtere, qua audacia haud minorem periculo gloriam cernere videbatur. Nec vana forſan fiducia, ſi minus aut contempſiſſet hoſtem, aut ſe ipſum circumſpexiſſet; qui nam eſſent domeſtici, per quos neceſſe foret quaſi ad latentem negotia referri. Soli vero apud *Philippum* poterant, per quos belli tanti initium erat factum, non ſane eo ingenio, ut tam periculum propulſare poſſent, quam excitaverant. Ipſe tum maxime inviſus, atque incognitus intra arcem *Mediolanenſis* caſtri habitabat. nunquam omnino in Urbe conſpectus, frequentior in ſaltum vicinum caſtro ibat recreationis cauſa, neſcias an commentationis. Interim tamen ab armis quieſcebatur. Id modo *Veneti* intendere, [7] ſi qua daretur bene inchoandi belli occaſio, ut aliquo inſigni initio facinus nobilitarent. Neque id longe eſſe poterat, ſcrutante omnia *Carmagnola*, qui omnium, quoſcunque *Philippus* ſubjectos haberet, animos noſſet, atque ingenia. Cito igitur comprehendit fortuna materiam, in quam omnes hujus belli cauſas conjiceret. Primum quidem tentati [8] *Brixienſes* quod & finibus viciniores erant, & ex his plerique velut in clientelam *Carmagnolæ* obnoxii, quos ex aulicis *Philippi* ſæpius agitatos patrociniis juviſſet. præcipue duo ſunt operam polliciti. . . . . . . . . . . . . . . . . . Cum his *Franciſcus* multa pactus hinc pecuniam, omnium proditionum mercedem, hinc *Venetiis* Civitatem nobilitatemque. Et rem, & diem componit, quo aut unam portarum capiant, aut, quoniam id omnino in tranquilla Civitate difficile videbatur, nocte muros perfodiant; ſe cum exercitu affuturum, mænia aperto aditu ingreſſurum. Fertur & uſque intra arcem proditores inveniſſe, qui præſidem occiderent. Is erat *Antonius Landrianus.* non fidiſſimus modo *Philippo*, ſed ipſi quoque *Carmagnolæ* quondam amiciſſimus. Id flagitium ſi eveniſſet, haud dubium totius *Brixiæ* nullo labore potiebatur. Sæpe audivi proditionis ejus *Philippum* [9] haud ignarum fuiſſe; verum neglexiſſe, qui ſciret non poſſe *Brixiam* ſalvis munitionibus capi:

1 ejusmodi
2 plurimis
3 cupiviſſet.
4 ducem conjuratur:
5 vel ad
6 ita
7 ſi quæ
8 Briſcienſes
9 non

A futuram hinc cauſam perdendis compluribus, quos in ea Civitate haberet ſuſpectos. Ita poſt paucos dies *Oldratum Brixiam* mittit, qui videat, ne quid tumultus, aut periculi in Civitate oriatur. Nec eo minus proditores compoſitum flagitium perſequuntur. [10] *Carmagnola*, quod poteſt, per agrum *Venetum Brixiæ* propinquat, ne quid perpetrando facinori moretur, cui illi diem deſtinarant. Is ubi advenit, non auſus *Franciſcus* tam proximus ad muros accedere, eo octingentos pedites mittit, qui, ſi detur ingredi, mox certum faciant. Ipſe ad ſextum lapidem ſubſiſtit. Negotium perficitur ac mox vocatus *Franciſcus* cum ſignis adeſt,

B Urbemque cum omnibus copiis ingreditur. Medium ferme erat noctis, menſe Martio, ultimis ſacris quadrageſimæ [11] ob Beatum *Benedictum* ſolemni: primum inde in platea per vias undique *Venetum* nomen conclamant; atque is terror expergefecit omnes, qui primum ob tubarum, atque armorum fragorem attoniti, mox ut *Carmagnolam* ſenſere, Domi fere quieſcebant præter paucos, quos aut amicitia proditorum, aut privata *Carmagnolæ* notitia excivit. Nihil e munitionibus, [12] quæ erant in Urbe plures, moti; nec aliud ea nocte præter nudam Urbem cepit. Ea vero eſt in multas partes diviſa. adjacet enim monti, cujus ſum-

C mo cacumine arx impoſita eſt; inde in planum arduus, ac denſus murus deducitur, quantum ipſa planicies tenet, lata foſſa præſeptus. Hæc vetus Urbecula eſt dicta. Aliam ante tertium annum *Philippus* novam addiderat, cui & altiora erant mænia, & foſſa prælatior, denſitudo muri, quæ altitudinis murum excederet. præterea ſuburbium [13] præmunitum cum porta dicta Pilarum, ac portæ fere omnes munitæ; quæ omnia eſſent capienda, priusquam ſe *Brixiæ* Dominos faterentur. Itaque nihil pene actum arbitrati: cum tot ſupereſſent, quæ nec ſummis viribus, aut

D opibus [14] expugnari poſſent. Deus vero ſemper tutiſſima occupat, indeque ſe oſtentat victorem, unde magis offenditur. Quem ego ita credo adverſus [15] has munitiones infenſum, quod fere intolerandis ſumptibus laboribuſque extructæ erant. Mirificum opus, cui nemo hac ætate par fundatum audierit. Ut vero hæc relata ſunt Duci, quanquam ingens cepit hominem cura, ubi tamen audivit nihil munitionum [16] raptum, rem pro mediocri accepit, ſatis fidens ejecturum Civitate, qui nihil præter Urbem tenerent, eodemque modo [17] qui factum audierunt, cenſebant; miratus tamen id præſente *Oldrato* potuiſſe contingere.

E Verum præter quod *Brixienſes* mutationum ſunt avidiſſimi, nunc maxime ita erant animis affecti, ut omnem novitatem ſpectarent. Primum igitur eo ſubmittit *Franciſcum Cotognolam*, hunc enim paulo ante diximus ad viſendum Ducem veniſſe, qui paulo plus quadringentum equitatu urbeculam ingreſſus, continuis eruptionibus omnia turbat. Sic reliqua nondum capta peditum præſidiis firmata. *Carmagnola* quamquam rem ancipitem videt, multaque prius patienda, quam reliquam Urbem capiat, tamen de expugnandis munitionibus cogitat. Itaque in dies majorem con-

F flat exercitum, quo ſimul poſſit diverſis locis ſeſe ab eruptionibus tueri. At primum Urbeculæ, tum omnibus portis, quæ ex munitionibus in Urbem ſpectarent, vallos agereſque objicit, [18] ne longe poſſint erumpentes vagari. [19] Jubet *Franciſcum Mantuanum* (nam [20] hic quoque in *Venetianis* caſtris militabat) cum locum datis præſidiis cuſtodire. Ipſe ad expugnandam portam pilarem tendit. Quæ dum ſollicitus dies, noctesque inſtruit, comprehenſus febri, atque iliorum doloribus, coactus eſt præceptis medicorum *Patavinas* balneas petere. Eo igitur tempore & pene intermiſſa ope-

10 Carmagnola interim
11 die ob
12 qui
13 permunivit
14 ſuperari
15 munitiones
16 capta
17 quicumque
18 Ne
19 jubet
20 is

opera, & armorum expugnatio facta levior. Exercitus tamen late Urbeculam obsidebat. Nec *Cotognola* quietos sinebat, nullum omnino diem ab eruptione cessans, mireque illius juvenis virtus per omne id tempus eminuit, ut sæpe nec dimidio, quem diximus, equitatu ad intima quoque castra prodierit, reductis frequenti numero ex hoste captivis, ac plerumque trucidatis, si qua forsan pertinacius occurrissent. Nonnunquam [1] etiam justa acie pro mœnibus [2] ausus. hoc modo hinc custodias ad urbem, inde ad agros castra diurnis, nocturnisque terroribus agitabat, ut jam metuerent oppidani, ne, si paulo major vis fieret, Civitatem reciperent. Reversus ex balneis *Carmagnola* omnia confirmavit, castris custodiisque in ordine locatis, simul ex Urbe maxime munitiones expugnans, atque in id præcipue [3] intendens, ne inclusi commeatibus juvarentur, quibus tamen audatia *Francisci* sæpius abundabant. Dum hæc apud [4] *Brixiam* geruntur, *Venetos* quidem lætitia simul, ac spes acuebat, ut libera Civitate potirentur. *Florentinis* post receptos legatos immensa alacritas, qui & tam potentes socios nacti essent, & hostem jam viderent domestico bello implicitum: perinde sentientes *Tusciam* [5] liberari discessu copiarum, ad quas [6] arcescendas *Philippus* miserat. Omnes præter *Johannis Camerini* turmas sese ad reditum comparaverunt. Ille ab Duce per *Genuam*, ac mare digressus cum turmis iter domum vertit, sive ipse noluit ultra cum *Philippo* stipendium agere, sive & hoc *Philippus* gratum duxit, non multo post ab hostibus conductus, *Venetiana* castra ingreditur. Quo mirum dictu quanti ex omni *Italia* aviditate pecuniæ, quæ sane multa proferebatur, ad accipiendum stipendium concurrerent. Itaque ex eo parant *Veneti* adventantem [7] ex *Tuscia* exercitum prohibere, quod ita fieri posse credebant, si *Panarium* amnem inter *Mutinam* [8], ac *Bononiam* custodirent. Eo dimissi exercitus, collectis undique aquis, flumen exaugent, ut nusquam vado tentari possit. Non passus tamen *Philippi* exercitus eo loco [9] detineri (non plane quatuor equitum millia erant) cum, ut ferebatur, super octo hominum millia flumen asservarent. Itaque ut transire placuit, paratum ad mensuram pontem vesperi silentio ad amnem ferunt (hæ rates erant, quas collocatis per gurgitem doliis, capitibus nexas superjecere.) Nec mora flumen transgressi clamorem ad cælum attollunt. Prope erant positi hostes, non ausi tamen [10] ab reliquo itinere impedire. At hic fortuna casum obtulit. *Guido* [11] *Fabianensium* Dominorum flumen transierat. Itaque nescius in istos incidit, cum in castra *Venetorum* iter faceret, neque ex unis equitum turmis, quas sane florentes agebat, [12] quisque superfluit, non cum ductore ipso captus. Quem tamen *Philippus* ad se missum paulo post suo more honoratum remisit. At copiarum adventu Dux ad sustinendos hostes confirmatur, tametsi vix post tertium mensem, quam vocati erant, rediere. Ne ipsi quidem complices, quorum ego *Bononiæ* de ea re litteras vidi, dubitabant, si mox, ut venerant, munitiones essent ingressi, quin & Civitatem recepturi fuerint, & omnia hostium consilia in irritum missuri. Verum, ut res docuit, nec *Philippo*, nec cuiquam suorum sat constitit, quidnam eo bello potissimum faciendum esset. Cætera nos deinceps referemus. Hic plane maximus error fuit, quod præter Urbeculam castra posuere. Illi vero ne momento quidem oppugnationes intermittere; ac tandem porta [13] Pilarum expugnata, cum quatuor continuos menses ab [14] ullis unquam machinationibus esset cessatum. Jam omnes *Philippi* ductores in castris erant, non

1 justa acie decernere ausus. — contendens. — 4 Brixiam — 5 liberari, discessu copiarum, ad quas accersendas — 7 — 8 Mutinam, & Bononiam — 9 detineri — 10 ab reliquo itinere impedire — 11 — 12 quisque superfuit — 13 Pilarum — 14 nullis

A aliud quam hostem contumeliis lacessentes. *Carmagnolæ* unum erat consilium non credere se pugnæ, liberandæ urbi omni conatu intentus. Quem ut ab opere averterent *Philippenses*, motis ad agros *Mantuanos* castris feruntur, quaqua incedunt, omnia igni pervastantes. Tum vero illi acrius instant, [15] diurnis, & nocturnis certaminibus obsessos fatigant, vias impediunt; ne [16] qui commeatus possint inferri. Verum quum nec id plane ad votum succederet (ut sunt in desperatione rerum non modo astutissima, verum [17] & audacissima consilia) multa per varios aditus inferebantur, nec videbatur finem obsidio habitura,

B præsertim redeunte ex *Mantuanis Philippi* exercitu, quum necesse foret externam oppugnationem impediri. Itaque visum *Carmagnolæ* undique oportere munitiones cingi, ne quid esset aperti hostibus commeatibus inducendis. Plerique ferunt, id *Nicolai Tolentinensis* consilio factum. quippe, ut venit in Castra, facta est ejus rei mentio. Id vero immensum opus. tantum terræ cingendum erat, quantum a castro per declivia tumuli urbeculæ additæ in planum porriguntur, haud ferme minus quinque millia passuum. Hic *Carmagnola* contractis undique operariis, vallum

C parat erigere, ac necesse erat duplex fieri, quo & ab obsessis, & ab externis tuti essent. Ita geminas deducunt fossas duodecim passus latas, vasta quoque altitudine conjecto in medium aggere, quem quo esset firmior, fascibus [18] sterpibusque oppleverunt. Hinc vallum expositis asseribus, quos intrinsecus trabes obfirmabant, ac densitudo erat valli, qua & plane inambulari posset, & ab externis ictibus minime propulsari. Sic ingens corona apparuit, longe etiam terribilis. Interea [19] erant dispositæ non multo intervallo turres, quas inter per vallum facile discurri poterat. Præter hæc singulis portis castella [20] opposuerat

D gravioribus trabibus roborata, [21] majorem ad altitudinem evecta. Inde expositi pontes, quibus in hostem erumpi posset. Duratum in eo opere plus ferme quatuor menses, collectis incredibili numero ex *Venetorum* ditione agrestibus, nec *Carmagnola* [22] ad aliud intento, certum sciente hoc labore Urbeculam, atque arcem capi. At [23] hujusmodi opus erat, ut longe visentibus non urbeculam obsessam, sed geminatam Urbem diceres. Tum vero primum Urbe egredi ausi, seque intra id vallum velut in castris locaverunt. Nec dubium perfecto opere omnia esse perdita, cui si nostri obstitissent, nunquam ferme illi essent

E *Brixiæ* potiti. Verum sic apud hostes omnia vigilabant, in castris *Philippi* ut omnes captos diceres, omnis cura per ignaviam perdebatur. Ductor erat castrorum *Angelus*; subjecti *Nicolaus*, *Franciscus*, *Christoforus*, *Siccus*, *Arditio*, atque alii quibus etiam nuper *Petrus* cognomine *Lavarinus*, relictis *Florentinis*, accesserat. Omnes sane fremere apud Ductorem, quod nihil operi obstaret, [24] quod non cerneret eo perfecto omnia capta esse. *Angelus* id respondere, oportere fieri, [25] quod esset ex *Mediolano* jussus, si quidem ferebantur tanquam a *Philippo* litteræ in castra, sinerent *Ve-*

F *netos* aggeribus fossisque exhauriri, qui crederent pecunia omnia consumpturos; paratum fore, ubi vellent quacunque parte opus [26] perstringere. Quid verbis opus est? putant ejusdem pecuniæ [27] tactos pene omnes, complures [28] correptos. *Zaninus* omnium negotiorum auctor erat, nec quicquam, nisi & interprete, in aures Ducis veniebat; non *Mediolani*, non in castris tanti periculi solicitudo videbatur; vulgo etiam jactabant, ut [29] ex socordia panis perditi, fossam fore. Non eodem modo in Castris *Venetorum Carmagnola*, *Mantuanus*, *Tolentinus* agere; qui nihil negle-

15 diurnisque — 16 qua — 17 etiam — 18 stirpibusque — 19 dispositæ erant — 20 opposuerant — 21 majoremque — 22 in aliud — 23 ejusmodi — 24 quid — 25 quæ — 26 perfringere — 27 vicibus tactos — 28 corruptos — 29 est

ctum volebant, quod poſſet humana cura provideri. Nec dies [1] ita, nec noctes quieſcere, aut hominem quietum ſinere. *Carmagnola* ipſe movere, ac excitare vigiles: cohortes traducere, ac ſtatuere, ut opus ferebat. Nec ſane minus laudaverim obſeſſos, tantum in illis virtutis, quos [2] nulla unquam expugnatio vicit, [3] aut exterruit. Ad mille, & quadringentos pedites erant conducticii, ſimul etiam cum his multi oppidani, qui ſe metu partium ab initio ibi continuerant. Ductores cohortium præſidio impoſiti quatuor fortiſſimi, ſolis fere patriis cognominibus inſignes, *Brixienſis*, *Placentinus*, *Pergaminus*, & *Andreas Tarviſinus*. hi millies corpora vulneribus objicere, nulli parcentes periculo, cum in die ſæpius nonnunquam *Carmagnola* obſeſſos exerceret, totiens e muris in certamen trahebantur; ac nonnunquam in ipſo muro pugnatum eſt, ſi quidem hoſtes clanculo ſcalis mænia conſcenderant, virtuteque hominum ſunt dejecti. Tum vero maxime apparuit virorum animus, cum præſente omni exercitu irritato in pugnam hoſte victores ſunt reverſi, aliquot e numero hoſtium peremptis, capto etiam inter cæteros fratre *Mantuani*. Hunc obluctantibus furentibusque univerſis *Johannatius* quidam pedeſtris turbæ detractum equo complexuque e medio hoſte intra munitiones reduxit. Non incruenti tamen tot certaminibus evaſere, quippe intra id obſidionis omne tempus, nunc baliſtis, nunc gladiis ſuper mille ex præſidio ceciderunt; neque in tanto diſcrimine victus animus, ſola, quæ vires aufert totas, fames expugnavit, eo perductis obſeſſis, ut extrema quæque ac nefanda tactu manderent. Pacti igitur inducias, quibus mitterent ad *Philippum*, aut affectos juvaret auxiliis, aut dedi oportere. Quo tempore *Carmagnola* undique munit, ne quid ad clauſos transeat. Itaque ubi advenit induciarum dies, omnes in [4] pugna eriguntur, obſeſſi quidem ut mænibus exeant munitionesque invadant; obſidentes juſſu *Carmagnolæ* ſuum quisque locum tuentur. In caſtris *Philippi* ſola erat contentio, reliquis ductoribus apud *Angelum* frementibus, quid [5] hoc tandem ſegnitiæ eſſet, aut quæ tandem perfidia, pati ſocios deſertos eſſe, tam egregias munitiones ad hoſtem prodi? quid denique dedecus putent, ſi non hoc videatur quietos tanti detrimenti accipere, [6] præſentibus, ac intuentibus ſocios claudi? poſtremo qui potiorem *Brixiæ* partem tenuerint, futurique fuerint, ſi munitiones eſſent ingreſſi, reliquæ civitatis Domini, ultro omnia hoſtibus tradant? Hæc præcipue *Franciſcus* vulgo quoque jactabat, nec minus ductor erat ad deſidendum pertinax, quid opus eſſet pro paucis univerſum exercitum in periculum mitti, quos ne ipſa quidem virtus poſſet eripere? Quando eam foſſam ſuperaturos ſperent, aut vallum aſcenſuros tot jaculis, atque baliſtis circumſeptum? Quin *Philippo* id commodum fore, ſi quas ibi fruſtra incluſas [7] habet in caſtra cohortes, his ſe fidere hoſtem, ubicunque fuerit, vel ut incluſum ſervaturum. Itane, inquit *Peruſinus*, abjecta repetemus, ſpeque recipiendi noſtra amittemus? aut cum noſtris rebus pudor ſimul ad hoſtem tranſierit, ut integra reddat, quæ jam dudum armis expugnat? Vos, ſi videtur, id ſperare; mihi in animo eſt hodie, ſi quid poſſim *Philippo* gratum, aut juſtum perficere, viribus experiri: faciamque hoſtes, ut ſciant *Philippum* habere, qui ſi opus ſit noviſſima quoque pericula [8] effringat. Me igitur quicunque cupiunt duci noſtro gloriam ad munimenta hoſtium vadentem ſequantur. Atque hæc dicens ſuos evocat, in ordinemque educit ad hoſtem perrecturus. *Franciſcus* identidem pollicetur. Cæteri circa ductorem

1 itaque
2 nunquam expugnatio
3 aut ulla
4 pugnam
5 hoc ſegnitiæ
6 non id ſatis eſſe, quod permiſerint tot munimenta hoſtes perficere:
7 & in caſtra cohortes reducat: his
8 effringant.

A conſiſtunt. Jam *Nicolaus* in [9] conſpectum hoſtium venerat, undique explorans, qua parte facilius munimenta adoriretur, e quibus jam in illum tela veniebant. Verum & morante *Franciſco*, quo, ſi poſſet, plures contraheret, & cæteris remanentibus, ut ſolus conſpectus eſt *Nicolaus*, edicit ſuis *Carmagnola*, qui adverſum e munimentis vadant; itaque jam agmina [10] impellebantur, futurumque erat, ut *Nicolaus* periculum adiret, ni ſe dediſſet recepturi. Nec longe illi fugientem ſequuti, ne quem in pugnam putabant paratum omnem exercitum obviam haberent. Ita omni ſpe auxilii adempta extremus urbeculæ [11] munus

B hoſtibus traditur, quem ſane tametſi denſiſſimum, facilius tamen fuit dirui, quod recentior male coagmentis tenebatur. Sic pedetentim ceteri orbes capti, quum in dies acrior urgeret fames. Pluribus tamen [12] regionibus munimenta dividebantur. Denique ventum ad veterem: atque ea tandem ſimili dimicatione expugnata: itum deinde ad arcem, neque ea longior expugnatio, undique præclauſis, ne [13] qua adiri poſſet. Unius *Placentini*, quem diximus, virtus eminuit. Quippe auſus [14] quinquaginta comitatus ſociis per media hoſtium caſtra in tumulum progredi, eodem auda-

C ciæ impetu in arcem eſt receptus, multumque ille in dies detrimenti hoſtibus dabat continuis eruptionibus defatigans. Verum nunquam ceſſantibus machinis, quum undique tormentis muri quaterentur, magna tandem pars ad hoſtem cecidit. Quo malo motus *Antonius*, ne gravius perſeverantibus accideret, ita ab Duce juſſus cum *Carmagnola* de tradendo caſtro ſalvis omnibus pepigit. Hoc modo omnis *Brixia* ad *Venetos* conceſſit, non ſane ut omnes ferunt, majore hoſtium virtute, quam noſtra ignavia; cujuslibet [15] tamen fuerit ejus flagitii auctoritas, tum [16] primum apparuit quidnam prodenda *Brixia* [17] au-

D ctores ſceleris effeciſſent; [18] Nec recte vulgatum eſt, *Brixiam* geminis proditoribus eguiſſe, ut *Venetorum* fieret, prius qui ſe una cum Civitate hoſtibus traderent, dehinc qui cum fide facinus tuerentur. *Philippus* interea cum ſe videret [19] arctius premi, nec ſupereſſe vires [20] retinendi, quæ extra provinciam quæſierat, legatos emittit, qui *Imolam*, ac *Forlivium* cum cæteris ejus oræ caſtellis, ac vicis *Romano* [21] tradant. Hunc ſane fructum primus ex eo bello *Martinus* percepit, haud parvum Eccleſiaſticæ rei emolumentum, ne quid *Romanæ* ditioni ex *Philippo* vel ad ſalutem vel ad gloriam deeſſet. *Veneti*

E inde ad reliqua circum *Brixiam* convertuntur. Ex primis *Salonenſes* in Ripa *Benaci* defecere. Tum omnis illa ora, quæ præter lacum eſt, [22] partim amicitia *Carmagnolæ*, partim Caſtrorum, & obſidionis metu *Venetos* accepit. Non tamen omnino libera erat *Venetis* circumferendi exercitus copia, nusquam fere ceſſantibus noſtris, qui undique caſtra laceſſerent, ut ſæpe & obſiderent, & obſeſſorum modo tenerentur. Inter hæc *Martinus* ſive ægre ferens tantum belli in *Italia* eſſe, ſive *Philippo* metuens, utrosque rogat qui bello deſiſtant, miſſo *Ferrariam* ad id [23] Cardinali Presbytero *Bononienſi*, in quem fœderibus componatur.

F Ibi tandem conventis utrinque legatis hæc *Veneti* de pace [24] popoſcere. *Philippus* præter ea, quæ hactenus cepiſſent, *Venetis* omnia traderet, quæ ad *Brixienſem* agrum pertinerent. Supererant octo ex munitionibus ac fidelioribus caſtellis, quæ nondum in poteſtatem venerant: nec difficile videbatur aliquando ex his poſſe *Brixiam* verti. In quibus & *Clarum*, & *Mons clarus*, & *Quintianum* uberis ſoli, & *Iſeum* ſuper lacum. Præter hæc ultra *Ollium* flumen quadraginta paſſius poſtulabant, ubi liceret quas vellent munitiones condere. Hæc talibus [25] inſti-

9 conſpectu
10 implebantur
11 murus
12 velut regionibus
13 qua
14 quinquaginta ſociis per
15 tandem
16 quamprimum
17 auctoris
18 Nec n…
19 in dies arctius
20 retinen…
21 Pontifici tradant.
22 & partim
23 Nicolao Cardinali
24 popoſcerunt.
25 inſtituta cum

ſtitutarum legatis, quæ ut firmarentur, *Nicolaus* ipſe ad *Philippum* tendit, jubetque ut præſcripta erant coram legi. Multa ille queſtus de perfidia *Venetorum*, quod contra jus gentium inducias violaſſent, tum de ſuperbia, qui ſe per injuriam tanto odio eſſent perſecuti, nec ſe niſi coactum arma cum *Florentinis* cepiſſe, qui noluiſſent pati *Forlivium* pro eccleſia eſſe receptum: Deum vero teſtem facere, nunquam id bellum, præterquam eccleſiæ calamitate, & periculo adductum cepiſſe. Id ita feciſſe manifeſtum, quando capta omnia ad *Martinum* tranſtulit, cui totiens oblata ſervaverat, itaque etiam nunc Deo cauſam ſuam credere, ſat fidentem eo Duce aliquando horum fæderum vices converſum iri. Iret legatus, largiretur quæ vellet *Venetis*, acciperent jam ſe volente, tenerent, poſſiderent, quod injuria ac dolis rapuiſſent. Sic *Nicolaus* ab Duce diſcedit in *Brixienſem* agrum deſtinata illa *Venetis* traditurus. Vix dum profectus erat, jamque ad eam rem litteræ ſcribebantur mittendæ ad præſides, qui municipia [1] tenerent; cum ſeu vocati, ſeu ſponte adducti complures *Mediolanenſium* Civium ad caſtra ſuccedunt *Philippum* alloquuturi. Hos igitur jubet introduci: qui, ut ante *Philippum* ſtetere, primum explorata venia referunt, propterea conveniſſe, ut paratos accipiat, ſeu quicquam in rebus novis agere velit, ſeu aliquid præſentibus nuntiare. Hoc tamen cupere *Philippo* eſſe notum, multorum animos turbari, qui de recenti pace audierint, quibus hæc fædera videantur non injuriam patientis, ſed contumeliam jugumque accipientis. Nec, tametſi non audent de Ducali arte judicare, ſatis opinari ſe, quamobrem id facere cogatur, integro adhuc & ſtante exercitu, quem hoſtes nondum expectare voluerint, nec præterea [2] ei retinendo opem, ac modum deeſſe, quo ſalvo nequam poſſe fieri hoſtibus ſpem potiendorum eorum, quæ nunc [3] gratuita pace, atque injuria accipiunt; haud [4] ſane impune diu caſtra circumducturos, quæ cum noſtris conferre non audeant. Tum quid illud ab ſervitute differat, habere *Venetos* in tellure noſtra ſolum, unde & pontem in agros noſtros habeant, haud dubium ibi arcem locaturi, ex qua paratiſſimus ſit in ipſum *Cremonam* excurſus. Non tamen his Duci ſuo cives legem ferre, verum orare, ubicunque voluerit, civium ſuorum fide, animo, facultate utatur. Mire grata oratio Duci tanquam a fidelibus viris, & bene amantibus animis, itaque [5] gratias hominum benignitati egit, pauca dehinc de fæderum neceſſitate eſt locutus: non ſe ſua ſponte in id bellum veniſſe, *Martini* primum, hoc eſt eccleſiæ, caritate compulſum, quam videret tyrannorum petulantia peſſundari. ejus conſilii omnem *Italiam* ſe teſtem facere quam ferme nunquam vel Deo immortali gratam exiſtimare potuit, vel mortalibus honoratam, ſi non ante omnia imperium eccleſiæ tutum, ac tranquillum haberetur; qua in re ſe majores ſequutum, quibus ſemper Religio fuerit omni re antiquior, præſertim conjuncto huic calamitati *Neapolitanorum* regno, quod jam, ut omnes noſſent, à barbaris teneretur. Hinc ortam cum *Florentinis* diſcordiam, quos tamen non multo bello profligaſſet, ni tandem [6] adverſum veterem amicitiam, ſtanteſque inducias ſeceſſiſſent. Huc denique rem

1 redderent; quum
2 ea
3 velut gratuita;
4 ferme impune?
5 etiam gratias
6 adverſus

A veniſſe, [7] ut accipienda pax ſit, quæ offertur, aut de novo bello cogitandum, ipſi modo videant, aliunde poſſint rebus ſubſidium ferre; ſe civium ſuorum conſiliis ſtaturum. Illi nihil ultra quam petere liceat conſilium de rebus ſummis facere, fortaſſe relaturos quod illi placeat, ſibi certe in animo eſſe, nulla ex parte dum ſanguis ſuperſit inferiores hoſtibus videri, nec paſſuros cupidiores eſſe ejus, quam libertatem vocant, *Florentinos*, aut *Venetos*, quam [8] ipſi Ducis nomen titulumque ament. Itaque orare *Philippum* bono animo ſit, quando ſatis fidant poſſe illum præſenti neceſſitate eripere. ſub his dimiſſi
B in conſilium proficiſcuntur cæteris convocatis, qui apud Ducem ei colloquio non affuerant. Multa ibi & de *Philippi*, & de *Mediolanenſium* dignitate agitata, omneſque idem ſentire, præſtanda auxilia *Philippo*, nec debere cuiquam obſcurum eſſe, *Venetos* ea pertinacia non unius hominis, ſed totius [9] *Mediolanenſis* interitum quærere, æmulationemque hanc eſſe dignitatis, & nominis, tanquam ægre ferant tot [10] annos *Mediolani* ſervatam omnis *Italiæ* gloriam *Mediolanenſibus* debere, atque [11] in animo eſſe, qui Vicecomitum familiam omnino ſalvam velint; quorum virtute & prudentia longa majorum ætate, tot ſunt rerum geſtarum titulis illuſtrati, tum hoc certum
C putari, una cum hac Domo totius [12] *Italiæ* nobilitatis exitium peti. Denique hoc inter cives decretum renuntiaretur *Philippo*, ita in conſilio eſſe viſum, bellum ut denuo cum hoſtibus ſuis gerat: *Mediolanenſes* paratos, illi decem millia equitum, tantundem peditum perſolvere, quibus haud dubium poſſe [13] non modo bellum trahi, verum etiam glorioſe perfici, hoc tantum ſibi poſcere, *Mediolanenſis* urbis reditus adminiſtrandos permittat, nec liceat curialium cuiquam poſſidere, quæ ad aulæ quæſtum pertineant. Ipſe cæteras Urbes habeat, ſeque ac ſuos inde locupletet, tum
D caſtra pedite muniat. Nec difficile omnibus [14] tantarum victualium copia abundaturum. Nihil ſane ei bello ſalubrius eſſe poterat, nec ad tolerandas difficultates ſtabilius, modo non in hoc quoque mens Ducis fuiſſet averſa. [15] Perturbabat concilium Potentum avaritia uſque adeo, ſi verum vulgatum eſt, ut referrent *Philippo*, non pro ſua dignitate eſſe, qui civibus primæ Urbis adminiſtrationem remitteret, hoc pene modo remp. fieri, quando in cives ſit publicum regimen [16] tributorum. Incertum, an ita creditum Duci. Verum id conſtat noluiſſe ad ſe venire eos, qui de conſilio relaturi venerant miſſi ad *Hericium*,
E qui cum eo omnia tractarent. Indignum viſum viris facinus. Quamobrem factus multis animis alienior: proinde & multi jam de rebus male auſpicati. enim vero dignum populum cui juſtus, ac benignus Rex imperet, quippe ea fide homines, ea erga ſuos Dominos benignitate, & diligentia. Mirum præterea dictu, hoc ſolos [17] *Mediolanenſes* auſos polliceri, quod *Florentia*, ac *Venetiæ* ægre hac ætate præſtarent, feciſſentque; tanta eſt hoc tempore unius Urbis gens, tanta & Domi & apud exteros negotiandi conſuetudo. *Philippo* tamen hoc in animo ſtetit, quod illi ſunt polliciti,
F tanquam ex eo certus, unde illi tam magna pars belli conſtaret. at illud ſemper veriſſimum fuit, nihil coactum bene accidere, omnia melius ex animo perfici.

7 aut
8 ipſius
9 rei Mediolanenſis
10 jam annos
11 oportere in
12 Italicæ
13 bellum non modo
14 tantorum vectigalium
15 Perturbavit conſilium
16 tributum
17 Mediolanenſes polliceri



F. B. Andreæ patriæ historiæ liber V. explicit. incipit sextus.

# LIBER SEXTUS.



Non satis est forsan Deo, ut se faciat agnosci mediocriter hæc humana versare, quibus ipsi nimium dediti divina, quantum est in nobis, convolvimus, tanquam usu experto; quod fere evenit, non ante Cælum suspicimus, quam mundana prævalent, ut necesse sit consiliorum nostrorum imbecillitatem fateri. Ille vero gratissimum id habet initio quoque vel minimarum rerum respici. Quod si [1] nec accidat, proximum consilium ducit, ut ante exitum credatur omnia statuisse, qui fuerat ante exordia præcavendus. Nihil igitur ex *Brixiæ* ac *Brixiensis* agri jactura videbatur momenti fore, ut ex bellis discederetur, ac sponte parceretur populis, ipsique mortales privatim quisque pro se ad tuendam rectæ conscientiæ fidem laboraret. majora in medium trahenda erant, quibus vel plane Dei justitia adverteretur, vel levitas hominum, ac superbia [2] premeretur. Quo loco nobis periculum *Philippi*, ac *Mediolanensium* exemplum fuerit; deinceps fortasse, [3] & reliquis partibus sua ratio servabitur. Interim hoc referemus, quemadmodum contempta hac pace Dux nova spe alterum bellum tentaverit, quo manifestum fieret, plerumque inutilius de injuria decerni, quam injustius. Is itaque post *Nicolaum* diversas a superioribus [4] litteras mittit, quæ omnino prohibeant Castellorum portas aperiri: Atque ita factum. Nusquam enim sunt vel fæderum legatus, vel *Venetorum* actores auditi. Quo facto *Nicolaus* pene lusum questus *Bononiam* se recepit. *Veneti* re cognita majoribus & querelis, & viribus nova bella minantur. Jam vero ex prima mentione pacis multos ab stipendiis dimiserant, ac plerique illorum ad *Philippum* ierant. Itaque etiam nunc velut quos indignatio accenderet, majore conatu ad bellum se comparant, statutumque *Venetiis* de persequendo omnibus modis *Philippo*, coacti in idem superioribus fœderibus *Florentini*, non sane tam sperantes, quam amantes pacis. Ita fœderatos reliquos in bellum cogunt. *Genuensium* exules impellunt, qui se ad Urbem prope referant. Cum *Sabojo* item de societate componunt. Quo & *Ferratus* adductus ut accepto exercitu bellum gerat, *Alexandriam* ferme, si bellum rite successerit, emolumento habiturus. Sic omnis provincia quasi jam victoribus divisa est. *Philippus* unus tot inimicitiis restabat, solo hoc commodo adjutus, *Aragonensem* Regem, dato per fædus Portu Veneris, quia non poterat negantibus oppidanis *Bonifacium Corsicæ* Castellum paululum ab *Genuensium* cervicibus removerat. Verum nihil eo incommodatius, quam quod cives non omnino ad effundendam pecuniam obtemperantes habebat. Eo quoque adjecto, quod *Orlandus Pallavicinus* ad hostes desciverat. Nemo denique superfuit qui cum non esset gerendum bellum. Primus tamen in arma desiluit, positis in *Brixiensi* agro castris, ac locis quoque opportunis, præsertim qua in montes iter erat, munitiones effecerat, ut jam fere videretur denuo *Brixia* obsidenda; nec minore præsidio inductis per *Padum* navibus in flumine certamen videbatur. Ac pene statim affuit fortuna, ut satis appareret morem *Philippo* gesturam, si omnia continuo tenore processissent. Quippe &

1 non
2 promeretur.
3 sua ratio reliquis partibus servabitur.
4 litteris

A *Genuæ* pugnatum prospere est sæpius, quanquam exules circum portas usque omnia tenerent. Nec dubium Urbem eo tempore [5] servatam *Philippi Obicini* opera, quem ante ibi præfectum diximus. Et in agris *Parmensibus* per declivia Apennini captus a *Petro Rubeo Johannes Franciscus*, primus *Genuensium* exulum, missus, qui omnia *Parmensis*, ac *Placentini* soli perturbaret. Ad *Brixiam* quoque [6] recte successit, usque dum servato ordine audacia usi sunt. Captæ super *Padum* turriculæ paucis millibus a *Cremona* distantes. Progressæ ultra naves Casale dictum majus, dives *Padanæ* ripæ Castellum, flumine terraque expugnatum cepere. B Nusquam *Veneti* apparebant, sed intra *Brixiam Carmagnola* augendis copiis intentus morabatur. Interea *Nicolaus Brixelli* arcem expugnat, quæ sola capto municipio tormentis semidiruta servabatur. Ubi dum hæc aguntur, [7] inter *Pasinum* navium rectorem, ac *Nicolaum* levis contentio obsidionem in negligentiam vertit. Missi pauci ab exercitu, transito *Pado* [8] mox a Villanis recepti, castellum iterum pro *Venetis* capiunt. Atque ea fuit maxima Duci jactura, omnibus amissis machinamentis, quorum ingentem numerum ex navibus ad oppugnandam arcem transtulerant. Neque ita multo C post *Venetorum* naves omnibus rebus, ac viris instructæ flumen scandunt. His & *Philippi* naves parant occurrere. Erant autem utrinque genus navium, quæ fundo parum a ratibus distant; verum impositis ædificiis, ut quibusdam triplex esset solarium, alte eminebant. pulchraque erat species visentibus, quasi turres flumine moverentur. Paucis millibus infra *Cremonam* [9] concurrunt. *Philippi* erant triginta, paulo plures *Venetorum*: cum his aliæ onerariæ duplici fere numero sequebantur. Ductor *Franciscus*, vir expertæ in rebus nauticis industriæ non modo, verum etiam D audaciæ. *Philippææ* primæ impetum fecerunt. Nam ut eo ventum est [10] ubi proximis sagittis utrinque agerent, quatuor [11] ex numero sese in hostes fundunt, tantusque proruentium impetus fecit, ut perfractis vinculis, quibus *Venetianæ* invicem tenebantur post terga omnium evaderent. Hinc vertuntur ut puppes hostium feriant, nec dubia erat victoria, si cæteræ eodem modo pugnam servavissent. Omnes unum *Pasinum*, quem navigii rectorem diximus, expectabant. Ille vero seu tantæ fatigationis impos, ut qui soleret paucis, ita dicam, piscatoriis *Padum* discurrere, seu male utens valetudine [12], admini- E stratione suorum fixus substitit. Erat in littore *Nicolaus*, sed non ultra poterat quam spectator, adhortatorque esse. Itaque ad suos vociferat, vel invito, vel trucidato *Pasino*, in hostem tendant. Dum vero ille [13] cunctatur, ductore nullo certo diversi alii passim pugnant. *Veneti* interim in fronte, maximeque ad lævam pugnantes, ab dextera in orbem flectuntur, ne quid detrimenti ab his, qui procurrerant, fieret. [14] At sæpius annixæ ad suas reverti, nusquam aditum invenere. Ut videre igitur suos remorantes, nec pene unde oportuerat certamen fieri, ipsi quoque in fugam F vertuntur, si forte aliquæ ex sociis sequerentur. At omnes idem terror invaserat. Propulsis igitur ad terram Navibus, ad unum incolumes in ripam evadunt. Naves inde ab hostibus captæ. cum his quatuor reliquæ nihil moratæ *Cremonam* fuga contendunt, ibique in alveum, qui ex *Cremona*

5 Philippo servatam Obicini opera
6 rite
7 orta inter
8 a villanis
9 concurrunt.
10 unde
11 e
12 administratione
13 cunctatur nullo certo duce
14 at

*mona* in *Padum* trahitur, ſubductæ, nec multo poſt vacuæ *Papiam* miſſæ. *Veneti* ex victoria *Cremonam* procedunt, ubi & alia pugna parata eſt. In eo loco, qui præter *Cremonam* cernitur, *Philippus* tria velut caſtra munierat, duo utrinque in littore, tertia in medio flumine validis roboribus erecta erant: ne qua certe, ſi defenderentur, traducendis tute navibus ſpatium eſſet. Verum, ut intremefactis rebus, vacuæ pene erant cuſtodiæ. Primum igitur remotiora aggreſſi, quæ in adverſa ripa erant, defendente nullo mox capiuntur. Eodem pacto & quæ in medio flumine erant, parva dimicatione amiſſa. Præterea verſi ad citeriorem ripam *Cremonam* verſus & [1] illam undique navibus cingunt. Pauci ſane pro cuſtodiis erant. Itaque ex *Cremona* præſidium requirunt, tantaque ignavia omnem rem ceperat, ut in eo quoque ſubmittendo, nulla eſſet cura, periculum ad paucos, qui in munitionibus erant, rediit. Cæpta ante lucem oppugnatio, expoſitis undique in circum navibus; ne momento quidem baliſtarum ictus ceſſabant, ut vix liceret [2] impune obſeſſis digitum intendere, aut emittendis telis ulla corporis parte detegi; quamquam initio mediis tenebris pugnabatur, nuſquam tamen aut animos, aut vires remiſere. hinc ſaxa in propinquos evolventes, verutulis inde alios petentes, qui e ſupremis navium turribus pugnabant nonnumquam, at æſtuante aqua ſubjectos male incendebant. hoc modo uſque in expreſſam lucem caſtra tutati ſunt, nec telis forſan ceſſiſſent, ni tandem flammis correpta munimenta e vallo defenſores pepuliſſent. Ex his pauci jaculis ceciderunt, cæteri fere omnes ſaucii *Cremonam* ingreſſi ſunt, omnia mox ab illis cremata, ut vix tantæ impenſæ, in horam veſtigium ſupereſſet. Egreſſi inde navibus in ripam effunduntur. Erant fere *Dalmatæ*, ac *Pannonii*, quos hodie *Sclavos* vocant, ritu ipſo, atque ingenio barbari, ad vulnera, & ad mortem vecordes, verum nihil ad pugnandum, aut cavendum intenti. Id ubi cognovit *Lavellanus* præſidio *Cremonæ* impoſitus, ſuos armat. Vix ſeptuaginta equites circum ſe habebat. aliquot pedites in oppido reſtiterant; & illos itaque armari jubet, omneſque in palatos hoſtes educit multi illorum baliſtas ſecum tulerant, atque alii crepulos, quibus vi pulveris glandes ferreas emitterent. Verum, ut ante dixi, inepti ad pugnam, nullius certaminis ſpeciem dedere; præterea aut inermes aut dimaculatis loricis male tecti exierant. In hos igitur e diverſo ab armatis atque expertis factus impetus, ut præter ſtragem nihil uſquequaque cerneres, parvæ ripæ ſpatio ſuper trecentos cæſi, alii [3] pene vulnerati, ut quique potuere, fuga ſeſe in naves receperunt, atque illos ductor *Franciſcus* graviter increpuit, hoc tamen, ut ferunt, adjecto, non magnam eſſe [4] occiſis jacturam, quandoquidem *Veneti* ejus generis hominum ſingula capita menſtruo ſtipendio tribus ducatis emerent. Poſtridie vero illorum ſacerdotes ad *Chriſtoforum* venere, queſti [5] non reductos potius ſuos in vincula, quam tam fœde trucidatos. Reſponſum, inopes quod darent nihil aliud quam vitam habuiſſe. Deinde permiſſum ſacerdotibus, ut vellent, ſepelirent ſuos, qui luſtratis corporibus, modica tellure nunc ſingulis, nunc pluribus injecta ad Naves rediere. Ductor hinc per *Padum*, qua *Philippeas* effugiſſe audierat, ſubit, nulli tamen loco ſeſe ad ripam credens præterquam in oſtio *Abduæ*. ibi caſtellum ad cuſtodiam fluminis expoſitum capit. Ita libero flumine, obſiſtente nullo, ſubvehitur: uſque dum ingreſſus *Ticinum*, *Papiam* propinquat. Hic veritus ne qua vi aut fraude anguſtiore fluvio clauderetur, revolutis navibus iterum *Cremonam* repetit, cupiens, ſi

[1] illa
[2] obſeſſis impune
[3] vero
[4] ex occiſis
[5] reductos potius in vincula,

A poſſet, acceptam paulo ante injuriam ulciſci. Itaque mittit navibus prædatum, quos præfectus *Nicolaus* [6] *Guerrerius* cognomine compluribus interfectis in naves compulit. Atque hic finis fuit tentandæ navibus *Cremonæ*. Nec quicquam poſt nauticæ rei eo bello eſt actum. Verum interea apud *Brixiam* majore expeditione certatum eſt. *Angelus*, ut ante diximus, cæterique noſtri ductores ad hoſtem tranſierant, nec invento *Brixiam* obſidere parabant. Quod quum pene ſtatuerent, *Carmagnola* qui ad eum diem reſtiterat, profectus ex *Mantua* maximis copiis, in *Brixienſem* agrum venit, ſuper duodecim equitum millia, B ac plus tantundem peditis ſecum trahens, quibus ille copiis, ut quæque tentanda videbantur, omnibus locis deditiones explorat. Hinc ad *Montemclarum* vertitur, ſi quid forſan fæderibus reſpondere vellent. Nihil vero ab illis pacatum, ut qui *Philippo* [7] in cæteros eſſent fideliſſimi. Nec ratus terendam munitis tam firmo loco obſidionem, *Gotholengum* aliud *Brixienſis* agri municipium vertitur, ut multi putant, per dolum vocatus. Id vero in caſtra *Philippi* perlatum ſpem dedit alicujus bonæ rei opus agi poſſe. Eo itaque miſſus cum ſeptingentis equis *Guerrerius*, atque ille [8] in exC tremam veſperam [9] diei caſtrum eſt ingreſſus, conſulto quidem, ne lucis claritate vulgaretur. Complures [10] rem e caſtris, præcipue qui lanceas partitas ductabant, atque [11] in hos conſpicuus *Nicolaus*, ut quique voluere ſequi. edictum ſociis, qui & reficerent corpora, & in armis, [12] atque equis parati eſſent. Poſtremo, qui erat Aſcenſionis dies, hora [13] fere nona *Carmagnola* cum omni exercitu in [14] conſpectum eſt factus, nihil ſuſpicans hoſtem paratum eſſe. Itaque plurimi ex equis ad terram ſuperque herbas dant corpora, omnes itinere, ac ſudore affecti; nec hominibus, nec equis, aut jumentis certa erant retinacula, [15] D abjectis quoque armis, ſtrati paſſim ad umbras erant. Id ubi *Nicolao* plane animadverſum eſt, ut erat omnibus paratis, paſſis habenis in hoſtem effunditur, lateque tumultu facto omnem *Carmagnolæ* exercitum diſſipat. Paululum tamen reſtitit cum ſuis *Johannes* [16] cognomine familiæ *Strozzius*, *Florentinus* civis, etiam militari ordine inſignis. Hic ante paucos dies *Ferrariæ* ſponſam duxerat, unde a Marchione in auxilium *Venetorum* in caſtra erat miſſus quadringentorum ferme equitum turmas agens, ut qui ſe pro partibus in eam expeditionem voluntarium obtuliſſet. Non nihil igitur certamen ſubſtinuit, ac dum pro partibus E paulo ferocius in pugna elaborat, ſive inconſultus virium, ſive laborum inſuetus, inter equorum ſtragem obrutus eſt, cæterique eodem tumultu fuſi. Potuit eo die nullo dubitante omne bellum profligari, tanquam ipſa fortuna ad *Philippum* [17] ire cuperet, *Florentinoſque* ac *Venetos* in unum conferre, ſi cum univerſo exercitu in eum locum caſtra conveniſſent. Initium ejus pugnæ ex turmis, quæ familiares dicuntur *Philippi*, ortum eſt; nec aliud robur plus valuit, atque inter illos eo die mixtus eſt *Lavellanus*, nam ſuos apud *Franciſcum* dimiſerat. Hunc ſane ajunt in ea pugna ſeptem rudes contos inter acies hoſtium F perfregiſſe. Singularis vero [18] *Torrellani* filii *Guidonis* virtus, lauſque eminuit. Hunc adoleſcentem vix dum duodevigeſimum annum agentem pater ipſe armatum impoſita dextræ lancea ſæpius in confertum hoſtem emiſit. Id vero ſpecioſum cernere in armis puerum ante paternos oculos paternis monitis pugnantem. Fuga omnium latiſſima, ut referatur *Carmagnola* poſtridie hominem patibulo [19] incendiſſe, qui pluribus locis vulgaverat, captum omnem *Venetianæ* cohortis exercitum. Equidem ſuper quingentos ac mille ex cer-

[6] cognomine Guerrerius cum pluribus
[7] inter
[8] jam preno in
[9] die
[10] item e
[11] inter
[12] & in equis
[13] ferme
[14] conſpectu
[15] objectis
[16] cognomine Strocius,
[17] venire
[18] Torellini
[19] impendiſſe

certamine dicuntur capti. Qui terror eo valuit, ut *Carmagnola* ftatueret, non ultra rem fortunæ committere; nec nifi falvis munimentis exercitum ducere, ita ut ne invitus in aciem trahi poffet.
1 ex eo Itaque ut eft [1] eo vulnere refectus (nempe vi pecuniæ in dies caftra recentibus conductitiis augebantur) iterum fe in apertum dedit, verum [2]
2 ita ne ita ut facile poffet ab hoftibus [3] tutari. Nova
3 tentari quidem facies caftrorum. Exercitum carpentis circumdedit, quæ mutuis vinculis connexa erant extrinfecufque afferibus objecta fuperjecto levi aggere, quem, ubicunque moratii effent, fubito effodiebant. Super vero dati fingulis carris terni defenfores, qui baliftis, & omni genere miffilium hoftem arcerent. Immenfo detrimento id erat omnibus agricolis *Venetorum*; cogebantur enim cum carris bobusque adeffe, non tamen id tam inutili, quam fortaffe rudi ingenio factum eft. Sic ferunt folitos munire caftra *Gallos*, quos olim *Marius* fub noftris Alpibus confecit. Atque ex eo fiebat, ut & commodius caftra mutarentur, & munimenta omnia poffent circumferri, & ipfi interim caftris pofitis tuti effent. Hoc modo feptus ad *Ollium* flumen contendit, qua in *Cremonenfem* agrum iter erat. Hi municipium, quod illi *Bina* vocant, plerofque dies obfeffum atque expugnatum capit. Hinc fluvius ponte jungebatur, quem transgreffus ad *Cremonam* vadit, *Pado* tamen quo poteft propius, ut expeditiores fint commeatus. Id ubi *Philippus* audivit, non ultra morandum ratus, ne hoftis *Cremonam* occuparet, magno *Mediolanenfium* civium numero comitatus in caftra proficifcitur, feque intra *Cremonam* cum cuftodibus corporis locat. Caftra medio ferme ad tertium lapidem pofita. Ibi indignum vifum ductoribus *Philippi*, non aliquid certaminis præfente illo fieri. Erat autem utrinque numerus hominum, quantus vix ullo *Italico* bello memoria patrum referatur. Nempe fuper feptuaginta millia parvo *Cremonenfis* agri fpatio. Ex his fane plus viginti millia equitum. Eo igitur inter *Philippi* conductores ftatuto, quamquam minores ut femper numero erant, ante miffis aliquot vaftatoribus, qui foffas explerent, ad caftra hoftium procedunt. Verum ea difficili loco
4 ab continebantur. foffatum paulum diftans [4] a caftris
5 fubrutis erat. id *Carmagnola* [5] fubruptis aggeribus præaltum infoderat; introrfum inde aliquanto agri medio circum caftra carri, ut ante diximus, cum farcinis in modum valli erant. *Carmagnola*, ut videt *Philippeos* ad foffam conftitiffe, difclufis aliquot carrorum impedimentis, juffo ad arma conclamari, complures acies extra vallum, verum intra ulteriorem foffam dirigit. Uno ponte foffa tranfitum habebat, quem utrique ab hofte
6 vir fere pervadi expectabant: præcipue vero *Guido* [6], cum fere in armis fenior, Philippeos continebat, ne
7 Victoriam in manu effe pontem evaderent. [7] Victoria in manu effe, fi prior hoftis tranfiffet. Hoc modo [8] utrinque cun-
8 utrique cunctabantur, ctabatur, cum idem videretur Angelo non effe ultra foffam progrediendum. Non [9] fuftinuere
9 fuftinuerunt cæteri moram, quin vel intra vallum fi refiderent hoftes, decernendum effe. Datum id operæ, *Antonello Mediolanenfi*, qui dum certamen ex aliis ferveret, ipfe quacunque poffet in caftra at-
10 in figna que [10] infignia hoftium evaderet. Nec moratus ille, ubi videt *Francifcum*, *Ardicionem Chriftophorum*que pugnam conferuiffe, ad lævam flexus per
11 neque male vinctos, [11] atque defenfos carros caftra ingreditur, moxque ad figna contendit, omniaque in ipfis tentoriis perturbat. Grave certamen pro tempore, ac numero fuit, nec pene dubium, quin fi cæteri effent fecuti, infignem eo die victoriam relaturi ad Ducem fuerint. Et pro caftris, & intra caftra fimul pugnabatur. rem profperam

A animus plus numero faciebat, tanquam effent ad *Philippum* cum trophæis redituri, qui nunquam foleret irrenumeratos, benevolos, ac benemerentes dimittere. *Carmagnola* ut videt in caftris quoque tumultum fieri, maximique periculi rem fore, fi in aciem totus hoftis veniret, paulatim fuos pugnando in caftra fubducit, atque ita non multo poft fecretum certamen *Antonellus* multitudine circumventus, vix tandem facta enfe via cum parte fuorum caftris egreditur, plerifque interceptis, quos illi per tentoria fparfos compre-
henderunt. ex acie tamen [12] *Francifcus* cum cæ- 12 Francifcus incolumis
B teris incolumis, victorque abfceffit, omnesque ita ad *Philippum* alacres funt reverfi, nam & fecum fuper quingentos equites ex hofte abduxerant. Poftridie *Carmagnola* caftra retro movet. *Philippus* litteris acceptis, quod *Saboji* in *Vercellenfem* agrum excurriffent, *Mediolanum* ex caftris
revertitur. Inde quoque *Ladislaum* filium [13] *Lu-* 13 Lucani domini
*cani*, quem ante ftipendiis conduxerat, adverfum *Sabojos* mittit. *Francifcus* ad *Binam* profectus obftinato certamine ante alterum diem Caftellum
recepit. Ibique aliquot peditum quod acrius [14] ob- 14 reftiterant
ftiterant, obtruncati. Eodem reverfus poft paucos dies *Carmagnola* idem efficit. Ita non acie,
C fed tanquam dolis certabatur. Hoftes quotidie novis ftipendiis crefcere, quibus tandem *Carmagnola* fretus cum omni exercitu ad recipiendum Cafale contendit, juffis venire eodem navibus, quæ in flumine erant. Impofitus præfidio *Antonius Pifanus* quadringentorum numero oppidum fervabat, adjecto *Petrino* cognomine *Turco*, fortiffimo equitum cum plerifque fociis. *Carmagnola* ubi videt obfidionem parum valere, nec poffe hoftem muris pugnando dejici, fixis undique tormentis mænia per diverfas partes concutit, donec porta, qua ad *Padum* itur, lapidum ictibus proftrata corruit. Quamobrem veriti oppida-
D ni, ne irrumpentibus præda fierent, adverfam 15 partem
[15] portam hoftibus aperiunt. Ibi captum omne præfidium, ipfeque Antonius cum *Petrino*, ac plerifque fortioribus juffus in vinculis fervari, nec ante finem belli eft liberatus. Nam *Venetias* ductus in publicum carcerem miffus eft, mox
cæteri pro [16] multitudine bellantium funt dimiffi. 16 confuetudine
Unum erat interea in Caftris Ducis malum, ductorum difcordia. Idque ex fuperbia profectum. Nemo fibi alterum præferri patiebatur: facta invicem, ac merita objectabant; *Guido*, quod Claffem in *Neapolitano* Regno ductaviffet; quod
E paulo ante in *Tufcia* arma victoriofiffime rexiffet; denique quod *Philippo* tot jam annos militiam præbuiffet. *Nicolaus* & veterem cum *Braccio* exercitationem, & diuturnam in armis experientiam, præterea robur turmarum fuarum, quarum magnam partem ex *Braccio* hodiernæ militiæ magiftro retuliffet. *Francifcus* & animo, & viribus infignis, paternam quoque famam, ac totius familiæ nomen, quod patrui, & propinqui ductores in armis [17] fuiffent, memorabat, adjecto tri- 17 effent
um fratrum numero, item fociorum omnium juventutem [18] obteftans, qua nulla effet in caftris 18 obftans
F illuftrior; tum quod folus ab initio *Brixiam* tenuiffet, quam poft [19] cæteri repudiatis fuis con- 19 cæteri
filiis amififfent. *Angelo* & memoria cæforum Suetiorum, & disjecti exercitus *Florentini* cum capto [20] *Carolo*, ipfaque ætas in armis acta, gemi- 20 Karolo
nis item adolefcentulis fepta auctoritatem dabat. Super omnia vero quod illum *Philippus* fuo nomine Caftris præfecerat. Contra apud hoftes omnia quieta erant. uni *Carmagnolæ* obtemperabatur, five ille *Francifcus Mantuæ* Dominus, five *Antonius Faventiæ*, five *Johannes Camerini*, five duo [21] *Carmagnolæ*, propinqui *Francifci*, 21 Cotignolæ
*Michelettus*, & *Laurentius*; nemo tamen unius ducto-

ductoris Imperio repugnabat. Ipsi quoque *Venetorum*, ac *Florentinorum* vocati Commissarii *Carmagnolam* audiebant. Neque ille is erat, qui datam potestatem non omni cum arrogantia regeret. Solus alienior *Paulus Franciscus* vel familia *Ursinorum*, vel armorum virtute, vel quem in illis castris numero alarum æquaret nemo. Hic nonnunquam de pari hujusce dignitatis jure succertabat. Præter id malum alius in castris *Philippi* morbus erat, plerique dudum *Carmagnolæ*, cum *Mediolani* apud Ducem esset, obnoxii fuerant, quæ consuetudo nunc ferme etiam tepidiores reddebat. Id in *Sicco* apparuit, qui quondam fortissimus tanta ediderat, in his castris nusquam est auditus. *Philippo* quamquam hæc nota erant, nec aliud tam fortunæ suæ obstare, nulla tamen ratio succurrebat, qua huic malo mederetur, id præcipue caventi, ne, dum nimium uni traderet, alios, qui se æque amari existimarent, ab officio averteret. [1] At fuit hæc [2] inter *Philippi* familiares ars, ita erga singulos agere, ut quisque se aliqua in re alteri cuique aut parem aut præhabitum existimaret, ac neminem apud se habebat, quem non ipse dicam creavisset, ac propriis beneficiis aluisset. Id vero ductoribus suis obesse credidit, quod nemo alterum [3] plus nobilitate superaret. itaque ex eo consilium [4] capere, quo nullum poterat infestius accidere, aut sic forsan ducebant fata. *Karolum Malatestæ* [5] *Pisauri* filium accersit, maximaque comitate ac liberalitate acceptum tandem castris præficit, quasi nobiliorem cæteris ipsa familiæ dignitate honori habendum. Cæterum deerat nobilitati ingenium, qui nec ætate adhuc posset, nec forsan ingenio ita valde esset præditus, nec quod eo tempore, ac periculo pernecessarium erat, arma [6] nunquam expertus. Itaque designatus imperator ex uxore, quam cum liberis *Mediolanum* duxerat, venit in Castra habitu potius splendido, quam satis ad bellum parato. Idque non minus apud hostes, quam inter suos animadversum. Ejus soror erat Uxor Mantuani. Aliquot dies utrinque terror fuit, intento in unam rem Carmagnola, si quam forte occasionem temeritas hostium daret. Nec diu fortuna consilio materiam distulit. Nihil enim [7] ignotum erat illi, quam male in adversis castris conveniretur. Alii standum, alii prodeundum, ac pugnandum censebant. Interim *Carmagnola* incertum suum iter ostendit. præcipue tamen videbatur ad capiendum, aut obsidendum [8] *Jesseum* iturus. Quod cum nostri crederent, quotidie vocante *Carolo* [9] armabantur, parati ut hostibus occurrerent. Id plures dies continuatum gravi exercitus incommodo; cogebantur enim in equis & armis, usque ad fervidum solem stare, atque in mediis campis, qui in ea regione sunt patentissimi. Tandem apparuit ea omnia dissimulata esse, quod ita egerat *Carmagnola*, ut hostem simul [10] luderet, & suis viribus fatigaret. Tum cum omni exercitu *Machalodum* contendit, in speciem ejus Castelli oppugnandi, ut eo hostem converteret, ac propterea minore cura munita castra, quo avidius iretur. Parum inde *Philippi* Castra aberant. Verum quod medium erat, iter late paludibus ac stagnis tenebatur. Sola supererat via paulo erectior, qua procederetur. Fremunt in castris protinus [11] eundem in hostem, qui tam propinquum [12] velut per opprobrium petere ausus sit, nec deserendos socios, qui tam pertinaciter oppugnentur. *Guido*, atque *Angelus* omni conatu id dissuadebant, aut certe alio itinere, quam per [13] rectam viam hostem petendum. Horum *Karolus* nihil audiebat. Itaque, ut visus est dies, conclamatum ad arma; ipse parat *Angelo*, ac plerisque renitentibus, proficisci. denique minatur

1 Ac fuit
2 familiaris Philippi inter suos ars
3 multo plus
4 capit
5 Pensauri
6 nunquam
7 ignoratum
8 Iessum
9 Karulo
10 & luderet
11 eundum
12 municipium velut
13 rectam hostem

A se solum cum signis ad hostem iturum. *Nicolaus* quoque & *Franciscus* simili clamore pugnam ardebant. *Guidonem* ultro, ac cæteros, quorum de manendo erat sententia, ignaviæ [14] incusantes. Ergo, ait *Torellus*, *Philippum* hodie evertimus. si sic statutum est, in hunc hostem, atque hac via eatur. Ipse quidem certus sum, insignem fore hanc cladem, & nomini nostro, & fidei, atque item Duci, cujus salutem, & gloriam tuemur. [15] At si ego id nequeo, hoc saltem gloriabor, restitisse cupientibus perdere. nempe aut ipse nihil armorum novi, aut hæc via ducit ad interitum præcipites, nec hostes vestri aliud

B expetiverint, quam vos in has angustias perducant. tum ne hæc existimetis per timorem [16] potius quam ad salutem loqui, en ego primus iter [17] in eo prudens, ac sciens vobis ipsis testibus pedem in hunc laqueum dimitto. Hæc dicens socios ad destinatum iter vocat, utque pro importunitate loci potest, quasi ituros in aciem [18] dirigit. Jam *Karolus* cohortes peditum male ordinibus divisas præmiserat, subjectæ his alacres equitum turmæ levioris pugnæ, ac detrimenti, qui primi ubi ad manum veniretur hostem lacesserent. Ipse cum suis (minus trecenti erant) sequebatur. *Guido* interim

C denso suorum agmine procedit; sic cæteri cum *Francisco* ambulabant. Ultimus *Nicolaus* exercitum cogebat. Ut cæpere autem proficisci, simul & hostium ductor, tamquam voti compos (jam enim impeditos cernebat) & ipse suos ad occursum parat: alios vero diversis callibus dirigit, qui in itinere ubicunque statuit aggrediantur. Vias quoque per [19] noctem fecerat certis locis extrui, nunc depressis foveis, unde ad latus in meliores campos exitus fuisset, nunc obstrusis, unde in stagna iretur. Ubique *Torelius* equitans digito dolos ostendebat, paratosque ac dispositos locis equites, qui impeditis occurrerent. At jam

D ruebant, capiebanturque primi, quum error est intellectus. Ductor ipse vix prius venisse ad hostem, quam [20] captum fuisse auditur. nam ut in procurrentes incidit, mox captivum sese tradidit *Mantuano*. haud parum id omnium animos tremefecit suspicantium in exercitu inter ductores aliquid perfidiæ esse. Jam robur eam viæ partem tenebat, quæ gravioribus stagnis obsidetur, tum itaque ex omni parte equites, peditesque dimissi comprehensos adoriuntur, nec aut stare, aut pugnare poterant, nec sane ad [21] evadendum locus erat. Ibi *Carmagnola* complures acies opposuerat;

E si qui in agros evasissent, hos alii per cuneos dispositi excipiebant. subjecti sepibus, ac lateribus viarum jaculatores, ac balistarii stantes in via nunc equos, nunc viros vulnerabant, transfodiebantque. Excurrentes sæpe inter stagna vinciebantur. *Torellus* ubicunque poterat suos hortabatur, tandemque invento angusto calle huic se committit, filium immotis vestigiis sequi jubet, indeque comitantibus fugam paucis evadit. Pugnæ paululum ad latus [22] *Franciscus* restitit, valida enim juventus erat. Ut cuique [23] dabatur, nunc pedibus, nunc in equis pugnabant; coactus tamen ipse quoque pugnæ cedere, seque ni cum cæteris capi vellet, quacunque fuga eripe-

F re. Jam hostes *Nicolai* turmas præverterant, ibique magna vi pugnabatur; ubi vero [24] se ille vidit in tanto discrimine proficere, suorum, qui ferme pauci restiterant, coactum agmen efficit. Hac, inquit, Viri per ferrum via est, contos in hostes atque amicos dirigite, quisquis in via offenderit. Ipse præcedentium, ac sequentium medius receptus tanquam impetu fulminis aufertur nec ausus quisquam venientibus in via obsistere, angustiæ enim paucis æque ut multis pares erant, hoc modo tentatis omnibus, ipse quoque effugit per

14 accusantes.
15 ac si
16 magis
17 ineo
18 digerit
19 noctes
20 captus
21 prævalendum
22 Francisci
23 dabatur locus,
24 se ille vidit nihil in

per medios pene hoſtes, qui jam in tergum vene-
rant; via cuſpidibus patefacta; reliqua omnia
hoſtium fuere. Tot Ductorum ſarcinæ, quarum
infinita ſupellex erat, direptæ. Equi domeſtici,
galeæ argento atque auro criſtatæ, tunicæ ad pom-
pam inſignes, ſericatæ phaleræ, aliaque ejus gene-
ris ornamenta, ac munera, quibus omnes ab Duce
1 capti *Philippo* ditati erant. [1] capta ferme ſuper quinque
equitum millia, nec minor peditum numerus. cæ-
des nulla hominum fuit, impediti potius quam
perfoderentur, ſeſe tradebant, ut ſane qui affue-
re referant neminem audiſſe occiſum (mirum di-
ctu) in tanto certamine. Verum id conſtat o-
mnem *Philippi* exercitum armis ſemper inſtructiſſi-
mum fuiſſe, ut [2] ne ad parvum ictum occumbe-
2 nec re poſſent. nec tamen eſt qui in *Italia* hoc tem-
3 equorum pore armatorum cædem viderit; incredibilis [3]
hæc horum ſtrages fuit: horum quidem prima
erant vulnera, ſive inter vias peditibus ex occul-
to latera ferientibus, ſive egreſſi per ſtagna trans-
fodiebantur. Memorabilis quidem, ac triſtis caſus
*Philippo.* Iidem vero qui vicerant, victoriam
damnabant, tanti Ducis periculum miſerantes,
ut multos audire poſſes per caſtra *Venetorum*,
qui rem converti optarent. Itaque per noctem
qui capti erant paſſim inermes dimiſſi. Mane Com-
miſſarii ad *Carmagnolæ* tentorium conveniunt id
ipſum querentes, quid enim opus eſſe bello,
quandoquidem aliud nihil agitur, quam ne bel-
4 eodem la unquam finiantur, dum victus [4] eadem die in
libertatem redit; non exercitum *Philippi* ea nocte,
ſed ipſum *Philippum* in vinculis dimiſſum. Hæc
queſti abiere. Ductor quaſi facti inſcius ſuos in-
terroget, quidnam ſit de captivis factum. Reſpon-
dent, omnes fere ab ſociis dimiſſos. Vix quadrin-
gentos in caſtris apud quoſdam partium fideliores
5 ergo reſtitiſſe. [5] Ego, inquit, ſi cæteris noſtrorum be-
nevolentia ea fortuna contigit, iſtos quoque ju-
beo ſolita lege dimitti. *Carolus* ipſe apud ſororis
virum reſtitit, nec ſine graviſſima omnium ſuſpi-
cione, ſi quidem illi ſua ſtetere integra, ac pleri-
6 initio que ferunt non in acie ſed in Domo, in quam [6]
ſe initio certaminis receperat, captum. Tubicen
7 ante quatuor jam dies [7] jam ante quatuor dies continuos in caſtris viſus
preſſa ad [8] humeros manu: captivus es, inquit,
8 humerum *Mantuani.* Atque hoc modo juvenis nobiliſſimus
& ſe, & exercitum in poteſtatem hoſtium de-
dit. Quod pluribus credi facit ratio vindictæ,
tanquam eo pacto voluerit, acceptam *Grada-
riæ* injuriam ulciſci. Nos vero id medium re-
9 ut fabulis ſimillimam. Hæc linquimus [9]. Hæc nuntiata *Philippo* animum gra-
vibus curis incenderunt, qui tantum detractum
rebus ſuis videret, nec facile ſupereſſe reficiendo
exercitui ſumptum. quin præterea ſummum fore
ex hoſtibus periculum, ſi præſentem fortunam arma-
ti, & victores ſequantur. Hoc tamen pulchrum,
noſſe ingenitam ſtrenuo homini virtutem. Non
enim corruit in tanto periculo animus. Allatum
ferunt nuntium, cum menſam peteret, dictum
illi: Hoc *Philippe* noris, exercitus tuus fuſus eſt.
10 quam quid Non ultra ille [10] aliud, quam quid de ductori-
bus accidiſſet. Reſponderunt, ſalvos omnes;
verum, quo ruina quemque tuliſſet, diſſipatos.
11 cedimus Non igitur, inquit, [11] cecidimus toti. Juvabit
iterum Deus, ut quoquo pacto omnibus periculis
occurratur. Nec triſtior in cæna viſus, animo
tamen providet, quid ſit in tempore faciendum.
Mox itaque jubet coëmi arma, quæ ad exercitum
deportentur. Atque ego, quod in eo negotio fa-
ctum eſt, dicam. Mirum fortaſſe cuipiam videa-
tur, inventos *Mediolani* duos armaturæ opifices,
qui ſibi curam armandi exercitus ſumpſerint; id-
que intra paucos dies factum. armati duorum Ci-
vium officinis equitum ſuper quatuor millia, ac
dimidium militis. Conquiſiti inde juſſu *Philippi*

A in omnem provinciam veluti per delectum equi,
ductique in caſtra, atque, ut oportuerat, in
equitem diviſi. Sic non multo poſt iterum appa-
ruit exercitus. Nec *Carmagnola* interim quievit,
circum lato per municipia exercitu, quidquid
fere in planis *Brixiæ* supereſt capit; Ac præterea
*Monsclarus* tertio jam anno fruſtra oppugnatus
tum demum in poteſtatem venit. Ex eo ad *Ur-
ſenſes* in *Brixienſem* agrum progreditur. primum
quidquid eſt vaſtat, nullo omiſſo oppugnationis
genere, nec dies, nec noctes quietos ſinit. Mul-
ti ictibus miſſilium utrinque cadunt, denique
B obruta parte muri capiuntur, coactique oppida-
ni ſeſe ab rapina [12] per capita redimere. Sic dein- 12 pretio per
de *Pontolienſes* occupat, multaque alia ex ea par-
te *Cremonenſis* agri, ut quique minus viribus fi-
debant, imperium acceperunt. Vulgo putant fu-
iſſe *Carmagnolam* omnium potiturum, ſi mox ha-
bita victoria ad mænia *Mediolani* properaſſet, ita-
que in ea re veteris amicitiæ memorem *Philippo*
operam præbuiſſe. Ipſe potius crediderim noluiſ-
ſe poſt tergum ductores relinquere, qui forſan
collectis reliquiis caſtrorum omnia capta pertur-
barent. Flumen quoque [13] *Abduæ* tranſcundum, 13 adhuc
ubi tamen frequentiora ſunt, ac valida populis
C municipia. Ibi dicta [14] *Abduæ Glarea*, *Caravazii*, 14 Adduæ
*Triviliani*, *Cremenſes*, tum in citeriore ripa *Caſ-
ſani*, *Tricienſes*, atque alii non inſueti bellis, per
quos ultra flumen eundum erat; ne dicam cui
populo ſub mænibus occurrendum, nempe ut
facile exiſtiment poſſe in ea Civitate ſuper trigin-
ta hominum millia armari. Nec tamen ab exer-
citu *Philippi* multum prohiberi poterat, quin
populis *Carmagnola* bellum inferret, eum, quem
ante diximus, caſtrorum morem ſervans, ut ne
pedem niſi vallatus munimentis afferret. Crebrior
fiebat circa ferendos commeatus pugna, infeſtis
D undique *Philippeis*, ut nuſquam liceret tuto va-
gari. Quin etiam *Brixienſis* una cum *Nicolao* (non
enim quieſcere poterant) *Pontolium* proficiſcun-
tur, ſi quid [15] fortuna afferret. modico præſidio 15 forte fortuna
id municipium ſervabatur. Nocte igitur profecti;
ubi prima luce in conſpectum cuſtodiarum vene-
re, *Nicolaus* paulo longius reſtiterat, occurſu-
rus, ſi ſocii premerentur. Cuſtodes moti cæteros
ad arma concitant, primoque inſtructi teſtudine
in hoſtem vadunt. Pauci enim cum *Brixienſi* ap-
parebant. Ibi pro portis conſerta pugna; qui ex
caſtello venerant, repelluntur, ac [16] paſſim ce- 16 ſenſim
dunt; inſequentem quoque hoſtem (tantus fuit
E *Brixiani* ardor) refugientes introduxere. Tum
inter portas acervata pugna, ſuccurrente undique
præſidio, [17] *Brixianus* pugnans juvenem ad *Nico-* 17 Brixianus juvenem
*laum*, ac ſocios mittit, qui ſe ocius capto caſtello in
ferant. Ipſe, quoad viribus poteſt, [18] Caſtellum 18 certamen ſuſtinet
ſuſtinet, donec frequentiore hoſte [19] ad pugnam 19 ad portam,
rejicitur, ubi quum in limine acriore pertinacia,
ne totus ejiceretur, dimicaret, ſuperne ictus gra-
vi ſaxo exanimis cecidit; ad quem caſum ceteri
perterriti ad occurſantem *Nicolaum* refugiunt. Il-
li occluſis valvis ſeſe in muris diſponunt. *Nico-
laus* audita morte juvenis, ut videt nihil agi poſſe
(nam imparati ad oppugnationem venerant) pau-
F lum inter dolorem moratus, regredi ſtatuit. Pri-
us tamen orat ducem præſidii, qui corpus ſepe-
liendum reddat, obteſtatus, pollicitusque omnia,
quæ per officium liceat hoſtem hoſti referre. Eo
impetrato mærens ad ſuos revertitur, ibique pu-
blico conſpectu tumulatum corpus, atque ipſe
juvenem, ut eſt *Peruſina* lingua non incultus,
militari [20] laudatione eſt proſecutus. Hic pene finis 20 collaudatione
certaminum ex eo bello fuit: Nec deſtitit fortu-
na aliis locis partes *Philippi* incutere tanquam his
rebus finem facere cuperet. Per eoſdem enim
dies *Angelus* [21] *Bergomi* ſubito, ut ajunt, vena- 21 Bergami
rum

rum stupore correptus inter cænandum occubuit. Tres præterea ductorum *Fabricius*, *Siccus*, *Antonellus*, diversis locis, ac morbis periere; quorum post *Philippus* turmas, ut visum est, in cæteros tribuit. Ex *Angelo* tamen duo filii in armis superstites, nam tertium Episcopum *Parmensem* dederat: qui fuerat *Papiæ* in litteris educatus. His igitur paternos equites paulum imminuto numero collocat; parum vero tum armis opus erat, [1] cum apparente hyeme quiesceret. Per eosdem dies mortuus [2] *Hericius* ille, cujus, ut ante diximus, adversis *Carmagnolæ* auspiciis hoc bellum exortum erat. Quæ dum accidunt, missus iterum ab *Romano* Pontifice *Nicolaus Ferrariam*, quo *Venetorum*, *Florentinorum*que ac *Philippi* legati [3] venerant; de componenda pace agebat, commonitis benigna oratione partibus ut ab armis discederent. Nec speranda omnia *Veneto*, tametsi tanta quæsiverit, qui adhuc *Philippum* videat non spirantem modo, verum etiam renitentem, resurgentemque. Nam dicebatur [4] *Jacobus Jesseus* ex *Gallia* cum sex millibus conductitiorum equitum reverti. [5] Ferebatur & ab *Sigismundo Ungarorum* Rege auxilia venire, quamquam ea per totum bellum expectata, sæpeque in speciem jactata, quum etiam misso *Brunorio Philippum* toti *Italiæ*, quantum ad imperium spectare diceretur, delatis Aquilis rectorem præfecisset, jam pro vanis habebantur. Sed erant in castris adhuc hi rectores, [6] qui quod reliquum esset belli haud difficile administrarent. Hæc atque alia *Nicolaus Venetis* memorabat; itaque debere esse contentos quæsitis, ac velle superiorem pacem constare; satis esse ad gloriam, quod hostem pene ad deprecandum veniam perduxissent. Nec *Florentini* abnuebant, quin plane fateri se eo bello confectos, nec ultra ad impensas sufficere, præsertim quibus nihil emolumenti ex his, quæ citra Alpes compararentur, accederet. Idem *Nicolaus Ferrariensis* precibus orabat. Cum *Sabojo* datis *Vercellis* jam pax redempta vulgabatur. Soli ad id *Veneti* inexorabiles erant. quid enim oportuisse bellum geri, atque iterum vincere, ut anteacta fædera valerent, aut finiendum bellum, aut instaurandam novis compendiis pacem. Incredibilis pecuniæ numerus jactabatur, quæ esset in hoc [7] bello refusa, ac necessarium factum *Venetis* negare eo anno redditus,

[1] quem apparente hyeme quiescerent.
[2] Papiæ Hericius
[3] convenerant
[4] quod Jacobus Jesseus
[5] ferebantur
[6] quidquid
[7] bellum


A quos ex publico velut antiquum vectigal sub fide tribuunt. Itaque præter *Brixiam* cum omni agro *Cremonam* item, & *Bergomum* cum agris suis velle. Demum ita opus esse *Philippum* demitigari, ne unquam adversus *Venetianum* nomen audeat; enim vero id universis sociis, nec minus ipsi *Florentino* indignum, atque iniquum videri. Jamque apparebat de pace actum, ni *Veneti* fæderum Domini conditionibus remitterent. Denique occurrentibus undique precibus, *Nicolao*que auctoritate Martini interposita vehementius instante, in eum locum res est perducta, ut sibi haberent *Veneti* præter
B *Brixiam* quidquid *Cremonensis* agri ad ipsos spectet. Dein *Bergomum* cum omni agro usque in ipsum *Abduæ* Flumen demptis fortioribus castellis, *Leuco*, & aliis, quæ ante diximus, *Philippo* [8] restitutis. *Florentinis* id solum datum, liceret propriis signis per Etruscum mare navigare, nam antea nequibant præterquam *Pisanum* vexillum in mari efferre. Sic ante aliquot annos cum *Genuensibus* coacti pepigerant. De sociis [9] id statutum, quod ipsi vellent, quibusnam potius adhærerent; omnes pene ad *Venetos*, quo victoria ierat, concessere. Nuncupati igitur *Ferrariensis*, *Mantuanus*, *Ferratus* [10] quibuscum pax facta intelligere-
C tur. Sic super *Parmensem* agrum *Palavicini*, ac *Peregrini* Comites *Venetianum* nomen tenuere. inter juga Apennini *Ligures*, quod pene *Tuscos* se habeant, cum *Florentinis* in pacem venerunt. Hi erant magna ex parte exulum *Genuensium* factio, quæ *Adornorum* ac *Fliescorum* familiæ dicuntur. Noluere *Florentini Lucanum* inter fædera conscribi. Ejus filius *Ladislaus* cum *Philippo* militaverat, egregiamque operam Sabojo oppositus perfecerat; polliciti tamen sunt *Nicolao* per se protinus recommissum habituros, atque id paulo post fœderibus conventum. Ita cuique partes pacis pro meritis ac fide distributæ. Quibus rebus
D mox reversis ad *Philippum* legatis ipse auctor factus est. Notatum hoc bello [11] quatuor *Franciscos* præcipue suis fatis obstitisse. Unum *Venetianum* Ducem, qui Cives ad bellum impulisset: Alterum *Carmagnolam* qui ductor in bello fuisset: tertium *Mantuanum* acriorem ad id bellum opportuno: Quartum navium rectorem, qui viam infortuniis aperuisset.

[8] restitisse.
[9] statutum
[10] quis cum
[11] quod Philippum dixisse ferunt, quatuor

---

[1] P. B. Andreæ patriæ historiæ liber VI. explicit, incipit septimus.

# LIBER SEPTIMUS.



Non poterat quidem ex ea pace fieri, ut essent omnium animi pares, quicunque paci interfuissent, quippe cum victor ultro leges dedisset, victi accepissent: id vero humanis animis naturâ inest ubi quid vel indignum, vel violentum contingat, id modo, si necessarium sit, ferre, non ultra quam fortuna jubeat perferre. Manent infixi pectoribus stimuli, qui & de præteritis duras pænas exigant, & ad futura mordaces solicitent. Tum si quid superbiæ inest, ea convigilat, ut nihil minus pressorum, quam superantium moveantur animi. hoc tamen quietior [1] est vincentium, quo minus agit verecundia. Itaque videres (ut ipse in faciem sum expertus) *Florentinos* habitu ipso superantiores videri. *Venetis* præter eum morem ingens quoque lætitia erat, qui tantum terræ veteri imperio adjecissent. Nonnulli etiam jactabant rite ex *Venetiano* nomine accidisse, cum ita invenire-

[1] vincentium, quod minus angit

E tur antiquis litteris scriptum *Bergomum Venetiæ* oppidum esse. Itaque non tam alienum tulisse [2] *Venetos*, quam jus suum repetisse. *Carmagnola* item triumphabat, non qui modo Uxorem cum omni familia ex fæderibus pacis recepisset, [3] verum, & regresso Domino & parta tanti belli gloria præpetulans: simul cum his apud *Venetos* gloriosus, in totaque *Italia* solus & videbatur illustris. Præterea, quod illi nobilitatem afferebat, desponsa *Ludovico* filio antiqui *Jacobi Vermii* filia. Non idem *Philippo* animus, præsertim cui adhuc *Veneti* de rebus minimis *Bergomensis*, *Cremonensis*que agri lites intenderent. Postulabant in
F ulteriore ripa [4] *Abduæ* turrem ob *Tricium* positam, quam olim pons castello jungebat, ob eamque rem, tanquam maxima foret, sub eodem *Nicolao* judice *Ferrariæ* causa per legatos agebatur. Itaque factus ex illo *Philippus* suis acerbior, nec quicquam *Mediolani* aut in reliquis ditioni subjectis ex solitis tributis remissum, tanquam illorum culpa res dejectæ essent. Visum præterea amicis, qui ultra quam unquam fecissent ad rem Uxo-

[2] ,quam
[3] verum etiam
[4] adhuc

riam hortarentur. Venere ad id multorum Principum litteræ, supplicantes id vel nobilitatis gratia, vel familiæ beneficio, vel præsidio suorum, quos posteritate adjuvaret, vel demum securitate jucundioris vitæ faceret. Quibus adhortationibus tandem victus passus est de ea re mentionem fieri. Nec difficile inter primos *Amadeus* annuit, qui filiam daret. Missus ad eam rem *Bartolomeus* Archiepiscopus, decretusque dies nuptiis. Abiati erat in secessu. [1] *Rebeccum* tribus millibus propinquum cum puella a fratre, magno procerum, ac nobilium comitatu, est perducta. Cæterum hora expectabatur. Eam [2] *Stefanus* mathematicus, cujus generis hominum ille observantissimus est, condixerat. Quæ ubi advenit, utrinque ex suis locis in designatum agrum prodeunt. Res spectatu digna. Puellam equo frater regebat. Huic factus dux obvius, data, ac reddita salute, paucis primorum circumstantibus, annulo sponsam facit, raptimque equo, relictis illis, provehitur. Placuit quidem puella, ac proinde visus non nihilo lætior, moxque re audita nuptiæ omnibus locis celebratæ, ut vix sumptum atque apparatum credas. Indotatam accepit uxorem, nec sibi ex eo fœdere poposcit *Vercellas* reddi, uxorem dicens, non dotem quæsisse. Candidissima erat puella, atque ea facie, quæ plane duce digna videretur. Nec saneillius magnificentia congruis ornamentis defuit. Verum quod præcipuum erat, id minuit alacritatem, non esse *Mediolani*, ut frater appetebat, celebratas nuptias. Infaustum multis omen, quod primum pene inter saltus convenissent. Conjugium tamen delectabat ob renovatam cum veteri amico concordiam. [3] At vulgo memorabant aviam *Philippi*, quæ hujus Saboji patris soror fuerat, fæmina, quæ *Philippi* patrem ejusmodi [4] virum peperisset. Cæterum de hoc conjugio ista satis fuerint. [5] Huc parumper aliena inseremus, præsertim quæ ad Ecclesiam visa sunt (cujus ferme casus haud parum momenti cæteris rebus afferre solent) pertinere. Post igitur eam pacem, quam inter *Philippum Mediolanensium* Ducem, *Florentinos*que, ac *Venetos*, & omnem ejus belli societatem, quod ante habitis voluminibus jam retulimus, *Nicolaus* auctore *Martino* Romano Pontifice composuit, brevissimum [6] sequutum silentium armorum. Dux quidem reficiendis copiis intentus erat, quibus vel reliquam imperii potestatem contineret, ac servaret. Nam *Brixia*, ac *Bergomum* pacis illius fœderibus ad hostes concesserant. Illa ferme initio belli deditione proditorum capta; istud extrema pace ad redimendam vim concessum. *Florentini* quoque restituendis damnis vacabant, quibus per omne bellum pene erant consumpti. *Veneti* item sive aliam occasionem expectantes, sive quæsitis rebus contenti, sive & ipsi tandem eo bello fatigati, cum suo *Carmagnola* primo illius belli auctore, ac Duce quiescebant. Omnes tamen conversi quisque in suos, ita ex Vectigalibus alia vi exigebatur quicquid bello depensum erat. Clades pene tristior, quam in ipso belli tumultu erant passi. Soli *Bononienses* ex eo bello locupletes facti, quippe cum *Philippus* in *Tuscia* bellum gereret, crebro euntium ad bellum ex *Lombardia*, aut redeuntium comitatu nunquam *Bononiæ* ab convenis cessabatur. Urbs præterea opportuno loco sita, vix ut possis intro [7] in *Italiam* non ea ingredi. Itaque fiebat tanta procursantium frequentia, cum [8] una omnes admitteret belli partes. quicquid aliunde expilabant, eo congerebatur. Hæc vero communis labes, Civitates haud minus corrumpi successu, quam calamitate affligi. Id *Bononiensibus* quoque evenit, nihil ut minus quam pacem curarent, cujus ferme beneficio in eam opulentiam venerant. Civitas quidem ecclesiæ nomine regebatur. *Ludovicus Sabbatiensis* legatus præerat. summa interim, vel quod ad Cives, vel ad rectores attineret, innocentiæ, & æquitatis negligentia. Aliud quoque malum Civitatem in exitium urgebat, quod in diversas factiones divisi erant. [9] *Canetuli* novi homines novis quoque opibus, ac viribus confidere. *Baptista* una & fratres factionis suæ duces erant. *Bentivolii* altera factio. Primus *Antonius* solus superstes filius *Joannis*, qui quondam dominio prolatus, cum sese *Florentinis* adjunxisset, patris *Philippi* temporibus trucidatus Civitatem amiserat. Utrosque ita ceteri quique sequebantur, quamquam *Antonius Romæ* apud Pontificem, ne domi seditionis causa fieret, amici specie tenebatur. In Civitate simul partes erant, ita ut tumultum pariter [10] spectare viderentur. [11] Aptiores tamen ad injuriam *Cannetuli*, quorum duces domi essent. alterius enim partis nullum præsens, nec satis certum caput, tametsi optimi quique ac nobilissimi sese in eam partem contulerant, præcipue qui ad Orientem Civitatis habitabant, *Osulani*, *Mancioli*, *Lambertini*, [12] *Aloysii*, *Malvesiique*. Illinc Populi, una in civitate domus vetustissima, ac celeberrima, novis affinitatum pignoribus juncti favebant. Tum [13] *Bononi*, *Fuscarii*, ante cæteros seditiosissimi, *Guffones*, ac dicti *Giambeccarii*. Hi fere ad sanctum *Franciscum* adversum urbis latus tenent. Sic deinde omnis Civitas divisa; dum quisque suum favorem sequitur, nec integrum quicquam, nec sanum. multitudo perditorum, quibus res domi egens; nec lex, nec conscientia, nec metus, aut pudor; hi in dies & augebantur, & odia pro viribus exercebant. Itaque crebri tumultus, diurnæ, nocturnæque seditiones, homicidia quoque impune perpetrata. Omnia tuta erant audentibus, nec minas, nec manus temperabant. Hoc modo tanquam in gravem morbum paulatim civitas in pessimam facinorum consuetudinem decidit. Quæ demum animos dedere posse subtrahi ab ecclesia Civitatem, ita futurum, ut qui primi motum fecissent, hi primum locum in civitate haberent. *Canneetuli* cum paucis consilium cepere, quorum sane pars ad manifestam vim si quando concurrissent, erat infirmior: nec liberi metu esse poterant, quin idem inimici facerent, quos præsertim ipsi [14] creberrimis injuriis lacessebant. At non eadem causa erat adversæ partis, cujus hi potissimum nomen haberent, qui semper Ecclesiæ Principatum adjuverant. Conjurant igitur *Cannetuli* vel cum inimicis, si se inferiores pati nolint, Ecclesiam pellere. Duces factionis *Baptista Cannetulus*, *Bartholomeus* Abbas *Giambeccarius*, simul utriusque fratres & propinqui; inter quos *Maximus Marchus Cannetulus*. hic etiam ordinem militiæ gerebat, ([15] quem illi legatus præses contulerat) magnam manum equitum ducentem. Itaque sive consensu sive dissimulans apud *Medesanum* non ferme absque suspicione permansit, quod qua nocte facinus est perpetratum, ipse in Civitate per diem erat visus. Verum auxilio apparuit *Ludovicus sancti Severini*. Hic cum *Venetis* exercitum scripserat. per eos igitur dies *Bononiæ* impeditus, dum [16] turmis, armis, atque equis muniret, ipse quoque a *Baptista*, cui dudum familiaris fuerat, rogatus manus promisit. Ita & partibus, & auxiliis instructi rem, ac diem componunt. Erat primus dies Augusti, tempus & ipsum rebus opportunum, quippe posse Civitatem, si quid contra pararetur, facilius sub hyemem resistere, jam omni rerum copia collectis circum omnibus abundantem. Itaque illius diei nocte ad arma concurritur. Multi ex plebe vel antea docti, vel tum quod erat suspicantes, alii vocati ad tumultum con-

[1 cum puella Rebecum tribus millibus propinquum, a fratre]
[2 Stephanus]
[3 ac]
[4 peperisset.]
[5 nunc]
[6 secutum est armorum silentium.]
[7 intra Italiam]
[8 omnes una belli partes admitterent. quicquid aliunde expilabatur, eo congerebatur.]
[9 Cannetuli]
[10 expectare]
[11 Acriores.]
[12 Aloysii]
[13 Bonomi]
[14 celeberrimis]
[15 (quod]
[15 turmas armis]

conveniunt, subeuntque in forum, omni aditu, ne qua irrumpi posset, obsesso. Tum palatium valida manu cingunt. In palatio erat legatus cum paucis, novitate, ac perturbatione rei attonitus. Nemo fere in ea seditione quietem tenuit, etsi nundum tanti mali vis intelligebatur. Ubi vero illuxit dies, [1] aperuit facinus. Visi primi *Cannetuli*, Abbas *Giambeccarius*, *Petrus* [2] *Raponus*, & ipse Presbyter. Hi simul palatio sese ostendunt minantes, ni daretur, irrupturos. Illi, quod & pauci numero erant, & inter paucos corrupti, aditu ægre arcent. Alii adversæ factionis re cognita apud [3] *Malvetios* interim convenerant, de civitate cum inimicis dimicaturi. nec impares ad vim, si ad certamen ventum esset. Verum *Nicolaus* ipse *Bononiensis* e familia Hospitatorum, & illius civitatis Antistes, metuens, ne omnia sanguine fœdarentur, inter partes pro pace laborabat. Accepta igitur a *Cannetulis* fide, cæteros jussit arma ponere, quæ res omnia in exitium vertit. Quippe illi haud stetere promisso. dum enim ille palatium pro fœderibus ingrederetur, quasi verba terentes, pedetentim ad januam simul venerunt: Nec morati uno impetu vestibulum occupant: sic cæteri deinde collecta manu intro irruunt. Ibi captus legatus: capti, aut dissipati omnes, qui in palatio fuerant. Momento direpta omnia plurima ipsius legati supellex in prædonum potestatem venit, maxima pars ad *Giambeccarios*. Inde paulo post in domum *Marci Cannetuli* ductus. sui omnes a satellitibus spoliati. Nec deerant, qui capto illuderent, ultroque acerbis conviciis insultarent: hæc illum habere, quod pro avaritia æquitatem neglexisset: multique ita recte sentiebant evenisse, si non ultra ad defectionem tetendissent. Cæterum hæc erat desciscendi merces, spe quidem libertatem præferre, re vera partes in libera Civitate dominari. Itaque se ipsos primum in summo Magistratu creant, omnemque plateam in modum castelli armatis muniunt. Quod ubi Hospitatus Cardinalis agi vidit, suspicatus quod futurum erat, venturos ad se, ut utriusque Centi claves traderet, nocte insequente mutato habitu ex *Bononia Mutinam* profugit. Illi mandato per præconem cives ad asserendam libertatem convenire jubent, data omnibus veræ [4] communitatis, & æqualitatis spe, se quoque in populi potestate fore, modo intelligant, oportere civitatem adversus Ecclesiam defendi. Itaque uno consilio eam libertatem decernunt, nec admittendos ultra Ecclesiæ Gubernatores, quin ipsum legatum ad reddendam [5] pecuniæ rationem cogunt; nec tamen adversæ partis hominibus publicos honores negant. itaque ex utroque corpore novi primores creantur, præside *Marco Cannetulo*, ne qua posset susceptum maleficium seduci. Sed jam extrinsecus novi motus parabantur. *Nicolaus Tolentinus* rem peractam videns interim cum exercitu apud Medicinam secesserat. Itaque Bononienses ad eum mittunt: ad sua negotia abeat, quando nihil illi ad res *Bononiensium* sit. Ille tanquam per jocum se id postea facturum, respondet; velle paucos dies reficiendis equis per arva morari. Illi rati primum auctoritatem suam ludi, præterea male tutum fore, ubi ille in hostem transiret, suspicionem tamen dissimulant. [6] Ac nocte altera [7] assumpto *Ludovico*, quem ante diximus restitisse, ad *Nicolaum* pergunt, improvisumque adorti, loco deturbant, plus quadringentis captis ex societate, omnique illius direpta gaza. Vix ipse tumultu impeditus cum paucis evasit. Qua præda *Ludovicus* refectus est, multique ex *Bononiensibus*, qui in partibus erant armati. Orant itaque *Ludovicum*, ne se deserat, facturos cum *Venetis*, ut illum *Bononiæ* esse patiantur. Ille tametsi aliis stipendiis spoponderat, tamen alacer *Bononiensium* tutelam suscipit, præcipue Romano Pontifici infensus, a quo erat in *Apulia* haud paucorum castellorum privatus dominio, non futuram unquam fortasse occasionem arbitratus, qua liceret injuriæ vicem rependere. Itaque annuentibus, ac lætis omnibus ejusce belli dux declaratur. Sic freti ad capienda castella proficiscuntur, nam omnia nomine Ecclesiæ tenebantur. Primum omnium castrum Sancti *Johannis* populosam, munitumque non difficili deditione occupant. Proximum inde *Castrumfranchum*. Sic pleraque intra paucos dies in potestatem venere. At hæc nuntiata *Martino* Pontifici omnem Curiam mille curis impleverunt. Id maximo timori erat, ne cæteri qui sub Ecclesiastica ditione erant, exemplum sequerentur. Tum ut sunt fere mortales rerum novarum cupidi, tum quod nonnulli populi *Martini* potentia suis Dominis privati erant. Id vero accidit, vix [8] ut Dominum pepuleris, aut amiseris, quam desideres. *Imolani* suum *Ludovicum* affectabant, *Forlivienses* itidem *Ordelafos*. Eodem pacto *Esculani Carrarios*, *Firmani* suos expectabant. Eadem spes multis quoque vel [9] *Etrusis*, vel *Campanis*, atque *Apulis* erat: præsertim quod se avare vexari existimabant. Et hæc [10] causa de *Bononiensibus* ferebatur, non potuisse ferre civitatem continuis vectigalibus exhauriri; nam in publicum redacta omnia deportabantur, quamvis omni alio onere liberi essent. Hic metus, adjuncta indignitate injuriæ, præcipue spoliatorum Cardinalium coegit rem non negligi. Itaque mox mandatum copiis, quorum maxime Dux *Jacobus Caudorius*, *Bononiam* properarent. Cæteris quoque, ut in oppidis, & castellis morabantur, imperatum eodem convenirent. Jam vero Cardinalis *Mutinæ* quoscunque potuerat, conflaverat, auxilia pro necessitatibus submittens. *Nicolaus* quoque *Ferrariensis* Marchio, statim ut [11] res audierat, expeditos quosdam tutandis locis, quæ ad se jacent, submiserat. *Lucanus Ladislaum*, qui in exercitu *Philippi* fuerat, unum e filiis non levi manu sustinendis rebus in *Bononiensem* agrum destinarat. Item ex *Forlivio* alter legatus *Dominicus Capranicus*, vir impiger, jam ad Castrum Sancti *Petri* in *Bononiensi* agro advenerat. Et *Carolus* Ariminensis omnia pro viribus administrabat. Hæc ante hyemem parata populum *Bononiensem*, ut est in [12] hujusmodi omni audacia instabilis, quamprimum fecerunt, ut stultitiæ pæniteret. Vix enim inter hostes circumventi, aliud quam obsidionem spectabant. Nam ut advenit *Jacobus*, munitaque sunt in plano *Mutinam* versus castra, omnis agrorum libertas adempta est. *Antonius* quoque adversæ factionis princeps, eo ab summo Pontifice dimissus, intra paucos dies omnia montium castella, dedentibus sese paganis, tenuit. Multi ex *Bononia* in dies exibant, multi pellebantur, multi in civitate vinciebantur, opprimebantur, trucidabantur, tanquam id solum metuerent, ne parum viderentur admisisse. Interdicta omnis civitas: sacra omnia impedita: dimissum usque quaque adversus ipsos defectionis Duces sævissimum anathema; nec obsessa modo, sed capta civitas videbatur. Nullum nomen quam Ecclesiæ, quam fidei, aut Religionis infestius. Præcipue Conventus Sancti *Jacobi* (ipse est noster ordo, nam altera pars circum fere habitat) invisus erat. quotidie ignes, ruinæ, cædes Fratribus minitabantur. Unum, quia dictus est campanas voluisse pulsasse, statim suspenderunt. alium fermeamplius sexaginta annos natum, ut pecuniam daret, conjectum in vincula necaverunt: aliquot columnas exte-

[1] apparuit [2] Rampoaus [3] Malvicios [4] comitatis [5] tractatæ pecuniæ [6] At [7] coassumpto [8] ut civium [9] Etruscis, [10] enim causa [11] rem [12] omni

exterioris porticus nocte diruerunt. Sic cæteræ
Ecclesiæ variis contumeliis ac damnis sunt affe-
1 armatus ctæ. *Giambeccarius* [1] Abbas rapta Episcopi Domo
Episcopatum gerebat: raptis omnibus, quæ prio-
ris Cardinalis fuerant, ubicunque audire poterat
rem illius servari. Nec civibus parcebatur; fa-
ctus enim maximus exulum numerus, qui vel
in castra exierant vel in civitate suspecti habeban-
tur. Multi quoque aliena confinia servare jussi
diversas civitates impleverant. Comprehensi qui-
2 est que, ubi quid suspicionis exortum [2] esset, inaudi-
ti occidebantur. Unum maxime, quo die necave-
runt fratrem, egregium civem Alemanum, co-
gnomine *Albulum*, capite punierunt. Hæc res in
civitate gerebantur, si tamen erat civitas, cujus
pene plus dimidium exulabat. Castra interim Ur-
bem munimentis sepserant, raptis villarum tectis,
3 casas fractisque ruinis, unde sibi [3] casus per hyemem
faciebant. Itaque omnia ad ignem corripiebantur,
ut facile stratis omnibus ex Urbe per planos agros
ad quinque millia passuum (quod miserrimum
erat) circumtueri posses. Nec minus illi in civi-
tate periculum, quam hi in castris laborem tole-
rabant; modo in dies quippiam malorum edere-
tur. Quæ cum plurima essent, neque tamen hoc
deerat, quod fere obsessos sequitur, pestifera
lues per corpora vagabatur. Necessarium enim fie-
bat perpetuis vigiliis ac motibus fatigati, & omnium
rerum penuria, & incommodis affecti pestem con-
cipiebant. Spes quoque omnis deseruerat; nam
neque *Veneti*, ad quos *Marcus* Legatus ierat,
auxiliis respondebant. Vix ferme Legatum ob-
servantia anathematis privato colloquio dignaban-
tur. Quin idem *Marcus*, seu tot majorum pon-
4 qui dere strictus atque afflictus, præsertim [4] ut qui ar-
rogantissimus esset, seu cum his omnibus divina
ira urgebat, per id tempus ultimum diem *Vene-
tiis* haud minore animi quam corporis morbo
periit. Nec *Florentini* sæpius rogati quicquam fi-
duciæ præstiterunt, ultro exprobrantes, nunc sese
ipsi tuerentur, qui paulo ante suos riserant. Effe-
rati tamen animi omnia subibant, omniaque expe-
riebantur, vel quæ in hostes, vel quæ ad tutanda
mœnia valerent; Quippe in castris hinc *Nicolaus
Tolentinus*, superioris jacturæ memor; hinc *Anto-
nius* Patriæ cupidus, acerrime instabant. Circum-
sistebant omni ex parte exules, vix ut sinerent
aliquod Oppidanis consilium succedere. Sæpe
etiam in muros conscenderunt, paulumque abfuit,
quin mœnia caperentur. Nec pene dubium, si
*Jacobus* Castrorum Ductor eadem vel vigilantia,
vel cura, aut fide rem gessisset, quin fuerint
Civitatem recepturi. Cæterum eo jam ven-
tum erat, ut vel inscio, vel invito Duce,
privatis consiliis bellum agi oporteret. Itaque erant
crebri peditum & ex castris, & ex civitate discur-
sus, sub ipsisque muris sæpe tumultuaria fiebant
certamina. præterea ex munitionibus, quæ in
monte ad fanum sanctæ *Mariæ* sitæ erant, nec dies
nec noctes machinæ ac balistæ cessabant. proruе-
bantur in mediam Urbem globi lapidum, quo-
rum solo crepitu omnia pavore intonabant. Tri-
buto quoque in civitate se ipsos onerabant, id-
que plebi infestissimum; nam publici quæstores,
missis satellitibus, domos scrutabantur. Hic do-
mesticus luctus, admota etiam peste, publicorum
malorum sensum minuebat. Quibus ita excrescen-
tibus, ut non jam futura esset *Bononia*, decre-
verunt iterum civitatem Romano Pontifici red-
dere, facturi omnia quæ vellet, modo ne co-
geret exules recipi. Ille ut qui modo civitatis pos-
sessionem quæreret, postulatis consensit. Iterum
ergo *Bononiam Martinus* a *Cannetulis* recipit, nam
semel ante decimum annum ab *Antonio* adversæ
factionis duce, *Braccio* armorum rectore, simi-

A li bello acceperat. Infelix profecto civitas, quæ
cum cætera pæne ad felicitatis cumulum habeat,
cives tam inconsultos habet. nec constare possunt,
nec mutationem regere sciunt, unam omnibus re-
rebus [5] prænecessariam opportunitatem minime cu- 5 per necessariam
rant, nec libertate uti, nec regi imperio possunt.
Vix igitur circumacto anno *Bononienses* [6] iterum 6 Ecclesiæ dicuntur
ecclesiæ dedunt, iniquis sane (ut vulgo [7] est) fæ- 7 sermo est
deribus. Quippe magnus exulum numerus, quo-
rum potissimum manu, [8] & periculo hostes sub- 8 ac
acti erant, excluditur, paucis ferme, qui [9] pa- 9 pacatiores
catores fuerant, velut per speciem introductis,
B tum ut Civibus sui Magistratus & domi, & fo-
ris per Castella ditionum essent, munitiones ta-
men universæ ecclesiasticis præsidiis tenerentur.
Castrum Sancti *Petri* ob unicam fidem ac dili-
gentiam suis legibus est dimissum. Urbem, ve-
ctigaliaque *Martinus* habeat, verum ut pari præ-
sidio custodiatur, quo & illi tuti sint, qui Civi-
tatem tradiderunt. Ita denique alter legatus *Luci-
dus* Comes Cardinalis, ac Romanus Civis datur,
qui ut commodum ecclesiæ visum fuerit, res ad-
ministret. Tum amoti exercitus [10] *Romam* ad Pon- 10 Romani
tificem reverterunt. *Nicolaus* cum *Philippo* ad fu-
turum stipendium convenit, binis hominum mil-
libus, quorum tres partes equitum erant, condu-
C ctus. Nec *Bononiæ* tamen quieti animi, cum tan-
ti exules essent; itaque & portarum custodias
providentius disponunt, neque aliud per consilia
agitur, quam & domi, & foris omnia observent.
In fine anni *Carolus* & senio, & [11] languore gra- 11 langore
vatior in ultimum morbum decidit. Habebat ex
se filium quidem nullum, verum ex *Pandulfo* 12 tris
[12] tres nepotes, quos ferme ille [13] quidem *Brixiæ* 13 pridem
Dominus genuerat, quamquam illegitimo matri-
monio natos, filiorum tamen loco habuit, qui ex
fratre essent geniti, nam is quoque ante annum
decesserat vita, filios commendans fratri, quos præ-
terea fecerat in jus filiorum summa Pontificis aucto-
D ritate transferri. His igitur eo jure heredibus relictis,
*Carolus Arimini* moritur, legato ad majorem *Ro-
bertum* eodem *Arimino*: alteri *Dominico Fanum*
dat: tertium item *Cesenæ* Dominum constituit;
distributis, ut visum fuerat, in omnes circumja-
centibus castellis. Id nimirum ægre tulit conso-
brinus *Malatesta* [14] *Pisaurius*, spurios novo more 14 Pesaurius
in familiæ hereditatem inductos esse. Itaque apud
*Martinum* Pontificem queritur, simul universæ
curiæ Cardinales, [15] ac patres circumveniens. Nec 15 circumiens ac patres.
videbantur injustæ omnino hominis querelæ. tan-
tum [16] efficit: illi ferme sunt damnum passi, nec 16 effecit
E sibi tamen quicquam tot lamentis adjecit. Man-
dato igitur Pontificis subrepta est *Ariminensi*, &
*Guidoni*, qui Urbinum tenebat ~~dono~~ data plera-
que per id locorum ignobilia castella, ac præte-
rea quædam armis, & oppugnationibus in illius
potestatem venerunt. Habebat [17] is conjugem 17 hic
Martini ex sorore neptem. Burgum sancti sepul-
cri nobile, ac dives, & populosum Castellum
Martinus ipse pro se voluit, quo nihil unquam
*Carolus* carius habuerat. *Britanorii* quoque mu-
nitiones suo nomine, atque ecclesiastico præsidio
servari statuit, quæ semper [18] Malatesta jam se- 18 Malatestæ
ptuaginta annos velut familiare dominium [19] pos- 19 possederant.
F sederat: cum in cæteris ecclesiæ auctoritate do-
minarentur. Vexilliferi enim ecclesiæ diceban-
tur, tanquam in eas terras Vicarii essent missi non
domini facti. Cætera inde, ut *Carolus* institue-
rat, præter hujus *Malatestæ* intentionem, sunt
dimissa. At fuit [20] *Carolus* nostra ætate singularis, 20 Karolus vir
modo intelligere potuisset, non secundum *Ro-
manos*, quorum videbatur imitationi studere, sed
in alia fece temporum vivere. Homo supra mo-
dum gravem se ferens, nec alteri in *Italia* de
virtute, aut continentia plus creditum maximis
quo-

quoque honoribus functus, semperque in omni Malatestarum familia parens habitus ac vocatus. Denique *Johannes Mediolanensium* Dux, hujus *Philippi* pater, & apud se vivens carissimum atque honoratissimum habuit, quamquam illi prius in *Mantuano* bello perniciosissimus hostis fuerat, & moriens inter filiorum tutores [1] primum nominavit. Is vero semper esse voluit, qui nulli existimatione quadam aut virtutis auctoritate concederet, fortunatior, credo, ac suis civibus levior futurus, si paululum eam opinionem remisisset. At satis est ista memorasse. Tum per sequentem hyemem *Florentinos* quoque *Volaterrana* defectio movit, nec magis gravitate curæ quam metu exempli, ne cæteri (omnes enim premi se putant, quicunque *Florentinum* jugum sustinent) idem facerent. Exhausti, ut ante diximus, superiore bello, omnibus locis requirebant, quo pacto ea damna resarcirent. Itaque novo quodam more in omnes subditos aliud exigendæ pecuniæ onus (illi [2] catastrum vocant) imponebant. Subditi præsertim ditiores quique id maxime horrere, & quod nimium consuetis tributis gravati videbantur, ne dum cæteris malis hanc exactionem assumerent, & quod omnem suam substantiam hujusmodi conscriptione vulgari, ac pene numerari videbant, quibus nihil post recusandum esset quocunque onere adjecto. Multi igitur ex singulis civitatibus, Castellisque detrectantes conjiciebantur in vincula. Plenus *Florentiæ Pisanorum*, *Volaterranorum*, *Pistoriensium*, *Aretinorum*, *Cortonensium*, reliquorumque oppidanorum, veluti reorum, carcer. præcipue *Volaterrani* querebantur, non se his fœderibus quondam in *Florentinam* potestatem venisse, quin imo nec subditos [3], sed pene socios debere appellari, primum pactos, ut suis legibus viverent, nec præter constituta quædam subsidia gravarentur: quæ tamen non servata, impositis in dies gravioribus sarcinis, fuerant. non posse civitatem tantis sumptibus superesse, jam depilatam, excoriatamque hominum cutem, carnem modo laniari, sanguinemque penitus hauriri. Nempe non modo divitiæ, verum etiam artes, ingenia, officia, corporaque æstimabantur. Nihil miseris querelæ proderant, nec jure, aut clementia causæ tractabantur, cum a *Florentinis* quoque judicibus justa requirerent. Erat inter cæteros clausus civis *Volaterranus*, cui nomen *Justus*; vir certe alia civitate dignus. Hic adhortatus socios omnia suscipere, quando adversus vim nihil aut jure, aut precibus ageretur: aliud in animo consilium [4] servans. Hac igitur sponsione domum remissi de ferendo jugo cogitant. Ille vero libertatem majore [5] quodammodo spiritu concipit, tametsi videt rem iniquo tempore tentandam. Nec facile patere tanto incepto viam, consuetis omnibus tolerare jugum: denique omni civitate [6] consiliis, armisque nudata. Erant enim paucissimi, quibus de tanto facinore rem committendam crederet. Plus demum sperare in reliquis Civitatibus, atque oppidis, quod pari aut etiam majore difficultate adacti exemplum sequerentur: postremo irritandam fortunam: nihil posse rebus afflictissimis [7] nocere, audatiam sæpe regere animos, quos fecit. Tum quibuscum visum est vel cognatis, vel vicinis, quorum fides erat familiarior, colloquutus. Vix tempus, antequam signum dat, gerendæ rei. Ita paucis comitatus [8] per oppidum discurrens ad libertatem conclamat. Momento erecti omnes, audito libertatis titulo. vulgo jam nomen, & vocem sequuntur; oppidum per brevi facileque occupant; quippe ubi nec in portis, neque in arce, aut [9] palatio præsidium ullum esset. *Florentini*, ut rem audierunt, majus aliquid veriti,

[1] testamen-... primum [2] catastura [3] ...sed socios [4] reservat [5] quodam [6] armis consiliisque [7] ...noceri: audaciam [8] ...in oppi... [9] ...palla.

A ne pluries eadem voluntas ad simile facinus impelleret, haud parum sunt commoti, ut qui nihil magis metuant (prorsus armorum expertes) quam prope domum periculum sentire. Magistratus, quos illi Priores vocant, repente consilium cogunt, ubi pluribus sententiis disceptatum. omnes vero intelligebant causam defectionis, (cum nihil obscurum esset) ob intolerandas calamitates illos descivisse: ut referrent nonnulli omnem [10] tributi illius rationem universis subditis remittendam. Id minime pluribus placere, quippe nulla ex omnibus gentibus pecuniam plus colit. Cæterum eodem fere die, quo *Volaterræ*

B defecerant, plerique ex propinquioribus castellis, non tam Florentinorum fide, aut caritate, quam veteri in *Volaterranos*, ut fere vicini solent, invidia ad tumultum concurrerant, prædaque acta, & rescissa, domum sub oppido constiterant, atque ex his tamen complures saucii cum præda redibant. Convenere item subitarii quidam equites, quos inter castella dispersos habebant: mox accersiti, ut defectio est audita, ita segne bellum videbatur: præter quod stipendiarii circum Volaterras constituti in villis per licentiam more suo omnia diripiebant, pene infestiores agricolis, præsertim ad ea mala insuetis, quam quod ab

C hostibus possent pati. Factum interim *Florentiæ* de mittendis legatis decretum prius, ut animos experirentur, si consilio, & verbis possent ab incepto revocari. Optimus visus *Pallas Strozzius*, Vir in ea civitate honoratissimus, atque in primis apud omnes *Florentinorum* vectigales humanitate, & clementia carissimus habitus. Is *Gambasium* postquam venit (sic vicum appellant, octo millibus a *Volaterranis* [10] distans) excitos quosdam [11] cum ditiores, tum *Florentini* nominis cupidiores perbenigne allocutus est, sua potius quam publica beneficia commemorans, quem illi potissimum scirent semper rebus suis studuisse; id

D quoque obtestatus, ne cogerent *Florentinos* stipendium facere, non enim tam facile iram postea remissuros. quam spem vero habere illos posse ad vim *Florentinorum* tolerandam, quibus nulla esset pecunia, nec arma ulla haberent, quibus corpora tuerentur? novam rem inexpertis bellum fore, cujus pene alius exitus sit quam spes prætulerat. denique omnibus locis ac rebus occlusis quid aliud quam obsidionem, turpioremque deditionem posse expectari; postremo, ubi essent capti, eorum sumptibus, ac damnis, bello satisfieri oportere. Illi intenta viri majestate, privatimque in

E singulos amicitia, pauca, objecto in quosdam *Florentinos* fœnore, questi, tum quod nec [12] publica fœdera, quibus primum se ipsos tradiderant, servarentur, nec miserorum audirentur voces, civitate omnis generis [13] calamitate oppressa. Denique advoluti genibus, lamentis, lacrymisque orare, ut sui ipse misereretur, quem semper essent innoxium suis malis experti. Sic ille spe quidem diversos implevit, clam vero, quorum ingenio plus fidebat, modum, & consilium dat gerendæ rei, quo pacto priusquam inimici aliud possent, interceptum oppidum restituerent, in omnes pollicitus adnixurum se in senatu *Flo-*

F *rentino*, ut meliores inde vices consequerentur. Illi domum redeunt, vocatique ad Priores, qui publicus erat Magistratus, referunt datam sibi a *Palla* non modo veniæ, verum etiam gratiæ spem, repetitis omnibus, de quibus in colloquio egerant: ipsi modo viderent, potius ne esset præsentem conditionem ampl[e]cti, an sine ullis viribus [14] adversus *Florentinos* bellum tenere. Segniores alius alium circumspicere. [15] apparebat bellum publice damnari, denique ut justiorem apud *Florentinos* gratiam pararent, sævum aggrediuntur faci-

[10] ejus tributi [10] distat) [11] tum [12] publice [13] calamitatibus [14] adversum [15] jamque apparebat

facinus. In Magistratu adhuc iidem erant, qui seditionis tempore fuerant. Itaque ne viderentur defectioni consensisse, auctoris nece probandam innocentiam constituunt. Nec mora, accitum *Justum* intro in Palatium confossum aliquot vulneribus simul plures corpore arreptum e foribus alte præcipitant. Ita morte optimi Civis, ac, si ita dicendum est, justam libertatem meriti *Volaterræ Florentinis* redduntur. Nec receptis firma fuit gratia, nam & primum agris mulctati sunt; id enim quibusdam castellis promissum fuerat, non esse deinceps *Volaterranis* parituros, si in fide *Florentinorum* perstitissent, & tributum, quod voluerant divisum, atque impositum est. Atqui visus est etiam Deus scelus sentire atque horrere. Protinus enim gravissima pestis hodie quoque durans (nam hoc anno res acta est) successit, nec aliud sunt ex ea defectione assequuti, quam quod liberatori suo ingrati, sibimetipsis præ pœnitentia invisi, usquequaque neglecti, vulgo jam pro *Volaterranis Vileterrani* nuncupantur. *Bononiensibus* quoque non diutius læta fuit pax, quippe quorum animi turbulentissimi erant. Itaque suspicionibus undique intenti omnia scrutabantur; fuere tamen qui viderentur pacem appetere, quæ vix commotis rebus haberi potest. complures enim sponte ad legatum convenerunt, quibus inter se nundum hausto multo sanguine leviores fuerant offensæ. Hi jurejurando omnes data, acceptaque injuriarum, si quæ essent, venia concordiam statuerunt; atque ex ea re Oratores ad Pontificem missi, reliquum civitatis statum componerent, quando ipsi pro se in pace essent futuri. Neque ita, quod fere accidit, multo post
1 fecere *Canneruli* cum Abbate tumultum [1] facere, non tamen ultra progressi, quam ut perfracto carcere dimissis quos volebant, simul concessa omnibus fuga, intelligi facerent pro arbitrio esse Urbis statum, quotiens seditionem molirentur. Cæteri nihil moti quidnam acturi essent domi operiebantur. Parvo inde tempore interjecto in Palatium ad Magistratus deferunt, pro comperto se habere conjurationem in Civitate fieri, ut exules nocte reducantur. Culpati adversæ factionis principes, ut quisque erat inter partes optimus. Igitur missis nuntiis multi ex his in palatium vocantur, tanquam publice quippiam in concilio agendum sit. At constituerant simul ut omnes (erant autem super quadraginta optimorum civium) interficerent. Plures seu facinus suspicati; seu publicorum officiorum negligentia detrectarunt. pauci, ut conventi erant, servantur. *Eganus Lambertinus*, *Nicolaus Malvitius*, *Johannes Marsilius*, tresque alii haud contemnendi, quorum *Bagarotus* nullo ignobilior, stirpe *Alborum* etiam se ferebat ex *Catilina* descendisse. Medio igitur noctis satellites intromissi, qui facinus agerent, *Ludovicus Cannetulus* adolescens jam per omnia crudelia expertus intererat. Armati omnes, nudatisque ensibus, mox clausis horrendum omen præbuerunt. Ibi omnium cædes est peracta, præter quod *Johannes* uni satellitum, cui notior erat,
2 inter brachia sese dedit, [2] sese in brachia dedit, ab eoque est servatus. Fertur *Eganus* primum ad se venientem pede in parietem avertisse. Ast alii renovatis ictibus juvenem cum cæteris trucidarunt. Additur flagitio, Abbatem, etsi non omnino certum traditur, ad ostium stetisse tanquam ludibrio satellites orantem, qui strenue rem perficerent. Mox truncatos, & mille vulneribus fluentes adhuc tenebrosa nocte in proximum palatio hospitale Mortis ferri jusserunt. Mane igitur audita, & conspecta corpora civitatem summo terrore impleverunt. Legatus ipse paucis e familia relictis Imolam excessit. Nemo in ea civitate non facinus expavit, fle-

A vitque, quippe nefarium, dirumque scelus, tantos cives more pecudum indicta causa trucidatos, unum præcipue *Eganum*, multi quoque inimicorum lamentabantur. Quem profecto, & ipse si possim percupide velim his [3] libris immortalem fecisse, supremæ indolis, totiusque urbanitatis humanitatisque adolescentem. Sex credo, & viginti annos natus erat. Miserabilior his visus, qui patrem quondam impia nece, cum unus esset justus patriæ patronus, necatum meminerant. Summum itaque [4] illis diebus tanquam ex indicto per omnem civitatem silentium fuit. Versabantur ante oculos sceleratæ species, nec quisquam erat,
B qui non sibi pro tanta crudelitate supplicium metueret. Nec tamen [5] cessatum est; nempe alium, qui in palatium venire noluerat, itidem bonum Civem Domi interfecerunt. Quamobrem, & *Johannes Malvitius Nicolai* illius consobrinus, & ex aliis vocatorum multi per muros fuga excesserunt. Missus inde [6] per plateam præco nuntiat, si quis ejus conjurationis vel verbo, vel auditu particeps fuerit, rem ut scierit ad Magistratum deferat, impune eam confessionem fore; enimvero intellectum inde est, omnes qui adversæ factionis haberentur, eodem crimine ad necem peti.
C Itaque & conscii, & inscii, ut quisque potest dilabuntur, metu [7] sane, ne propalantes confessio damnet, silentes suspicio. Is terror in Urbe penitus solitudinem fecit. Omnes Centum, quod Castellum *Nicolaus* Cardinalis servat, aut in castrum *Sancti Petri*, atque inde per agros in Villas sunt dispersi, [8] quaque ibant, terrorem atque odium concitantes. Quibus rebus irritati exules, & ipsi parant, si quid possint in hostes efficere. Paucis diebus castrum *Sancti Gregorii Ferrariam* versus capiunt. *Plumacium* Castellum in Montibus situm occupant, usquequaque cæsis, qui *Cannetulæ* partis occurrerunt. Namque, & unus exu-
D lum collecta agrestium manu ingressus *Lojanum* præpositum [9] ejus oræ interfecit. Sic *Bononiæ* se res habent, dum illi in civitate, per campos isti cædem agunt. Accidere interim multa quæ, etsi alienum, non inutile forsan fuerit, priusquam aliis rebus initium demus, hoc loco interponi. Omnis Romana regio usque adeo peste affecta, ut non invento aere, qui salubritatem haberet, coactus sit *Martinus* cum omni Curia *Romam* redire. *Philippus* quoque per id tempus in *Placentinis* Montibus insidiatores quosdam expugnavit, captis suspensisque ducibus, qui Peregrini Comites dicebantur, nec ob aliud magis quam quod
E transacto bello *Venetos* ferebantur adjuvisse, nec potuisse *Venetis* jungi, qui velut privata quadam [10] factione ditionis *Philippi* essent. Alios item in littore *Genuensi*, qui tempore belli seditiones excitaverant, misso *Nicolao* confecit. Legationes inter eundem *Philippum* & *Venetos* perpetue de Turre juxta *Tritium* super *Abduam* posita pertinacissime disceptabant. Audita præterea multa. Relatum enim in *Gallia* apparuisse puellam, quæ se divinitus missam diceret [11] exorata *Carolum* *Francorum* Regem ad Regnum recipiendum. Eademque ipsa in exercitu comes omnibus consi-
F liis, rebusque adest. Nec vanum Oraculum, quippe jam & Regno, & spe, atque omni honore pene privatus degens, hodie ceteris acquisitis, caput Regni *Parisios* expugnat. Ex adversæ *Galliæ* finibus *Boëmi* decem jam annis infideles, vastatis quibusque obviis, gravissimo exercitu *Nyostro* propinquare dicuntur; denique ex Oriente *Turci* coactis viribus omnia infestant, capta *Tessalonica*, illustri *Venetorum* oppido. Hoc quoque minimum est quod referre volo, nisi quem forsan delectet [12] aliena cognoscere. *Baldus Aguabinus* iniquam tulit *Senis* Prætor sententiam adversus

3 litteris
4 ex illis
5 eo cessatum
6 in
7 ferme
8 quaque
9 illius
10 pactione
11 exhorta
12 aliena

versus *Philippum*; erat enim cum *Antonio* Cive *Florentino* disceptatio de pecunia, quæ quondam *Cabrini* fuerat; quindecim auri millia erant. Postremo igitur die, quam dedit, Magistratu abiens in vincula est conjectus, postulante id præcipue assessore, nam is contrariam tulerat. Ibique, quapropter & hæc dixi, fassus est, dudum se *Florentiæ* juvenem cum plebejo aconiti artifice consensisse, (mirum auditu facinus) venenum in plerisque doliis miscuerunt in pagis, qui circa

A [1] Scherpariam sunt; illuc enim transituri expectabantur *Johannis* exercitus *Philippi* patris ex *Bononia* in agrum *Florentinum.* Erant prope hominum quadraginta millia. Ad unum omnes, si unquam venissent, infra octavam diem (hæc veluti fatalis veneni vis erat) perituri. Sic sæpe fortuna relictos facinori demum ad pœnam revocat, datamque interim frustra pœnitentiæ veniam gravius ulciscitur. Sed hæc nimis.

(1 Scharpeniam.)

---

# LIBER OCTAVUS.



Mirum sane, quod in omni re dici fas est, supernæ providentiæ judicium, neque humanis consiliis par: semper [1] ut ea nobis paret Deus ac proferat, quæ ipsi minime existimavimus, tum vero proximum, quod fere ex parvis initiis ingentia rerum momenta, ac pericula oriri cernimus. Neque ipse in his casibus humanam temeritatem absolvo, cui nihil unquam satis constet. quin omnia illicita æque ut licita tentando educimus, prorsus inde, divinum quæ temere cæpta sunt, potenti lege moderari, nec rebus nostris parcere, modo illi laus debita referatur. Itaque licebit ex hoc bello, quod nunc scripturi sumus, quemcunque finem dederit accipere, qui noluimus interposita, & concessa pace uti. Quidquid modo cernimus (nam reliqua sunt incerta) id ex *Lucano* periculo est profectum, parvæ quidem Urbis, ac primæ Etruscorum, ubi *Macram* flumen transieris. [2] Quibus de rebus hic novus erit sermo, latiori [3] forsan volumine exitum quam primordia explicaturis. Ibi vero, ut jam dicere incipiamus, ne diutius ab armis cessaretur, tumultus non quidem sua sponte exortus, verum [4] ex ipso *Florentino*, quasi superioris belli memoria excidisset, altero anno sublatus est. *Paulus Lucæ* Dominus, plerisque Civibus *Florentinis* gravis, atque invisus erat, quippe & *Florentiæ*, ut in liberis populis factiones sunt, cum ille alterius factionis haberetur; *Cosmus* cognomine *Medicus*, & opibus & gratia, & paterno nomine plurimum in civitate poterat. Is ut ferunt, una & *Nerius* [5] *Cigni* filius, qui quondam *Pisas* ceperat, composito subornant *Nicolaum* dictum Fortis *Braccii* (nam *Braccii Perusini* nepos fuerat) quem *Florentini* cum quadringentis equis ab stipendio dimittebant, sese [6] in agrum *Lucanum* [7] ut ferat, ibi quidquid potuerit, primo ingressu occupet; se *Florentiæ* acturos, ne injuria factum videatur. Annuit juvenis, statimque ex Urbe profectus clanculo vicum (*Ruotam* vocant) vix ab *Luca* octo millibus distantem capit, indeque ut erat ardens animi, omnia exterret. Interim per speciem occultandi sceleris ferens ad repetendam Patrui pecuniam olim cum *Paulo* simili latrocinio pactam venisse. *Paulus*, [8] cui nihil esset in tempore ad arcendam vim paratum, ut in re subita, turbatus, mox litteris apud *Florentinos* injuriam queritur. Jam illi rem factam audierant, vulgoque (ut est gens petulantissima) flagitium ridebant; aliis pulchrum videri, si parvo negotio eam Civitatem occupare possent, magnum rebus priore bello afflictis fore subsidium. Exemplum capiebatur ex *Maradensibus*, ac plerisque [9] Apenninis, quos paulo ante *Philippi* respectum nullo labore expugnaverant; non aliter *Lucam* in manus venturam, si mediocriter *Nicolai* factum dissimulent. Responsum tamen litteris est, non esse id publice factum: *Nicolaum* ab se dimissum, suo Consilio periculum fecisse: daturos operam, ut ab incæpto [10] desistat. Ille nihilominus quanto tumultu potest, omnia reddit infesta. multi spe prædæ (nam in ubere agro res gerebatur) ad *Nicolaum* conveniunt. Factiones ex *Florentia*, alii *Nicolaum*, ut publice videbatur, facinoris admonent; alii sollicitant, atque instigant, acriter bellum gerat, rem quam maxime potest crebris excursionibus in periculum adducat. *Paulus* identidem litteris, querelisque repetit. *Paulo* plures erant filii; major *Ladislaus*, qui cum *Philippo* in armis fuerat; minor alius natu, etsi haud ex legitima Uxore natus, nihilo tamen ingenio, aut virtute animi impar. hi cum paucis, [11] vel quos prius habebant, vel statim primo tumultu coegerant, bello occurrunt; non tamen sustinebant hostium vim, quo minus jam numero plures undique postularentur. Interdum etiam [12] ad Urbem sub muros accederent. complures etiam ex villis muris septas ceperunt, ut pene videretur semifectum illo initio bellum, ac posse *Lucam* non multo labore capi. Voces interim *Florentiæ* non modo in [13] plebem, verum etiam in palatio variæ erant. Alii tollendum tyrannum, qui solus in *Tuscia* regnaret, accipiendam Civitatem, cujus accessione haud parum res *Florentina* juvaretur. multi quoque inimicitiam jactare, quod præcipue temporibus pestiferis fugitantes *Florentinos* non admisisset. At plurimum videbatur offendere, quod filius (ut ante dixi) cum *Philippo* gessisset arma. Adversæ factioni nihil erat præter unam honesti speciem, quod vel huic inimicitiarum procellæ, vel furenti vulgo opponerent. Illum enim paulo ante publice amicum appellaverant, ac fere jam inter socios, & commissos [14] habebatur. Nec præterea tam [15] facilem esse hujus belli victoriam, præsertim cum ærarium, quem illi Montem vocant, nihil ultra priores sumptus posset pati. Denique multa inter bellandum nasci, quæ haud sint expectata; facile invicem conciliari Dominos, ac, si modo minima vis *Lucano* adjungatur, rem non tolerabilem *Florentinis* esse. Hoc modo sententiis senatus ille in dies trahebatur. Vicit postremo respectus commodi, factumque (tanta factionis potestas erat) de *Lucano* bello decretum. Nec aliter indictum quam quod scripserunt *Nicolao*, acerrime omnia jam pro *Florentinis* gereret. At paulo [16] post eodem *Berardinum Cardanum* octingentis datis equitibus miserunt. hæc pene summa virium erat. In dies tamen aliquid supplementi addebatur, eo ferme dum bina millia expleverunt. Pedites magna pars ex castellis lecti, quæ res subjectis molestissima erat, nam simul & gravissimis tributis, & castrorum laboribus angebantur. *Lucanus*, quod solum poterat, primum *Florentinos* usque quaque litteris diffamat, [2] non ad ipsos tantum probra, & contumelias perfide scribens,

(10 absistat) (11 quos vel) (12 sub muros ad urbem) (13 plebe) (14 habebant.) (15 facile ejus belli) (16 post Berardinum Cardanum eodem)

bens, nunc ſe expugnari, quem paulo ante junctis fœderibus ſocium vocaviſſent; hujuſcemodi multa, poſtremo etiam minitans referebat. Sic ad *Venetos* teſtes ejus nominationis, qua illum *Nicolaus* in *Mediolanenſi* pace verbo collocaſſet, ne ultra quereretur, quod *Philippo* eſſet viſus in eo bello amicus. Eadem *Nicolaum* & *Martinum* Pontificem docet, cujus auctoritate pax confecta erat. Nec minora apud *Philippum* queritur, tanquam non ſecum modo, ſed cum eodem *Philippo* pacem fregiſſent: dehinc ſummis conatibus impellit, ſecum in id bellum ſuccedat; poſſe ſe magnam belli partem ſuſtinere: finitimum *Florentinis*: paratam habere ad ipſas portas viam. veniſſe tempus, quo facile, ac jure præteritas injurias ulciſci queat, omnemque ex *Florentinis*, quam [1] cupiverit, pacem repetere: exercitum Dux ſcribat; ſuppeditaturum ſe pecuniam. His querelis miniſque replens omnia, tamen in dies concluditur, atque expugnatur. Omnes illum jure cauſari referunt; nemo auxilium ſpondet. Id mirum dictu cernentibus [2] quantum poſt conſilium eruperit. *Senis* litteras vidi, quibus *Philippus Florentinis* adverſus *Lucanum* offerebat auxilia: hoc unum querens, *Florentinos* domeſtico bello involvi, quo ſolus ipſe alteros ſolos aggrederetur. Hoſtis undequaque exercitum ferens multa in omnibus locis caſtella excipit. delatus in Vallem, quam *Carfagnanam* vocant, ab *Luca* ad Apenninum tendentem, omnem aut diripit, aut in [3] deditionem accipit [4] brevi. Ita ſolius *Petræ ſanctæ* [5] Caſtellum, quod memorabile eſſet, pugnantibus ſuperfuit. Nonnullæ [6] etiam per cacumina montium arces reſtiterunt. Quæ dum apud *Lucam* geruntur, *Senenſes* alia ex parte *Florentinorum* vicini trepidant, fremuntque rem *Etruſcam* peſſimo exemplo offendi. *Florentinos* haud dubium reliquæ *Tuſciæ* imperium concepiſſe, qui ab *Lucano* per injuriam ceperint: idem ſibi expectandum, ubi ille ſit circumventus: nec jam pacem aut fidem, ſi ſe contineant, poſt ea valere. Quando id tempus ſit, quo præcipue injuria afflictos ſequitur. His vocibus turbata Civitas pene in tumultu erat; quippe ubi publica adminiſtratione res gubernantur, maximeque hac ætate fortibus viris nuda, jam pridem obſecundante pace, his motibus diſſueta, ut fere *Tuſcorum* cerimoniis potius quam bellis dedita. Concilium tamen cogitur, collataque in paucos totius ſumma rei, quorum prima cura ſit cernere, ne quid in tempore fiat civitati detrimenti. Accipiuntur interim a *Paulo* litteræ, quis primum *Senenſes* orabat, ſeſe apud *Florentinos* interponerent, quorum eſſent ſocii; deſiſterent ab incepto potius quam ignis in *Tuſcia* excitaretur, quem neceſſe foret multa ruina exſtingui. eoſdem nihilominus admonens, qui ſe intelligerent hoc ſuæ cladis exemplo peti ſe hoc [7] beneficium, quod *Philippum* ſuperiore bello non induxiſſet in *Tuſciam*. denique hortabatur, ſi non poſſent pacem componere, ſocii & ipſi accederent bello, priuſquam ſolis idem periculum ſuſtinendum eſſet. Miſſus *Florentiam Antonius Franciſcus*, juvenis tum primum ſe efferens, militari quoque inſignis honore, ac *Paulo* & ſua, & paterna virtute notus. Nihil vero ex ea legatione impetratum. *Florentini* jam in ſuum jus *Lucam* una cum Domino ipſo deſtinaverant. Nec temperabatur conviciis. Vulgo is tumultus videri, quem Senis concitari audiebant. *Antonio* regreſſo aliam legationem ad *Venetos* decernunt, ferme exploraturos, quid in ea re *Veneti* animi haberent. *Veneti* reſpondent, nihil ad ſe de Senenſibus pertinere, præter quantum a *Florentinis* in recenti ſocietate mentio inducta eſt Senenſium. Juvit tamen ad conciliandum aliquem favorem ca-

[1] concupiverit
[2] quoniam
[3] dicionem
[4] Brevi ita
[5] caſtrum
[6] item
[7] beneficium referre

A ſus inopinatiſſimus, quem *Thomæ Venetorum* Duci præſentibus legatis eveniſſe ferunt. Eunti in concilium factus obvius *Andreas Contareno Venetus* [8] cujus per ſpeciem colloquii ſucceſſit ad aurem. Qui aderant lateri tantiſper locum dedere. Viciniores tamen honoris gratia Senenſium legati. Ille ſublato ligneo pugione jugulum ducis petit, peregiſſetque facinus, ni unus legatorum juvenis impiger percuſſoris brachium ſubpulſa manu paululum ſubmoviſſet; itaque in faciem vulnus edidit, quod in guttur facturus erat, ni prærapido ictu legatus impediſſet. Mox a lictoribus com-
B prehenſus abſque ulla quæſtione capite damnatus eſt. noluere indicium vulgari, ne (quod ſuſpicantur) principum quoque multi, quibus ducis ſeu ſuperbia, ſeu nimia libertas invidiæ erat, conſcii proderentur. Ita rediere *Senas* legati, ut trepidationem pene majorem referrent, tanquam per fraudem eſſent in illius pacis fœderibus nominati ſocii. Non tulit ambages rerum *Antonius*, qui fuerat ad *Florentinos* legatus. locata apud ſocerum uxore, ac liberis, equis conſcenſis urbe egreditur, ad *Romam* iter faciens, quoſcunque (nam id ab *Luca* mandatum erat) belli, ac ſtipendii cupidos invenit, omnes diverſis itineribus
C *Lucam* dirigit. Alii *Romæ* ab...... *Pauli* Nepote conducuntur. Omnes vel terra, vel mari *Lucam* perveniunt. Quibus introductis pene jam fidit *Paulus* poſſe oppidum tueri. *Bononiam* item nuncium cum pecunia [9] dimittit, ibique *Raynerius Peruſinus* trecentorum equitum ſtipendio datis triginta auri millibus conducitur, quaqua poſſit *Florentinos* bello implicaturus, junctis peditibus, qui potuere per id tempus in *Bononia* conſcribi: datus omnibus Raynerius Dux, ſi per Montes *Bononienſium* (quo maxime Balneæ ſunt,) poſſet, *Lucam* duceret: id ſi non poſſet (nam ea parte *Florentini* calles obſederant) in *Picenum*
D tranſiret, indeque *Florentinorum* agros, ac ſocios peteret. Ille haud citius fidêm dedit, quam perdidit, ſimul accepta pecunia ad *Florentinos* converſos. Itaque in *Oriulum* ſuper *Faventiam* receptus (nam id *Florentinorum* oppidum erat) inſciis facinoris. qui ſequebantur, recedite, inquit, ad alium Ducem ſocii; nam ego ad *Florentinos* tranſeo. Ea res haud parum negotia Pauli perturbavit. Quippe amiſſo unde maxime [10] ſperaverat, præſidio, adjectoque hoſtibus, tum [11] per dicta factus ſuſpectior, ne ab cæteris eadem pateretur. Non fractus tamen animo quoque bellum parat, ſex
E conductis triremibus, paucis comitantibus lembis. Has fere *Hiſpani*, quos vocant *Cathalanos*, armabant ab *Antonio* atque [12] alio minore juvene audaciſſimo *Senenſibus*, qui una ut poterant *Lucanum* juvabant, contracti. Sic paulatim bellum undique accenditur. *Florentini* tamen majoribus copiis in dies *Lucam* circumcludunt, objectis ad portas munitionibus, quo ex omnibus locis invehendis commeatibus [13] prohibebant; nec ulla ex parte ab laboribus, atque operibus ceſſabatur. Quatiebantur undique muri lapidibus tormentorum, intraque oppidum per vias, & tecta magno ſonitu [14] ruebant: res primum tremenda: poſt, quia nemo fere lædebatur, ſperni cœpta. Agri circum uri, vineæ omnes, quæ propinquæ erant, immiſſis vaſtationibus ſucciſæ. Nihil omnino quod ad *Lucam* pertineret, intactum ſupererat. Inde haud parum creſcere ſpes *Florentinis* potiundi oppidi. Idque primum *Florentiæ* neceſſarium erat, cum plerique pecuniam maligne impenderent. [15] Nec vero *Lucani* in oppido per otium ſedebant. Primum omnium *Paulus* animos civium tolerando, ac gerendo bello conciliaverat, neque illi pro ſe minore indignitate rem ſuſceperant, quos ſatis inſtructos reddebat proxima *Piſana*

[8] civis
[9] mittit
[10] præſidium ſperaverat,
[11] perdita pecunia factus
[12] alio anno juvene
[13] prohibeant
[14] irruebant
[15] Ne

*sana* calamitas. Nihilo igitur minus *Florentinum*, quam barbaricum jugum aspernabantur, quo præcipue metu ad omnia potius cum tyranno sustinenda animis, ac corporibus sunt parati. Itaque hanc sibi potissimam operam deposcunt, tutanda suis vigiliis mœnia. *Paulus* ipse, quiscum videretur intentus esset consiliis; *Ladislaus* major filiorum urbis loca tutaretur; alter ferocior cum exercitu, ubi opus esset, exiret. Hoc modo suum quisque munus obibant. Creberrime igitur ac sæpe in diem plures in castra eruptiones fiebant. Multi vel per occasionem expositi, vel ad opera aut ad custodias agentes capti in oppidum trahebantur, ac si quando manus conseruissent, raro non superior *Lucanus* redibat, nam & ad erumpendum intentiores, & in certamine acriores erant: quippe ut in oppidum revertebantur, aderant hinc cives, hinc etiam Domini qui læti venientes liberaliter exciperent, ac præter jacula, & sagittarum balistas novum quoque teli genus invenerunt. gerebant manibus fustem cubiti, & alterius dimidii longum; huic suffixæ erant cannæ ferreæ, quibus item sulphure, ac nitro oppletis globulos ferreos vi ignis emittebant. Certa erat [1] in ictu, si tetigisset, pernicies; nec arma, aut scuta satis tegebant, quin sæpe duos, aut & tertium, si per ordinem occurrerent, una glande transfoderent. Itaque ob id maxime in castris timebantur; nam plerique eo malo fuerant interfecti. Erant autem *Berardini*, ac *Nicolai* divisa castra, simul ut diversis locis obsidio oppidanis gravior esset. Itaque & *Lucani* nunc hos, nunc illos eruptionibus infestabant, usque adeo ut nonnunquam alterum in periculum deducerent, tum præsertim cum impetu castra *Nicolai* eodem hoc mense, quo ista scribimus, sunt adorti. ad duo pene millia equitum, peditumque ad hostes exierunt. Quo velut furore perterriti, *Nicolaus* hinc inde *Raynerius* castra deserebant, paulumque abfuit, ne *Florentinus* legatus caperetur. Jam fores perfringebant, illo super tecta auxilia conclamante, cum ecce alter dux *Cardanus* adventat. Illi metuentes, ne ab oppido excluderentur, [2] omissa infestatione legati Domum redierunt; prius tamen in tumultu ipso deductis quatuor majoribus tormentis, unoque perfracto. Has appellant Bombardas. Aderat in certamine juvenis Carmelites, eo die per multa egregia facinora spectatus. Multi quoque abducti captivi; non enim effuse, verum sensim cedentes sese in oppidum retulerant. Ictus item *Nicolaus*, quem maxime cupiebant vivum capere. Hoc modo est eo die pugnatum; ut facile appareret *Florentinos* virium conatibus parum effecturos. Itaque ad artes atque ingenia vertuntur. Plerisque locis fossas excavant, contractisque gurgitibus *Anserem* amnem majoribus aquis augent, ut præcipitem, profundumque muris inferant, quasi mœnia submissis abyssis subrupturum. Magister ejus operis *Philippus Florentinus*, mirus hac ætate machinamentorum artifex. Fluit igitur accepta unda ad muros gurges. Illi vero continuis aggeribus quam maxime possunt contactu murorum prohibent, atque hoc tamen successit tribus diebus, per quos fluxus inundavit. Moluere *Lucani* rotis, quæ in flumine erant, tantum frumenti, nihil ut post eguerint, nec dies, nec noctes opere intermisso. Post tertium demum diem egressi portis, alii ad hostes proficiscuntur, eosque in pugna detinent, alii arpagonibus ligonibusque, ac dolabris inferioris viæ aggerem effringunt, qua emissus fluvius paucis horis opplevit agros, in quibus castra *Nicolai* erant sita. Ita simul & pulsi hostes loco, & oppidum præter quod farina adjutum, munitius eo quasi arvorum diluvio redditum est. In his præliis captus inter ceteros est *Florentinus* civis quidam perditæ audaciæ, solitus proclamare ad muros, simul adjectis mille conviciis obscæna ostentans, simul traditurum minitans *Lucanas* mulieres, primumque ipsius tyranni in ludibrium, si unquam daretur oppidum capi. Id cum sæpius faceret, egressi quidam milites clanculo sub ripam procedunt, ac tum fovea magno cursu evecti hominem capiunt. statutum ita coram tyrannus interrogat, [3] quod ea faceret & visu, & auditu tam sordida; nihil plus respondit, quam pueriliter fecisse. [4] At tu, inquit *Paulus*, pueriliter puniere. Itaque traditus pueris in ludi morem lapidibus tanquam canis obruitur, digno suis moribus supplicio [5] adjecto. Nec triremes, quæ in mari erant, operam perdidere, quarum procursu omnis illa ora *Pisani* littoris male tuta erat, ac nonnunquam per Arvi ostium invectæ civitatem terruerunt; præcipue vero [6] a *Liburnis* meruere stipendium. Nam ibi intra portum usque ad intimam turrim navem hærentem muro cepere, mirantibus primum qui in Turri erant, dein ne quicquam balistis ac tormentis jacientibus; nunquam enim e tot ictibus ullam navem tetigere. Itaque navis capta, & abducta est. Erat autem triremibus statio portus Motroni. Omnia hoc modo utrinque infesta erant. Hi *Lucam* obsidebant; *Lucani* item crebris eruptionibus nunc longius [7] profecti, *Pisanum*, aut etiam *Pistoriensem* agrum turbabant, nec non ea castella, quæ in fide, & potestate remanserant, sæpe in *Pisanorum* agros vagabantur. Inter hæc *Antonius Senensis*, ut videt sat provisum *Lucano*, quantum ad ferendam obsidionem pertineret, majores animo curas capit, si quo graviore bello possit *Florentinos* involvere, nihil habens gratius, quam si magnis incendiis bella arderent, ipseque diceretur rebus materiam quæsivisse. Itaque *Tuscum* mare circumvectus, missis *Lucam* de consilio litteris *Genuam* adnavigat: unde sparsis in plerosque cives dumtaxat arripiendi belli, nec [8] deferendæ *Lucæ* stimulis sese fert *Mediolanum*, atque id quam occulte potest, sic enim *Philippus* jussit, ne in publico versaretur; erant enim *Mediolani Venetorum*, & *Florentinorum* legati, quibus prodi nolebat, se de ferenda *Lucanis* ope audire. Itaque legatos, præsertim *Florentinum*, nunc ambiguis responsis, nunc pollicitationibus, nunc etiam ludis, & solatiis, quamquam id magno suo sumptu, distinet. *Antonius* accepta licentia singulos *Philippi* ductores circuit, si quem possit *Lucano* conjungere: auxilium enim paratissimum erat, cum in armis copiæ essent. præcipue adit *Cotognolam Franciscum*. Nec difficile operam pollicitus, si possit a *Philippo* dimitti. Id vero impetratum. Itaque & de pecunia, & de equitum numero, & de tempore auxilii paciscitur, seque ita collectis omnibus ad iter comparat. *Philippus* interim, ne id agere videretur, usque quaque litteras dimittit, missum ab se *Franciscum*, nec ultra suis stipendiis acturum. Legati quoque ad suos scribunt, *Franciscum* a duce [9] novo stipendio transivisse. Ea res *Florentinis* minime læta erat, tum qui *Philippi* ingenium suspectum haberent, tum qui *Franciscum* gravem hostem scirent. Atque ille magnis copiis conductitiis veniebat. Multi quoque quasi statim in agrum *Florentinum* transcundum esset, [10] sequebantur. Nusquam vero *Petrucius* aberat, qui fuerat fæderum interpres. Res tamen morante *Francisco* sub Alpibus lenta agebatur, sive ita *Philippus* vellet, forsan exploraturus, an propterea *Veneti*, ac *Florentini* ejus belli auctorem suspicarentur, atque ob id rupta prioris pacis fædera objectarent. *Florentini*, quamquam se suis artibus peti videbant, tamen

[1] si in ictu tetigisset. [2] obmissa infestatione [3] quid [4] Ac [5] objecto. [6] Liburnis [7] provecti [8] deferendi [9] ad Lucanos novo [10] exercitum sequebantur.

A. Bilius. G Ve-

*Venetis* nihil moventibus rem pro ancipiti dissimulant. Itaque ex omnibus locis delectus contrahunt, quos in ipsis Alpibus locant, hostem inde prohibituri. Interea quam maxima vi possunt,
1 Lucanum *Lucam* oppugnant. Sed jam [1] spes crexerat, cu-
spes jus fiducia muros facile tuebatur. Franciscus intra tertium mensem, quam erat pactus, tandem sublatis signis Alpes ingreditur; plus ferme ternis equitum ac peditum millibus trahens, multo
2 equitum etiam majore fama ac spe quam [2] copiarum numero. Ut quinto igitur die trajectis Alpibus in conspectum hostium venit, nam ad jugi descensum obstiterant, *Nicolaus*, ac *Berardinus* cum reliquo
3 omnium [3] omni agrestium delectu, quibus parum freti rectores nullo pene belli negotio ex loco discessere. *Franciscus* per Valles, quas prius dixeram, a *Florentinis* captas, iter facit, ibi obvios quosque prædatur, nonnullis levioribus receptis, qui
4 dominum vel *Lucanum* [4] Dominium cupiebant, vel ad subitam, & ferocem vim parum muniti videbantur. Inde se ad oppidum quaque concedentibus viam hostibus ducit; nec difficile captas munitiones, quas illi ante mænia construxerant, diruit. Ingredientem *Paulus* simul, atque universi Cives gratissime accipiunt, liberatoremque, ac servatorem suum conclamant. tum *Antonio* agente par-
5 dudum promissæ tem aliam [5] promissæ pecuniæ accipit. Hinc de reliquo bello consultant. *Antonius* urget ultro inferendum, quippe apertam inde viam in quoscunque agros velint contendere. Nam etsi hostes tumulum insederant, qui *Lucam*, *Pisas*que medius interjacet, (locus Ripa fracta dicitur) modo potius obsessorum, quam qui viderentur tuendis rebus parati. Quibus relictis *Franciscus* in *Pistoriensem* agrum progreditur, ibique statim expugnatum viculum (*Bulgianum* vocant) aggere tamen ac fossa munitum, diripit atque incendit. Nec longe videbatur, ut *Pisciam* caperet, fre-
6 seu noluit, sive quens ejus oræ castellum. Verum [6] sive noluit, seu est revocatus, de media oppugnatione abscessit. Hi primum credunt a *Florentinis* tactum mentione pecuniæ. Alii novum animum incessisse *Lucano*, ut æquis pactionibus pacem cum *Florentinis* acciperet: itaque revocasse *Franciscum* ne ultra ad perdenda alia tenderet: id certum est potuisse multa agi, cum jam pene in agrum *Florentinum* via patuisset, nec *Florentini* Ductores satis convenirent, vel ubi, vel quibus viribus hosti occurrendum esset. Ac jam plerique & peditum, & equitum ambiguis & infirmis rebus turbati ad *Franciscum* transierant, nec longe ab secessione res erat, cum agricolis concessum esset, qui se ab injuria militum defenderent. Illi qui furtis, ac prædæ essent consueti, ægre omnino id ferebant. *Florentini* itaque hoc modo ut vident spem
7 nec nullam armis, [7] ac viribus esse, consilium ex antiqua arte capiunt, si forte detur astu, ac dolis rem finire. Quem locum si attigero, vix forsan credetur per alium usquam potuisse evenire. litteras illi diversas perscribunt, alias tanquam ad tyrannum in hujuscemodi sententiam, quasi jam de eadem re sæpius dedissent, atque accepissent litteras; recte illum facere qui rebus suis consilium cepisset, melius clementia *Florentinorum* usurum, quam si accervandis injuriis contra tendat, paratos præstare omnia, quæ postulet. In nonnullis quoque ferebatur, tradituros in tempore ducenta auri millia, quibus locuples commodissimam vitam ducat, simul cum his alicujus ca-
8 nominabant stelli, quod [8] nominabat, multarumque villarum possessionem, ut non amisisse, aut minuisse potentiam, sed mutasse videretur. Alias quoque velut ad *Lucanos* dirigunt, nominatimque aliquos designant, laudantes, atque exhortantes, id perficiant, de quo jam ante convenerant: Tyran-

A num aut [9] occidant, aut pellant, seque ad liber- 9 trucident
tatem vocent: id solum se eo bello [10] quæsis- 11 quæsivisse
se. Plures in hunc modum conscriptæ per civitatem sparguntur, aliæ in manus civium, aliæ ad Dominum pervenerunt. Hinc penes utrosque atrox suspicio orta est, tum ut prona sunt ingenia semper deteriora suspicari, præcipue tamen avaritia Domini omnia credi faciebat. Nam ante paucos dies plerosque civium pecuniam negantes acerbe mulctaverat, uno quoque ad necem tradito. Nec sane ipse omnino abnuerim, potuisse hominem conditionibus inclinari, cui jam inciperet minui aurum, cujus ferme erat cupidissimus, ac repeten-
B ti stipendium *Francisco* ægre proferebat: simul, & de futura confimatione agenti nunc dabat indu- 11 negare
cias, nunc [11] negabat. Multa hujuscemodi in su- videbatur
spicionem veniebant. Primus tamen filiorum cum *Francisco* in castris erat. Cæteri cum *Antonio* in Civitate. Verum hoc rem impulit, ut cives facinus occuparent, quod in quibusdam litteris de *Antonii* & *Francisci* morte referebatur. Itaque *Francisci* consensu *Petrucius* cum Fratre, ac paucissimis civium in castrum receptus nocte, *Paulo* nuntiat, quo rem experiatur, vigilias ægre fieri. Respondet ille, nihil jam se timere. Quo 12 permotus
C verbo [12] commotus *Antonius*, fraterque ac cives jussis paucis adesse Dominum comprehendunt, aliasque per pontes custodias disponunt. Quibus *Franciscus* nuntiatis, ipse quoque *Ladislaum* capit. Omnis inde Civitas ad communem salutem erigitur. Tyranni bona partim publice diripiuntur, partim in diversos tribuuntur. Ipsum cubiculum *Pauli*, ut erat opibus atque indumentis refertum, *Antonio* ab Civibus datum est. Quod erat auri, ac pecuniæ cum aliis tyrannicis ornamentis
in publicum [13] redactum. *Francisco* pars armo- 13 redactum est,
rum, atque equorum facta. Quæ ut *Florentini* viderunt non omnino, ut cupiverant, successisse,
D nam crediderant rem in tumultum ituram, seque inter seditiones vocatum iri, alteri partium futuros auxilio, inde ad susceptum facinus pergunt, *Franciscum*, ut, si possit, Civitatem tradat, pretio invitant; non tamen obtinuere. Itaque pecunia, ut abeat inoffensus, paciscuntur. quinque & triginta auri millibus feruntur convenisse, eo pacto, ut tres menses nulli deditus stipendio ageret. tum super hæc tempore expleto quindecim millia accepturus. Ille hæc pollicitus, *Lucanos* quoque edocet, non esse eam regionem armis hoc tempore aptam, ubi nunquam fere herba ap-
E pareat. Itaque sibi in animo esse ultra Alpes re-
verti, præsertim quod [14] nec pro ipsis faciat tot 14 ne pro ipsis quidem faciat
copiarum onere premi: relicturum paucos, qui mænia defendant facile. Ita ab illis quoque pecunia redempta, trans Apenninum ad *Mirandulam*, ut fæderibus conventum erat, redit. Hoc modo in ea expeditione operatus, munitiones, quibus oppidum sepserant, eruit; sibi tamen undique super centum auri millia id negotium mer-
catus. Ita *Lucani* [15] *Florentinis* dedendi angustiore 15 iterum Florentinis
rerum copia relinquuntur. Scribunt tamen ad *Florentinos*, se jam in libertate esse, quod se illi bello quæritare dixerant; tum orant, patiantur
F *Lucam* suis legibus uti, ac velle *Florentinis* aliquo publico munere subdi, modo libertatem habeant. *Florentini* respondent, initio quidem id licuisse, nunc & difficultatibus laborum, & magnitudine effusæ pecuniæ eo rem venisse, ut necesse sit *Lucanos* servitutem fateri, nec secus quam agrestes, quo loco *Pisanos* habeant, velle illos accipere. Iniquissimæ conditiones erant, ut plane constaret civitatem in solitudinem ituram. Itaque statuunt omnia potius ferre, quam se in id jugum perdant. *Senensibus* quoque interim resanxiæ fuerant. Quippe & *Franciscus* ratus, inde quo-

quoque pecuniam posse haberi, complures Villas in *Senensi* agro repetebat, quas illi dudum patri, dum in *Apulia* captus haberetur, [1] abstulerunt, & *Florentini* præter quod *Franciscum* instigabant, pravis indiciis minitabantur, ut plane appareret, quod brevi sperabant, captis *Lucanis Senas* ituros nec vulgo dissimulabatur: jam undique ad ludibrium sparsi cantus erant. *Senensibus* nullæ erant copiæ, nullus omnino exercitus. Una quoque spes ceciderat, quod putabant *Philippum* periculum *Lucanum* pro alieno accipere. At id longe quantum rebus apparuit, secus erat: ut intelligas imperio [2] assuetis alia esse ingenia. *Philippus* omne [3] id tempus, quo *Florentini Lucano* bello exercebantur *Nicolaum Parvum* cum pedestribus copiis in *Liguribus* habuerat, atque ille rem omnino egregie gessit. Quippe relictis domi equis omnes secum pedibus traxerat, primus ipse in viam pergens, nec hyemem veritus, pedetentim in hostiles agros succedebat, dispositis, ut quemque Montem ceperat, per juga munimentis, ut sæpe cogerentur inter medias nives cibum ac noctem capere. Ita pugnando, ac perdurando id omne *Ligustinum* littus ex *Genua* usque pene ad Macram *Etruriæ*, *Galliæ*que terminum domuit, [4] quaque ibat, barbaris, villisque incensis, usque dum omnem oram sub *Philippi* potestatem redegit. Magnum ferme hac nostra ætate opus, & quod nemo tentaverat, nec fieri posse crederetur, per tam invios montes ductari exercitum posse. Verum omnia ductoris virtus, constantiaque superavit, quæ res illi ad proximam gloriam viam fecit. *Antonius* ægre patiens servatam adhuc Civitatem ad *Florentinos* prodi, sumpto secum *Paulo* [5] una, ac filiis vinctis, parata ad id triremi, *Genuam* vehitur. [6] Capti paucos dies in arce servati, post imperio Ducis *Papiam* ducuntur. Ipse singulos [7] quosque manu prehensans *Lucanam* calamitatem deplorat, precaturque, ne Urbem egregiam ad ruinam, atque interitum rapi velint; quam præsertim multis suis casibus amicam, sociamque accepissent. Denique in publicum concilium inductus orationem habuit, cujus modo visum est partem in hunc locum transferre; præsertim qui [8] & litteris ornatus ad dicendum [9] mediocriter instructus erat. *Non igitur*, inquit, *ipse huc hodie, Patres amplissimi, tanquam alienæ, aut incognitæ causæ legatus veni: verum quod antea per hos dies singulis exposui, idem nunc vobis, ut cerno, publice* [10] *convocatis refero. Nec tametsi credi velim vestræ Reip. amicus, &* Genuensis *gloriæ haud mediocris cultor, ea omnis cura, & causa* [11] *orationis est. Id tamen vestri hospitii sanctitas* [12] *facit, quicquid commodi, aut salutaris rebus* [13] *afferre possim, id omne tanquam coactis* [14] *rebus conferam; sed me in primis humanum periculum, humanaque salus movet.* Lucanæ *Civitati, ut omnes cernitis, novissimum imminet exitium. Quod si eveniat (quamquam nolim tam triste omen extulisse) vereor ne id genus calamitatis sit, quod stantibus quoque &* [15] *e tanto periculo remotis deplorari conveniat. Nempe* Florentinus *hostis est: ille, qui nunquam non & damna sua, & commoda æque alienis ruinis replet. Sunt exemplo,* [16] *mirabile dictu, pleræque* Tusciæ *Civitates, quibus si hæc accesserit, nihil est quo non de Etrusco nomine actum putemus. Soli provinciam facient: soli ordines habebunt, soli* Etrusci, *ac liberi vocabuntur. Non est quod de patria querar, id enim mecum licet; verum ita arbitror, ne vobis quidem ea res negligenda est, qui civitatem audiatis, & vestro nomini amicam, & sæpe vestris casibus tanquam hospitalem funditus pulsari: protinus habendum erit tam illustris ruinæ spectaculum; nihil enim illi referre putant, mox eruantur, an sint* Florentino *acce-*

A *pro jugo, quotidianis excidiis eruendi. Nisi parum fortasse docet* Pisana *calamitas, quam nemo est qui non facile possit huic timori justum documentum dare. Audietis igitur sociam, nec longe finitimam civitatem, eisdem ipsis referentibus, quod* [17] *jam dudum* Pisani *faciunt, ad ultimum exitium venisse.* 17 jam Pisani *Tum delebitis, ac* [18] *forte mærebitis ereptas vobis tot opportunitates, quas illi & commoditate ingeniorum, & multorum artificiorum cura præcipuaque erga vos humanitate, huic Civitati suppeditabant. Sic pereunt ubique negotiatorum operæ, dum desolatis urbibus nemo est,* [19] *quo cum aliquid privati, aut civilis transactionis expedias.* 18 fortasse 19 qui cum B *Quamquam fortasse ista vos parum movent, nec valde veterem gloriam expetitis. Ego tamen memini me apud* Genuenses *verba facere, illos ferme, qui semper huic mari imperitarunt. Nunc ipsi jacebitis, ac cæteris magna spectantibus languescetis, aut expectabitis, dum vos ipsa necessitas moveat: non enim longe a finibus vestris incendia sunt: paucos passus?* Luca *ultra* Macram *fluvium est, unde ipsi vestra confinia agnoscitis. Hanc hostes vestri velut arcem primam* [20] *adversus conatus vestros semper habebunt; & qui in mari longe imperium tenetis, domi ante oculos objectam alienæ invidiæ nubem patiemini? Credent omnes* 20 adversum C *terrestri dominio cessisse, nec scire præterquam in fluctibus vires agere.* Hispani, Galli, Veneti, *nunc etiam* Florentini *terra marique pollebunt. Vos uno elemento contenti, alterum quieti spectabitis, tanquam eo securiores futuri, quod cum gloria laborem fugiatis. Verum ego, ne non dictum dicatis, sic arbitror. Vos, an ita res se habeat, cogitate: omnem hanc belli ostentationem in vos,* [21] *ac vestras res factam. Quippe illi jam ex vestra possessione* Liburnas *habent,* Portum Veneris, *alteram virium vestrarum partem ad* [22] *Iberos transferre coegerunt; cives vestros cum magnis viribus in vos armatos tenent.* Lucam *si distraxerint, mox fient* Genuensibus [23] *partes, & propinqui.* 21 atque in vestras 22 Hiberos 23 pares, ac D *Ita dum initio quæque res contemnitur, demum fit spernenti noxia. At nunc, si mihi creditis, tempus venit, quo eas cogitationes nullas faciatis, quibus illi* [24] *totiens nomini vestro inimicos objecerunt. Primum ne dubitate,* [25] *si quid* Lucani, *servatis antiquis opibus, possunt, non id omne in vestra manu ponere. Nec opus est* Philippum *vestrum Dominum in hoc* [26] *bello trahatis. Satis fuerit (quod facile, opinor), dabit ne ille consilia vestra avertat. Nec tamen nihil afferret huic bello* Philippi *nominis terror. Semper enim* Florentini [27] *suspicabunt, inde vestros conatus nasci. Denique nescio quis eam rem difficilem suspicari possit, quæ & in rem tam honesta est, & in speciem tam pulchra.* 24 se totiens 25 siquidem Lucam servatis, & antiquis 26 bellum 27 suspicabuntur E *Quamquam quid opus est, ego vobis hujus belli genus, aut exitum commemorem, qui totiens estis illorum vires vincendo experti? Præclarissimum vero Ducem unum* Philippum, *ut per extrema terrarum jure, ac* [28] *nomine vestro notum fecistis, ita nunc illius arma, & leges hinc in* Etruriam, *quo jam pater intraverat, vestris viribus reducere potestis: eodem pacto rebus vestris securitatem, ac dignitatem quæsituri. Nam ego, quoniam ita existimo apud viros præsertim* Genuenses *non pluribus verbis opus esse, hoc* [29] *tantum referam, vos obtestatus, solita auctoritate prudentiaque accipiatis,* 28 nomine notum 29 tandem F *si quid detrimenti* Lucana *Civitas* Florentino *bello patitur, id vestris rebus deperire.* Quæ cum *Antonius* dixisset, multaque videretur apud [30] eos principes tantæ rei admiratio, *Bartholomeus*, quem *Mediolani* Archiepiscopum *Philippus* gubernandæ *Genuæ* præfecerat, *Antonio* pauca refert: Gratias esse illi a civibus, quod intelligerent amico animo ea dici; verum ejusmodi negocium esse, [31] quod consilio egere videretur: itaque habituros ex more publica colloquia, tum relaturos, quid Civitati placeat. *Antonio* paulu- 30 illos 31 ut non magis virtute, quam consilio

*A. Bilius.* G 2 lum

lum submoto, Præses repetita legationis causa singulis edicit, quisque domi cogitet, quæ è tanto facto publicæ saluti conferre arbitretur. Ita 1 tam. concilium dimittitur, ut [1] jam appareret, rem jam animis suscipi, jamque ab universis bella spectari. Postera omnes in Palatium conveniunt, nec ambiguum illud concilium fuit. Omnibus idem animus *Lucanos* juvari, ac defendi oportere: sciscitanti gubernatori singuli, universique bellum decernunt, ni *Florentini Lucanos* in pace, & libertate sinant. Ita in concilium *Antonius* reducitur. Præses voluntate omnium, ut erat eloquentissimus, cui facta etiam placuerant, respondet. 2 inquit, ad hanc. *Sive*, [2] inquit, *legatus ad hanc rem venisti, ac* Lucani *te pro explorata in multis rebus* Genuensium *fide, ac caritate quærendi auxilii oratorem decreverunt, sive ipse misericordia Civitatis patriæque tuæ memoria, & providentia factum detulisti, ego tibi pro* Genuensibus *ita refero. Tametsi res videbatur diutioribus consiliis proferenda, quæ pro sui magnitudine actitatos consensus exigeret; quod tamen ita intelligunt, in discrimine* Lucanos *esse, nec eas difficultates longiores inducias pati, citius respondent, quam ex more faciendum videretur. Meminere* Genuenses, *vetus jam tibi cum* Lucanis *commercium esse, ac præterea quæ ipse hoc loco verissime retulisti, multa* Lucanorum *in hanc Civitatem beneficia commemorant. Itaque & dolent jam, & mærent, ut sociorum injuriam, & calamitatem decet, quos præsertim videant indignis atque injustis, bellis lacessitos. Scire item se, illos in ea pace conscriptos, quæ est post proximum bellum inter* Florentinos, *&* Venetos *difinita. Multi præterea* Lucanos *meminerunt, commissos quondam huic Civitati socios; itaque in animo esse, quo ad ipsi possint, ac per* Philippum *liceat,* Lucam *defendere. Hoc publice decretum est, hoc ita accipias, in animo esse* Genuensibus, *ne* Florentini *sociam civitatem perdant. Tu sive* [3] *ibi,* 3 ibis, *sive aliud agens, hic maneas,* Lucanis *renuntia* Genuenses *eorum salutem curæ habere, atque ita fidem voluntatemque amplecti; fortiter sustineant, visuros brevi amicorum auxilia, bellumque in hostes conversum, quod nunc ipsi patiantur.* Lætus ad hæc juvenis nihil ultra, quam gratias, quas vel ipse posset vel *Lucani* jussissent, retulit. Dehinc litteris *Lucanos* docet cum *Genuensibus* firmatam deditionem esse: omnia tolerent, dum relatis ad Ducem conditionibus expeditio decernatur. Sic post *Genuenses* continuatis diebus rem novis consultationibus probant. Quippe eo tempore vacuos bello, melius juventutem in armis futuram, quam si domi senescat. Semper quoque ita consuesse; maximum juvamentum *Genuensibus Florentina* bella esse, quos sine periculo oppugnare 4 repetendis. possint. nunc venisse tempus, [4] quo repetendis *Liburnis*: hanc justam fore causam vindicandi juris, quod superiore *Philippi* bello abstulissent; nunc ulciscendarum injuriarum occasionem para- 5 restituunt. tam. Ita legatos primum ad Ducem [5] instituunt, qui doceant necessarium *Genuensibus* esse id bellum, nec posse verti, quo minus *Lucam* tueantur. Alios subinde, qui *Venetias* pergant exploratum, quidnam illi de eo bello sint facturi. Tertiam quoque ad *Florentinos* legationem, ut sciant *Lucanum* periculum in manu esse *Genuensium*. Primi cum *Philippo* rem expediunt, nec enim rem valde gratam afferebant, & plane docebant nullo pacto tutum esse *Genuensibus* eam rem negligere, qui & *Lucanos* veteres socios perditum irent, & *Florentinos* gravissimos hostes in viciniam acciperent. Sic secundi ex *Venetiis* retulerunt, antiquam pacem constare, nec mutare quicquam *Venetos*, si *Genuenses* cum *Florentinis* bellum gererent, modo ne quid detrimenti *Veneto* nomini afferret. Fidenter illi, si ad vos per-

A tineret, vobis quoque indiceremus bellum. Nunc constare videtis, nihil vestrum esse, quod cum *Florentino* pro *Lucanis* bellum agamus. Ita contenti fœderibus discessere. Tertia legatio non æque gratos offendit *Florentinos*. cum *Genuensium* mandata retulissent, *Luca Florentinus* abstineret, revocaretque ab sociis, ac deditis bellum, quin & de *Liburnis* illata mentio est. Oppidum illi ante [6] quartum decimum ab *Thoma Fulgosio* emerant, qui tum erat *Genuensium* Dominus. Nunc 6 XIII. annum. itaque civitatem [7] ii repetere, quod iniquo pretio 7 id. usurpavissent. Tota legatio actionum plena erat.

B Legati [8] *Genuensium*, ut patrio more principes, 8 Principes Genuensium, ut primo more, magnifice. magnifice loquebantur. Ad hæc nihil fere ultra ab summo *Florentinorum* Magistratu est responsum, quam non esse liberos homines *Genuenses*, qui antiqua, & tyrannorum suorum conventa repeterent: sub *Philippo* esse, prius accipiendam ab illo fuisse legationis auctoritatem, si quid ille repetat, paratum *Florentinis* quid respondeant. Visa oratio intoleranda legatis, ac nomine *Genuensium*; sic non ultra loquuti, per iram sese ex *Florentino* concilio proripiunt, quaque incedebant, querelis, [9] & minis omnia inflammantes; ut ex palatio in 9 minis inflammantes omnia. Ut plateam venere, circumfusi multi civium rogant, quænam ejus turbæ causa sit: Nihil illi præter-

C quam monstraturos, *Genuenses* liberos homines esse. Indigna res *Florentinis* quoque visa, per contumeliam responsum legatis, præsertim *Genuensibus*; tamquam alieno tempore; itaque pergunt, si possint, legatos placare, non publicam eam voluntatem, sed publici Magistratus insolentiam fuisse. Nec propterea morati *Genuenses*, conscensis equis sese ingentibus minis ex Urbe efferunt, mox rapido equitatu ad suos reversi. neque ibi minus actitatum turbæ. Vix in concilium recepti *Florentinorum* responsa exposuerunt, bellum publice non modo decretum est, verum etiam

D [10] maturari. Delecti decem nobilissimi, [11] qui rem 10 jussum maturari. curarent. *Spinolanis* præcipue indicta ejus rei ad- 11 ac potentissimi, qui ministratio. *Senensis* interea exultat, plus jam voto videns bella excitari. *Florentini* ex eo discessu indictum bellum haud falso opinati, undique equitum, ac peditum stipendia contrahunt. *Antonium* in primis *Guidonem Faventinum*, de quo supra retulimus, quadringentis ac mille equitibus conducunt. Alium *Antonium* Comitem *Urbinensem* millenis advocant; simul illi honoris gratia castrorum gubernationem mandant. Homo ætate, quam experientia gravior. Datum gerendi belli Vexillum profectus in castra male suscipit. *Genuen-*

E *sibus* unum placuit esse belli ductorem *Nicolaum Perusinum*, cujus virtute pro illis *Philippus* jam tanta paravisset. Unum præterea *Florentinis* hostem, quem illi publice anteacto bello desertorem appellaverant. nec minus infensum *Christophorum Lavellanum*, quod pro *Philippo* bellicosius, quam antea, secum egisse videretur. eodem modo alios conducunt. omnes vero ex copiis *Philippi* scribebantur, nec longe à *Macra* erant, jam dudum per eas Alpes *Ligustinis* bellis assueti. Ea res paululum movit *Venetos*, ne se *Philippus* per speciem *Genuensium* nominis ei bello præficeret, non dubio momento, si de *Lucano* negotio bene suc-

F cedat, futurus *Tusciæ* Dominus. Itaque instigantibus præcipue *Florentinis* (nunquam enim deerant *Venetiis* legati) literas *Mediolanum* scribunt, mirari se quod *Philippus* eam rem susceperit, quæ adversum ante habita fœdera videatur. Quippe constare ejus belli auctorem, cui solus præsidium [12] fuerat. ipse videat, ne quid ei paci obsit, 12 ferat. quamobrem videatur ex constitutis fœderibus discedere. Ad ea Dux per legatum communem respondet, nihil se opinari, adversum pacem superiorem factum. dedisse quidem *Genuensibus* exerci-

citum, quo utantur; id velut amicis præstitisse; licere ipsis quoque, si *Florentinos* juvare velint, quemlibet ex Ductoribus suis ad *Florentinum* auxilium dimittere: se abundantem copiis nihil negaturum *Genuensibus*, quos præsertim videat, sua potius tueri, quam aliena quærere. Missi item ad *Venetos* libelli pactorum, quæ Duci cum *Genuensibus* erant, quibus id præcipue continebatur, *Genuensibus* liberum esse quemcunque aut socium, aut hostem habere vellent, modo ne id *Philippo* obesset. Ita haud satisfactum, aut occursum *Venetis*, qui præsertim meminissent superiore bello *Genuenses* quietos stetisse, nec *Philippum* ullis viribus juvisse. Nec sane visum in præsentia commodum, pulsare *Philippum* bello, quem viderent, unum totius *Italiæ* potentissimum, magnisque [1] viribus & consiliis instructum, amicitiis quoque vel summi Pontificis, vel soceri munitum, cujus item nomen videbant apud barbaros quoque frequens. Quippe ferebatur, & terra omnes transalpinos Duces, & mari hinc *Pœnos*, hinc *Macedonas* sibi conjunxisse. in armis sane habebat paulo minus duodecim equitum millibus. Sive itaque redditis rationibus contenti, sive tempori cedentes, quanquam frustra tendentibus *Florentinis*, tum quieverunt. *Nicolaus* mandato *Genuensium* *Macram* transgreditur, indeque communita *Petra Sancta* cum plerisque castellis, & vicis, quæ restiterant, hostes persequitur. Illi parum viribus freti, sese intra *Anserem* conclusere, ex ripa fluminis venientem prohibituri. ac præter altitudinem amnis, qui [2] tunc quotidianis pluviis excreverat, aggeres undequaque construunt, unis relictis munitionibus ultra flumen, quo hostis aliquo bello impediretur. eodem modo inter [3] *Lucam Pisas*que agros stationibus impleverant. ferebantur sane haud minus quinque millibus equitum in castris esse. peditum tria millia erant conductitii. ex delectu subditorum dena fere millia scripta dicebantur. Ductores primi *Guido Urbinensis*, *Berardinus Cardanus*, *Antonius Faventinus*, *Nicolaus* cognomine Stellæ *Perusinus*, *Raynerius*, qui primum a *Lucano* secesserat. Minore numero *Parvus* veniebat, seu *Genuensium* Ductor, seu *Philippi* legatus, quanquam datis Commissariis, qui præsentes consiliis, ac rebus interessent, unus *Genuensium* Princeps. Verum castrorum imperator *Nicolaus* & animo, & robore, & recenti gloria fidentior, quam esset *Florentino Urbinensis*. Solus præterea qui diceretur munitionum & Castrorum artifex, Vir militaris adhuc *Braccianarum* cohortium memor. Itaque ut ad flumen ventum est, quod jam armatis præ septum erat, exercitus substitit, ibique aliquot dies stativa habita. Interea levibus præliis *Florentinarum* munitionum milites monet, quietem agant, ita illis bonas inducias servaturum, undique vero itineribus præclusis [4] commeatus arcet, ratus non posse diu absque novis invectionibus subsistere. Sequebantur in littore onerariæ naves, quæ *Nicolaum* omni rerum copia juvarent, aliæ item dispositæ, duæ cum geminis triremibus, ne quid in ostium *Arni Florentinis* influeret. Quamobrem facta apud illos intolerabilis omnium rerum inopia tum inde rariores, segnioresque ad flumen custodiæ erant. *Parvus* interim jubet, amnem diversis locis tentari, qua forte minus habeatur profundi. repertum, ac relatum ad tria infra *Lucam* passuum millia vix quinque pedes altum esse. ferunt duos hostium equites transeundo vadum ostendisse. Itaque inposterum diem exercitum parat. ex navibus magni commeatus deducuntur, quos oppido, si nihil aliud possit, inferat. Ut dies est facta, armato, ac parato exercitu ad locum pergit, manusque ut in acies structæ erant, trajicit; primum equitatum, subinde peditem mandat,

1 & viribus.
2 tum maximis pluviis.
3 Pisas Lucamque.
4 commea-

A uti gurges patiebatur, quemque retentis armis succedere. Ita dispositi omnes, ut ripas ceperant, in agros evadunt, qui erant è regione transitus amplissimi. Non defuit tamen hostis, id enim ante [5] prævideránt, dum [6] adversas copias cernerent in eum locum tendere, ac supra quam dimidio plures erant, sed animi longe utrinque dispares. *Nicolaus*, & antequam trajiceret, & in transitu ipso militem, ut erat cibo refectus, multis quoque verbis hortatus est, nunc virtute agerent, qui mox essent in agris hostium futuri, quos illi jam dudum objectu fluminis ægre tuerentur. facile dari terras his, qui aquarum ambitum superarent, [7] tan-
B quam ante oculos cernerent planitiem, non *Lucam* modo, verum *Florentiam* usque protendi. quid igitur in plano dubitare possent, qui [8] jugos montium, omnemque per medios *Ligures* Apenninum cepissent? Hinc jam dives bellum oriri, quod in *Tuscia* facturi essent, aditumque hoc transitu aperiri, quo postea, uti cuperent, per *Etruscos* vagarentur. Egregium quoque, ac pulchrum viris facinus, qui uno ictu audaciæ non modo *Lucam*, verum in primis *Pisas*, & quicquid *Florentino* male subjectum est, liberarent. denique non certamine adversus segnem turbam,
C sed labore ad vim fluminis arcendam, indeque manu ad dejiciendos tramite hostes opus esse, modo maturarent, dum alter alteri esset ad transeundum, [9] pugnandumque proximus. Jam *Florentini* in agros superaverant, paulo altius ad læva *Lucam* versus, quo iter impedirent. Ibi primum consertum. *Faventinus*, *Perusinus*que longius suas alas extenderant: uterque adolescens, & animo, & virtute nobilis. In hos primum *Lavellanus* aciem direxit, neque defuit adolescentibus contra Virum fortem audacia. Ubique vero *Nicolaus* hortator sollicitus aderat, nullo boni ductoris officio prætermisso. Apud *Florentinos* vix ordo erat. Prin-
D ceps *Urbinus* rarus per aciem visebatur. non equiti, non pediti certum erat imperium. hi latus ad acies adolescentulorum conjunxerant, in quos [10] primus *Antonius Pisanus* & vir, & hostis *Florentinus*, ut qui patriam eo bello spectaret, impetum facit. Sic paululum æquata utrinque pugna, certamen stetit; ac jam pene primi *Genuensium* cedebant, ut qui longe pauciores à pluribus premerentur. Id [11] ut *Nicolaus* advertit, quod optabat, juvenes permixtos bello hinc *Antonium* docet audacia, ac vi adversus peditem opus esse. quantum itaque possit enitatur, dum eos longius
E ab equite rejiciat. Quod ille acceptum impigre facit. paucis pugnationibus deturbatis, haud difficile omnis peditum acies repellitur. Octingentos, quos ex *Luca* eduxerat, in dextrum equitatum immittit, ipse cum suis (quadringenti ac mille erant) minaci robore ex secunda in primam aciem decurrit. Sic undique Mars manu atque animis agebatur. *Florentinus* ductor longe inter extremos erat. Quemdam [12] interrogat, quo in loco res sint; ille respondet, acies turbari, remque ad *Nicolaum* pedetentim venire; omnino caveat, ne se bello implicet, non visurum unquam *Urbinum* suam,
F si corpus in aciem ferat. *Cardanus* quoque id socero plus quam sibi veritus, ductorem in fugam pellit, simulque apprehensum raptis equis intra *Pisas* locat. Quippe maximum periculum erat, si *Urbini*, ac *Eugubii* Dominus in potestatem hostis venisset. Prælium diremit Victoria. Quippe ut *Nicolaus* alam fecit, omnes repente sunt collapsi. non medii, non extremi stetere, incursantibus latus suum *Lucanis*, quorum [13] certe fui teximia ejus certaminis opera. Ita equitem eques [14] peditem pedes pepulit, parva tamen [15] hoc tempore fuit hominum cædes, præter quod ex delectibus dum sine ordine in fugam ruunt, [16] ad

5 providerant.
6 adversus.
7 eam, quam
8 juga montium
9 conscendendum, pugnandumque.
10 primum.
11 ubi.
12 ex suis interrogat.
13 sane.
14 pedes peditem.
15 ut hoc tempore hominum cædes.
16 Adozarum.

 Oza-

Ozarum pulsi, pene ad ducentos mersi feruntur. Multi ex eo numero capti, servatique omnes, ut per capita redimerentur. Quæ fuit causa, ut præcipites per pontem, atque alveum effugerent, qui tum sane paulo plenior undis excreverat; nec longe inde *Sergium* ingreditur, quo [1] & maxime altior est. Plus ferme dimidio equitatus captum, ipsique adolescentes, ut fama affirmat, cum *Raynerio*, & ceteris ductoribus capti, sed qui cepere, protinus ex ipsa acie liberos dimiserunt. Cæteri *Lucam* ducti; verum in sequentes dies equis, & armis nudati lege armigerorum dimissi sunt. Adolescentes comitantibus paucis, tria inde millia passuum Ripam fractam, vicum medio inter *Lucam*, & *Pisas* tumulo, contendêre; diffisi loco postea *Pisas* evadunt. Nec moratus *Faventinus Florentiam* pergit, omniaque timore, ac fuga implet; sic enim sperabant, *Nicolaum*, mox prostratis omnibus, ad mænia venturum; cum nemo se ex bello ostenderet, qui laceros, & fugatos colligeret. Nec dubium, id parvo licuisse, cui occurrente nullo *Florentiam* usque iter pateret. Cæterum sive hoc est victoriæ vitium semet ignorare, sive, ut ferunt, *Nicolao* mandatum erat, ne ultra pedem quam [2] servatis Lucanis efferret, sive aliud quippiam intercessit, *Lucæ* restitit invectis e mari commeatibus, omnique rerum copia importata. Adolescens *Perusinus* sibi ex *Florentinis* impetrat *Heram* Villam *Pisanam* in *Florentino* itinere [3] sibi custodiendam dari. Ibi primum cognatos *Antonii* spoliat, pellitque, tum cætera omnium fere egens pro libidine fædat. *Nicolaus* paucos moratus dies mandato accepto in Apenninum regreditur, paucis conquisitis *Lucanorum* castellis, aut vicis, quæ antea ad *Florentinos* vi aut pactis transierant, *Collodo*, cujus expugnatio longior videbatur, dempto. Ibi inter Alpes residua quædam expugnat, captis [4] *Imolanis*, *Carraria* incensa; locus est marmoris copia felicissimus. Sic omnes ejus oræ incolas partim metu, partim conditionibus excipit, *Ponte tremulo* (id est velut Alpium Claustrum) ad deditionem coacto. Id factum est, ne quid spei *Florentino* in exulibus *Genuensium* esset; liberumque ex *Gallia* per *Ligures* in *Tusciam* iter haberetur. Interea *Florentini*, tametsi læti audiunt *Nicolaum* excessisse, quippe nihil versus *Lucam* servaturi, si cum exercitu ille venisset, tamen pro tempore cætera confirmant. Ac primum veriti *Senensem* nutare, quem noverant ex societate Ecclesiæ, [5] & conscriptis stipendiis auctum, legatos *Senas* mittunt; quin & ex *Venetis* impetrant, eodem aliam legationem mitti; ita simul utræque legationes [6] *Senis* conveniunt. *Florentini* omnia velut cum fraterno populo dissimulant, finguntque nihil esse rebus deperditum, nova ac majora auxilia se habere, *Senensibus* amicis optimam spem nuntiare. *Venetus* quærit quis hic metus, quæve suspicio *Senensibus* erga fratres *Florentinos* accesserit. paribus verbis de amicitia, ac fide utrisque [7] publice est responsum: verum dati ex primoribus tres, qui cum *Veneto* privatum colloquium haberent. Hunc igitur, ut convenerunt, [8] præsentes multa docent, quæ adversum *Florentinorum* fidem, ac benivolentiam essent. Nam præter quod eo tumultu, quem biennio ante passi erant, coacti sunt omnia, *Florentino* quæ collibuissent, facere, paulumque abfuisse, quin illius injuria bellum acciperent. nunc novos libellos aperiunt, quibus plane demonstrarent, *Florentinam* fraudem, vel quod in castellis *Senensium* proditiones quæsiverint; tum quod *Franciscum* paulo ante adversum se instigaverint. tum quod ipsi bellum per se intenderint, ne se scire ob aliud servatos, quam quod auctoritate *Philippi Franciscus* quietem tenuit. Ob has res coactos se vires parare, non

1 etiam
2 servandis
3 custodiendam
4 Nicolanis
5 & stipendiis
6 conveniunt
7 publice responsum
8 multa

A quis *Florentinos* offenderent, sed illorum caverent insidias, quippe manifesta esse indicia, non se *Florentinis* fratrum, aut amicorum loco haberi, sed obnoxiorum, & deditorum fortunæ servari. itaque sibi in animo esse, quoad viribus, aut [9] animis possent, libertatem suam salvam facere: se demum omnem eam causam *Venetorum* fidei, auctoritati, prudentiæ commendare. Ad ea *Venetus* admirans, nihil ultra respondet, quam nihil se habere, quod respondeat, præsertim qui non hoc in mandatis haberet, inter *Florentinos*, *Senenses*que judicium facere. Verum si quid [10] inter partes haberent, id vel amice componere, vel

B acceptum ad *Venetos* referre; itaque gratum fore, si libellorum exemplum præstent, quod ad suos referat. *Veneto* quidem *Senenses* sociorum loco haberi, quorum ita sit optimam voluntatem relaturus. Nec, si *Florentini* non necessariis bellis, qui fere illorum mos, morbusque est, se implicent, *Venetis* in animo esse, ut per facinus ad societatem jungantur: nec jam perpelli, aut pellici posse, quemadmodum superiore bello, ut cum *Philippo* viribus congrediantur. Interea cum tempus esset creandorum in sequentem annum Magistratuum, coacto concilio extra ordinem de *Antonio*

C referunt. nec res fuit dubia. numerus erat in palatio magnus vulgi, itaque jactis in sortem suo more lupinis, undique alba valuere. Declaratus *Antonius* populi ductor, quod est illis summi Magistratus caput. Id ratus *Florentinus* ad se pertinere, mox Urbe egreditur, sociis omnibus, ut ferunt, pennam Fasianam capite gerentibus, quibus significarent, *Senenses* capite detecto adversum *Florentinos* esse, posteriora in modum avis obtecta habere. Sic *Venetus* abeuntem *Florentinum* sequitur, omnes in agro *Florentino* olea coronati, ut agricolis pacem simularent. Inde *Antonius* proximis Januariis [11] *Telamonem* delatus in Patriam

D magno suorum desiderio redit: nec quicquam in Urbe superfuit, quod non venienti occurreret. Major alienis armis, atque equis, & insignibus videbatur, *Pauli* gaza factus locuples. Tum calendis Magistratum ingreditur. Eodem fere die abs *Philippo* legatus venit ferme exploraturus, quo consilio ad hanc *Genuensium*, atque ipsius *Philippi* societatem consentirent. Nec multo post quo major esset rebus auctoritas, *Franciscus Spinolanus*, primus fere *Genuensium* ab Duce, secutus. *Senenses* [12] auctore *Petrucio* facile operam pollicentur. Missus inde cum *Francisco* ad firmanda fædera unus è primis civium *Antonius* legum peritus, atque hoc modo Senenses *Philippo*,

E ac *Genuensibus* accessere: sic usque quaque legationes agebantur, quærentibus *Florentinis*, cuinam [13] se adjungerent, aut ipsi quem sibi asciscerent, quo majores essent viribus. Palam enim cernebant potentiam *Philippi* his rebus crescere, cui dudum essent impares. Ad *Franciscum* item *Cotognolam* concursus legatorum erat; hinc *Florentinis*, hinc *Venetis* ad stipendium evocantibus. Verum frustra. Nam is jamdudum ut publice quoque prædicabat, velut in clientelam *Philippi* cesserat. neque irrita prædicatio. factus enim est, mox ut

F *Mediolanum* venit, gener *Philippi* haud dum nubili filia, quam ex [14] matre tulerat, quæ & nobilis insigni Mainum familia, & nullo suo, ac suorum consensu adacta non minore tum honore, quam gratia habebatur. Juvenis egregius, & successu rerum, & virtute illustris ex *Cotognola* oriundus, *Beneventum* in *Samnio* cum pluribus ejus oræ castellis tenebat. In *Umbria* quoque Aquipendentes vocatos, [15] partam à Patre potentiam & gloriam in dies augebat virtute. Sub idem fere tempus *Martinus* Rom. Pont. letargico morbo rebus defungitur: vir sane hac ætate illustrissi-

9 animis, libertatem
10 inter se partium
11 ex [...] Telamonem delectus,
12 præcipue auctore
13 sese
14 concubina, nobili tamen Mainum: atque sane nullo consensu adacta indigna esset quocumque turpi nomine. Juvenis egregius, successu rerum quam genere nobilior, ex Cotognola
15 natalem villam inter Imolam ac Padum municipium esse dedit. Sub idem

A ſtriſſimus, ut nec patres meminerint, plus Eccleſiam Imperio, aut pace floruiſſe, quippe omnia reliquit Eccleſiæ ſubjecta, quæ vulgo ex patrimonio illius feruntur, ſive inde per omnem *Campaniam*, ſive hinc omnia in circum *Peruſiam* verſus, tum cætera, quæ ditionis ejus eſſe ſolent, *Bononia* dempta. Hanc ſecundo jam anno obſidebat. Reliquit præterea, quod Eccleſiæ redderentur centum millia auri, nec pretii minus argento, atque auro cælato; tandem pretioſis lapidibus ac margaritis, quibus Papalis Oratorii ornamenta veſtiret. Superſtites ex fratre tres Adoleſcentes, alterum Cardinalem, alterum deſignatum *Salerni* Principem, *Adoardum*que *Alvienſem* Comitem adjunctis, quæ trium Comitum fuerent, in ea ora populis, & Caſtellis. Pecunia ſumma, quantam non credi poſſe exiſtimant. Hæc pars *Genazani*, quod erat illius natale Caſtrum, proindeque ab illo velut ad delitias renovatum; [1 arce cava,] Pars in [1] arce, pars *Viterbium* verſus in arce Soriana nepotum nomine ſervabatur. Fuit hominis mirum ingenium, quippe pro ultimo Pontifex deſignatus primus ſemper eſſe voluit. Unum illi perpetuum ſtudium pacis, qua haud minus lætam reddidit *Tuſciam*, nec minore hujus ætatis miraculo, quam olim clauſæ jam fores haberentur. Denique cum eſſet humani ingenii, gentibus tamen & ſe metuendum præbuit, & Eccleſiam ipſo Imperii nomine verendam, poſtremo in omni vita non tolerandus modo, verum etiam laudandus, atque imitandus, ſi non una tantum potuiſſet avaritia, non in eum extrema ætate ingreſſa, ſed ex eo patefacta, ut quæ cum homine nata eſſet. B Nec tamen vi, ac rapinis eam pecuniam conflavit, ſed quæſtu, & utendi [2] parvitate, ac velut arte cumulandi, quam ſalva quadam humanitatis ſpecie ſemper exercuit. [2 parcitate] Ex amicitiis nullam neque clariorem, neque utiliorem quam *Philippi* reliquit, cujus, ſi verum dicendum eſt, ope quidquid hoc Eccleſiæ cernimus, quæſivit, & auxit

---

[IX. B. Andreæ patriæ hiſtoriæ liber VIII explicit. Incipit Nonus.]

# LIBER NONUS.

Sic dum pacem modo contemnimus, modo repellimus, omnes ſumus bello implicati, nec quiſquam e tanto furore innocens. Quod ſolum pacati ſteterat [1] eccleſiæ, mors *Martini* [1 Eccleſiæ regimen,] novis rebus perturbavit, ut jam non magis cernere liceat, quis majore injuria ad bellum acceſſerit, quam quis tantis rebus futurus ſit exitus. Id modo conſtat, *Lucanum* periculum, cujus ferme auctores, ut ante diximus, *Florentini*, tanto quoque tumultui initium dediſſe. Tum, ſi quem e privatis nominari fas eſt, unus *Antonius*, ille *Senenſis*; *Petrucius* tot rerum cauſas ampliavit, quæſitis undique auxiliis, ſolicitatis *Genuenſibus*; demum perducto in bellum *Philippo*. Quamobrem *Florentini* coacti ad priores ſocios *Venetos* refugere. Verum quod de rebus eccleſiæ ſuperiorem librum explevimus, inde quoque initium repetendum. Concelebrato igitur *Martini* funere, nulla prior cura præcipue Cardinales inceſſit, quam ut novum Pontificem crearent: rem omnino hac ætate invidendam. quippe tantum apparebat imperium, nec dum motis rebus, totque theſauri, qui ſi aut jus aut vis valeret, ad eccleſiam ſpectaret. Ergo in conclavium vadunt, de electione concilium habituri: prius tamen decretis, juramentoque omnium firmatis, quiſquis Pontifex foret, omnia, quæ ad eccleſiam pertinerent, faceret veteri ſanctorum more fratribus communia. [2] Variatiſque, ut fit, ſuffragiis nec cujuſquam numero ſatis faciente, tum alter alterius, ut quiſque plus auctoritate, & gratia [3] pollebat, novo ejus electionis inſtituto ſuffragia expoſcunt; [2 Variatis itaque, 3 valebat,] nam licere voluerunt acceptos favores cuicunque libitum fuiſſet reddi. *Hiſpanus* erat in ea electione collatis vocibus numeroſior, cuicunque acceſſiſſet, eum Pontificem facturus. petit igitur ab altero *Gallo*, quem ſibi [4] obnoxium eſſe ſperabat, voces ſuas. [4 obnoxium ſperabat,] Ille omnino negat, quin viciſſim illius repetit. Qua repulſa tanquam ludibrio commotus *Hiſpanus* uno verbo *Gabrielem* hominem *Venetum* Pontificem appellat, mox ſequuti omnes Papam conſalutant. Hic erat alterius *Gregorii* nepos, qui ſuperiori ſchiſmate in concilio *Conſtantiæ* per *Carolum* renuntiaverat. vir, ut *Venetus*, in omni conſilio pertinax. Cui accedebat, quod & ab initio vitam pauperem quorundam religioſorum habitu geſſerat. itaque nunc religio-

C nis uſque ad ſeveritatem tenax: ſui ipſius fidentiſſimus, quodcunque propoſitum cepiſſet. His cauſis non valde læta erat pluribus nuncupatio. Omnes tamen creatum venerabantur. Vocatus *Eugenius quartus*; parvi admodum eo die euntem domum comitati. Erant tum *Romæ* Nepotes *Martini*, quos ante relictos diximus. Horum *Antonium Salernitanum* vocatum Principem jam antea communi concilio Cardinales eccleſiæ ductorem ſtatuerant. Quippe moriens *Martinus*, ſummis votis, precibuſque adoleſcentem univerſis commendarat. Omnes præcipue, quos *Martinus* inter gratiam aluerat quaſi filios, benigne intuebantur. D Quamprimum itaque adoleſcens caſtrum *Sancti Angeli* novo Pontifici tradit, ſimul quæque patruus tradenda legaverat, additis, ut ferunt, aliquot auri millibus, tum denique pollicitus juratuſque ſemper, dum vita ſupereſſet; [5] in manibus [5 ſe in] Eccleſiæ, ſi pateretur, futurum. Sic in ſpeciem lætæ res erant; non tamen diuturna ea lætitia fuit. Quippe & ex civitatibus eccleſiaſticis pleræque, ſeu ſtudio novarum rerum, ſeu quod pigeret eccleſiaſticæ avaritiæ, jugum detrectaverunt. Aliæ, quibus fidelioris *Martini* amici præerunt, eventum rerum præſtolabantur. *Peruſini*, emiſſo legato Præſide, antiqua fœdera repetiverunt, E quibus exiguum cenſum eccleſiæ pendebant, præterea ſuis legibus agentes. Sic paulatim *Romam* emanavit ad Pontificem ſociarum querelarum rumor. Aliæ nihilominus novos rectores cum præſidiis petebant, partium ſtudiis diviſæ. Namque *Viterbienſes* commoti ad arma, dum inter ſe certamen agunt, pars ditiorum duce quodam *Johanni Gatto*, prælio ſuperior, aliquot popularibus trucidatis, complures reliquæ partis oppido F expulerunt [6] genus hujuſmodi facinoribus ante [6 Gens] annum [7] aſſueta, inſtigante in id quodam pſeudo[7 conſueta] prædicatore Ordinis dicti Minorum. ex his qui hodie ſunt veræ pietatis hoſtes. ſic *Caſtellani*, [8] *Spoletani*, *Narnienſes*, *Tudertini*, atque alii cir- [8 Spoletini] cumſtantium locorum omnes domeſtico bello ſeſe cruentarunt. Inter hæc Pontifex ratus rem ſubſidiis firmari oportere, cum una maxime deeſſet neceſſaria hiſce rebus pecunia, nec facile aut ex vectigalibus, aut beneficiorum muneribus in præſenti juvaretur, animum in theſauros a *Martino* relictos, intendit. Itaque nuntiat *Antonio* quem prædiximus nepotem, velle omnia reſtituat Ecle-

clesiæ, præcipue quæ in *Romano* solo habeat, *Genazanum*, Arcem *Cavam*, *Sorianum* [1] S *Martinum*. in his Martiniana pecunia servabatur. *Antonius* nihil fere aliud respondet, quam videre se *Ursinorum* insidiis appeti, quibus mox traditis omnibus spoliatus, ac nudus mittendus sit, non se ita rem arbitrari, ac potius velle vitam cum pecunia tutari, quam certo vitæ periculo pecuniam restituere, mox futurus ludibrio inimicis, quos ipse ditaverit. Nec mora, undequaque stipendia edicit, factoque intra paucos dies numero in agros *Ursinorum* vagatur, nec direptis modo villis, verum [2] & captis quibusdam castellis omnes illorum socios gravi damno, ac metu afficit. Pontifex *Antonium* admonet. Respondet ille, [3] nihil adversus ecclesiam moliri: nullius ipse partis sit, sinat modo *Ursini*, *Columnenses*que inter se inimicitias gerant. Pontifex, ut qui dudum *Ursinis* faveret, jam ante invisus ob eam causam *Martino*, non ita rem accipit, protestatus illaturum se ei bellum, ni positis armis omnia restituat. Ita in omnes *Martini* amicos, qui *Romæ* erant, molestus efficitur. Consilium ferme intempestivum omnino ab *Ursinis* profectum. Atque interim tamen, quo facilius omnia turbarentur, *Florentinis*, ac *Venetis*, ut nihil aliud cerneres, Curia [4] repletur; nam & litteras per eos dies a *Philippo* ad legatos, quos *Romæ* habebat, intercepit. Quod facinus non *Philippo* solum, verum [5] & omnibus *Romæ* sanioribus velut indignissimum displicuit; nec propterea ulli convitio pepercit *Guarnerius Castillio*, Vir perstrenuus, *Philippi* legatus, quanquam litteræ ut per Zephiras, (sic enim vocant) conscriptæ [6] ab ullo legi aut interpretari poterant. *Prosper*, alter *Martini* nepos Cardinalis, veritus, ne in caput suum periculum verteretur, prima luce omnibus insciis *Roma* egreditur, exceptus a fratre, quem accersitum non longe reperit, nec revocatus voluit redire. Papa omnibus prodito quoque anathemate minatur. Insigniores *Martini* amicos quibusque modis perturbat. *Odonem* captum (hic quæstuarius fuerat *Martini*) conjectum in vincula, usque pene ad necem suppliciis torsit. Nec destitit, prius quam [7] ducentos civium Romanorum diversis insimulatos partium criminibus, varia nece confecit; [8] insignia familiæ, aut Pontificatus, ubicunque per urbem eminebant, dejecit. *Antonius* ex Soriano usque ad Romana mænia omnia vastat; quin occupata una portarum, quæ sancti Sebastiani appellatur, *Stefanus* [9] *Cugnatus Antonii* per urbem in usque domum suam processit; multique affirmant, eo die fuisse urbis potiturum, si cum universis copiis, (justum enim exercitum conflaverat) esset ingressus. Retenta tamen ex eo die porta, validumque impositum præsidium cum [10] *Emilio Esculano*, qui unus *Martini* amicorum habebatur, nocte insequenti Urbem undequaque per vias ligneis claustris tanquam Vallis Romani intersepiunt. Princeps quoque præter quod se quærit *Philippo* missis legatis conjungere, omnes item sollicitans, quos præcipue *Martini* amicos fuisse existimet, sibi ad susceptum propositum conciliat. Ex quibus *Narnienses* etiam Dominum succlamarunt. Ita concurrentibus ex omni loco rerum perditarum patronis, omnis circum *Romam* provincia bellis, ac [11] minis effunditur. Nec jam ulla ex parte liberum iter erat, quamobrem fiebat *Romæ*, nullis adeuntibus, intolerabilis calamitas, ac rerum omnium penuries. Interea vero majus aliud bellum in *Lombardia* accenditur, quam quod ante tertium annum gestum fuerat. Quippe *Veneti* continuis *Florentinorum* legationibus vexati tandem arma ceperant. hinc perurgente metu, ne *Florentini* (quod jam pene apparebat) ab Duce opprimerentur: hinc *Carmagnola*, & *Francisco* magna spe concilii patres excitantibus, jam superiore bello afflictis *Philippi* viribus, vix reliquas superesse, quas parvo conatu persequebantur: posse ex [12] *Pergomo* non agros modo facile invadi, verum etiam ipsa Urbis mænia spectari: hinc interceptam *Cremonam*, vel ex *Pado* ratibus vel ex terra præsentibus copiis haud difficile posse opprimi. Multa præterea ad auxilium patebant. propinquus hinc *Orlandus Palavicinus*, qui *Parmam*, *Placentiam*que infestet; inde *Theodorus*, Marchio dictus *Montisferrati*, qui parva manu supra *Alexandriam*, atque [13] *Hastam* positus facile utrosque agros inquietet. Finitimus quoque *Genuensibus* haud sinat in aliam vim spectare. Non deesse *Mantuanum*, ac *Ferrariensem*, qui in superiore bello steterint; rem vero ejusmodi esse, ut *Venetis* præterverti non possit. Quippe *Philippum Genuenses* liberos, ac, si dici possit, unos [14] cum omni eo littore habere, quibus ad bellum utatur; novis *Lucanorum* viribus auctus; inde jam ipsis *Florentiæ* portis imminens: Præterea decem millium equitatu, cui non sit in toto orbe par, nec minus fortissimis ductoribus validus, ac paratus. Hunc videant *Veneti*, ne, si nunc *Florentinis* desint, frustra paulo post cupiant adesse. Ita ex integro firmata [15] *Venetis* cum *Florentinis* novi belli decreta. verum si duum millium [16] copia quotoque mense viginti millium auri pecuniam exhibeant. Visi [17] primum illi ad tantam expensarum summam incerti titubare: protinus tamen nihil negant, modo *Venetos* videant in bello stare. Jussus ergo *Carmagnola* loca belli petere, seque e finibus Duci opponere. Ille mox contracto exercitu in *Brixiensi* agro *Ursos* contendit. Sic deinde copias in cetera ejus oræ castella dividit, dispositis aliis, qui *Cremonam* ex agro invadant. Nec *Philippus* rebus suis deerat, objectis *Carmagnolæ*, *Francisco* ac *Nicolao Tolentino* [18] cum fortissimo plus trium millium equitatu. *Nicolaum* tamen ætate, [19] ac usu graviorem ei bello imperatorem designat. *Ludovicum Columnam* juvenem ferocissimum jubet cum justo [20] equitatu præsidio *Cremonam* servare, tum, si detur opportunitas, bellum gerere. *Christophorum Lavellanum* adversus *Ferratum* mittit. Sic cum his, quos dixi, alii ductores erant, quisque suis alis fretus. Hoc modo bellum utrinque dispositum, ac leves per id tempus excursiones erant, nec pene cæptum videbatur bellum; utrisque occasionem spectantibus, nisi prope fortuna materiam præbuisset. Quippe *Carmagnola* uni erat intentus curæ, si quos ut superiore bello, vel ex *Philippi* ductoribus, vel ex [21] castrorum, aut arcium præsidibus in conditiones pellicere posset. Itaque in *Laudo* repertus qui januam oppidi daturum se offerret. Eo scilicet *Carmagnola* [22] constituto die veniebat. Verum proditus nocte antecedente proditor, captusque negotium irritum fecit. Tentatus identidem Præses *Soncini*, tradendi Castelli operam firmat. Interim vero *Nicolaum*, ac *Franciscum* quid composuerit, edocet. *Mediolanensis* enim erat [23] fidissimus *Philippo*. credo visum indignum facinus contra *Philippum* ab *Carmagnola*, qui fidem illius nosset, tentari. Itaque statuit *Carmagnolæ* diem tertium, in quem ad se cum omni exercitu veniret, eodem ad *Philippi* ductores nuntiato. Adsuntque omnes diversis itineribus. Hinc *Tolentinensis*: *Franciscus* inde, *Carmagnola* in medium relicto. Qui ut propinquus factus est castello, aliquot armatos mittit, quos præses in arcem accipiat, januam, qua cum exercitu ingrediatur, reseraturos. Ille, ut venerant, acceptos uno loco concludit; nam antea ex nostris in præsidium acceperat. Tum itaque [24] ad *Carmagnolam* quam maximis vocibus potest, iterum

1 Sanctum Martinum
2 etiam
3 nihil se
4 replebatur
5 etiam
6 a nullo
7 super ducentos
8 . Ipsum quoque Martini palatium (tantum processit ira) diruit. insignia
9 cognatus
10 Armileo
11 ruinis
12 Pergam[o]
13 Astam
14 cum co[...]
15 Venetis
16 copias
17 primum ad
18 fortissimo
19 jam & usu
20 equitatu
21 castellorum
22 constructo
23 ..... fidelissimus
24 ex arce ad

rum atque iterum clamat, nolle se *Philippi* esse proditorem. Id erat signum *Philippi* ductoribus erumpendi, addito fumo, qui longius spectari posset. Itaque ex insidiis ambo uno momento effunduntur, seque sublatis clamoribus *Carmagnolæ*, [1] hic ad faciem ille ad tergum præsentant. Nec difficilis fuit pugna, quippe ut se *Carmagnola* aut vidit, aut credidit circumventum, paulu lum extracto certamine fuimet dubius cum paucis aciem reliquit. [2] Ita enim dissipati comites alii capiebantur, alii fuga in agros palabantur, vixque, ut ferunt, ipse ocyssimum sonipedem [3] agitatis calcaribus agens potuit evadere, aliquot *Nicolai* sociis in tergum sub eadem vestigia sequentibus. Non sane cædes fuit pro captorum numero; sexcenti enim, ac mille equitum vivi in potestatem venere. peditum vero haud parvum vulgus, paucis aut interfectis, aut vulneratis, & in acie, & post pugnam interceptum est. Non parum detrimenti ex eo prælio *Venetorum* exercitus sentit. Nam & cæteri territi, & Dux ipse *Carmagnola* intellexit, se suis artibus peti; nec facile patere jam locum tentandæ aliorum fraudi, cui tam male irritata seditio successisset. Tum deinceps rem sibi esse cum Ducibus, quibus nec virtus, nec prudentia deesset, vel ad evocandam, vel ad arcendam vim paratis. Sic nostrorum numerus munitior jam, atque audacior, hostium multis partibus [4] comminutus, tametsi [5] omnes fere, qui capti erant, in alterum diem fide armigerorum sunt dimissi. Nec multo [6] segnius *Cremonæ* aliud *Ludovici* facinus. Is, ut ante diximus, & oppidum, & eam oram [7] circum cursans copioso præsidio tutabatur. Itaque sub idem fere tempus, cum hostes quotidie vel in agris, vel ad muros lacesserent, nec tamen facerent pugnæ copiam, juvenis, ut erat animi furibundus, eventum aliquem spectabat, quo necesse foret pugnam conferi. Id ita evenit. Hostes inter *Padum*, & oppidum transierant prædatum in superiores agros, qua parte & agricolæ tutius ad labores vagabantur. Id speculatores *Ludovico* nuntiant. Nec mora: ille omnes equitum, peditumque turmas eodem spatio collocat, paucis aliunde emissis, qui cogerent hostem metu aliquo reverti. Itaque ut convenere, eandem viam repetentes, ibi cum suis ostensa acie *Ludovicus* pugnam incipit. Neque illi, ut numero fidentiores, periculum detrectant, quamquam fessi cum recentibus certamen tolerabant. Post igitur temporis aliquantum *Venetorum* acies inclinare cæpit, præsertim metuentibus ne ex oppido alia parata essent auxilia. Tum *Ludovicus* maxime rem premit, adhortator, pugnatorque omnibus locis, donec omnes in fugam versos vidit. Ex eo quoque prælio plus quadringenti capti, exigua peditum cæde, quos cultores in agris sparsos occiderunt; capitibus modo retentis, cæteri intra paucos dies, qui voluerunt redire, a *Philippo* sunt dimissi. [8] Ea duplici victoria res *Philippi* ad incrementum spectare cæpit, rebus quoque adversus *Ferratum* bene gestis. Nam ibi *Lavellanus* aliquot turmarum ductor fuso hoste, usquequaque est palatus. Quæ dum in provincia sic se habent, *Nicolaus* [9] & majora locis, quibus dispositus erat, efficit. Jussus e *Pontetremulo Tusciam* versus agere, verum ita ne quid intra Apenninum exulibus *Genuensium* relinqueret, quorum ille castella pervagatus brevi omnem *Fliescorum* factionem ex ea ora depulit, super quam sexaginta castellorum potitus, aliis vi, quæ fere in prædam suis dedit; captis aliis per deditionem admissis. Mirum dictu, quanta ille per *Ligurum* Alpes tam parvo tempore, tamque parvis copiis confecit. Vix sexcentos equites ducebat, cæteris cum *Francisco* in provincia relictis. Cum his ille

[1] hic in
[2] Jam enim
[3] summis calcaribus
[4] commi...
[5] omnes ... capti ...
[6] ... 
[7] ... copioso
[8] ... du...
[9] ...

A B C D E F

ex Apennino per *Carfagnanas* in morem fulminis *Lucam* descendit; inde in *Pisanum* agrum effunditur, quamprimum captis *Calcensibus*, quæ Vallis ad *Arnum* sita est, omni rerum abundantia referta. Ibi præcipue extructa molaria, quibus *Pisani* [10] utuntur. Itaque hinc orta ejus subsidiis *Pisis* gravis necessitas. *Veruculam* quoque arcem editissimam cepit, sic *Trebiam*, *Marthan*, multaque *Pisani* agri municipia, nullo ut pacto esset *Florentinis* commeandi *Pisas* licentia, præcipue observante omnes vias *Antonio* capto præter cæteros [11] cive *Florentino*, quem eo Præsidem futurum mittebant cum omni equitatu ac pecunia, quam gerebat. Veriti interea *Florentini*, ne *Pisani* portas hostibus aperirent, rem atrocissimam superque omnem inhumanitatem incredibilem aggrediuntur, misso edicto, ne quis *Pisanus* intra quintum decimum, sexagesimumque annum in urbe remaneret. Tam impii facinoris [12] Magister (quanquam pro sacri ordinis verecundia pudet referre) *Julianus* homo *Florentinus*, sed *Pisanus* Archiepiscopus. Discurrebat ille armatus, ubique *Pisanos* prehensans, nulla mora ne [13] capiendi quidem e domo cujuspiam cogebat exire, ultro etiam contumeliosissimis verbis improperans: *Abi proditor Pisane*; [14] nec uxores, aut liberos secum ducere sinebantur. Data inde licentia armatis, qui quas vellent domos occuparent. Miserum dictu: cerneres toto oppido commigrantes matronas, virgines secum, ac parvulos trahentes: tum sese, ut quæque poterant, unis domibus [15] includentes, ne, ut ajunt, lupo oves prædæ fierent. Cæterum quid opus est referam? ipse ex præsentibus audivi, non aliud tum visum *Pisis* quam quod de captis *Hierosolymis* scribunt. Sic sæpe malorum præsentia a vero sensu alienos trahit. Hoc modo rati *Florentini* posse Urbem teneri, si cives pepulissent. Eo item collecti multi *Florentinorum*, qui vel facinoribus, vel alieno ære coacti exulabant, data impunitate, ac remissione, si in eo discrimine civitatem servassent; sæpe etiam minati incensuros oppidum, quando tutari non possent. Dilapsi circumquaque *Pisani*; plerique ex his ad *Antonium* collecti. simul una juventus cum *Nicolao* bellum gerebant. Qui in spem deductus posse *Volaterras*, vel oppidanorum deditione, vel pulsorum auxilio, qui ad eum pene simili *Pisis* calamitate multi convenerant, vel denique si resisterent, levi oppugnatione; eo cum equestribus turmis venit, relicto *Pisis* *Antonio*, qui se quotidie portis offerret. Nec diu dilata occasio, si fortuna *Pisanorum* voluisset, cum plures equitum *Raynerii* oppidum prodebant. Verum detecto per quemdam ex famulis facinore, non inscium ductorem vociferantes, crudeles pœnas dederunt, Ministro omnium Archiepiscopo [16], tanquam conjuratum, non nisi per hoc genus hominum posse inhumana expleri. *Nicolaus* [17] *Volaterranum* agrum capit. Oppidum ipsi fautores partium, qui exulibus adversi erant, defenderunt. In agro item *Castellenses* paulo plus ausi resistebant. Quo tempore *Senenses* hoc belli initio, atque exemplo irritati primum in *Florentinos* eruperunt, quamquam vilissimo tantæ rei principio. Armati plerique juvenum, nec ullo duce temere egressi, palatium in [18] confiniis captum succenderunt. Nec dum *Mediolani* cum *Philippo* societatis pacta constiterant, quem ferunt voluntaria hac eruptione audita, cum antea cunctaretur, ridentem jussisse patribus *Senensibus* permitti, quæ legati postulavissent. Id erat, *Philippus* suo, ac *Genuensium* nomine, bina equitum millia ad *Tuscum* bellum haberet. Eo itaque missus quadringentis, ac mille equitibus [19] *Alterius* *Nicolao* adjungitur: atque interim *Castellenses* di-

[10] vescuntur
[11] cives
[12] minister
[13] capiendæ quidem e domo cujuspiam rei cogebat
[14] ne
[15] occludentes
[16] tanquam ita
[17] omnem Volaterranum
[18] confiniis succenderunt.
[19] Albericus

ruta murorum parte se tradiderant. Quod ferme ab initio fecissent, si essent *Philippi* nomine accepti: verum ægre ferebant *Senensibus* tradi, qui hoc ab duce impetrarant, fœderibus venire ad se quicquid ex *Florentinis* circum confinia quindecim passuum millibus caperetur. Inde se in Valles Aelsæ deducit, quæ regio Castellis, & villis frequens, & omni est ubertate frugifera. Jamque paratis machinis omnia capturus videbatur; sed mox facta spes potiundi *Aretii*, pollicitantibus quibusdam proditionem oppidi, ab ea [1] oppugnatione avertit. Creditum id ipsum *Florentinos* instituisse, quo longius & a *Pisis*, & a proprio agro averterent, tum quo diversas spes ductorem luderent. Incensis omnibus, quæ ad oppugnationem paraverat, *Aretium* contendit. Cui tamen iter facienti *Ambrenses* veriti, ne ad se vastandos veniret, omnes prælatis clavibus occurrerunt. Aliud impetratum nihil, quam ut *Senensibus* fidem præstarent. Ut vero *Aretium* venit, nihil ibi ex oppido ad deditionem paratum. Itaque in agros palatus, captis pluribus circum per plana munitioribus vicis, & castellis, jam de oppugnatione cogitabat, præsertim pollicentibus sociis, si oppidum in prædam dare vellet; passuros omnia, ni intra quartum diem muros transcenderent. Tanta erat vel equitum in ductore, vel ductoris in equite fiducia simul, ac virtus, ut nihil posse obstare crederent. Nec quisquam cogitet, quanto terrori *Nicolai* nomen in *Tuscia* erat; sæpe ex ipsis captis audivimus, cum expugnarentur, non sibi viros, sed beluas, aut dæmones solitos videri. Verum etsi hæc *Senensibus* subdebantur, ubique tamen in primis nomen *Philippi* celebrabatur. Præterea & *Antonius*, quem *Martini* Nepotem diximus, partium fautor pro se, obsesso undique Romano agro, [2] Urbeque gravissime premebat. Sed noluit hæc fortuna longius insolescere, primumque ex ipso belli fundamento cepit damna. Nam *Tolentinensem* *Philippo* detraxit. Hic nulla sat justa causa relictis castris abiit, non tamen ad hostes, quod non sinit credi pecunia [3] corruptum id fecisse. Putant quidam fuisse causæ, quod sibi visus est *Philippo* infensus, tanquam superiore [4] bello sponte *Carmagnolam* e manibus misisset. Alii hoc ambitioni tribuunt, quod sibi videret prælatum *Perusinum*, cui nec ætate, nec experientia armorum cederet: præterea hac fiducia ad *Philippum* venisse, ne quem superiorem haberet ductorem. Id nimirum res *Philippi* perturbavit, quippe eo ductore mediis gerendis rebus amisso, qui præcipue consuetus *Carmagnolæ* omnia illius consilia probe intelligeret: bene tamen successit, quod nihil [5] inde abiens ultra est molitus, cui omnia in potestate essent. Multi quoque sociorum ægre eum discessum ferentes, in castra reverterunt. Verum hinc coactus *Philippus* alterum *Nicolaum* ex *Tuscia* revocat. nec quicquam poterant *Florentini* lætius audire, tanto hoste levati, quamquam relicto in [6] successorem *Alberico*. Sed visa est, ut fere solet, cum ductore fortuna mutari. Ac paulo post cum iter in *Colensi* agro haberet, quamquam [7] cogentibus suis, in eum locum venerat, in insidias delapsus [8] complures amisit. Quæ res *Florentino*, super quam videretur accipienda, lætis auspiciis fuit. Nec tamen eo loco restitit, cum esset haud dubium egregius ductor. ultro *Philippo* in suspicionem venit, quasi cum *Florentinis* aliquid tractaret, hoc modo injuriam deprecaturus, quam ab illo se apud Savonariam accepisse arbitrabantur. Ita captus, vinctusque *Mediolanum* perducitur, ubi conquisitis omnium rerum indiciis pro insonte absolvitur. Qui in *Tuscia* remansere cum *Antonio* adolescente *Pergulani* filio, nihil ultra æ-

[1] oppugnationem
[2] urbem
[3] corruptum. putant
[4] pugna
[5] ultra abiens est
[6] successum rerum
[7] invitus, cogentibus
[8] quamplures

A statem, quod referri possit, edidere, ut ferme cognoscas vim exercitus in ductoris virtute esse. Ab Senensibus quoque *Nicola* quidam *Apulus*, aliquot equitum caput, abductis fratribus primis civium, quibus data erat *Politianum* versus cura belli, ad *Florentinos* profugit. *Antonium* quoque *Armileus* ductor peditum, quem captæ Romanæ portæ præfecerat, deseruit. Quo discrimine affectus ipse quoque *Jacobum* [9] *Candorum* abs quo jam pro summo Pontifice premebatur, [10] prætentat, cujus ille summa pecuniæ accepta partes consequitur. Nec multo postquam cum illo adversus Romanos ad *Sanctum Paulum* stete-

B rat, in Apuliam cum auro abiit. Neque tamen *Florentinis* integra exempla fuere. Quippe *Nicolaus Perusinus* facta ostentatione potiundi Castelli, relictis illorum stipendiis, in Castellanum agrum excessit; ubi compluribus municipiis captis, secum habens exules Castellanos ad oppidum infestus procedit. Quo periculo coacti ad Pontificem, atque [11] *Johannem Urbinensem* confugiunt. Qui evocato ex *Florentinis* *Berardino* (nam gener illi erat) tutandos suscipit. Interea Pontifex cum *Nicolao* pacem confert, conductoque in stipendium, [12] Castellanos locat. Illi se

C venditos arbitrati, prænominato etiam *Philippo*, ac principe [13] *Antonio Urbinensem* Dominum conclamant. Inde autem Rom. Pontifex adventu *Tollentini* auctus, in *Antonium* tendit, quocum tamen, & succlamantibus Romanis, & cætu Cardinalium agente, amicisque intercedentibus, paulo post ingenti omnium lætitia pacem componit; visusque ex eo Pontifex ad eam partem ab *Ursinis* paulum flecti, quibusdam in honorem sublatis. Quamobrem factum, ut ad ipsum quæque [14] circa Romam *Antonius* habebat, revertentur. Quo etiam tempore *Bononienses* tanta pertinacia dudum *Martino* reluctati sub jugum re-

D dierunt. *Perusini* quoque tantisper fidem & quietem polliciti, dum nulla reducendorum exulum fieret mentio: omnis fere ex his rebus ditio Ecclesiastica *Eugenio* Pontifici confirmata. Interea *Nicolaus*, quem ex *Tuscia* profectum diximus, ut in provinciam venit *Mediolanum* tendit ad *Philippum*, a quo summa cum alacritate receptus magnis muneribus, ingens mox in castra remittitur. Quo etiam tempore *Carmagnola* & discessu *Nicolai* ab hostibus, & suis copiarum incrementis audentior factus, minabundus omnia territabat. Ibi *Veneti* vires effuderant, coactis ferme in una castra super quam duodecim equitum milli-

E bus, nec minore peditum numero, [15] tanquam vallo hostem cingerent. [16] In Padum prægravem navium multitudinem immiserant; simul item *Genuam* versus aliquot triremes direxerant, quibus, si fortuna invaluisset, vix *Philippum* potuisse consistere [17]; quamquam & ille undique arma objecerat. Ergo ut vidit *Nicolaus* paratum tantis viribus hostem, rem uno latere impellendam ratus, primum consilium, quod minime videretur, adversus naves concipit. Erant circiter triginta naves armatæ, quas etiam plures onerariæ sequebantur. Ductor *Stephanus Trivisanus*. In his

F omne genus machinarum erat; interim tamen *Nicolaus* simulat, nihil se de navali bello cogitare; quin etiam terrestrem pugnam acrius solito instaurat, quo ab cura navium avertat hostem. Unum edocet [18] *Franciscum Sfortiam* quid in animo habeat. Ubi sat visum est, parata omnia esse, nec *Carmagnolam* navibus valde intentum (erant vero gemina ad *Cremonam* castra) *Nicolaus* tum jubet *Philippeas* naves, quarum [19] fere erat par cum *Venetianis* numerus, quamquam non similibus armamentis instructæ essent, lento successu flumine subvehi. Quod ita agebat ut ab hostibus

[9] Candorium
[10] pertentat
[11] ad Antonium Urbinensem
[12] Castellos
[13] , Antonium
[14] circum
[15] , quo tanquam
[16] In Padum quoque prægravem
[17] (arbitrabantur)
[18] Franciscum quid
[19] ferme

[1] ſpernerentur. Neque non evenit. Quippe audiens *Stephanus* hoſtem adventare, exploratorias complures miſit, quæ ubinam eſſent, ſpecularentur. Illæ vero non longe ſuper *Cremonam* erant, in quas *Nicolaus* cum aliquot ſuorum electis tacitus conſcenderat. Jam ſub veſperam dies ibat, cum *Venetianæ* naves in flumine apparuerunt. In eas *Nicolaus* directo curſu tendit: quam audaciam mirati *Veneti*, mox ut videre graviorem impetum fieri, ſubducere ſe fuga conabantur. ſequebatur tamen *Nicolaus*, ut quamque puppi deprehenderat, arripiens, atque hoc modo ante noctem quatuor ex *Venetianis* navibus captæ. Quæ nuntiata *Carmagnolæ* incertum fecerunt, quidnam ageret, cum vix poſſet credere, *Nicolaum* relictis caſtris naves conſcendiſſe. Itaque ſub [2] lucem in ripam fluminis præter *Cremonam*, quamquam infra rivum, qui ex *Cremona* in *Padum* porrigitur, ſeſe cum acie oſtentat. Eodem & *Venetianæ* naves convenerant, [3] pedetentim fluvio ſubibant. Atque *Nicolaus* ſimul & *Franciſcus* traductis in naves turmariis, naves ante lucem aſcenderant, quamquam rector Navium *Johannes Grimaldus* cognomine familiæ *Genuenſis*, vir eo pugnæ genere acerrimus; ita ſimul correpto amnis curſu, qua maxime altior eſt, ad hoſtem procurrit. *Venetus* quoque, ut propinquantem vidit, ſe ſuoſque clangentibus buccinis ad pugnam comparat. Graviores multo, ac majores *Venetianæ* erant, ut quæ primum in mari exædificatæ, in quas *Nicolaus* objectis roſtris, ſuper quam credi poteſt, animoſe tendit, paululumque æquata pugna, primum longe jaculis, fundis, miſſilibuſque & tormentis lapidum certatur: Ubi vero conjectis catenis ad manum venere, tum maxime *Nicolai* virtus, atque audacia emicuit. Diverſum certamen erat. Hinc armati equitum more, inde ſemiermes pugnabant. ſtabat in littore *Carmagnola* adhortator ſimul, ac lamentator ſuorum, nec aliud poterat, prohibentibus illos *Philippeis*, ad eam partem fluminis accedere. Quippe, ut ante dixi, alveum, qua profundior eſt, occuparant. Perſpecto diſcrimine Ductor ipſe conſcenſa ſcapha [4] ſimul cum pecunia effugit. Sexaginta auri millia ferunt ſecum abſtuliſſe. Vix conſpectu abierat, cum *Nicolaus* ejuſdem pecuniæ ſpe, in ipſam ductoris navem erupit. Nec cæteri fugam morati, quaqua verſum poterant, omnes periclitabantur, inſequente eiſdem veſtigiis *Nicolao*, atque etiam mandatum dederat, ne quis ante finem certaminis ex onerariis prædaretur. Tres per fugam elapſæ ſunt; reliquæ omnes paſſim pugnando, cedendo, fugiendoque captæ. ſuper ſeptuaginta navium corpora, e quibus viginti octo pugnaces, in poteſtatem venere. Cædes quanta nulla fere in *Italia* per hoc tempus memoratur. ſuper quingentos duo hominum millia [5] occidiſſe feruntur. Teſtis *Padus* largo ſanguinis profluvio, multa paſſuum millia rubefactus. Intra duodecimum lapidem ab *Cremona* certamen fuit, neque in agris *Pallavicini* tutum receptum habuere, quos in ripam egredientes agricolæ, & prædæ cupidine, & partium odio [6] pervenientes conficiebant. Nec perinde *Orlandus* filius Comes *Venetis* habitus eſt, quanquam [7] agreſtum in Curiam cauſaretur. Præda omnis generis rerum abacta eſt, machinæ, gravioraque armamenta ad *Philippum* relata; in quibus cathena ferrea, quæ ſane totum flumen jungeret. Cætera, ut quiſque rapuerat, nullo pretio dividebantur. Ingens, ac [8] multiplex *Cretenſis* vini copia. Omnes *Padanæ* civitates eo emolumento pæne, ita dicam, locupletes, atque abundantiores factæ. Nec denique dici, aut credi poteſt, quanto damno illius belli ſtrages *Venetis* conſtitit.

[1] Inſpernerentur. [2] luce [3] pedetentimque [4] ſolus cum [5] cecidiſſe [6] ſtatio pervenientes [7] agreſtium in Curiam [8] multiplex via copia

A Nempe ipſe pluribus litteris legi, ſuper ſexcenta millia auri pretium rebus amiſſis fuiſſe: præter quod difficillimum, tot bellica munimenta reparare. Naves cum omnibus, quæ ad *Philippum* contrahi potuerant, *Papiam* deductæ. Nec dubium ſi victoriam ſequerentur, futurum fuiſſe *Philippum Padi* Dominum. Sed occluſit futuri conſilium victoria. Poſtremo hoc dictu mirum. *Senis*, ubi nunc ſcribimus, res quo die geſta eſt, primum cæpit audiri, quanquam & incerto nuntio, & obſcuro victoriæ relatu; dumtaxat enim *Nicolaus* [9] viciſſe ferebatur. Sic continuos viginti dies rumor pervagatus eſt,
B undique præter quam ex *Mediolano* cofluentibus litteris, quæ demum a *Philippo* acceptæ apud *Senenſes* ſupplicationes quoque meruerunt. Nec tamen id gaudium, ut bellum fert, diu ſincerum eſſe potuit. Nempe triremes, quas ante diximus in reliquo terrore belli *Venetos* paraviſſe, contra omnium fidem revoluta *Italia* in *Tuſcum* mare pervenerunt. In his vero exules *Genuenſium*, ut [10] quinque erant potentiſſimi, ea ſpe, ut iterum ad ſe ex maritimis caſtellis favore partium converterent. Et id quidem verum de paucioribus, quam crediderant, factum eſt. Auſi tamen *Genuam* verſus ſeſe inducere. Quæ
C res tumultum attulit *Genuenſibus*, id modo frementibus, auſos *Venetos* ea littora contingere: quod nunquam poſt *Paduanum* bellum jam pene quinquageſimo anno cogitaſſent. Verum illa exulum fiducia erat, præcipue etiam pudor ad arma incitabat; quod ex *Plombinenſibus* duæ triremes venerant, primæ ejus adventus nunciæ. Ductore igitur *Franciſco* adverſæ factionis principe, (nam familiæ cognomine *Spinolanus* erat) quem prius ad *Senenſes* legatum retulimus, in arma vadunt, tametſi plerique exulum amici maligne rem detrectabant. Itaque ille ſuum pudorem du-
D cens, quod non ſtatim hoſtibus occurreretur, non expectato cunctantium auxilio proficiſcitur. Decem *Genuenſium* triremes erant, geminis adjectis *Plumbinorum*, cum hoſtium dimidio plures eſſent. Quarum una abs *Florentinis* accepta multo cæteris major numeroſiorque ordinibus remorum, ut ſpeciem navigii haberet. His *Franciſcus* occurrit ſexdecimo lapide, ubi illum ex inſidiis hoſtes expectabant. Nec ſegnis pugna primo concurſu extitit. Inter omnes ipſe ductor certamen ciebat. Nec valde illi quanquam majore numero ſuperabant. At prope jam erat ut tres in poteſtate haberent, in quas ſe primo impetu immi-
E ſerat. Quod ut gravior illa navis [11] perſpexit paulum [12] ab tergo in altum circumvecta rapto curſu in triremem ductoris hoſtium fertur, tantoque ictu eam impulit, ut ab cæteris ſoluta in ſaxa cogeretur. Secuta item quinqueremis compreſſam littori allidit. Multi interim crebris miſſilibus cadunt, plures vulnerantur. Coactus demum Ductor, quem tanta vi circumſteterant, hoſti ſe tradere. Tum item in reliquas aguntur, quæ ut videre captum Ducem, ut quæque poteſt, periculis ſuis conſulunt. Vix tamen quatuor potuere fuga eripi. harum duæ *Plumbinenſium* fuerunt. Ingens quidem ſeu *Venetis*, ſeu *Genuenſium* exu-
F libus victoria, præſertim ductore capto, ac ſimul aliquot primoribus juventutis, qui nobilitate [13] ſelecti *Franciſcum* inter partes ſequuti erant. Cædes haud magna fuit: non plane ducenti utrinque periere. Saucii ſuper dimidium turbæ, nam & *Plumbini* omnes fere vulnerati Domum reverſi ſunt; & *Venetiani* itidem *Piſas* cum vulneribus rediere. Nec levis ea jactura *Genuenſium* capto non partium modo, verum etiam Civitatis Principe, quamquam omnes temeritatem illius incuſare, qui ante profectus eſſet, quam cæteri conveniſſent. Cæterum,

[9] Venetianos viciſſe [10] quique [11] conſpexit, [12] ab tergo circumjecta [13] facti

terum, & huic victoriæ aliud malum paratum est, quippe dum illi interim *Pisis* diversantur, sive per segnitiem, sive metu navium quæ in dies dicebantur ex *Genua* proficisci, *Jacobus Adurnus*, & *Antonius Fliescus* duo omnino vel familiarum suarum, vel omnium exulum primi, tum forte sive ex castris, quæ circa Arni ripam erant, sive ex *Florentia*, parvo famulorum comitatu, quasi hoc pacis tempus, veniebant: ac forte pauci equitum, qui cum *Antonio Pisano* [1] erant, eodem itinere ad prædam vagabantur. Itaque *Genuenses* [2] invia conspicati tanquam ad divitem prædam citatis equis feruntur. Atque erant hi ex solutis lanceis *Philippi*. [3] *Russetus* quidam sic vocatus *Papiensis* octo comitibus in equis, ac parvo [4] peditis numero *Arnum* transierat; ibique in via, quæ ex castris Florentinis ducebat, insidias locaverat. Juvenes quanquam periculo territi, ac deprehensi, tamen sese, ut valent, mucronibus tuentur. At *Jacobus* ictus cuspide lanceæ mox cecidit. *Antonium* plerisque vulneribus confossum sonipes abstulit, viam usque cruentantem, mox igitur ipse quoque lapsus expiravit. Nec grata cædes eidem, qui fecerat; multo enim maluisset abductos capitibus, quod maximum foret pretium, redimi, maximo vero id exulum ac partium detrimento, sublataque *Venetis* spe, ut usquam amplius [5] eo littore reciperentur. Tum grave fortunæ exemplum tanquam iratus nostris rebus Deus noluit hoc tempore quicquam diu esse lætum. *Florentini* itaque respirare visi sunt; interea adducto in stipendium *Michaleto* (hic erat *Francisci Cotognolæ* propinquus) his recuperandis intendunt, quæ antea *Nicolaus* ceperat, primum castris, quæ modo diximus, ad *Trebiam* positis. vicum, qui illos hactenus a *Pisis* discluserat, aliquot dies expugnatum, denique per fraudem occuparunt, arma ostentantes, quæ pauca ex hostibus nocturna irruptione ceperant. Inde signum facientes debellatam suorum aciem, quo metu illi territi vicum tradiderunt. Sic pleraque alia nunc vi, nunc dolis, aut pretiis *Michaletus* recipit. *Senenses* miro stupore pavefacti, ut quibus nec virium satis, nec auctoritatis esset in peragendo bello. *Castellenses* paulo ante ab *Nicolao* laboriosa oppugnatione capti ad unum *Florentinorum* nuncium descivere. sic pleraque in agro *Volaterrano* aut ægre custodita, aut modica vi tentata priores Dominos acceperunt. Sequuti exemplum *Suani Umbriam* versus proditis rectoribus sese cum *Soranis* propinquis conjunxerunt: quæ fere ipsorum *Senensium* negligentia acciderunt. Fuit eo tempore hominum diffidentium Magistratus, quorum consueta *Florentinis* gratia, hi palam jactabant, oportere aliquando *Florentinis* reddi, quæ essent hoc bello adempta. Nec paulum detrimenti expeditioni, quæ in *Tusciam* erat suscepta, attulit sive aliquis morbus, sive pestilentia equorum, ut vix decima pars superesset in omni illo solutarum lancearum equitatu. Ac simili pene modo affectus *Michaletus* hostium ductor. Itaque ante tempus in hyberna *Pisas* concessit. Variæ inde ultro citroque excursiones, ac rapinæ præsertim in confinibus erant; pluribus tamen locis *Senensium* copiarum ductores hostem fuderunt. Hi præcipue erant adolescentes duo, filius unus *Angeli Pergulani*, alter *Nicolai Perusini*, & quidem animosi pro ætate, parentum imitatores. *Philippo* in Provincia miserabile funus accidit. Uxoris frater adolescens vix tam paterno consilio, quam suo sensu in auxilium veniebat: super quidem millia hominum quinque majore parte equitatus secum trahens. Hic seu armorum pondere, seu motu ac labore itineris correptus [6] dissenteria *Vercellis* diem obiit gravi suorum mærore: præclaræ in-

1 exule erant
2 in viam
3 Rosetus
4 peditum
5 in eo
6 dissinteria

A dolis adolescens, magnamque in spem natus. *Philippus* tam ægre mortem tulit, ut tres menses diem fugiens nullam posset præterquam de juvene verbum audire. Copiæ alio ductore in castra ductæ, nec multo post appetentibus hibernis Domum sunt remissæ. Majora, ac lætiora in *Liguribus* evenere. *Nicolaus Genuam* missus, qui motas partium seditiones compesceret: ibi Sexerum obsidet, magnaque vi aliquot dies expugnat. Vicus hic erat ad occidentem *Genuæ* atque in eo multi exulum collecti. Princeps omnium *Bernabeus Adurnus* familia, ea spe ut ad se venirent triremes *Venetorum* ducibus illis, quos paulo ante apud *Pisas* trucidatos retulimus. Id si evenisset, nullo

B pacto *Genuam* potuisse retineri interclusis itineribus, nam cæteri agrestes ad rebellionem accessissent, qua maxime auxilium ferri debuisset. Itaque duorum cædes, ac [7] *Russeti Papiensis* audacia *Genuam* firmavit Duci. Hic continuata *Nicolaus* oppugnatione Vicum tandem cum omni illo præsidio cepit. Super mille, ac tercentos, quorum multi *Genuenses*, aut incolæ in potestatem venere. Ipseque *Bernabeus* e latibulis quæsitus innexis vinculis ad *Philippum* est ductus. Simili pertinacia ad alterum Urbis latus Rechanos cum plerisque

C exulibus, qui ad desciscendum concitaverant, recepit. Ita undique pacatis agris Urbs stetit quieta. Nam ibi quoque *Obicinus* pro Duce agens quæstionibus conscios quosdam reperit, ac paucorum capitum cæde peracta seditio penitus sublata est. *Franciscus* in *Montem ferrandum* transgressus, qua fere *Padus* oritur, Marchionem *Venetis* confœderatum, circumlato per castella exercitu, intra duos menses delevit. Nempe ut in acie copias profligavit, quæ super mille equitum, tantundem peditis erant, tum ad ipsum conversus quocunque effugisset, eo manus ducebat. Ita minore quam dixi tempore omni dominatu illum

D spoliavit, [8] cogitque nudum ad [9] Salutianum Comitem abire, quamquam Saboi Ducis soceri *Philippi* ipse quoque per sororem affinis erat. Verum nimis obfuit pertinacia, qua visus est velle *Venetianam* societatem asserere. At vero circa *Brixiæ* confinia nulla castra erant [10]. *Carmagnola* non multo post acceptum classe vulnus, tanquam adessent hyberna; cæteris per munitiora divisis sese intra *Brixiam* abdiderat, seu metu *Nicolai*, quem ne numero quidem copiarum amplior volebat experiri, seu tumultu castrorum, quippe simultates erant ortæ inter ipsum, atque illum *Ursinum*,

E parum concedente illo, nec patiente Imperii, ut qui, & acta *Francisci* damnaret, & multa sæpe apud *Venetos* accusavisset; nec longe abfuit, quin dissensionibus omnem rem perturbaret. Accessit inde innumerabilis equorum calamitas, nam feruntur vulgato morbo plus octo millium interisse. Id modo fecere periculi paucorum fraude: *Cremonam* prima unius diei luce intraverunt, cum nullum esset in oppido præsidium. Virtus oppidanorum valuit; quippe exciti clamoribus, quibus maxime partem Guelfam exclamabant, ut videre *Venetorum* signa, mox arma subito corri-

F piunt. primum ex publico foro certamen, ac prius aliquot cecidere quam ingressi cederent. Tandem cum & per vias, & ex Domibus undique telis incesserentur, *Venetiani* quamquam numero plures superantibus virtute, atque audacia oppidanis, ejecti sunt. Juvit inde notitia locorum, nec quidquam opera civium intermissum, quin ad unum virtute agerent. Restitit tamen unus Centurionum in propugnaculis portæ, quam turris quoque edita munitam reddebat; Verum quatriduo expugnatus sese in fidem tradidit. Quæ res mire grata *Philippo*, præcipua suorum fide, ceterorum etiam animos ad exemplum confirmavit. Denique fama

7 Rusti
8 coegitque
9 Salutianum
10 Jam Carmagnola

fama Germanici belli coegit nudare castra, pluresque [7] ex ductoribus ad fines *Venetiæ Aquilegiam* versus ire jussi, quod dicebantur *Ungari* magno numero advenire. De quo bello non ante scribendum putamus, quam velut majore initio res post adventum *Sigismondi* in *Italia* gestas exordimur, quarum ferme hodie fundamenta sunt jacta. Quisnam futurus sit exitus, Deus adhuc in incerto tenet. Itaque & nos ultro aliis dediti, paulum interim ex hoc labore silebimus.

Sequentia in codice Comitis Venusiati descripsi. [?]

*Finit feliciter. Deo laus, cui potestas.*

Quicquid in Italia gestum est post funera magni
Anguigeri Galeaz, repeti per tempora dignum,
Donec aquas rediere suas, ex arce Cremonæ
Propulsi Veneti, manet hoc in codice scriptum.

# INDEX RERUM MEMORABILIUM.



Fer-

FINIS.

# GEORGII FLORI,

*Mediolanensis J. C.*

DE

# BELLO ITALICO

ET REBUS

# GALLORUM

PRÆCLARE GESTIS

LIBRI SEX,

*Ex Bibliotheca* HUG. PICARDETI, *sacri Regii Consistor. Consiliar. & in supremo Burgundionum Senatu Procuratoris generalis,* antehac publici juris facti.

*Editio Novissima, nitidior, & indice sufficienti aucta.*






*LUGDUNI BATAVORUM,*
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
*Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.*

# PRÆFATIO
# HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

Exhibemus tibi, *Benevole Lector*, Rerum, quas *Galli* in *Italia* præclare gesserunt, præclari ingenii monumentum. Auctorem agnoscit Liber *Georgium Florum*, J. C. Mediolanensem, cujus ob industriam, sinceritatem & judicia magnum apud Eruditos nomen est. Opus ipsum, ut ex prioris Editionis Dedicatione patet, multum temporis manu scriptum latuit, tandem vero orbem literatum ejus editione sibi devinxit *Hugo Picardetus*, qui id D. *Nic. Brularto*, *Sillerio*, Franciæ Cancellario inscriptum publici juris fecit, unde *Lutetiæ* ex Typographia *Roberti Stephani* M. DC. XIII. Liber *in Quarto* prodiit, *cum Privilegio.* Cujus cum ob elegantiam distracta valde essent exemplaria, Viris Gravissimis monitoribus, has Auctoris hujus egregias lucubrationes prælo nostro subjecimus, & omnem adhibuimus industriam, ut nova ejus hæc editio appareat nitidissima. Nomina propria, & alia quæ id requirere videbantur, ut eo facilius pateant, diversis a contextu exhibemus literis. Numeri foliorum prioris editionis ad marginem sunt notati, ut loca, quæ alii scriptores ex illa citant, hic reperiri possint absque molestia. Indicem Nominum & Rerum notabiliorum, quo vetus editio plane destituebatur, hic subjunximus, & in ordinem redegimus debitum. His in Tui, *Benevole Lector*, gratiam susceptis nostris conatibus felix utere; nobisque fave; & vale.

# DEDICATIO.

## AMPLISSIMO VIRO, DN. NIC. BRULARTO, SILLERIO, *Franciæ Cancellario*, HUGO PICARDETUS S. P. D.

INCIDIT *manus in meas* Georgii Flori *Mediolanensis, de bello* Italico *liber manu scriptus ante annos centum: quem in publicum proferre justum existimavi; tum quia autorem ipsum debito præmio fraudare injustum: tum quia nostros, & rem universam litterariam opere hoc spoliaro duxi nefas. Scripsit pro ætate, industrie, & inquisitè, si non eleganter, & scitè. Multa in eo bona judicia: multa libera. Et si non ita sit* Florus *iste multis floribus ingenii, multæ tamen in eo veritates, quæ ad* Guicciardini, *& aliorum, qui* Gallicas *partes oppugnant, commenta, & cavillationes confutandas operæ pretium forent his qui historiam nostram meditantur. Hunc qualemcumque ad te mitto: nec si mittere aliò vellem, possem: nec si possem, vellem. Agit de* Gallis *rebus, &* Italis. *Utraque te natio suum sibi patronum asserebat; & lucem hanc nominis tui præscribi adfectabat.* Italia, *in qua, tam multa egregia, & Galliæ, imo orbi toti utilia; imo denique necessaria peregisse te notum est;* Gallia, *quam ab ineunte ætate, optimis consiliis, cum Regibus regis: & cujus nunc, ut alter* Atlas, *axem humeris torques, eâ curâ, industriâ, constantiâ, & quæ propria tua laus est, prudentiâ, ut eam, (prudentiam tuam dico) almæ pacis, quâ Dei Opt. Max. beneficio fruimur, ab* HENRICO *Magno, alteram parentem, & nutricem, altâ omnes voce conclament. Sed quid ad te libros cogito, inter seria tua, & tot negotia,*

Quæ caput, & circa saliunt latus? ---

*Cogito verò, qui scio te cogitare. Quicquid enim temporis à Regiis occupationibus vacui habes, huc confers, huc dividis,*

 ---- ani-

---- animumque viciſſim
Aut curam impendis populis, aut otia Muſis.

*Scio inquam; Memini enim, ſæpe, cum in ſacro Regis conſiſtorio ſententiam diceres, è locupletioribus doctrinæ theſauris, locos plures tractare, eloquentiâ tantâ, & illâ comitate, per quam verè es*

---- ſuperis Deorum
Gratus, & imis:

*ut intelligeremus ex eo omnes, non modò ad culmen dignitatum, verùm etiam ad eruditionis, & ſcientiæ omnis faſtigium,* DEUM, *& tuam virtutem tibi ducem fuiſſe. Accipe ergo, omnibus nominibus tibi debitum* Florum, *utinam virtutis tuæ tam perpetuum, quam mei affectus, cultuſque ſincerum monumentum. Si eum tibi gratum fore ſciam, aliquid è noſtro penu, fortè non magis ingratum dabo, otium* DEUS *cum dederit. Otio tantum opus eſt. Otio, heu tam & toties cupito, petito, utinam & largito. Noſti enim me jam diu à Rege multoties rudem poſtulaſſe, nec ab eo, nec à te, impetrare potuiſſe; imò toties in hac ſtatione manere juſſiſſe clamantem. Satis curſum hunc cucurri: Solve ſeneſcentem. Nihilominus aliter obſtrebilatum eſt a quibuſdam, qui me bis rupti ſuper eo fœderis initi, inſimulare tentaſſent, & his calumniis obruere, niſi mea* Pallas *Ægide texiſſet. Teſtem te advoco: imo judicem appello. Meminiſti impedimentum illud, non ex meo interdicto, ſed ex Edicto Regis, & tuo deſcendiſſe, nullâ meâ noxâ: multâ meâ noxâ. Quidam enim ea tempeſtate proceres, ad tuam aulam, non dicam compellare, ſed penè compellere curabant,*

---- Et me terris ſubductum,
Stellis inſerere, & concilio Jovis.

*Verùm me fata mea hic ſeneſcere jubent: vereor ne & vileſcere. Infelix ingeniis, (pace tua dixerim,) infelix hoc ævum, & quo agrè ſe attollant, aut exſerant rectiores mentes. Valet apud me illud* Brutianum, *ſi quando valuit,* ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ ἦσθα ἄλλως· ἐγὼ δ᾽ ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ᾽ ἄρα ἐδούλευες τύχῃ. *Larga querelæ materies: non ſapienti, qui altiorem in his cauſſam proſpicit; & ſcit, hæc, etſi levia, ſequi Providentiæ currum. Sequar igitur, & feram*

Quicquid corrigere eſt nefas.

*Feram, quamdiu humeri ferent. Sed nulla validior impotentia, quàm animi ſatietas, & averſatio mentis. Huic mederi autoritas tua poteſt. Miſſio veteranis ſemper data eſt, poſt confecta legitima ſtipendia; quæ viginti annorum in pedite erant: decem, in equite. Utraque penè complevi, in utraque militia. Agitur enim ſextus, & viceſimus annus, ex quo, & pace, & in fluctuum ulnis ipſis Regiæ cognitioni; Regiæ ſemper, inquam, ut ipſe vidiſti, operas, animumque integrum integrè dedi, in officio laborioſo, addam invidioſo, & in quo non dicam gratiam mereri, ſed odium vitare, probus vir haud potis eſt.*

Sit modus laſſo maris, & viarum,
Militiæque.

*Emeritis honoraria; militibus donativa dabantur: Sit mihi præmium honeſta miſſio, quæ viro bono, ſine malo exemplo negari non poteſt. Abſit à bono Principe, quod de* Tiberio *legitur, qui miſſiones veteranorum rariſſimas fecit: ex ſenio, mortem: ex morte, compendium captans. Vacationem non illam plenam poſtulo; ſed exiguam; ab hoc tantum genere muneris. Et hanc quidem, non ignaviæ, aut inertiæ amore, ſed animi languore. Quæ ſi tuâ mihi benevolentiâ contigerit, in alias ſedes, animoſiùs, & fortaſſe utiliùs Regi inſerviam: vel ſaltem ſtudiis, poſteritatem cogitans, curas meas non uni ævo impendam. Et quoquò me vertam, ſpero, & quaſi ſpondeo cum bono* DEO, *non minus commodum ex otio meo, quàm ex quorumdam negotiis Reipub. venturum. Interim,* DEUM, *ut bono cui natus es, publico, te diutiſſimè incolumem ſervet, obnixè rogo, & animitus opto.* Divion. I. *Kalend. Januar.* M. DC. XIII.

## SUMMA PRIVILEGII.

REGIS auctoritate cautum eſt, ne quis hos *Georgii Flori De bello Italico, ſive &c.* libros à Roberto Stephano excuſos, aut eorum verſionem Gallicam ſeorſim, vel cum aliis libris intra ducennium abſque ejuſdem Stephani permiſſu excudat, aut alibi excuſos divendat. Qui ſecus faxit confiſcatione librorum, & ducentorum aureorum pœnâ multabitur, prout amplius in Regio diplomate expreſſum eſt. Lutetiæ Pariſior. XVI. Decembr. Anno Sal. M. DC. XI.

POTIER.

## INDEX LIBRORUM HUJUS OPUSCULI.



# GEORGII FLORI,
## *Mediolanensis J. C.*
## DE
# EXPEDITIONE CAROLI VIII. IN NEAPOLITANUM REGNUM
## *LIBER PRIMUS.*



A *Allia* omni pacatâ, crebri à *Ludovico Sfortia* oratores ad *Carolum* mittebantur, qui otiosum & quietum Regem contra *Alfonsum Aragonium* concitarent: quòd *Neapolitanum* regnum successionis jure sibi debitum à patre atque avo is per vim diu occupatum possideret. Nam hi, etsi longis itineribus dissitum esset, facilè in ejus ditionem potestatemque venturum edocebant, nec multo milite, aut majore apparatu opus esse: infensos ob diram diuturnioris tyrannidis crudelitatem omnes regni principes, quos B populi ultro subsequerentur: finitimos, si qui ejus partes amplexarentur, fidem non servaturos: quòd metu potiùs quàm gratia & amicitia cum eo societatem aut fœdera coïvissent: *Ludovico*, quòd pro *Jo. Galeacio* ex fratre nepote imperium administraret, longè latèque in *Italia* auctoritatem summam viresque patere; cujus ditionis fines ad *Hetruscos* & *Florentinos* protenderentur: tot auxiliares copias & subsidiarias ex bellicosissima & audaci gente præstò comparaturum quot exposceret: commeatum, & quæ usui forent militi affatim subministraturum: *Longobardiam* fertilem esse, & omni pabulo & annona ubique abundare: C adesse *Genuam* maritimo & terrestri bello opportunam: *Bononienses* ad radices *Apennini*, & *Ferrarienses* ad omnia jussa non parva manu adfuturos: *Sabaudienses*, (etsi eorum Dux *Jo. Carolus Amedeus* in tutela *Blancæ*, raræ prudentiæ ac puditiæ matronæ, ob ætatem esset) facilè tamen Regias partes secuturos, liberosque per angustas *Alpium* fauces aditus *Gallico* militi in *Italiam* permissuros; hospitia quoque benignè paraturos; modò tutas res pupilli, cujus essent deditissimi, cognoscerent; intercedere antiquas necessitudines, & continua gentis ob vicinitatem commercia: quibus idem ferè sermo, idem habitus & mores haberentur. D *Monsferratensium* & *Saluciorum* regulos nunquam à Regia voluntate dissensuros: *Venetos* item, quòd longè ab omni itinere cæteroque regni commercio distarent, quidquam in eum non moturos. Nec tanti eorum potentiam esse faciendam, quæ par *Longobardorum* viribus nullo modo esse posset, ut expeditionem, vel si aliquid attentarent, omitteret. Cæteros *Italiæ* populos, quòd tum variis studiis contumeliæ maximè obnoxii agitarentur, in ejus partes ultro descensuros. Turpe esse gentem bellis assuetam, & continuis victoriis claram otio torpescere. Plerosque Reges & nationum Duces bellorum causas ex industria quæritasse, non tam dilatandi imperii fines gratiâ, quàm ut lascivientis militis ignaviam excitarent. Quantò honestiùs is, cui plus quàm justa inferendi belli occasio pro recuperandis, quæ per vim injustè occupata detinerentur, posset contra oblatum hostem, cujus certa & in manu esset victoria, arma movere? Contra perditum & effeminatum hominem, nullius fidei, deorum religionisque contemptorem bellum gerendum esse, cujus impietate jam exinanitæ essent regni vires, qui à sævissimo patre non degeneraret, qui cruenta cæde omnes ferè regni proceres sustulisset, cujus immanis crudelitas toto orbe decantaretur. Sanctissimos olim *Francorum* Reges in hujusmodi truculentos tyrannos, ut miseros populos tam dirè vexatos liberarent, ultro semper pro eorum innata religione arma movisse; nullam potiorem causam belli gerendi inveniri posse existimantes, quàm quæ esset ad communem omnium bonorum conservationem. Arbitraretur sibi pro honore, pro gloria, pro religione, pro communi omnium commodo, nedum pro vindicatione regni decertandum esse: cujus fertilissima arva, opimi colles, amplissima pascua, fluviorum amœnitas, aëris saluberrima temperies, urbium elegantia, virorum erudita ingenia, mulierum præstantior forma, quemcunque vel ignavum & desidem, ut arma sumeret pro his recuperandis, maximè excitarent. Hæc & multa hujusmodi, quibus animum *Caroli* in dies magis atque magis sollicitarent, à Legatis adducebantur; plerisque ex primoribus, qui Regem in eam sententiam traherent, blandiri; alios muneribus capere, nonnullos pecuniâ tentare. Tanto studio *Ludovicus*, cui maxime formidolosa erat *Alfonsi* ferocia, conabatur eum externo terrore ab instituto retrahere. Quippe qui jam diu exploratum haberet ab eo contra se clam arma parari; magnos exercitus undique contrahi; novas in *Italia* societates iniri, ut administrationem rerum *Joanni Galeacio* illius genero remittere co-

geretur. Quum enim ætatis jam adultæ is eſſet, ingenioque promptiſſimo, ac præſtanti animi & corporis virtute, cujus forma & mores magni Principis auctoritatem præ ſe ferrent, nec à patruo in principatum reponeretur, ſed tanquam privatus ab omni Reip. cura alienus ætatem ageret, non poterant uxor, quæ magni eſſet animi, amici atque ejus ſtudioſi non ægrè ferre,
3 quòd *Ludovicus* ſub velamento gubernationis eum imperio ditioneque privaret. Itaque quòd viribus impares eſſent, nec tantum facinus apertè aggredi auderent contra eum, qui non parva jam potentia ſe muniverat, *Alfonſum* in dies hi magis clam ſollicitabant, ut genero quantis poſſet copiis ſuccurrere properaret, ne per fraudem regno, quod brevi, niſi ſubveniretur, amiſſurus erat, tam ignavè ſpoliaretur. Hinc continuæ filiæ preces, querelæ & lachrymæ, quòd non regulo aut principi nupta videretur, quum maritus, cui nulla in adminiſtratione rerum auctoritas eſſet, perinde ac privatus in tutela patrui tam grandis natu ignominioſè degeret. Hinc amicorum adhortationes, qui multa ad rem perpetrandam ſeorſum pollicerentur, modò maturaret; animum ſoceri impulerant ut omni conatu generum expulſo patruo in regno tueretur. Quod ſine ingenti exercitu fieri poſſe non arbitrabatur. Nam *Ludovicus* qui à nepote ſtabant paulatim ſublatis, arcibuſque impoſitis ſuæ factionis novis cuſtodibus, præfectos magiſtratuſque, & qui in urbibus in omni *Mediolanenſi* ditione, quos ſibi fidos exiſtimaret, jus dicerent ſuo nomine creat, Senatores conſcribit, qui exigerent vectigalia & rei pecuniariæ præeſſent, conſtituit; legationes ſolus ſuſcipit: quos dubiæ fidei & novi alicujus conſilii ſuſpectos habebat, interim quoquo modo tollere parat. Nihil publicè gerebatur quod non ejus auctoritate fieret; *Joannis Galeacii* nomen in diplomatis tantum recipiebatur; cui pauci admodum comites libidinibus dediti adſiſtebant, qui potiùs exploratores, quàm miniſtri erant. Hi omnia ejus conſilia & cogitationes patruo aperiebant: nihil præter quod animum effeminaret, objectabant. Quibus artibus juvenilis animus à boni propoſito facilè dimovebatur. Ita ille quod jam diu affectaſſet regnum ex ſententia adminiſtrabat: hic per ignaviam atque ſocordiam ex mala conſuetudine in otio ætatem conterebat. Nam quadam velut oſtentatione elatus *Ludovicus* quaſi ſuo ductu ſuaque virtute ac prudentia res *Mediolanenſes* aliquot annos in tanta rerum conflictione ſatis proſperè ſucceſſiſſent, eò ſuperbiæ & arrogantiæ progrediebatur, ut qui ante mercenariam adminiſtrationem longa prece ſibi procuraſſet, & ſub alterius nutu & auſpiciis victitaſſet, pari jure ſe accipi in regni partem non pateretur, atque cedendum eſſe non arbitrabatur nepoti ex fratre, qui natus eſſet antequam pater eam dignitatem aut imperium obtineret. Sibi ex jure primogenituræ eum Ducatum pertinere, quòd primus ex patre Duce progenitus fuiſſet, clam interim oſtentabat. Itaque quum jam videret diverſa populorum ſtudia, quibus cognitus eſſet ejus animus, præter externos apparatus, in urbibus ob ſuſpicionem paulatim excitari, qui taciti vel levem motum expectarent, vel quantula-
4 cunque accelerata auxilia, ut ab adminiſtratione deponeretur; etſi pleroſque ex potentioribus multa pollicendo & largiendo in partes ſuas attraxerat, arceſque muniverat: domeſticis tamen viribus tot turbinum motus ſuſtinere poſſe diffiſus, nihil ſibi magis conducere exiſtimabat, quàm *Gallicam* potentiam, ſine qua, quum omnia ei in *Italia* ſuſpecta eſſent, tutus in imperio tunc eſſe non poſſet, hoſti objectare. Ita enim externis armis *Alfonſi* conatus reprimi poſſe arbitrabatur. Nihil igitur prætermittere, quod animum Regis impellere maximè videretur. Magnum auri pondus pro militari viatico deſpondere, ingentem & validam claſſem ad tantum bellum neceſſariam ex omni mari *Liguſtico* collectam polliceri. Novas legationes ad diverſos diverſarum regionum principes ſuſcipere, cum quibus vel ſocietas coëunda, vel fœdus percutiendum pro tempore eſſet: vetuſtiſſimas tabulas tunc *Genuæ* repertas oſtentare; quibus contineretur, *Neapolitanum* regnum *Francorum* Regibus ſucceſſorio jure deberi. Pleroſque ex regni primoribus, quos *Alfonſo* infenſos, aut novarum rerum ſtudioſos eſſe ſciebat, magnis pollicitationibus ſollicitatos acciverat, qui Regem ſupplices adirent, toleratam diu ac perpeſſam ſub tyrannis miſeram & calamitoſam fortunam collachrimantes; ſe & ſua, ſi in immanem tyrannum arma moveret, ſponte offerrent: pecunias præterea quantas poteſt congerit; omnes naves & triremes, quibus *Genuenſes* ultro citroque mercibus uterentur, *Genuæ* collectas conducit, omnia expromiſſa accuratè expedit. Et jam rumor percrebuerat Regem brevi cum ingenti exercitu in *Italiam* deſcenſurum, atque in *Alfonſum* terra marique ducturum. Accelerandum enim *Ludovicus* eſſe arbitrabatur, & interim famâ perterrendum hoſtem, ne antequam *Carolus* cum copiis deſcendiſſet, novi aliqui motus in *Italia* contra ſe excitarentur, qui non ita facilè ejus adventu reprimi poſſe videbantur, niſi ſe priùs imperio abdicaſſet: quippe quòd ſuſpicaretur optimum Regem, ſi cum nepote in apertum certamen (quòd aliàs futurum erat) de ſumma rerum deſcendiſſet, illius partes potiùs, quàm ſuas ſponte ſuſcepturum: ſive quòd ei arcta neceſſitudine devinctus eſſet & æqualis; ſive quòd ita benigno diceretur animo, qui neminem per fraudem regno ejici pateretur. Addebat itaque *Alfonſum* hujus rei fama perculſum non parvas copias citra *Apenninum* in agrum *Ferrarienſem* ſub *Ferdinando* filio jam tranſportaſſe; quæ iter accelerarent ad occludendos *Alpium* aditus, niſi obviaretur; ut potiùs extra regni fines belli fortuna periclitaretur: ſive quòd ſuis parum fideret, ſive quòd id aliena ditione commodiùs geri poſſe arbitraretur. Se hactenus *Jo. Galeacium* nepotem in partes ſuas continuiſſe; vereri, ſi differatur, ne prece uxoris, ut eſt natura juvenum facilis, à propoſito dimoveatur, 5
cæteroſque *Italiæ* principes aut ſpe, aut metu in partes ſuas trahat: eſſe ad eam rem conficiendam deſtinatos ad ſingulos legatos. Videret ne cunctatione irriti apparatus fierent. Conſtantem jam eſſe in omni terra *Italia* famam de ejus in *Neapolitanum* regnum expeditione. Quæ ſi omitteretur, non ſine ignominia id fieri poſſe: ſi ſuſcipienda eſſet, accelerandum eſſe: ne interceſſione temporis vires hoſtium augeri poſſent. Omnia *Mediolani* & *Genuæ* parata pro eo eſſe; modò in *Italiam* deſcendere feſtinaret. His aut ſimilibus *Carolus* commotus, etſi conſtituerat bellum adverſus *Alfonſum* movere, ne animo inferior majoribus ſuis videretur, niſi recuperato regno fines imperii ad extremas *Italiæ* oras protraheret: conſilio tamen primorum totius *Galliæ* convocato, ſententias exquirere cœpit: ut quod communibus auſpiciis gerendum eſſet, omnium ſententiis comprobaretur. Quo in conſilio quum multa in utramque partem adducerent; vicit tandem ea pars quæ expeditionem in *Alfonſum* parandam eſſe cenſebat. Non enim omittendam tam opportunam belli gerendi oblatam occaſionem ajebant; tum maximè quum omnia in *Gallia* quieta eſſent. Non eſſe tot duces,

ces, tot milites, qui hactenus in bellis versati
fuissent, deliciis & ignávia absumendos. Aliquid
deesse tot victoriis, si reliquam ætatem in otio
voluptatibus dediti contererent. Non parva es-
se, quæ à *Ludovico Sfortia* offerri dicerentur; qui
veluti claustra *Italiæ* adeuntibus patefacere pos-
set. Licere quæ per vim ab hoste occupata de-
tinerentur, vi & armis recuperare. Id sæpe su-
periores Reges attentasse: sed vel domesticis
discordiis, aut finitimorum vexationibus distra-
ctos; aut eorum qui regnum tenerent, blandi-
tiis delinitos rem imperfectam reliquisse. Nul-
lam justiorem belli indicendi causam inveniri
posse, quàm quæ non pro dilatandis imperii fi-
nibus cupidine dominandi, sed quæ pro recupe-
randis à grassatore ablatis excitaret. Non refer-
re quòd tanto locorum intervallo à finibus *Gal-
liæ* distaret *Neapolitanum* regnum, in extremis
*Italiæ* collocatum: quum in eo plures sint ex
*Gallia* oriundi principes, & non parvæ ubique
nobilium familiæ; quibus gratius accidere pos-
set nihil, quàm adventus *Gallici* exercitûs: quo
velut à parente expulsa tyrannide in pristinam
libertatem restituerentur. Imo verò cum sense-
rint *Gallicas* copias *Alpes* transcendisse, ita o-
mnes regnicolas ab *Alfonso* ultro defecturos, ut
cogatur ante earum adventum relicto regno fu-
gam parare. Domesticis armis, non externis aut
*Gallicis* bellum conficiendum. Si *Alpium* acco-
læ, si *Longobardi*, si *Genuenses*, ut ferebatur, à
Rege starent, cæteros *Italiæ* populos non repu-
gnaturos, quin terra marique oppugnari posset
*Alfonsus*. Nec tanti esse *Hetruscorum* & summi
6 Pontificis potentiam, ut tantillum tantos exer-
citus remorari possent: qui cum senserint se ali-
qua ex parte urgeri, ne aliena causâ jacturam
faciant, illico cedent; suisque ipsi, & non alie-
nis rebus consulere festinabunt. Itaque liberos
aditus aut vi, aut gratiâ facilè relicturos. Qui
ex *Gallia* exercitus in *Italiam* descendissent a-
liàs, parva etiam manu, semper primo impetu
victores fuisse. Quod si postea prostrati aut deleti
fuissent, id incuriâ ducum, aut eorum quibus cre-
didissent, accidisse; non adfuisse ipsos Reges;
non quorum res gerebatur: sed conductitios impe-
ratores, quorum discordia res attrivisset. Hoc
*Alexandrinam* cladem, & apud *Genuam*, & in
*Sicilia* acceptam demonstrare. Meminissent *Gal-
licum* equitatum tanti roboris esse, tantâque cæ-
teris virtute præstare, ut nulli unquam cesserit:
peditatum nunc adesse ubique robustissimum.
Quis melior jaculo & gladio, *Vascone*? bali-
stis, *Vocontio*? arcu & bipenni, *Normano*? fra-
mea & scorpionibus, *Helvetio*? Non scriben-
das esse novas legiones: omnes veteranas labo-
rum patientissimas, belli scientissimas integras es-
se (paucos proximis bellis desideratos) quæ nu-
merosissimum & validissimum quemque exerci-
tum profligare, aut atterere possent: quæ supe-
rioribus victoriis gloriâ & honore accensæ, alias
superaddere summo studio efflagitarent. Non
esse interim tempus frustra contentionibus at-
terendum: sed properandum dum omnia bello
necessaria, & occasio, & vires, & otium, ac
rerum copia ubertim suppeditarent. His Prin-
cipum animi accensi in sententiam Regis fre-
quentes descendere, ut in *Alfonsum* duceretur:
etsi plerique à suis urbibus ad id missi oratores
dissuadere conabantur. Jussit itaque *Carolus* o-
mnes duces milites suos è stationibus educere,
in armis paratos habere, ac *Italiam* versus agmi-
natim viam ingredi: pedites ex *Vasconibus*, *Nor-
manis*, *Attrebatibus*, ac *Helvetiis* ad multa mil-
lia conscripti. Cæteri necessarii ad tantam expe-
ditionem apparatus in dies majore cura accelera-
bantur. Missi interim legati ad *Ferdinandum*
A Aragonium Regem, & item ad *Henricum* An-
glorum Regem septimum, ad cæterosque fini-
timos principes, cum quibus vel antiqua fœde-
ra firmarent, vel nova percuterent: ne aliqui,
dum ad remotam expeditionem cum majore par-
te copiarum proficiscitur, ejus fines defensore
ac præsidiis suis spoliatos ingredi tentarent. *Hi-
spano* Regi *Rusilio* cum *Parpiniaco* restituitur, si-
ve quòd ita (ut rumor erat) *Ludovicus* pater *Ca-
rolo* moriens mandaverat, sive quòd eo munere
sibi *Ferdinandum* adversus *Alfonsum* conciliare
posse *Carolus* maximè confidebat. *Sabaudienses*,
ut Regii exercitus per eorum fines transirent, li-
B berè permisere; modò ab injuriis subditorum &
maleficiis abstinerent. Electi magnæ auctorita-
tis viri, qui transeuntibus copiis loca partiren- 7
tur, ut commodius hospitari possent, & com-
meatu ubique abundarent. Legionibus itaque
ex omnibus hybernis ad fines *Lugdunensium* ad-
vocatis, *Carolus* eò profectus est, ibique exer-
citum lustravit; *Joannem Borboniorum* ducem
sororium toti *Galliæ* præfecit, *Ludovicum Aure-
lianensium* item ducem cum quingentis catafra-
ctis militibus, mille sagittariis equitibus, decem
millibus peditum, qui classe *Genuæ* parata im-
ponerentur, præmisit. Cæteræ copiæ cum tor-
C mentis & munitionibus, quum *Alpes* transcen-
dissent, ipse tantum itineris faciebat, quantum
satis esse ad mutationem locorum propter salu-
britatem existimabat. Ubi verò *Taurini* de ejus
adventu renunciatum est, aliquot è primoribus
patrum à *Blancha* designantur, qui *Carolum* Al-
pibus appropinquantem magnificè & lautè in
omnibus oppidis & castellis exciperent, *Tauri-
num*que deducerent; inter quos *Sebastianus Ferre-
rius* quæstorum præfectus non parvæ ex *Sub-al-
pinis* proceribus potentiæ, & apud *Blancham* au-
ctoritatis, cujus consilio & prudentia res pupilli
plurimum administrabantur, principatum obti-
nebat. Exceptus est *Caroli* adventus ab omni-
D bus oppidanis & civibus incredibili honore at-
que observantia. Quo enim primùm adventare
nuntiabatur, nihil relinquebatur, quod ad ornatum
portarum, itinerum, locorumque omnium, quà
is transiturus erat, excogitari posset: cum libe-
ris omnis ferè multitudo obviam procedebat.
Tanta erat visendi Regem apud omnes cupiditas,
apud potentiores excipiendi cultus & magnifi-
centia. Quum omnes *Alpinas* & submontanas
regiones eo honore atque amore *Carolus* percur-
risset justis itineribus, ad postremum Augustum
anno ccccxcIIII. à Nativitate Salvatoris supra
millesimum *Astam* pervenit. Ibi *Ferrariensium*
E Dux & *Ludovicus Sfortia* cum plerisque aliis *I-
taliæ* regulis ei præstò obviam adfuêre. Interea
*Ludovicus* Aurelianensium Dux, quem *Genuæ*
classi præpositum diximus, per exploratores &
nuntios certior factus eos pedites, qui in agro
*Pisano* scripti erant, *Neapolitanam* classem, quæ
apud *Liburnum* jam diu nihil moverat, jam con-
scendisse, statim conjectari cœpit eam contra se
parari: quum satis constaret duces *Genuenses* esse,
& jampridem Orientalem oram clam sollicitas-
se, ut eorum partes sequeretur. Is itaque in-
tentius vigilare, hostium consilia per explora-
tores frequentius perscrutari, omnia per eam o-
F ram præsidia augere, tela mittere, muni-
tionibus ac omni commeatu oppida & castella
firmare, in urbe quoque circa littus excubias dis-
ponere: non quod vis aliqua aperta timeretur;
sed ut ab insidiis omnia tuta essent. Militem è
stationibus ad se vocatum in armis pro urbe esse
jubet; ac nautas classem structam paratamque 8
habere, ut hostem terra marique, si moveret,
aggredi possent. Dum hæc *Genuæ* à *Ludovico*
gererentur pararenturque, per ignes ex promon-

toriis depositos signa edita classem adventare, moxque præcipites per dispositos equos nuntii retulere eam in sinum *Rapalli* jam declinasse; quòd vicus ille præsidio *Joannis Ludovici Flisci* munitus solum teneretur, cujus frater *Ibletus* Alfonsi classem ductitabat. Ibi expositis omnibus in terram copiis, quietis accolis, quasi nihil tale timerent, sive quod *Ibleti* auctoritate & præsentia deterriti portas occludere non auderent, intra oppidum duces cum omni exercitu se receperunt; idque communire summo studio conabantur. Inde parvis lembulis ad explorandum (ut creditum est) *Recbum* usque processerunt: ubi frustrà tentatis, qui suæ factionis erant, ut arma caperent, iterum *Rapallum* redierunt. Classis in altum se recepit. Interea *Genuæ* nec magno tumultu parata classe, & militibus arma expedire jussis *Ludovicus* postero die in hostem terra marique ducere constituit; ne temporis cunctatione popularium animi ad aliquem tumultum â factiosis incitarentur. Octavo igitur Idus Septembris in ipso crepusculo signa canere, & classem vela dare faventibus ventis, leniter tamen flantibus, jubet. Terrestre agmen paulò post incedere. Classi præerat ipse Dux *Aurelianensium*. *Antonius Maria Sanseverinus* cum terrestribus copiis, & *Jo. Adurnius* haud procul ab hoste eadem die apud *Recbum* consederunt. Classis tardius processit: ut ægrè levibus ventis postero die onerariæ naves in sinum *Rapalli* penetrare potuerint. *Neapolitana* classis, quæ nusquam postea conspecta, ea die in conspectu erat, ut ægrè ferret stomachareturque *Ludovicus*, quòd eam tam propinquam ob maris malaciam & ventorum, imò auræ potiùs lenitatem insequi non posset. Interim qui *Rapalli* erant molem veriti intra vicum, quem fossa claustrisque cinxerant, se continebant, ut cum hoste eruptione facta congredi, & intra munimenta, si vis aliqua inferretur, sese tueri possent. Erat natalis *Mariæ* Virginis, & dies ibat in noctem, cum *Alfonsiani* milites ex oppido erumpentes *Ludovici* terrestres copias appropinquantes sublato ingenti clamore invadunt. His *Helvetiorum* cohors paulatim occurrit, quæ prælio tentato ad primum certamen aliquantulum repulsa, majore postea impetu in hostem immissa prælium acrius commisit. Classis Regia interim quàm maximè potuit, ad littus applicuit; ut ex navibus in terram ac in hostes tormenta excuteret. Et à tergo jam adventabat *Jo. Ludovicus Fliscus* cum peditibus circiter quingentis: sustinuere impetum *Alfonsiani* impigrè, & diutiùs sustinuissent, nisi repentè suborta trepidatio esset, ne undique
9 circumvenirentur. Quum enim classem littori instare, & cæteras copias veluti expansis alis circumfundi intuerentur, omisso prælio ad fugam versi, sese pars ad proximos montes, pars in sylvas præcipiti fuga receperunt. In eo prælio, quod & fuga & nox diremit, ex hostibus circiter quingenti cecidêre, multis vulneratis, pluribus captis, inter quos *Fregosinus* & *Rolandius Fregosius*, & item *Julius Ursinus*: hic ad *Jo. Ludovicum*, illi ad *Aurelianensium* Ducem deducti magno honore habiti; adeo ut non captivi, sed hospites viderentur. *Ibletus* cum plerisque aliis belli ducibus per fugam elapsus, in *Hetruriam* ad reliquas *Alfonsi* copias proficiscitur. Quæ quum intellexissent jam amissam classem, & maritimos exercitus profligatos, omniaque in *Hetruscis* metu ac terrore tantæ cladis concussa suspecta esse, ad suam regnique tuitionem acceleratis agminibus se recipere contendunt. Postridie cum illuxisset, qui in sylvis se abdiderant, conquisiti, ad unum inventi, spoliati; prætera inviolati dimissi sunt: vicum nemine repu-

A gnante ingressi *Helvetii*, quasi hostium esset, diripuerunt. Quod non parvum *Genuæ* tumultum concitavit. Nam cum *Helvetii* ingentem prædam in oculis *Genuensium*, tanquam jure belli captam, in urbem referrent, tanta repentè indignatio circa littus & in portu orta est, (quòd iniquo animo ferrent amicos & socios belli spoliari) ut qui primi circumsteterant, spolia eripere, & reluctantibus vim inferre cœperint. Ad eum itaque tumultum cum magnus hominum concursus undique fieret, in vulgusque ibidem editæ voces essent, *Helvetios* trucidare *Genuenses*, confestim ad arma conclamatum est, clau-
B sæ ubique tabernæ tota passim urbe, *Helvetii* rerum ignari, qui disgregatim descenderant, aut in urbem redierant, tanquam hostes trucidabantur; plerique in tanto populari furore ab optimis civibus quoquomodo erepti occultabantur. Interea qui ex *Rapallo* agminatim redibant, cognito *Genuæ* in suos excitato tumultu, acceptis statim armis instructi ad signa quisque sua sese recipiunt, in urbem acies convertunt, ut suis succurrerent, & impiè occisorum necem ulciscerentur. Sed accepto à *Ludovico* nuntio, quem parvo lembo, factus certior de eorum in *Genuenses* animo, confestim præmiserat; ne ul-
C terius progrederentur, sedatoque *Genuæ* per eos qui præerant, tumultu, quum plebem arma deponere coëgissent, non longè à *Genua* duobus millibus passuum consedere, ibique velut castra posuere, donec renuntiatum est omnia *Genuæ* quieta esse: Ducem *Aurelianensium* in urbem magno procerum & civium comitatu ex classe, domumque honorificè deductum. Nam ea die classis tota supra portum in ancoris stetit; quòd *Ludovicus* seditionis causam ignoraret, nolletque militem in amicos & belli socios emittere, do- 10
nec certior factus esset, quo consilio id *Genuenses* attentassent. Et ob id terrestres *Helvetiorum*
D copias, ut suprà demonstravimus, in *Genuam* moventes, supersistere jussit. Qui tumultus causa fuerant, postridie quàm *Ludovicus* urbem ingressus est, de duobus tantùm supplicium captum: cæteri clementiâ dimissi. Non abs re esse, imò operæ pretium me facturum existimavi, si paucis hoc loco recensuero quæ & quot in portu & extra *Genuæ* in ancoris pro Rege naves essent. Tanta enim & tam valida classis fuit, quantam majorum nostrorum nulla ætas vidit unquam. Conductæ erant onerariæ naves duodecim, & pergrandes quidem constitutis in eis equitiis ac præsepibus,
E quæ equos MDXCVI. acciperent: minores naves, quæ Barchæ vulgò appellantur, XXIII, in quibus equi DLXX. imponi commodè poterant. Galeoni (ita vulgus appellat) XVII. quibus vehi poterant equi DCXX. Minora navigia DLXXX. equorum capacia: triremis oneraria equos centum captura; agiles triremes XXX, inter quas Regia una major aliquantum, miro profectò ingenio ædificata, & Regio ornatu composita: Totam classem, quam item conscensura erant ad decem peditum millia, præter eos equites, quos recensuimus, CXXVI. navibus constasse comperimus; ut si juncta fuis-
F set, cuique vel magnæ classi formidolosa esse facilè potuerit. Interea *Carolus* certior factus de suorum ad *Rapallum* victoria, ac *Alfonsianæ* classis fuga tumultuque *Genuæ* suborto, ac repentè sedato; etsi constituerat omnem exercitum terra *Neapolim* deducere; optimum tamen ratus si classis *Genuæ* instructa contineretur, ne ab alio interim in se conduci posset: magistris ac ductoribus navium efflagitantibus missionem aut abeundi commeatum, facere recusavit. Itaque persolutis in duos menses futuros stipendiis solidam

A dam classem, præter unam tantùm onerariam, quæ ex *Sicilia* recens supervenerat; exaggeratis multorum dierum precibus divectandis ex negotiatione mercimoniis permissam; *Genuæ* interim hyemare jussit. Et jam verebatur ne in se ex *Hispania* aliqua classis pararetur, quòd crebri rumores spargerentur *Hispanum* ab *Alexandro VI.* Pontifice sollicitatum, in fide non permansurum: Cui accedebat, quod ex antiqua & Regum illustri *Hispaniæ* Aragonia familia *Alfonsus* originem traheret. Exercitum igitur citatis agminibus per *Hetruriam* accelerare jubet, ut regnum, priusquam novi aliqui in se apparatus fierent, re-

B cuperare posset. Ipse cum Prætorianis militibus ac proceribus *Papiam* ad *Jo. Galeacium*, qui tunc adversa valetudine, qua intabescente paucis diebus post decessit, graviter laborabat (ita erat humanissimus) divertit: cumque is quereretur ac ægrè ferret, quod non satis officio suo facere potuisset, quum obviam propter morbum

11 non prodiisset, nec aliquid de more, quòd omnia penes patruum essent, obtulisset: se tamen & liberos quasi lachrimans offerret: hortatus ut bono esset animo, curaretque valetudinem; pollicendo ejus & filiorum rationem in regressu se habiturum, torque, quem humeris magni auri ponderis gestabat, eum alacriter donavit. In-

C de *Placentiam* profectus est. Interim qui primos ordines ducebant, cum juga *Apennini* cum majore parte copiarum jam transcendissent, optimum rati si ante adventum *Caroli*, quædam castella, quæ à *Florentinis* erant in finibus *Genuensium*, arte, loco, munitionibus satis firma, reciperentur, aut quoquo modo vi expugnarentur, ad eorum oppugnationem summo studio conatuque contendunt. Et *Florentinum*, si his locis amoverentur, quod *Lucenses* intercederent facilè cessurum arbitrabantur, nihilque obstare quin liber per omnem *Hetruriam* aditus pateret.

D *Sarrazana* itaque & *Sarrazanellum*, quæ arces primæ in finibus hostium occurrerant, quibus *Petrus Medices* cum valido præsidio præerat, cum crebris tormentis quaterentur; sive quòd *Petrus* adversam pactionum *Florentiæ* factionem, quæ tunc magis poterat, manu Regia se posse opprimere arbitrabatur; sive quòd tanti exercitus molem sine subsidio diutiùs sustinere posse diffidebat, deditione facta à nostris recipiuntur. Idem qui in *Petra-sancta*, & ad portum *Liburni* infra *Lunam* in præsidiis erant, fecere. *Pisani* se item *Carolo* dedidere; qui libertati postea restituti, nulla vi a *Florentinis* subigi unquam potuerunt.

E His rebus perterriti *Florentini* legatos ad *Carolum*, qui jam *Pontremulum* descenderat, sui purgandi gratiâ misere, qui dicerent se contra eum arma non sumpsisse, ut *Alfonsi* partes sequerentur, sed ut ab incursionibus militum omnia tuta forent; nec in animo habere ei velle quoquo modo aditus occludere; quos liberos *Alfonsianis* militibus reliquissent. Se obsides, si dubitaret, daturos, & imperata omnia ultrò facturos; rogare solùm & obtestari ut militem ab injuriis & maleficio contineret. His *Carolus*, etsi animadvertebat unos ex omnibus *Florentinos* esse, qui nihil earum rerum facerent, quas

F pollicerentur, nisi coacti; quòd metu potiùs quàm gratiâ talia ostentarent: respondit tamen, eò sibi minus dubitationis dari, quòd eas res, quas offerrent, sponte facturos prorsus confideret. Se autem in *Italiam* descendisse, non ut quempiam injuria afficeret, sed ut *Neapolitanum* regnum sibi debitum ab hostili manu vindicaret: qui reluctari conarentur, quum maximos & firmissimos in armis secum haberet exercitus, inultos non relicturum. Itaque si militi commeatum suppeditarent, si liberos aditus permitterent, nihil obstare quin tuti domi esse possent. Se tamen cum omni exercitu velle *Florentiam* ingredi, ne aliqui in tam populosa urbe tumul- 12
tus fierent. Dimissis his conditionibus *Florentinorum* legatis, *Ludovicus Sfortia* amicorum litteris à præcipiti nuntio certior factus, *Joannem Galeacium*, quem valetudinarium in discessu *Caroli* ex *Papia* relictum docuimus, non sine ipsius *Ludovici* ob suspicionem propinati veneni, ut rumor erat, ingenti infamia, vita functum ad superos concessisse, impetrata à Rege missione cum paucis suorum (cæteris se sequi jussis) per dispositos equos *Mediolanum* quàm ocyssimè potest revertitur. Nam cum aliquot equitum auxiliaribus turmis *Carolum* subsequebatur, ut in regnum, si juberet, proficisceretur. *Mediolani* igitur in adventu *Ludovici* inauditum spectaculum. Nam dum *Joannis Galeacii* funus non satis solemni pompa effertur, *Ludovicus* attalicis & ostro insignis per medias civium turmas in Ædem majorem, ubi aderat jam tumulandum cadaver, deductus à primoribus, convocata concione Dux consalutatur: ut hinc mœroris & luctûs, hinc lætitiæ & gaudii omnia plena essent. Variæ tamen in vulgus querimoniæ jactabantur, quæ indignitatem rei planè testarentur. Quod nepotem ex fratre veneno sustulisset. Quod filium ejus pupillum tam impiè per scelus imperio privaret. Quod optimum Regem & credulum in *Italiam* traxisset suis delinimentis, non ut regnum adipisceretur, sed ut circumventus detineretur; vel cum omni exercitu deleretur. Prudenter Regem facere, si omissa in regnum expeditione in eum cum omni exercitu rediret, eumque vi ditione privaret, quam per fraudes nepoti eripuisset. Alii diras clam imprecabantur; nonnulli calamitatem, qua postea afflictus est, apertè ominabantur: adeo ut qui eum sequebantur satellites maledictis popularium concitati alios cæderent; alios terrore & minis concuterent. His artibus rerum potitus *Ludovicus Sfortia* summo studio conabatur ut popularium animos, qui sibi alienati viderentur aliqua simultate, reconciliaret; aut terrore & metu reprimeret. Nam convocata concione, alios blandè appellare, aliis privilegia & immunitates polliceri, nonnullis sacerdotia & magistratus, quosdam minis deterrere. Sparsus statim rumor non tam sua sponte, quàm auctoritate & suasu Senatus & procerum *Ludovicum* Ducem creatum esse, quod tali viro, magnæ auctoritatis, summæque prudentiæ & rari consilii ea tempestate, qua omnis ferè *Italia* externis armis concuteretur, non pupillis aut tutoribus, qui nullam rerum experientiam callerent, aut animo imbecilles reluctantibus facilè cederent, opus esset. Res in maximo discrimine versari, quòd à *Carolo* Rege *Ludovicus* Aurelianensium Dux magni animi summæque prudentiæ vir, qui jam diu ad *Mediolanensium* imperium aspiraret, *Astæ* in præsidiis non parva manu relictus esset: qui ma- 13
jores copias in dies contraheret, eo consilio, ut re ad *Neapolim* à *Carolo* bene gesta, ipse cum expeditis militibus *Mediolanensium* fines invaderet. Hæc, etsi plerisque verisimilia videbantur, non tamen popularium odia in *Ludovicum* concitata extinguebant; sed magis atque magis excitabant; ut cujusvis externis jussis parere mallent quàm *Ludovico*: sed metu & terrore taciti rerum eventum expectabant. Et jam undique ex finitimis suppositis urbibus legati *Mediolanum* mittebantur, qui *Ludovicum* ducem consalutarent; & novo regulo, etsi non sponte, congratularentur. Soli *Papienses*, quòd in ejus acta jurare diutius reluctarentur, antiquum morem & privilegia adducentes, quibus novi principes crea-

ti ad eos, ut publicam fidem reciperent, proficisci tenerentur: causantes præterea id præter jusjurandum *Jo. Galeacio* & hæredibus jamdiu interpositum fieri non posse, ingenti pecunia mulctari sunt. Ipse interim nihil prætermittere quod ad tutelam occupati imperii pertinere arbitraretur: cum finitimis populis & principibus nova fœdera percutere: majores exercitus conscribere, castella omnia & oppida præsidiis, commeatu ac munitionibus augere: missi ad *Maximilianum* legati, qui in ejus acta suo nomine jurarent, à quo investituram (quam appellant) Ducatûs ingenti pecunia mercarentur. Nullo enim jure à patre atque fratre; sed vi atque armis occupatum imperium sibi Imperiali auctoritate ac privilegio perpetuò firmatum iri existimabat. Itaque *Maximiliani* decreto Archidux appellatus, eo superbiæ atque arrogantiæ processit, ut omnia in dies miscere ac perturbare audaciùs conaretur. Nam *Genuenses* monet ut legatos ad *Carolum* mittant, qui *Sarrazanam* cæteraque castella, quæ antea *Genuensium* ditionis fuissent, repetant. Ipse etiam per oratores à *Carolo*, qui jam tum *Florentiam* tenebat, (nam eam urbem dirutis, qua incedendum erat, mœnibus cum omnibus copiis instructa acie ingressus erat) se rerum *Pisanarum* ac *Florentinarum* administrationi præfici exposcebat. Quæ ubi à Rege obstinatè sibi denegari animadvertit; (nolebat enim *Carolus* quempiam suo jure sine cognitione privare, nec par esse videbatur ut *Florentinos*, qui facilè cessissent, alterius potestati summitteret,) statim omnes *Italiæ* principes in *Carolum* concitare cœpit, inquiens, quòd in *Italiam* descendisset, ut eam omnem libidine dominandi subigeret, ac tributariam sibi faceret, aut depopularetur & funditus everteret, nedum *Neapolitanum* regnum recuperaret. Hoc suo periculo deprehendisse, ac exploratum habere quàm avida gens esset imperii, cujus causa nullum jus servaret. Sibi & *Genuensibus*, qui omnia pro militari viatico ac auxiliares copias hactenus abundè subministrassent, claustra *Italiæ* adveni-
14 enti terra marique aperuissent, classem instructam jamdiu cum maxima totius Reipub. jactura pro eo in portu continuissent, datam fidem non servasse: imò castella pleraque & oppida vi, aut dolo capta diripuisse; nonnulla etiam munitionibus impræsentiarum obtinere, mutuam datam pecuniam abjurare: non ut socios, aut amicos; sed pro servis ac dedititiis habere. Id esse consilium *Caroli*, ut quos conjunctos superare posse diffideret, hos omnes in varias ac diversas partes, contrariaque studia distractos facilius opprimeret. Jam paratum esse jugum, quo *Italia* omnis summitteretur, nisi statim totis viribus occurrerent. Se voluisse in regnum cum omnibus copiis traducere, ut omni præsidio spoliatum *Mediolanensium* imperium *Aurelianensium* Dux à tergo relictus nemine repugnante occuparet. Quod ubi deprehendisset suis prætimens se cum omni exercitu *Mediolanum* recepisse; ut quoquo modo integris rebus consuleret. Itaque omnes sollicitare, pervertere singulos, hortarique cœpit: ut imminentem ruinam ab eorum capitibus omni conatu avertere procurarent. Non sine causa fieri, ut recuperato *Neapolitano* regno & devictis *Longobardis*, cætera *Italiæ* loca imperio dignitateque spoliarentur. His commoti *Italiæ* Principes, sive quòd sibi & rebus suis prætimerent, sive quòd nollent externum & potentissimum Regem in *Italiæ* finibus imperium sibi quærere, præter *Sabaudienses*, *Salutios* ac *Monsferratenses*, qui datam fidem sine causa violandam esse non arbitrabantur, ut arma in Regem pararentur ultro conjurarunt. Et pleras-

A que civitates, quæ ad *Caroli* amicitiam accesserant, deficere famâ rei permotæ clam moliebantur. Fidem igitur omnibus interponere, jusjurandum poscere, ut quæ esse ex usu *Italiæ* cognovissent, communi consilio administrarent. Hæc à compluribus delata cum *Carolus* cognovisset, rebus *Florentiæ* compositis, quàm maximis potest itineribus *Senas* pervenit; ut fines regni priusquam alii conventus in *Italia* fierent, invadere posset. Interea legatos ad *Alexandrum* summum Pontificem mittit, cujus legationis *Philippus* de *Sabaudia* ex illustrissima & pervetusta Ducum familia ortus principatum obtinebat, B qui dicerent se in *Italiam* cum ingenti exercitû descendisse eo consilio, ut *Neapolitanum* regnum successorio jure sibi debitum vindicaret: nec sibi in animo esse quempiam maleficio aut injuria afficere, modo iter ad fines regni facere liberum liceret. Sibi iter per urbem faciendum esse, propterea quòd nullum aliud commodius haberet. Rogare ut ejus voluntate id facere liceat. Non decere summum Pontificem, qui Christianis principibus contendentibus disceptator controversiarum esse deberet, ut ab armis discederent, cujuspiam gratia aut amicitia in a- 15
lios concitari. Existimaret se à majoribus suis C non degenerasse, qui meritò Christianissimi nuncupati sunt, quum nihil magis cupiat quàm Christianam religionem augere, & Apostolicam sedem quàm maximè venerari. Non tanti esse faciendum *Alfonsum* tyrannum, ut sibi tam injustè iter, quod aliàs ferro & armis aperiendum esset, occludere conaretur. Hæc ubi accepit *Alexander* convocatis in consistorium patribus, sive quòd memoriâ tenebat *Alfonsum*, & ejus patrem *Ferdinandum* Romanam Ecclesiam continuis perturbationibus hactenus agitasse, sive quòd tutum esse non putabat contra potentissimum Regem partes ejus suscipere, qui proceres D & populos regni jam diu infensos haberet, hortante maximè *Ascanio Sfortia* Cardinali; etsi non deerant qui *Alfonsianas* partes acerrimè tuerentur, non repugnandum *Carolo*, sed concedendum esse decernit. *Ferdinando* igitur jubet, ut urbe *Roma* cum omni exercitu discederet: tametsi ibi velut castra ei metari hactenus permiserat, ut *Carolum* Pontificia auctoritate deterritum ab incepta expeditione retraheret: sibi tamen in animo non esse, quum *Carolus* pertinacissimè in eum infestis signis ducere perseveraret, nec longè cum copiis abesset, ut in urbe decertarent ac confligerent; quod sine maxi- E mo & totius R. Ecclesiæ detrimento id fieri non posset. Oportere summum Pontificem pro communi Christianorum salute ex officio & Apostolicæ sedis auctoritate inter Principes contendentes medium & velut parentem optimum esse; non partium fautorem. Si uterque ab armis discederet, de controversiis, ut justum pastorem decet, se cogniturum. Quod si bello decernendum esse ex re arbitrarentur, alibi quàm *Romæ*, quæ esset communis omnium patria, prælium committerent. Cognito *Alexandri* Pontificis decreto, *Ferdinandus* cum omnibus copiis itinere duorum dierum in *sanctum Germanum*, primum F oppidum in finibus regni, non longè à *Liri* fluvio communitum se recepit; eo consilio, ut inter angustas fauces, quibus iter in *Campanos* & regnum patet, advenienti *Gallico* militi commodius repugnaret. Interim *Carolus* ab oratoribus de *Ferdinandi* ab urbe discessu certior factus, confectis per *Senensium* fines itineribus, *Romam* citatis agminibus ire contendit. Quò ubi appropinquatum est, etsi aliquamdiu reluctatus *Alexander*, ne cum omnibus copiis urbem intraret, quòd in tam diversa militum multitudine ab inju-

juriis & maleficio vix temperari posset; ne tamen majore discrimine res agitarentur, si vi & armis, quod aliàs necesse erat, prohibere conaretur, quum *Carolus* instructa acie pertinacissimè irrumpere festinaret, permisit etsi invitus, ut
16 militi in urbe hospitia finirentur. Ipse in arcem *S. Angeli* indignabundus se recepit. *Carolus* igitur *Romam* ingressus, dispositis per urbem præsidiis, ne aliqui tumultus ex improviso in se concitarentur, maximè intentus esse, ut alienatum Pontificem sibi reconciliaret. Nec abeundum sibi ab urbe arbitrabatur, donec *Alexander* deposito metu aut odio in *Vaticanum* ad ædem *D. Petri* rediisset, ibique copiam sui palam fecisset, perfectaque re divina secum fœdera pacemque firmasset. Nam aliquot dies, velut positis castris in ædibus *D. Marci* cum prætorianis cohortibus fuit. Frequentes itaque oratores mittere, qui vel timentem, vel iratum Pontificem pacarent, aut bono animo esse hortarentur, ab eoque pavorem excuterent. Non enim sibi in animo esse Pontificiam auctoritatem in aliquo per se læsum iri. Hoc solum petere, ut ejus bona gratia liceret sibi regnum vindicare. Nec ægrè ferendum esse quòd urbem cum omni exercitu ingredi voluerit, quum id non fecisset, ut ei injuriam inferret, sed ut omnia sibi tuta essent adversus tam propinquum hostem; cui quum hospitia in urbe permisisset, non videre cur sibi deneganda essent. Animadverteret *Alfonsum* non esse sibi præferendum, qui nihil sanctius duceret, quàm majorum suorum instituto *Romanæ* Ecclesiæ jura propagare. Interea urbis facies immutata & miseranda videbatur, & rapinis & cæde invito Rege omnia fœdari, bona civium diripi, Pontificis potestas cessare, plerique furore quodam omnia pro arbitrio regebant, ut quisque vel ulcisci, vel deprædari constituerat, grassabatur: adeo mali licentia vagabatur, bonos pavor & trepidatio passim invaserat.

17

# LIBER SECUNDUS.

VAria & anceps humanarum rerum conditio plerosque mortalium in eam sententiam facilè traxit, ut omnia fortunâ & casibus regi arbitrarentur; nec quicquam in homine virtutis, sive ad prudentiam, sive ad fortitudinem, sive ad temperantiam, sive ad justitiam respexeris, inesse, quo illius impetus & vires commodè vitari possent. Tantum fortunæ in his infimis juris esse dijudicabant, ut agitari omnia ac misceri, & alia aliò pro arbitrio transferri ejus vi atque impulsu pro constanti haberent. At mihi quidem singula diligentius contrà mecum reputanti, illud in primis visum est certissimum in manus hominis positum esse qualem sibi fortunam (ut ille ait) formare malit: nec eum egere fortuna: nec magis regi casibus, quàm ipse regat casus. Tum demum omnia quæ accidunt, sive prospera, sive adversa recto Dei judicio ad puniendum, aut emendandum, aut ad remunerandum provenire. Quod alibi cum de ea perdifficili, & nondum satis explicata quæstione disputaremus, quare mala bonis, & bona malis accidunt, satis abunde, ut potui, comprobavimus. Nam in omni cujusvis facinoris negotio, sive in bello, sive in pace prosilientes causas invenies, quibus posteaquam evenerit, ita fieri debuisse facilè deprehendes. In alio enim vigilantiam, in alio solertiam extolles; hic callidus, aut vafer ac astutus; ille hebes atque ignavus nuncupabitur: hic bonis artibus, ille fraude & dolo gloriam quærere contendet; ita diversa quidem via bonus & malus ad unum finem pervenire nituntur: sed illi laus, huic vi-

A tuperium ac ignominia debetur. Ubi labore & virtutis viâ quis ad honestas divitias, aut justum imperium graditur, omnia ei prosperè succedunt. Contrà verò qui perniciosis libidinibus dediti per socordiam, cum ætas ferè defluxerit, probitatem cæterasque virtutes abjiciunt, sive capti pravis cupiditatibus ad inertiam & voluptates corporis deferuntur, frustra culpam suam ad negotia transferunt. Nec impii, qui violenta exercent imperia, divitiasque ad malos usus convertunt, unumquemque sine discrimine vexationibus exagitantes, ac omnia pro arbitrio promiscuè miscentes, dum corruunt, fortunam habent ul- 18
B lam quam meritò incusare possint: quum eorum nefanda scelera omnes in se concitaverint, & suæ ruinæ causam sibi ipsi præbuerint. Et qui parva manu ingentes exercitus fuderunt, & qui numerosissimis copiis devicti hostibus cessêrunt, non remotiores, aut extra se causas relinquunt, quare illi victores, hi superati fuerint. Illorum stratagema, virtus, scientia, prudentia, industria, consilium, rei bene gerendæ temporis & loci opportunitas; horum ignavia, desidia, imprudentia, trepidatio, discordia, imperitia, temeritas, rerum difficultas statim suboriuntur, quibus ita rem geri oportuisse dijudi-
C ces. Qui divitias cumulant, aut supra modum servant, solemus parcos aut avaros, solertes, diligentes & industrios appellare: qui verò profundunt, inopiâ premuntur, luxuriosi, prodigi, desides, inertes ignavique dignoscuntur; ut nullum negotium quare ita gestum sit, præter fortunam & casus sui auctoris causa careat. Sed ad inceptum jam redeundum esse censeo, ne tempus in his frustrà conteramus, quæ vicissitudo rerum, quas deinceps sequentibus libris carptim scripturus sum, quàm liquidissimis exemplis demonstrabit. Dum igitur ea *Romæ* ita perturbatè geruntur, *Ferdinandus*, quem *sanctum*
D *Germanum* cum omni exercitu se recepisse docuimus, etsi hujusmodi *Caroli* & Pontificis dissensiones aliquid spei rebus suis afferre videbantur; tamen, quòd jam in regno tumultuari sensERAT, relicto in eo oppido præsidio cum reliquis copiis, si populos sua præsentia in fide continere posset, in *Campaniam*, *Capuamque* proficisci pergit. Inde ab *Alfonso* patre accitus, *Neapolim*, relicto *Capuæ* in præsidiis exercitu, pervenit. Nam *Alfonsus* sive quòd existimaret populos ac proceres longo odio sibi infensos ea novi Regis constitutione demulcere posse, sive quòd vereretur ne si persisteret in regno à suis
E captus aut obtruncaretur, aut advenienti *Carolo* captivus traderetur, se imperio abdicare secedereque, ac rerum administrationem *Ferdinando* filio, eo animo, ut si superior esset, jus regni sibi in posterum servaretur, remittere constituit. Convocatis itaque primoribus regni publico omnium consensu *Ferdinandum* regem appellat, omnibus principibus regni, quos senior *Ferdinandus* pater ob suspicionem dubiæ fidei, aut novi alicujus consilii in vinculis jamdiu continuerat, carcere dimissis; deposito deinde imperio, tanquam privatus in *Siciliam* brevi tra-
F ctu, veluti in secessu rerum eventum præstolaturus, exiguo lembo adnavigat: ubi religiosorum Cœnobium ingressus, sive quòd eo habitu 19
se tutiùs delitescere posse arbitraretur, quum omnia ei suspecta essent; sive quòd humana negotia fastidiret, cuculam induit. *Ferdinandus* cum in ejus acta principes jurassent, compositisque quoquomodo *Neapoli* rebus quàm ocyssimè potest in castra, *Capuamque* revertitur. Interea *Romæ* post longas disceptationes (nam quindecim dierum ea altercatio fuit) percusso tandem inter Pontificem & Regem fœdere initaque pace, cujus

jus auctores fuêre *Philippus* de *Sabaudia*, *Ludovicus Luceburgus*, *Gulielmus Brisonetus* Episcopus *Maclovienssis*, qui paulò pòst postulante Rege inter Cardinales ascriptus fuit, *Carolus* omnes copias, peractis priùs de more ab *Alexandro* rite sacris ad fines regni præmisit, legatos item ad *Florentinos*, qui coacto ingenti exercitu agrum *Pisanum* jam tum depopulabantur, & urbem obsidere properabant, destinavit, qui eos ab armis discedere juberent; aut expromissam pecuniam pro ea urbe cæterisque castellis pendere interpellarent. Sed parum profecerunt legati, quum cœptam obsidionem *Florentini* solvere recusaverint, quod cernerent Regem aliis bellorum motibus brevi implicatum iri. Et jam plerique moliebantur ut *Carolum* vi & armis *Italia* detruderent. Ipse demum, cùm omnia loca, in quibus priscæ venerationis memoria extaret, lætus ac supplex salutasset adorassetque, acceptis ab *Alexandro* obsidibus *Cæsare Borgia* tum Cardinali, qui postea Dux *Valentinensium* fuit, & *Zizimino*, qui cùm in certamen de imperio cum fratre descendisset, victus ad *Rhodios*, suppetias exoraturus, confugerat: à quibus postea *Romam* ductus Pontifici dono datus fuerat cum prætorianis militibus in castra proficiscitur. Interim dum *Carolus* in *Velitris* oppido *Volscorum* ageret, duo ex *Hispania* oratores ad eum venêre, qui post graves querelas quòd is contra legem & fœdera cum eorum Rege inita, tam magnos exercitus in *Italiam* transportasset, urbes, oppida, castella *Romanæ* Ecclesiæ invito Pontifice invasisset, ipsumque Pontificem priùs de fuga cogitantem, in molem *Adriani*, ut sibi & rebus suis consuleret, recipere coëgisset, monuerunt ut ab armis discederet, eam expeditionem contra *Alfonsum* omitteret, jure priùs experiretur quam armis, ad quem regni ditio spectaret. Non toleraturum *Hispaniæ* Regem, qui validissimam haberet classem, & potentissimos in armis exercitus, quòd regnum tam injustè cum maxima ejus injuria occuparet. Ad hæc *Carolus* respondit, se nihil contra pacis conditiones attentasse, nec *Hispano* regi injuriam intulisse. Summo Pontifici, quòd *Alfonsianas* contra se partes præter morem religionis tueretur, occurrisse; nec in eum, nec in res Ecclesiæ quicquam violentum commisisse; se liberum aditum solùm voluisse, quod negari non debue-
20 rat. Se à majoribus suis non degenerasse, qui nihil sanctius existimabant, quàm Christianam religionem tueri: si Pontifex se æquum censorem præberet, non dicturum sua causâ fugere voluisse; sed quorundam malevolorum perversis delationibus commotum in arce *Adriani* aliquot dies fuisse. Modò reconciliatum Pontificem, cum eo sibi pacem firmatam, satis constare regnum jure successorio sibi pertinere. Itaque sibi licere vi & armis ab injustè occupantibus illud vindicare. Nec tanti facere *Hispaniæ* Regis potentiam, ut tantillum à justo proposito retrahatur. Missi item à *Maximiliano* Rege *Romanorum* ad *Carolum* legati, qui dicerent *Maximilianum* brevi in *Italiam* cum maximis copiis descensurum: ut Imperii insignia *Romæ* consequeretur. Itaque ei cum auxiliaribus aut subsidiariis militibus, si exposceret, præsto affuturum: parum compertum habeo quid inter eos principes postea transactum sit. Interea *Carolus*, quòd *Cæsar Borgia*, quem supra obsidem docuimus, aufugerat, & *Ziziminus*, non sine suspicione propinati veneni decesserat, per litteras & nuntios cum *Romanis* & Pontifice egit, quum eos suspectos non parum haberet, ut ii quo animo in se essent apertè declararent. Quod ubi *Romæ* compertum est, concussi repentino

A timore *Romani*, ne indignabundus Rex eorum fines depopularetur, ac ad urbem cum infesto exercitu rediret; statim legatos miserunt sui purgandi gratiâ: qui dicerent optimo se esse animo in eum, nec unquam ab ejus voluntate discessuros. Dimissis itaque legatis missus est *Philippus* de *Sabaudia* ad summum Pontificem, cum quo firmatæ sancitæque iterum rite & rectè conditiones pacis & fœderis fuerunt. Ex *Velitris* movens *Carolus* per vallem, quam *Motonem* nominant, ad *Pontem curvum*, extremum *Romanæ* Ecclesiæ oppidum, duxit. Hinc expugnatis duobus in collibus oppidis *Montefortino* & *sancto*
B *Joanne* arte & naturâ admodum munitis, in prædamque militibus datis, ac omnibus ferè oppidanis ferro trucidatis, tantus repentè hujus rei famâ pavor finitimos invasit, ut de salute potiùs quàm de pugna consultarent. Ubi igitur qui in *sancto Germano* in præsidiis relicti erant, appropinquare *Gallicas* acies prospexerunt, levi quadam velitatione repugnare primum, tum de oppido dedendo aperte agere cœperunt, quòd oppidani in *Gallicas* partes clam inclinare viderentur. Recepto per deditionem sancto Germano, *Suessam* & *Trajectum* munitionibus satis firmata oppida *Carolus* expugnare, quoquomodo obti-
C nere contendit. Interim *Ferdinandus*, sive amore mulieris captus, ut fama erat, sive terrore perculsus, relictis qui exercitui præessent, & res in castris administrarent, *Joanne Jacobo Tri-* 21
*vultio*, *Verginio Ursino*, & *Nicolao Petiliani* Comite, *Neapolim* proficiscitur. Inde per nuntios & litteras clàm egit cum *Joanne Jacobo*, sive quòd suis jam diffideret, sive quòd tutiùs esse arbitraretur aliqua conditione cum *Carolo* pacisci, quàm dubiam belli fortunam experiri, ut ad *Carolum* cum mandatis de pace tractanda iter accele- raret. Res maximè hoc loco hortari videtur, quoniam de tanto viro tempus admonuit, ali-
D quid de natura cultuque ejus altius repetere, ac paucis disserere: etsi aliis locis & proximis libris de ejus rebus præclarè gestis latiùs dicturi sumus. *Joannes* igitur *Jacobus* nobili ac pervetusta *Trivultiorum* inter *Insubres* familia ortus, litteris ac liberalibus disciplinis juxtà atque doctissimè eruditus, prima munia militaria sub *Galeacio Sfortia* admodum adolescens strenuissimè exercuit: animo ingenti, gloriæ & honoris cupidus, laborum patientissimus; adeo ut ab negotiis nulla eum voluptas unquam remorata sit; summæ vigilantiæ, vitæ frugalioris, corpore vegeto, ac tereti, toroso pectore, facie elata, a-
E pertaque ac decora, oculis nigricantibus, facundus, callidus, rei bellicæ peritissimus, in præliis strenuissimus, amicitiarum tenax, in facinorosos severus, altitudinis ingenii incredibilis, firmæ memoriæ, raræ eloquentiæ, in conviviis splendidus ac lautus, in omnes liberalis & munificus, fidei cultor ac observantissimus. His virtutibus, suis charus, apud exteros clarus habebatur. Quo effectum est, ut cum *Ludovico Sfortia*, quem ad *Mediolanensium* imperium jam tum aspirare docuimus, sive ob invidiam, sive ob suspicionem, quòd partium *Jo. Galeacii* esse videretur, stipendiis primùm privatus, tum demum cùm rediisset, domo patriaque rejectus,
F ad majorem *Ferdinandum* confugisset, equestribus copiis præficeretur. Cum igitur *Jo. Jacobus* ad *Carolum* cum mandatis pervenisset, *Virginius Ursinus*, & *Nicolaus* Petiliani Comes, quos exercitui & castris cum *Jo. Jacobo* præfectos à *Ferdinando*, cum *Neapolim* proficisci pergeret, fuisse demonstravimus; sive quòd ægrè ferrent hujusmodi provinciam sibi demandatam non fuisse; (tantùm invidentia & mala ambitio quorundam mortalium animos exagitat, ut ab officio de-

deflectere non vereantur:) ſive quod animo fracti eſſent, abſentia *Ferdinandi* & *Jacobi* relicta Capua, *Nolas* cum ſuis copiis ſe recipiunt. Quod ubi per exploratores *Carolus* cognovit, receptis in ditionem *Sueſſanis* ac *Trajetanis*, *Capuam* nobiliſſimam urbem, dedentibus ſe ultro civibus, intrare feſtinat. Inde *Averſam*, idem facientibus oppidanis, proficiſcens ingreditur. Interim *Ferdinandus* omni ſpe retinendi regni deſtitutus, quod omnes Principes & populos facta in ſe rebellione
22 ſumma lætitia & applauſu *Carolum* ubique quo proficiſceretur excipere jam cognoviſſet, Regemque aperte conſalutare, ejuſque adventum ſummo ſtudio alios efflagitare, & pleroſque belli duces cum copiis defeciſſe, relicto in arcibus *Neapoli* CCCCC militum præſidio, claſſem, quam illic ſex triremium & duarum navium paratam habebat, cum auri & argenti non parvo pondere conſcendit. Nam quod *Carolo* nulla tunc parata claſſis eſſet, futurum eſſe arbitrabatur, ut ſi aliqui in *Italia* motus in *Carolum* fierent, quos jam parari ſenſerat, facile regnum, ſi aliunde ſuppetias ſibi comparare poſſet, recuperaret. Cognita igitur *Ferdinandi* fuga, deducentibus primoribus urbis ac regni proceribus populorumque legatis, qui ad eum, ut in ejus acta ultro jurarent, eumque Regem conſalutarent, ſummo ſtudio ac feſtinatione jam undique confluebant, *Carolus* Neapolim omnium maxima lætitia & publico applauſu ingreditur. Nihil enim qua tranſeundum erat, quod ad ornatum portarum, itinerum, parietum, locorumve pertineret, *Neapolitani* prætermiſere. Et fere omnis populus obviam effuſus vocibus & geſtis *Carolum* Regem tranſeuntem conſalutabant. Interim miſſo *Ludovico Luceburgo*, cum parte copiarum, qui *Nolas*, (quo *Nicolaum* & *Verginium Urſinum* confugiſſe demonſtravimus) obſideret oppugnaretve; *Carolus* tormenta muraleſque machinas, ac cætera omnia bellica inſtrumenta, quibus arces, quas *Ovum* & *Novum Caſtellum* appellant, demolirentur, quod aliter expugnari non poſſent, quam celerrime præparari jubet. Arces erant ad bellum ducendum aptiſſimæ naturâ, & loci munitione. Nam mari, velut ingenti foſſa altera circumducebatur; utraque turribus, aggeribus, muris ac propugnaculis quaſi inexpugnabiles circumquaque cinge-

A bantur. Paucis diebus poſtquam oppugnari cœperunt, expugnatis Nolis, *Verginius Urſinus*, & *Nicolaus*, cæteris qui in præſidiis erant, aut trucidatis, aut ſpoliatis, capti *Neapolim* deducuntur. Expugnatis itidem non multo poſt *Neapolitanis* arcibus arte & naturâ, ut diximus, munitiſſimis, confectiſque in hunc modum rebus *Carolus* ludos & varia certamina *Neapoli* inſtituit. Dum igitur ludi celebrarentur, Regius exercitus horrendum fere ſpectaculum præbuit. Nam quod *Helvetium* ad mœniana quædam, ut ſpectaret, conſcendentem, quidam ex ſagittariis, qui cuſtodiæ præerat, graviter vulneraſſet, tanta repente indigna-
B tione rei ſparſo rumore, *Helvetii* perculſi ad arma decurrere, ut Regia tormenta vi occupaverint, in *Gallos* rerum ignaros frementes & furore indignabundi infeſtas acies converterint. Nec ſpatium erat *Gallis* arma capiendi; inermes paſſim ab armatis *Helvetiis* trucidabantur: cives terrore perculſi intra domos ſe continebant. Hujus rei 23
fama permotus *Carolus* in medias *Helvetiorum* acies cum paucis ſuorum inermis prorumpit, cauſas tumultus exquirit; rogat, obteſtatur per fidem datam, per jusjurandum militare arma deponant: ſi quiſpiam eos injuria affeciſſet, exponerent; ſe graviſſime animadverſurum. Non eſ-
C ſe furori & iræ indulgendum in tam præſenti diſcrimine. Animadverterent hoſtem non longe abeſſe: qui ſi tumultum inter eos excitatum cognoſceret, ſtatim non parva manu comparata reverteretur; reliquoſque, qui ex tumultuario conflictu ſupereſſent, facili internecione deleret. Tot laboribus, tot præliis dimenſo tam longo terrarum ſpatio, comparatam tot victoriis ſua virtute gloriam uno momento tam ignominioſe, non ab hoſte ereptam, ſed ſuo furore & diſcordia amiſſuros. Se Regem eſſe velut optimum omnibus parentem, & æquum inter eos diſceptatorem.
D Nec minoris facere *Helvetios* & belli ſocios, quam ſtipendiarios milites, & *Gallos* legionarios equites omnes juxta habere. Præſentia & oratione Regis pacati *Helvetii*, depoſitis armis, proſtrati quaſi rubore perfuſi, ac pœnitentia ducti veniam orantes mox reconciliantur. Dum ea in regno geruntur. *Carolus* in dies certior fiebat nuntiis & amicorum litteris magnos in tota *Italia* terrâ marique apparatus contra ſe fieri.

# GEORGII FLORI,

## *Mediolanenſis, J. C.*

## DE

# EXPEDITIONE BONONIENSI,

## LIBER UNUS.



INterea *Julius II.* Pontifex Max. cum in *Bononienſes*, qui ductu *Joannis Bentivoli* aliquot annos à *Romana* Eccleſia defecerant, expeditionem omni conatu & ſtudio intentius pararet, ut in ditionem poteſtatemque Apoſtolicæ ſedis eos redigeret: quod ejus exercitus ad tantam rem perficiendam, quum urbs ſit armis & populo validiſſima, non ſufficerent; copias, quas *Ludovicus* Rex in *Inſubribus* & *Liguribus* in hibernis habebat, duce *Carolo de Ambaſia* equitum Magiſtro

E (Galli *Mareſchallum* vocant) tunc in *Italia* Regem gerente acceſſivit. Quod ubi à Regia majeſtate is exoravit, ſtatim impiger dux comparatis abunde quæ ad tanti belli apparatum ſpectare videbantur, præmiſſiſque tormentis & munitionibus VX 24
Kal. Novembris anno DVI ſupra M à Nativitate Salvatoris magna procerum & nobiliſſimorum hominum ſtipatus caterva, *Mediolano* ad *Laudem Pompejam* pervenit, ibique perendinavit, ut qui præmittebantur milites commodius *Pado* tranſmitterentur: ubi etiam poſtridie, ne ſuorum neminem poſt ſe relinqueret, ad multam diem mo-

ram fecit. Ex *Parma* paucis diebus post, quò
omnes belli duces cum copiis convenerant, cum
*Carolus* lustrato rite exercitu castra movisset, per
agrum *Rhegiensem* & item *Mutinensem* iter factu-
rus, jussit quadrata agmina tripartita (etsi per a-
micorum fines transibant) instructa acie incedere,
perinde ac si hostis adfuisset non longo intervallo;
ut commodius hospitarentur: &, si aliquid acci-
disset, sibi ultro citroque subvenire possent. Cu-
jus tanta fuit præter cæteros, qui hactenus aut
per agros, aut oppida, aut provincias legiones
duxerunt, continentia, ut non modo manus tan-
ti militis, sed ne vestigium quidem cuiquam pa-
cato nocuisse dicatur. Præmissi ad *Rhegienses*, &
item ad *Mutinenses*, qui hospitia & commeatum
militibus imperarent, summæ prudentiæ & au-
ctoritatis viri, *Sebastianus Ferrerius* ex Senatorio
ordine, & Regiorum citra *Alpes* Quæstorum am-
plissimus præfectus, Comes *Manfredus Tormellus*
Novariensis, *Laurentius Mozaniga* Laudensis.
Imperata utrique populi accuratè fecere. Hinc
igitur cum *Mutinam* justis itineribus pervenisset,
copiis in aciem deductis *Carolus* se ad expugnatio-
nem arcis *Castelli-Franci*, quæ prima est in limi-
tibus agri *Bononiensis*, præparat. Quem ubi, qui
in præsidiis à *Joanne* collocati erant, adventa-
re exercitum intellexerunt, statim deditione fa-
cta oblatis armis ad *Bononienses* se receperunt. Ibi
triduo *Carolus* commoratus est, expectans reli-
quum peditatum, qui ex *Helvetiis* & *Vocontiis* ac-
cersiti mittebantur. Interim qui in agris oppidisve
finitimis erant, cognito *Caroli* adventu, cum o-
mnibus his quæ ferri aut trahi secum poterant,
in urbem statim se recipiunt. Nam etsi antea
rumor erat, quem falso sparsum existimabant,
Regium exercitum adventare, & crebræ in dies
ex castris summi Pontificis incursiones in agrum
*Bononiensem* fiebant, leviaque prælia ultro citro
committebantur; non tanti tamen id bellum fa-
ciendum arbitrabantur, ut derelictis agris se so-
lum intra mœnia urbis tegerent: donec *Gallicus*
miles accessisset. Tanto repente terrori insperа-
tus adventus Regii exercitus *Bononiensibus* fuit.
*Carolus* igitur confecto à *Castello-Franco* quadra-
tis agminibus unius diei itinere non longius à *Bo-
nonia* duobus millibus passuum ad *Rhenum* flumen
25 castra metatus, præsidia ad ulteriorem ripam, ne
pons, si forte ex continuis pluviis, ut aliquando
fieri solet hyeme, fluvius inundaret, à *Bononien-
sibus* occupari posset, collocat. Hinc missus Fe-
cialis, qui nomine Regiæ majestatis indiceret,
quod nisi intra triduum urbem, & sese cum omni
præsidio, quæ pro summo Pontifice imperata
fuissent facturi ultro dedidissent, ferro flamma-
que in eos, tanquam in hostes, sine discrimine
ulcisceretur. Hi pro tempore responderunt, se
omnia Regiæ majestatis & *Romani* Pontificis jus-
sa, modo à *Joanne Bentivolo*, penes quem tunc
res essent, non intercederetur, libentissime exe-
cuturos. Itaque supplices orare, obtestari ut e-
jus opera efficeret, ut is vel urbe cederet, vel
deposito imperio eam suis legibus uti permitte-
ret, quibus ultro *Romano* Pontifici se statim de-
derent. Nihil autem obstare præter *Joannis* po-
tentiam, qua civium animi plurimum deterrean-
tur. Interea sive ex industria mandante, *Carolo*,
ut animum & promptitudinem uniuscujusque in
re ficta & tumultuaria periclitaretur; sive quod
ita res exposceret; cum ad arma clamatum esset,
quasi *Bononienses* eruptione facta Regia castra ex
improviso aggredi attentarent, tanta celeritate &
duces & milites ad signa quisque sua è vestigio se
omnes instructi receperunt, ut difficile sit com-
memoratu quam statim in aciem, sive ad inva-
dendum, sive ad excipiendum hostem, ut casus

A offerret, qui ea die extra mœnia nusquam com-
paruit, conversi fuerint. Postridie autem *Joan-
nes* cum liberis & amicis aliquot numero fere quin-
gentorum equitum, cum videret vires suas & *Bo-
noniensium*, quibus tunc maximè diffidebat ob tu-
multuariam adversæ factionis & popularium sedi-
tionem, vel potentioris cujusvis populi, sufficere
non posse ad sustinendam tam validi & firmi ex-
ercitus oppugnationem obsidionemve, paulo
ante lucem clam *Bononiensibus* in castra Regia se
recipit. Hinc acceptis à *Carolo* oblatis conditio-
nibus ad *Sanctum Doninum* Palavicinorum in agro
*Parmensi* oppidum comitante *Antonio Maria* ex
B imperatorio mandato cum familiaribus suis profe-
ctus est. Dein, quod *Bononienses Carolo* urbem
dedere, & ejus exercitum, ut polliciti fuerant si
*Joannes* demigrasset, admittere intra mœnia re-
cusarent, quod eam summo Pontifici se jam de-
didisse assererent, legatosque ejus ob tumultua-
riam inter nobiles & plebejos seditionem exortam,
improvida plebes contra jus gentium, quod mi-
nus tunc nobilitas posset, ignominiose repulissent:
mox eadem fere hora accepto nuntio tormenta &
bombardas cum exercitu portis admovit, quas bi-
duo ita concussit, ut turris, quæ portæ imminet,
non sine magna ruina concideret. Interea dispo-
C sitis excubiis ad loca magis opportuna, ne in no-
stros ad quatienda munimenta & propugnacula 26
intentos, oppidani ex improviso erumperent, etsi
arduum admodum videbatur ob continuos im-
bres, quibus natura terræ in tenacissimum lutum
facile resolvebatur: tamen ipse modo pedes, mo-
do eques, vel simulato habitu inter primos, mo-
do inter postremos cum quibusdam selectis pro-
ceribus versari, modo castra & excubias circuire.
Hos hortari, alios monere, nonnullos precari,
plerosque castigare. Tanta erat in strenuissimo
duce, dum singula belli munia obibat, quæcun-
que pericula sustinendo vigilantia, celeritas, so-
lertia; ut ubique eodem momento in tanta diffi-
D cultate non adesse solùm, sed interesse videretur.
*Bononienses*, dum ea geruntur, rebus suis satis
diffisi, legatos qui de pace tractarent, ad *Caro-
lum* iterum miserunt. Hi cum in urbem optima
spe rediissent, percunctantibusque nonnullis ple-
bejis obviam effusis, quidnam ex castris afferrent,
pacem respondissent: eorumque temeritati huma-
nissimum ducem concessisse, modo in urbem, ut
expromissum fuerat, cum omni exercitu recipe-
retur: statim acclamatum est bellum se malle cum
*Gallis*, quam pacem; ne urbem cum exercitu,
ut petebatur, ingrederentur; & qui intromissi
erant cum legatis ad præparanda hospitia, re-
E pulsis, non multo post in nostros, qui jussu du-
cis oppugnationem omiserant, tormenta & cata-
pultas conjicere, eruptioneque facta antesignanos
milites, qui ad muros excubabant, atrociter sublato
ingenti clamore invadentes, à nostris tamen for-
titer repulsi, aliquot inter certandum desidera-
tis, plerisque vulneratis, nonnullis captis, qui
imperatoris jussu mox dimissi sunt, præcipiti fu-
ga intra munimenta & mœnia turpiter se recepe-
runt. Hos nostri insequentes urbem ea die vi in-
gressi diripuissent, vixque à cæde temperatum
fuisset, si omnis equitatus, qui extra *Rhenum* e-
F rat, ita statim adesse potuisset. Itaque prælium,
quod induciarum exiguo unius noctis intervallo
diremptum fuerat, redintegrari cœptum est. In-
terea missi oratores à *Bononiensibus* ad summum
Pontificem, (quum magis atque magis dubitaret
ne *Galli* in urbem, quam brevi expugnatum iri
animadvertebant, si diutius oppugnarent, irrum-
perent, & eam vi captam jure belli diriperent)
qui exponerent se & sua ejus potestati & ditioni,
cum *Joannes Bentivolus*, cujus potentiam maxime
for-

formidabant, discessisset, sponte dedituros, in ejusque acta constanti fide juraturos. Ideoque supplices orare, obtestari, ut urbem suam servaret. Quod facillimum factu esset, si moneret potentissimum & maximi animi ducem, ut ab ejus oppugnatione desisteret. Legatis benigne dimissis decretæ sunt litteræ, quibus *Carolo* gratias agebat, 27 quod ejus opera & ductu *Bononienses* se sine longiore bello, aut atrociore prælio dedidissent; hortabaturque & rogabat, ut hujusmodi oppugnationem omitteret, quum populum & Rempublicam servaturus non aboliturus tanto dispendio venisset. Sibi autem satis esse factum, quod dictis parerent, conditionesque quas offerret, expulso *Joanne*, sponte acciperent: & ad id misisse legatum, in cujus acta ejus nomine jurarent. *Bononiam* venturum (tunc enim *Imolæ* agebat) ubi si quid in eum *Bononienses* perperam commisissent, de perpetratis ejus arbitrio facile supplicium sumpturum. Nec esse interim ob levia quorumdam popularium ingenia, qui præter bonorum opinionem, nulla lege, nullo ordine, nullaque ratione, sed fanatico quodam furore regerentur, tam præcipiti ruina evertendam populosissimam, & bonarum præterea disciplinarum altricem, in opimo & fertili loco à *Gallis* conditam urbem: sed perspecta jam multis argumentis *Bononiensium* levitate, utpote qui toties legatos in castra, qui ejus jussa & Regiæ majestatis, nomine totius Reipublicæ capesserent, frustra misissent, quum ne minimum quidem quod polliciti fuissent, hactenus præstare voluissent, quasi eæ litteræ fictæ essent, urbem acrius oppugnare constituit. Itaque crebrioribus ac vehementioribus tormentis muros quatere, propugnacula demoliri, omnia parare, quæ ad accelerandam expugnationem pertinerent. Nec eos tantillum respirare permittebat, ut continuo opere defessi in reparandis ac muniendis confractis mœnibus, tædio & labore abnuere, aut paulatim deficere cogerentur. Interea *Julius* re cognita duos summæ auctoritatis Cardinales Auxitanum *Fr. Guliel.* Narbonensem, quod *Carolo* esset stricta necessitudine conjunctus, & *Carolum Carretum* Finalensem legatos cum mandatis misit, qui irritatum tam gravi *Bononiensium* injuria ducis animum, consilio, gratia studioque pacarent. Eorum itaque auctoritate, cum citatiore itinere in castra pervenissent, *Carolus* permotus, etsi oppugnationi intentus, & admodum accensus videbatur, concussione tamen urbis & propugnaculorum desistere, obsidionemque solvere constituit. Quod ubi accepere *Bononienses*, per inducias opportunitatem nacti intempesta nocte occlusis hortante sutore roboreis septis ad muros incilibus, aquas quæ illinc satis pleno alveo ex *Rheno* derivatæ per urbem discurrerent, clam in tormenta derivarunt, existimantes ea submersum atque facile obrutum iri. Sed ne tantillum quidem tam repentino opere profecerunt. Nam industria ducis subinde effectum est, ut in eorum non parvam jacturam brevi potius id plane redundaturum esset, quum statim urbs aquationis penuria premeretur, & alio tormenta deduci pos-
28 sent, unde tota civitas aperte concuteretur. Verum datæ legatis fidei memor nihil præterea attentavit, nisi ut oppidanis omnem expugnandæ urbis terrorem excuteret. Jussit itaque statim tormenta & partem exercitus, qui ad mœnia pro bombardis astabat, ad Pontem *Rheni* in castraque transportari. Oppidani interea rerum ignari magis trepidare, verentes ne *Carolus* tormenta in eum locum eminentiorem, unde tota urbs concuti posset, deduci pararet: & ob id nostros abeuntes, ut eos disturbarent, catapulis & sagittis ex muris & propugnaculis nequicquam persequebantur.

A In castris, dum ea gerebantur, maxima penuria annonæ erat; qui præerant rei frumentariæ, existimantes exercitum, ut polliciti fuerant *Bononienses*, inter mœnia receptum iri: qui ex *Mutina* & finitimis castellis commeatum affatim in castra comportabant dimissis, nullam ei operam rei dabant. Novem & decem fere dies post inceptam oppugnationem continenter pluit. Quod maximo commeantibus impedimento erat: quod natura loci, ut supra diximus, sit lutulenta & terræ tenacioris. Res maxime hoc loco exigere videtur, ut à quibus *Bononia* condita sit quam brevissime attingamus. Ejus prima fundamenta
B ab *Hetruscis* jacta fuisse nonnulli tradiderunt; qui cum in eam planitiem proximam suis *Alpibus* descendissent, agri fertilitate, aëris temperie, fluviorum amœnitate, salubritate cæli pellecti destitutis patriis sedibus ea loca primi incoluissent, *Felsinæ*que urbi nomen dedissent. Alii putant vetustissimam *Romanorum* coloniam, quasi illò deductis tribus millibus virorum primo constituerint; successuque temporis postea admodum auxerint. Plerique à *Bojis* Gallorum populis conditam gentili sermone primum *Bojoniam* nuncupatam volunt. Nam eam velut præsidium adversus *Hetruscos* ad radices *Apennini* collocasse autumant.
C Quanquam sunt qui dicant ab indigenis primo positam aliquamdiu *Hetruscorum* primariam urbem citra *Apenninum*, effectam deinde *Bojorum* caput. Quod mihi absonum videri non potest; quum victi fere omnes quam sæpissime in gentem nomenque imperantium concedant. Ex quo facile crediderim à *Bojis Gallis*, qui pulsis *Hetruscis* eam tenuerint, cognominatam; quæ licet ad *Romanos* postea pervenerit, quum ejus cives non expulerint, non nomen solum retinuit, sed opibus & divitiis aucta inter finitimas urbes aliquamdiu principatum facile obtinuit. Nam per *Augusti* tem-
D pora, & aliorum aliquot Imperatorum trium opulentissimarum *Italiæ* civitatum supero mari adjacentium una fuit, adeoque aliquo tempore post armis potens, ut aliquot annos bello cum *Venetis*, ne navigarent, contenderit. Discordiis postea civilibus, quæ plurimum eam civitatem attriverant, aliquamdiu agitata in potestatem ditio- 29
nemque *Romanæ* Ecclesiæ pervenit: cujus ductu & auspiciis, cum aliquantulum respirare cœpisset, mœnibus cincta, publicis privatisque ædificiis exornata paulatim pristinæ opulentiæ magnificentiæque restituta est. Dein non minore odio & partium studio exæstuantem, sive incuriâ, sive ignaviâ Pontificum *Bentivoli* sublatis adversæ
E factionis primoribus, invasere: qui ad hæc usque nostra tempora eam domesticis armis, nedum externo auxilio, sub imperio tenuerunt. Quod Regium exercitum in urbem admittere noluerint *Bononienses* præter spem omnium, id causæ fuisse nonnulli tradiderunt, quod dum legati, qui missi fuerant ad finienda militibus hospitia, ut constitutum fuerat, aliquid superbè protulissent (quod minime credi par est, quum viri essent selecti summæ prudentiæ, auctoritatis & modestiæ) veluti jactantes vi expugnata urbe, ni omnem exercitum cum peditatu intra mœnia reciperent, eam prædæ & direptioni militi permissum iri, ut fieri
F solet. Statim sparsa rei fama indignabundus populus, qui se sua sponte Pontifici dedidisset, procurassetque ut *Bentivolus* amoveretur, furore quodam percitus in aliam partem arreptis armis, ut nostri non ingrederentur, prorupit; quasi imperia, quæ sibi ipse ultro imposuisset, invitus subire, aut perinde ac si deliquisset pœnas dare cogeretur. Nam cum *Galli* ob id tantum in agrum *Bononiensem* à summo Pontifice acciti descendissent, ut *Bentivoli*, quorum potentia *Bononia* op-

primebatur, urbe & ejus agro expellerentur, nihil esse videbatur, quod juste conqueri possent, si intra muros cum omnibus copiis non reciperentur; quum vix fieri posset, ut in tanta variorum hominum multitudine, qui linguâ & moribus differrent, ab injuria & rapinis abstineretur. Alii putant, quod vero similius est, prolegatum summi Pontificis cum intellexisset exercitum à nobilibus in urbem admitti, plebem ad arma provocasse, eamque *Gallo* infensam fecisse, ne is prior quam summus Pontifex ingrederetur, quasi spe prædæ, quum civitas sit opulentissima, si cum omni equitatu & peditatu, ut petebatur, intrasset, eam plane diriperet & depopularetur, exclusoque summo Pontifice in potestatem suam redigere conaretur. Et plebes è vestigio sublatis armis à nobilibus secesserunt, clamatumque est, *Ecclesia*, *Ecclesia*; & sibi novos magistratus è corpore suo procreaverunt viginti-viros, penes quos summa Imperii esset. Nam antea sexdecim-viri sub *Joanne Bentivolo* Rempublicam administrabant. Sed dum Regii exercitus, ut supra diximus, in pristina stativa ad *Rhenum* se recepissent, iterum missi oratores à summo Pontifice Cardinales *Franciscus Guhelmus* Narbonensis, *Carolus Carretus* Finalensis, de quibus alias men-
30 tionem fecimus, & *Sancti Petri ad vincula*, qui ejus nomine *Carolo* gratias agerent, quod *Bononiam* urbem ab oppugnatione, obsidioneque liberasset, eamque sine ingenti cæde *Romanæ* Ecclesiæ restituisset; ultroque omnia pollicerentur, quæ pro re sua, & suorum sibi ab Apostolica sede fieri expostularet. Hortarentur præterea, ut *Bononiam*, cum primum ipse ingressus fuisset, quod brevi (si per pluvias liceret) futurum sperabat, ad se venire properaret, ubi coram pleraque dici possent, quæ litteris temerè committenda non essent. Sed interea, quod in castris & in urbe æque tumultuaretur; illic, quod non admitterentur; hîc, quod injuste nostri oppugnationem attentasse videbantur, missi legati *Imolam* ad summum Pontificem, *Ivo de Alegra* Savonensium præfectus, & splendidissimus eques *Sebastianus Ferrerius*, qui ita egerunt consilio, gratia, auctoritate, prudentia, ut *Julius* utrosque summa modestia rationeque pacaverit. Missis itaque qui *Bononienses* ab armis discedere juberent, ad pristinaque artificia plebem redire compellerent, legatis item liberaliter quæ petebantur concessis, omni statim tumultu sublato illi ad intermissas operas, hi cum omni exercitu ab *Castelli-Franci* stationes se receperunt. Tunc rebus ita compositis *Julius* victor & venerabundus cum omni Pontificio apparatu III Idus Novembris, anno à salute terris data VI post MD *Bononiam* ingressus religiosam admodum rem esse duxit, si auram popularem aliquo beneficio aut munere in primis captaret. A porta igitur urbis, quà aditus erat ad atrium, non pauca varia numismata recens fere cusa in obvios, qui erant densissimis cuneis frequentissimi, inter eundum spargi jubet; unumquemque sine discrimine excipit; multa onera, quibus antea premebantur, sive viritim, sive per census statim aufert; quæ *Bentivoli* in acta publica redegissent, aboleri mandat. *Carolum* paucis diebus post cum aliquot proceribus adventantem honorifice in atrium ab omni Cardinalium & Prælatorum splendidissimo conventu deductum ita primo congressu in supremis gradibus cœnaculi excepit, ita amplexatus est, ut non Pontifex, sed frater abjecto Apostolico fastu videretur. Interim quam maximo potuit honore eum afficere, & ut ei *Bononienses* reconciliaret procuravit. Hi enim ad eum supplices venere orantes obtestantesque, ut imperitæ multitudinis temeritati ignosceret. Bonos autem

A civitatis omnis pro Regia majestate, cujus potentiam & vires in maximis rebus longissimis argumentis cognovissent, cæteris aliis longe præstare, cui obviandum non esset, nedum resistendum, se suaque expposituros. Maximas præterea ei gratias agere, quod ejus opera, consilio & virtute à tyrannide *Bentivolorum*, quam tot an- 31
nos per vim perpessi fuissent, liberati in pristinam *Romanæ* Ecclesiæ tuitionem, sub qua eorum res olim auctæ fuerant, restituerentur. His pro tempore *Carolus* paucis respondit; Sibi & Regiæ majesti satis esse factum, modo in fide *Romani* Pontificis persisterent. Nec defuturos, si boni es-
B sent, pro eorum & sedis Apostolicæ propugnatione & tutela (quum *Francorum* Reges Christianissimi trito vocabulo nuncupentur) maximos & firmissimos exercitus. Itaque eos solum hortari, ut summorum Pontificum jussa ultro posthac amplexarentur: id in eorum summam laudem, utilitatemque cessurum facile cognoscerent. Se autem officio, opera, & studio, jussu Regiæ Majestatis erga *Romanam* Ecclesiam pro virili libentissime satisfecisse. Ex quo quæ offerrent parvi admodum facere; quum neminem cum aliena jactura recipiat: intelligatque, quum alienæ subjiciantur potestati, nihil, aut parum prodesse, aut
C obesse posse. Nec referre quod sive plebes, sive tota civitas in eum arma movisset, & portas urbis amico exercitui præter conventa occlusisset; qui si eam expugnare voluisset nulla vi contineri potuisset. Hoc acceptum ferrent summo Pontifici: cujus gratia incensos ob injuriam milites ab oppugnatione retraxisset. Nec tam ut *Bentivoli* Bononiâ moverentur; quam ut ea Pontifici restitueretur, exercitum Regem misisse. Ex quo sibi plurimum gaudere, quod sua opera & ductu armisque Regiis eorum ditionem, quam cæteri Pontifices nulla potentia, aut studio multis annis obtinere potuerant, *Julius* parvo admodum dis-
D pendio nunc assequutus fuerit. Tanta profecto fide & pietate Sacrosanctam Christianam religionem prosequuti sunt ab initio *Francorum* Reges, ut propria plerumque commoda obliti omnia sponte semper procuraverint susceperintque, quæ ad ejus laudem & gloriam pertinere viderentur; nec saluti suorum, nedum laboribus, aut impensis unquam pepercerint, quum ultronea & præsentissima pericula subierint, modo eam servare & tueri possent. Nec quispiam sanæ mentis *Romanos* mihi objecerit, quod omnia post religionem ponenda semper existimaverint; quum hi nostri sacratissimi Reges nihil unquam prætermiserint
E quod ad veræ religionis cultum facere recte censuerint. Ex quo totiens in fœdam Barbariem, *Saracenos*que arma sumpsere. Unde illæ celebratissimæ in Sacrosanctæ *Romanæ* Ecclesiæ hostes multiplicatæ victoriæ, clarissimique pro Christiana fide ubique triumphi: totiens aris & sacellis, in quibus vestigia aut nati, aut peregrinantis, aut docentis, aut cruci affixi Domini nostri JESU CHRISTI extarent, barbarica & *Mahumetana* colluvione fortiter vindicatis. Nullum enim lo- 32
cum illis temporibus unquam præterierunt, in quo priscæ venerationis memoria extaret, quem salutatum & adoratum læti ac supplices in pristi-
F nam religionem non asseruerint. Sed hæc alio superiore volumine latius explicuimus. Præcessere multa prodigia, quæ *Bononienses* superiore anno admodum terruerant. Nam frequenti & diutino terræ motu pleræque domus concussæ funditus corruerunt; pars domus *Joannis* anterior, non sine magna ruina, cum atrio concidit. Turris item contigua majore velut tormento fulmine icta à medio supra collapsa est. Nunquam per omnes dies, ex quo cœptus est terræ motus, quil-

A quisquam opifex artem exercuit. Nam omnes aut sub dio esse, aut in templis & sacellis, quum in domibus tuti non viderentur, quia nihil reliquum opis erat; alii queruli & flentes, alii in preces obtestationesque versi per omnes sacras ædes vagi suppliciis votisque Deum ac Sanctos fatigabant. Visæ sunt præterea in agro *Bononiensi* Ferrariam versus acies in aëre interdiu non parvo impetu concurrere. Ex his nonnulli *Joannis* necem, aut fugam, aut aliquam maximam calamitatem portendi ajebant; etsi non populares quidam astronomi felicitatem futuro anno ex syderibus ei falso promitti asseverabant.

# GEORGII FLORI,

## *Mediolanensis, J. C.*

## DE

# BELLO GENUENSI,

## LIBER PRIMUS.

UM ea apud *Bononiam* geruntur, *Genuensium* plebes, quæ aliquot mensibus ante ob ejus nimiam insolentiam abs nobilitate secesserant, arcem *Monœci* jam diu obsessam intentiore conatu oppugnabant. Verùm, quod ea & arte & natura loci admodum munita, quum mari prærupto velut scopulo circumquaque fere inaccessa immineat, nisi ponticulo quodam ligneo, quo fossæ transitus conjungitur, nulla vi expugnari potuit. Addebat quoque difficultatem, quod continuis prælìis & tumultuariis irruptionibus, qui in castris *Genuensium* erant ad oppugnationem ab iis peditibus, qui duce *Ivone de Alegra* Savoniensium præfecto
33 per *Ligures Ingaunos* paulo postquam *Bononia* discessit, suppetias missi erant, in dies lacessebantur. Itaque *Carolus* suffecto in ejus imperium *Joanne Jacobo Trivultio*, viro bello & pace clarissimo, missis in hyberna sua militibus, in *Galliam* ad Regiam majestatem profectus est, coram exploraturus an bellum *Genuensibus* aperte indicendum esset, quum aliter in fide contineri non possent, atque omnia contra jussa Regia attentarent: ut nihil magis cupere viderentur, quam ut populari quadam temeritate, aut solutiore licentia in pristinam se libertatem, aut in quandam potius innatam levitatem assererent. Novas itaque cum finitimis amicitias contrahere, cum aliis antiqua fœdera repetere, alios clam sollicitare; nonnullis auxilia polliceri, nobilitatem omnibus in odium adducere; legatos Regios, qui sæpius missi fuerant de controversiis cogituri, non audire; ita omnia ex arbitrio agere, ut qui pro Rege erant, non admitterentur. Ex quo melius esse videbatur, postquam edictis Regiis non parerent, sed omnia per vim attentarent, efferatam eorum insolentiam armis statim compescere, quam diuturniore indulgentia deteriora moliendi occasionem præbere. Per idem tempus *Simon Rigonus* Mediolanensis, cum rem fere omnem abutendo decoxisset, multam fortassis sibi spem, ut plerique existimabant, nuntiato eo tumultu, ob novitatem rerum, cui maxime student hujusmodi homines, in tam atroci scelere collocans, arce, quam in valle *Saxena* à Regia Majestate in custodiam acceperat, collecta ingenti prædonum, sicariorumque exulum manu, communita, rapinis & incursionibus finitimos vexabat. Prædas ingentes simul & viros mulieresque in arcem trahebat, quos ingenti pecunia se redimere cogebat. Asseverabat se Regias litteras habere, quibus permitteretur, & publica potestas fieret, ob non soluta quædam vectigalia, ita passim impune jus dicere. B Decretæ igitur statim nuntiata re *Mediolani* litteræ ex Senatu, quibus jubebatur, ut ab armis discederet, ab injuriis subditorum abstineret, arcem legatis, qui ad id missi erant nomine Regiæ Majestatis, restitueret. Alias in eum & socios, tanquam in parricidas, pro atrocitate sceleris brevi quàm severissime ultum iri. Quibus quod parere recusaret, sub adventu *Caroli*, qui ex *Gallia* his diebus quibus profectum supra diximus, à Rege in provinciam suam dimissus rediverat, C missæ aliquot equitum alæ sub duce *Ricardo*, quibus præruptus ille mons, in cujus summo vertice erectam fuisse arcem accepimus, circum quaque, ne ullo pacto egredi posset, cingeretur. Quod ubi, qui in præsidiis erant, intellexerunt, statim à *Simone* deficiunt; eum vehementius increpantes, quod licet exules essent, non illuc tamen ascendissent, ut eo ductore contra Regem starent;
sed ut ejus gratiam aliquo præclari facinoris negotio, si in finitimos aliqua belli suspicio concitaretur, assequi possent; & ut potius præterita maleficia ignosceret, quam ex præsenti injuria animus Regis acerbius irritaretur. Itaque, nisi caveret, 34
D & sibi & rebus suis tutius consuleret, brevi eum & arcem, si se tutos abire permitterent, patriæque & bonis restituerent, his, qui pro Rege obsidebant, aperte tradituros. Is igitur, sive quod de salute desperaret, conscientiâ ductus, quod in Regiam Majestatem commisisset, sive quod viribus diffideret, quas paulo ante ostentabat, cum se desertum à suis videret, arcem egressus noctu excluditur, dumque fugam errabundus per quosdam declives & abditos tramites clam parat, ab his qui custodiæ præerant interceptus, *Mediolanum* trahitur; ubi sub judicibus rerum capitalium tricesimo die postquam in carcerem ductus E fuit, avulso prius ab humeris capite, in media area portæ *Jovis* publice in partes quatuor sectus pœnas violatæ fidei dedit. Is ab adolescentia ingenio malo, pravoque, nihil in tota ætate prætermisit, quod ad explendas sævas libidines pertineret, sui profusus, alieni appetens, admodum audax. Homicidia, rapinæ, stupra, incestus, adulteria ei grata fuere. Nobili genere natus fuit; cujus majores honestas satis divitias habuere: sed ejus avus ejusdem nominis, quod eam arcem per vim occupare conaretur, eodem genere mortis interiit. Colore pallido & subcinericio, facie protensa,

tensa, cui nullus risus: vultus semper idem; ut difficillimum cognitu videretur tristis, an lætus esset. Eum, paulo antequam ad supplicium duceretur, dixisse ferunt; Se ad id genus mortis reservatum fuisse, quod libentissime tunc subibat, ne ejus anima, ob tam enormia ac tam detestanda maleficia, sempiterna pœna afficeretur. Nam plerumque frustra tentasse, ut vel inedia, sive alio modo sibi mortem consciscerer. Restituti patriæ exules, qui præsidio erant, ex litteris Senatus, arcem *Ricardo* tradiderunt. *Genuenses* igitur interim acceptis litteris à Regia Majestate, quibus interminabatur, quod nisi nobiles, quos vi & armis urbe expulissent, pro civibus reciperent, eorumque inique & contra jus gentium occupata castella restituerent, attentatamque injuste arcis *Monœci* obsidionem omitterent, statim perduellionibus ac hostibus declaratis, utpote qui spreta omni jurisjurandi religione, ejus mandatis impie parere recusassent, his in omni ejus ditione igni & aqua cæteroque humano commercio interdiceret; exercitusque, quos in *Italia* & *Narbonensi* provincia potentissimos paratos haberet, ad eorum internecionem terra marique è vestigio expediret. Cum

35 primum intellexerunt *Carolum* in *Italiam Mediolanum*que adventasse; nondum tamen soluta obsidione, nec restitutis civibus, legatos miserunt, qui quod levia quædam, ut antea soliti erant, excusarent, repulsi in patriam re infecta rediere. Hi igitur cum domum pervenissent, acrius ad gerendum bellum non solum contra nobiles, sed plebem contra Regem aperte concitarunt. Nam Regem asseverabant nobilitatis studiosum esse ob id solum, ut eo obtentu, quod eam plebi præferre procuraret, & ad pristinam dignitatem restituere, libertatem populo adimeret, & Reipublicæ ac utriusque viribus prostratis liberam in ea dominandi potestatem deinceps assequeretur. Quod minime fieri posse affirmabant, si se & patriam tutari vellent. Adesse enim multa peditum millia bellis assueta, & in montibus ad dimicandum apta. Urbem *Apennini* continuis jugis & mari undique circumdatam, ad quam per salebrosos & arctos terrestri itinere amfractus *Gallico* equiti, quo plurimum Rex valeret, invius aut certe difficillimus aditus pateret. Mari classem stare in ancoris, etiam extra portum validissimam, quæ multitudine & robore longarum onerariarumque navium, triremium ac rostratarum longe aliis antecellit. Alias parva manu ob difficultatem locorum ingentes exercitus in ipsa valle *Pociferæ* majores eorum profligasse. Magnos item Reges olim aut victos cepisse, aut tædio adductos, quum se nihil oppugnando proficere intelligerent, fugere turpiter, aut obsidionem solvere coëgisse. Meminissent quot spolia ex *Hispanis*, *Hetruscis*, *Venetis*, *Germanis*, *Longobardis*, ac ipsis olim *Gallis* Genuenses retulissent; quum ea una urbs sit, quæ non solum domesticum bellum sustinere, sed etiam externum possit. Non referre quod nobilitas Regias partes sequeretur: quum jam exhausta & exinanita extorrisque externa auxilia implorare cogeretur. At summum Pontificem populi causam aperte tueri: & ob id magnos exercitus contra Regem parare, qui brevi in auxilium mitterentur. Et demum totam *Italiam*, quum jamdiu *Gallicam* potentiam formidolosam habuerit, si primum impetum fortiter sustinerent, ad idem belli discrimen ultro conventuram; ut cogeretur Rex vel expeditionem omittere, vel aliis bellorum motibus implicari. Sibi pro patria, focis, aris, communi salute ac libertate; illis pro paucorum libidine & ambitione dominandique cupiditate decertandum esse. His igitur popularium animi perculsi, omnes qui pro Rege erant, quem

A interim hostem declarant, ex ora *Ligustica* ejicere; novos in urbe delectus habere, auxiliares copias ex *Hetruria* & urbe *Roma* contrahere, undique exercitus conscribere, quibus arces *Genuæ* imminentes, quæ pro Rege satis firmo præsidio 36
ex *Gallico* milite stabant, antequam exercitus Regius, quem contra se parari senserant, adventaret, expugnarent, aut in deditionem reciperent. Creatur novus Dux, quod plebes in potentiores sine discrimine grassaretur, omniaque populari impetu promiscue agitarentur, ex opificum numero *Paulus Norius*, penes quem summa imperii esset. Quod eo gratius popularibus erat, quia
B prisco revocato magistratu, antiquam se quoque libertatem adeptos jam esse existimabant. Sed is non tam suo ingenio fretus, quam aura populari elatus, nunc communi suffragio, interdum paucorum consilio res administrabat; ut difficile esset judicatu, Principis an privati sub velamento imperii locum sibi vindicaret. Potentiores interim, & qui divitiis affluebant, à tenuioribus, qui omnia pro arbitrio gerebant, inique pulsabantur. Eorum fortunæ palam diripi, illatas injurias ulcisci nemo unus poterat. Nullus appellanti creditori debitore minitante debitum exigebat. Ad tribunal vocati non accedebant: jura & Magistratus
C aperte contemnebantur. Itaque graves querelæ passim audiri. Sed quoniam *Genuensium* res, quæ satis claræ & magnificæ fuerunt, ad nostra usque tempora perpetuo motu domesticisque armis agitatæ fuerunt, ut varia & anceps semper fuerit earum administratio, non erit abs re aliquid in primis de ejus urbis origine; & à quibus ea condita sit; tum quibus magistratibus atque præfecturis publica eorum negotia administrata fuerint, paulo altius quam brevissime recensere. Urbem *Genuam* (sicuti nonnulli scriptores, non parvæ apud antiquos auctoritatis, tradiderunt) condidere, atque ab initio habuerunt *Ægyptii*, qui cum
D *Genuino* duce relicti à *Phaëthonte* in littore ad custodiam classis, cum ipse alias sedes cum parte copiarum ad mediterranea loca quæritabundus discessisset, adjunctis sibi accolis agrestibus hominibus, sine lege & moribus, ferino ritu passim errantibus, eam à nomine ducis cognominaverunt: etsi alii à *Genuo*, quem *Saturni* vetustissimi in *Italia* Regis filium autumant, quod primus eam coloniam ob opportunitatem loci ex *Italia* deduxerit, nuncupatam volunt. Plerique à *Jano* Italorum item Rege prima ejus urbis fundamenta jacta fuisse existimant, ab eoque *Januam* dictam:
E eo fortassis argumento, quod in ea *Janus* primum bifronti imagine coli cœperit. Constat autem (sive quod janua sit *Italiæ*, ut quidam putant, sive quod à genu denominata sit, quod crediderim, quum sese insinuet, & formam genu visentibus quaqua versum ostendat) *Romanos* eam tanti fecisse, auctore *Livio*, quum maximo usui ad omnia bella, sive maritima, sive terrestria ob loci opportunitatem esse cognoscerent, ut *Lucretio* consuli prorogatum fuerit imperium, ut à *Ma-* 37
*gone* Pœno destructam reædificaret. Eam *Carolus Magnus*, Imperator, *Pipinus* ejus filius Rex *Italiæ*, & cæteri deinde *Francorum* Reges præfectis, qui eorum publica negotia curarent, integerrimis viris, qui Comites appellabantur, ad
F centum & supra annos, summa justitia & humanitate, sicuti cæteras *Italiæ* urbes, sanctissime gubernarunt. His initiis ita brevi sub *Gallis* coaluit, ut cum divitiis, opibus, viris, mercimoniis publicis, privatisque ædificiis satis aucta esset, difficile sit memoratu quàm facilè non solum totius *Liguriæ* amplissimum emporium & caput effecta sit, verum etiam *Corsicæ*, *Sardiniæ*, *Chii*, ac ipsius pene maris imperium obtinuerit; plerasque cele-

celeberrimas urbes in *Asia* & *Græcia* aut vi subegerit, aut in deditionem receperit: *Capham* nobilissimam coloniam in *Tauricam Chersonesum* non procul à *Bosphoro Cimmerico* deduxerit. Cum *Venetis* de summa rerum, quos superare omnino potuisset, si victoria, quæ jam in manu erat, uti scivisset, aliquamdiu decertavit. Tanta fuit navalis belli peritia, tanti onerariarum navium ac rostratarum triremiumque roboris; ut cum nulla unquam classe conflixerit, quam non ceperit, aut prorsus fuderit. Sed ut plerisque mortalibus accidit, ex opulentia nimiaque licentia intestinæ discordiæ civilesque seditiones statim subortæ: quod infimi potentiorum insolentiam, perniciosamque ambitionem, atque diram avaritiam ferre non possent: & plebejos sibi nobilitas æquari non pateretur, hactenus ut quamvis externo hoste plerumque vexati fuerint, domestico tamen certamine nunquam caruerint. Nam cum *Innocentius IV. Fredericum* juniorem, ob ejus in Ecclesiam continentes injurias & perpetua detestanda facinora, vocatis *Lugduni* in concilium patribus, Imperiali jure & Cæsarum ornamentis privare contenderet: duæ statim *Genuæ* factiones coäluerunt: quarum altera *Frederici* partes sectabatur; quam *Mascharatam* vocabant: altera Pontifici favebat; quæ *Rampinorum* tum vulgo appellabatur. Ad annos igitur, ut rem altius repetamus, Christianæ salutis octingentos, posteaquam translato imperio ad *Germanos*, pro jure à *Gregorio* Pontifice *Germaniæ* proceribus dato, à Regibus *Gallorum* defecerunt; sub Consulari imperio, ut quidam tradunt, res *Genuensium* stetit. Nam quatuor annui consules pro urbico magistratu creabantur; quorum præcipua cura erat, litigantes audire, causas cognoscere, & de omnibus controversiis statuere. Circumacto consulatu totidem singulo quoque anno delecti cives sufficiebantur; penes quos procuratio Reipublicæ aliquamdiu permansit. His anno CLIII. post millesimum a salute Christiana, à *Conrado*, qui cum *Henrico* de summa rerum aliquamdiu con-
38 tendit, cum externa ac *Papiensi* parvuscula quadam moneta, quam *Brunetam* vocabant, uterentur; etsi ditione, divitiis, ac gloria tunc terra marique pollebant, auream & argenteam pecuniam cudendi ac signandi publica potestas facta fuit. Peregrinum prætorem, annuente *Frederico*, primò accepere; penes quem supremum jus esset, quum ab eo provocare non liceret. Unde nonnulli putant prætoribus potestatis nomen inditum: quamquam olim sub *Romanis* principibus id frequens fuisse constat. Verum hic magistratus & hoc ibi tum imperium ut instabile, & nonnunquam postea intermissum, ita varie quoque jactatum fuit. Atque nunc consules, interdum prætores jus dicebant. Itaque sub annum M. CCCXVIII. potestates in magistratum perpetuum, quatenus annuæ vices patiebantur, venere. Et haud ita multò post indigenam præsidem, qui libertatem populi tueretur, & commoda Reipublicæ procuraret, creaverunt potestates duas *Genuæ* de gente duntaxat patricia. Quidam auctores scripserunt domi & foris publicis negotiis aliquando præfectos fuisse. Sub adventum *Henrici VII.*, sive quod prætorum & capitaneorum pertæderet (ut est natura hominum prona ea fastidire, quæ diutina nuncupatione infederint) mutationibus & novitatibus studentium: sive quod annuæ magistratuum ambitiones ingentium discordiarum causa essent; duodecim-viris, quorum sex nobiles & totidem plebeji erant, rerum summa committitur; addito uno, quem Abbatem, sive custodem populi dixere, cui ingens multitudo subjiciebatur, quam societatem *S. Georgii* nuncupabant. Quod genus regiminis ad pleraque finitimas ur-

A bes adversus paucorum potentiam postea translatum est. Post deinde *Henrici* obitum duplicatus fuit regentium numerus; quippe viginti-quatuor ex utraque gente deligebantur, qui urbis publica munia administrarent. Rursus ad pristinos magistratus reditum: prætor peregrinus erat, patricii duo præsides. Civilia tunc aucta sint odia. Armis universa ora *Ligustica* conflictari cœpit. Pulsi Genua *Spinolæ* & *Auriæ*, duæ nobilissimæ familiæ. Mox qui domi erant ab exulibus obsessi; *Genuam* Pontifici *Joanni* ita dediderunt, ut procuratio penes *Robertum* Regem foret. Rege deinde ejecto, tædio fortassis præfectorum, quorum vices, ut
B quidam auctores volunt, gubernationi obesse videbantur: quum ita nonnulli magistratus petant, ut cum imperio libertatem patriæ adversus plebis commoda usurpent, prostratis legibus, justi rectique libramento, ex libidine animi ulciscantur, opprimant, pessundent, contemnant, debacchentur, indulgeant, Ducem sibi populus primum creavit è corpore suo *Simonem Bucca-nigram*, non tam suffragiis, quam per factionum vires, quæ jam tum mirum in modum ex nimia licentia coä- 39
luerant. Nam etsi vix certum originis auctorem duarum factionum *Adurniæ* & *Fregosiæ* habeo; per ea tamen tempora cœpisse affirmare ausim, quod
C nulla antea apud scriptores de his commemoratio inveniatur. Quæ pestis ita non multò post adeo invaluit, ut diutina strage totam fere illam *Ligusticam* oram deformaverit. Nam discordes populi gravi odio, & interim intestino bello ardescebant: hinc patricii, illinc plebeji infensis animis & infestis armis se invicem dilacerabant. Exilia, proscriptiones, cædes, rapinæ, victis præmia erant; victoribus omnia ex arbitrio agere. Annis igitur XV post accepta à *Venetis* clade, cum res eorum gravius agitarentur, *Joanni Vicecomiti* Archiepiscopo *Mediolanensi* sese *Genuenses* dedidere. Vix biennium Archiepiscopus, tum *Galeacius* at-
D que *Barnabas*, fratre progeniti, *Genua* potiuntur; & inde sub Ducum imperium Respublica iterum rediit: quam haud multò post, quod factionibus & civilibus odiis iterum fluctuaret, *Philippus*, compositis apud *Mediolanum* rebus, quæ sub mortem *Facini Canis* aliquamdiu titubaverant, cum omni fere *Ligustica* ora obtinuit. Dein *Petrinus Campo-Fulgosius*, cum tyrannidem, quam studio suæ factionis occupaverat, diutius armis domesticis tueri non posset, quod alterius partis principes omnem fere populum ob ejus truculentam & diram dominationem ad se traxissent, *Carolo VII.* Francorum Regi omnem ejus ditionem tradidit.
E Is *Joannem Andegavensem* Renati Regis filium præfectum creat, cujus administrationem diu perferre nequaquam potuerunt; sive quod neutri in tam opulenta atque potenti civitate factioni magis faveret; sive quod ita elato tunc essent animo *Genuenses*, ut externa imperia ferre non possent. Nam promulgato Duce ab utraque factione *Prospero Adurnio*, quem popularem plebes existimabat, subinde a *Gallis* deficiunt, qui aliquot mensibus post, suis in arce obsessis, auxilium ferre, atque urbem contracto ex *Gallia* novo exercitu recipere conati, non longe à *Genua* palantes, ac sine ordine, maxima eorum perfidiâ, qui se par-
F tes *Gallicas* sequi profitebantur: cum eorum veluti ex diutino longioris itineris labore defessos, per noctem, qua obsessis subveniendum erat, subsistere persuasissent, excubias, donec elucesceret, pro utriusque salute se facturos pollicentes, nec timendum esse, quum internus hostis jam viribus diffisus fugam pararet, ex improviso paulo ante lucem, cum nihil tale suspicarentur, alii in stationibus suis, alii cum ad arma clamatum esset, dum se ad naves recipere contendunt, alii collecta

cta manu fortiter pugnantes, ab utraque factione
40 obtruncantur ad duo fere millia *Gallorum:* & trecen-
tos in eo prælio cecidisse nonnulli tradidere. Eo-
dem fere anno *Spineta Fulgosius* Mediolanensium
Ducis auxilio pulso *Prospero Adurnio*, principa-
tum obtinet: quem haud multo post, *Ludovico*
*Fulgosio* repugnante, qui cum *Gallis* convenerat,
amisit. *Franciscus* deinde *Sfortia*, cum *Mediola-*
*nensium* principatum subditum *Philippi* vi atque
armis studioque *Gibellinæ* factionis occupasset, à
*Ludovico X.* Francorum Rege certis fœderibus *Ge-*
*nuensium* imperium obtinuit. Nam eorum legati
Kal. Junii anno à salute terris data CCCCLXIV. su-
pra millesimum in frequenti procerum concione
in media Curia *Mediolani*, post habitas ultro ci-
troque luculentissimas orationes, & non pauca
verba super negotio de quo agebatur, solemniter
facta, in ejus acta nomine totius populi Reipub.
*Genuatensis* publice jurarunt. Ad annos fere tre-
decim ea fides publica permansit: quippe *Ibletus*
*Fliscus* cum fratre non parva manu suæ factionis
sub mortem Francisci *Genuam* ingressus: quamvis
arcem ulla vi expugnare non potuerit; *Genuenses*
tamen ab *Mediolanensium* duce illico deficere coë-
git. Hos aliquot mensibus post *Robertus Sanse-*
*verinus*, vir belli assuetus, & *Donatus*, cogno-
mento *Comes Mediolanensis*, cum exercitu duo-
decim millium, ad eam expeditionem missi, rur-
sum pulsis defectionis auctoribus in ditionem po-
testatemque *Galeacii* redegerunt. *Prosper Adur-*
*nius* præficitur, qui quod antea, ne factiones in
ea urbe suscitaret, quum princeps alterius partis
esset, quem supra ducem creatum diximus, *Me-*
*diolani* in custodia fuerat, non tanquam exul, aut
relegatus; sed ut civis, aut amicissimus, unus
visus fuit, cui eo tempore potissimum ea procu-
ratio tutò committi posset. Nam cum peregri-
ni, qui eam libenter administrationem suscipe-
rent, præfecti non ita facile invenirentur, pro-
pter eorum frequentes ob levitatem contentiones,
& non parva dispendia & pericula, quibus ex as-
siduo popularium motu subjicerentur, melius esse
videbatur hominem indigenam & patricium, cu-
jus non parva apud suos auctoritas esset, præfice-
re: qui quod ad pristinam in patria dignitatem
restitutus, velut aliquo potiore beneficio devin-
ctus firmior deinceps in fide ducibus *Mediolanen-*
*sium* esset. Quod parum prospere successit. Nam
is haud multo post pollicitationibus *Ferdinandi*
Regis, ac suasionibus pellectus, *Genuenses* quo-
que, ut à *Mediolanensium* duce deficerent, seque
in pristinam libertatem assererent, effecit. Quod
cum minus tutum ob *Mediolanensium* potentiam
putaretur, & ubi id grave bellum *Genuæ* timere-
tur, *Robertum Sanseverinatem* ex *Gallia*, ubi tunc
*Mediolano* exul post cædem *Galeacii* residebat,
*Ferdinandus*, ut erat ingenio promptus, maximis
conditionibus accitum ad eam expeditionem con-
41 ducit. Ibi statim comparato ex gregariis & obla-
tis militibus tumultuario exercitu, *Genuam* citato
agmine proficisci pergit. Ibi *Mediolanensium* non
parvas copias ad recuperandam *Genuam* missas;
sive quod duces inter se diffiderent; sive quod
iniquo loco ad dimicandum acies struxissent: par-
va admodum manu in valle *Pociferæ* fudit fuga-
vitque. Tantum compertum est in bellis pru-
dentiam ducis valere, fortunamque facile com-
mutari cum virtute. Sed interim, cum populus
ad arma decurrisset, propterea quod *Ibletus Fli-*
*scus*, *Robertus Prosper*, item cæteri alii duces æ-
rarium *D. Georgii* clam expilare, ut rumor erat,
conabantur; *Baptistinus Campo-Fulgosius*, recon-
ciliato prius *Ibleto*, cum aliquot suæ factionis *Ge-*
*nuam* missus, adjuvantibus his militibus, qui in
præsidio arcis hactenus pro Duce *Mediolanensium*

A fuerant, *Roberto Prospero*, & Comite *Julio*, quem
paucis diebus ante *Ferdinandus* cum expedita ma-
nu in auxilium *Prosperi* miserat, urbe populari-
bus armis profligatis, Dux omnium suffragiis de-
claratus arcem recepit. Ita continuis motibus
res *Genuensium* hactenus fluctuantes, ut silentio
prætereamus *Augustinum Adurnium*, penes quem
expulsis *Baptistino* & *Paulo* Cardinali *Fulgosio*, a-
liquamdiu fuerunt: *Ludovico* Regi, posteaquam
ejecto *Ludovico Sfortia* primum, tum apud *Nova-*
*riam* capto, *Mediolanensium* imperium successorio
jure vindicavit, statim cesserunt. His *Philippum*
*Ravastinensem* ab initio præfecit, quem alio loco
B præpositum fuisse classi contra *Mitylenæos* retuli-
mus. Is, quod aliquot annis post parum gratus
popularibus esset, sive quod ea plebes ob levita-
tem, uti est ingenio mobili, seditiosa, atque dis-
cors, novarum rerum semper cupida, nihil ma-
gis studeat, quam mutationibus; sive quod ne-
minem patiatur sibi præesse, cujus auctoritate &
potentia contineri possit, dissensionibus maxime
& civilibus bellis assueta, in *Galliam* à Regia ma-
jestate revocatur. Et ea fortassis tempestate re-
formidabant, ne ejus potentia rebellioni, quam
animo jam conceperant, & facere moliebantur,
intercederet. Nam posteaquam præter Regium
C decretum res *Pisanorum* in tutelam contra *Flo-*
*rentinos* receperant, nobilitatemque, ut supra de-
monstravimus, urbe ejecerant; hoc unum, inani
quadam antiqui nominis ostentatione elati, quasi
aperte conabantur, ut expulsis, qui pro Rege e-
rant, ad servilem illam pristinam libertatem se re-
stituerent. Crebræ itaque de *Philippo* in dies que-
relæ ad Regem à *Genuensibus* perferebantur. Suf-
fectus igitur in ejus administrationem *Philippus*,
cognomento *Rochabertinus*, *Hispanus*, acris inge-
nii vir, & non parvæ item apud *Ligures* auctori-
tatis: propterea quod aliquot annos continuos 42
*Placentinis* iis finitimis, summa severitate, gravi-
D tate & modestia præfuerat, quanta poterat cura
& prudentia eos continere conabatur, ne interim
aliquid in Regem molirentur. In quo, quia pa-
rum proficere animadvertebat; quum ea omnia
contra ejus jussa *Genuenses* aperte attentarent, quæ
ob nimiam opulentiam & lasciviam, conceptam
defectionem præ se ferrent; litteris & nuntiis Re-
gem de his quæ gerebantur, in dies certiorem fa-
cere; ut cognosceret quantum periculi & detri-
menti rebus *Italicis* allatura esset tantula mora,
nisi statim vi & armis *Genuensium* conatibus resi-
steretur. His cognitis dimisso, ut supra dixi-
mus, in Italiam *Carolo*, bellum *Genuensibus* Rex
E indici jubet: tutius esse ratus eorum efferatam in-
solentiam armis compescere, quam diuturniore
indulgentia efferatiores reddere. Omnibus ita-
que plebejis, & qui defecissent, aqua & igni o-
mnique humana consuetudine interdictum est; in
eosque, quod tam impie totiens benigne moniti
dictis parere recusassent, rebellassentque, severis-
sima lex indicta, qua neminem in bello captivum
fieri permittebatur. Bona mercatorum, qui ple-
bis partes sequerentur, in omni Regia ditione æ-
rario Regio addicta. Hi, cum quærerentur, aut
fuga, aut latitatione plerique saluti suæ consulue-
runt. Præmissæ interea aliquot ex *Gallia* equi-
F tum turmæ, quibus complerentur quæ in *Insubribus*
hyemabant legiones, quas statim Rex cum præ-
torianis militibus, & ex omni *Gallia* primoribus
subsecuturus erat. Conscripta insuper multa pe-
ditum millia ex *Helvetiis*, *Vocontiis* ac *Vasconibus*;
præparata apud *Massiliam* & *Nicienses* ingens clas-
sis, cui præerant *Rainerius de Sabaudia*, vir ma-
gni animi & prudentiæ; & ob navalis belli peri-
tiam non parvæ auctoritatis, *Petrus Joannes Be-*
*donus* Navarrus; ut justis exercitibus terra mari-
que

que tam ſuperba & elatæ cervicis civitas expugnari poſſet. Interea *Carolus* quæ ad tanti belli apparatum ſpectare videbantur, non minus accuratè, quam prudenter inter *Inſubres* præparare; reliquias ſuperiorum bellorum in dies colligere; ex his delectus novos habere, quos velut duces tironibus, quos nuper ex *Longobardis* conſcripſerat, immiſceret; quod militiam experti iis animos facerent: conſtituti qui rei frumentariæ præeſſent, qui omni commeatu exercitum communirent, militibuſque quæ uſui forent abundè comportarent. Leviora tormenta in dies conflari & cudi juſſerat, quæ celerius in hoſtem, ſi fortè juga montium ad turbandum noſtros aſcedentes occupaſſet, munitionibuſque firmaſſet, in anguſtiis & aſperitate locorum converti poſſent. Vetera reparare, reficique; vehicula fabricari, alia abſumpta aut attrita reſtaurari, redintegrarive. Pulveres, pilas ferreas, trabes, ſcalas, funes cæteraſ-
43 que munitiones, & bellica machinamenta in promptu eſſe, quibus mœnia & propugnacula quaterentur. Præſidio, impedimentis, & his, qui annonam comportarent, ne vis aliqua fieret, cohortes aliquot ad loca magis opportuna conſtituit. His mandat ne cuipiam pacato injuriam fieri patiantur; hoſtem ab incurſionibus, maleficioque prohibeant. Conſcripti qui vias ſarculis, & ſudibus ferreis, paſtiniſque, ac dolabris fabri cæmentarii & dendroplani reficerent, aut aperirent, ut commodius currus & tormenta ducerentur. Milites ad hoſtium fines in armis habere; frequentes exploratores mittere, qui eorum conſilia & vires periclitarentur. Tum convocatis omnibus ex hybernis ad ſe copiis juſtis itineribus ex *Mediolano* in caſtra proficiſcitur; exercitum in aliquot partes diſtribuit, ut longè lateque vaſtatis ac depopulatis hoſtium finibus, eos urbem propius comprimeret.

# LIBER SECUNDUS.

INTEREA dum hæc in *Gallia* apud Regem, & in *Inſubribus* à *Carolo* geruntur, *Genuenſes* accitis *Tarlatino*, qui pro *Piſanis* contra *Florentinos* ſuperioribus annis fuerat, & *Jacobo Corſico*, viris ſane ſtrenuis & induſtriis, ſummam totius belli committunt; eos omnibus terreſtribus copiis præficiunt. Sed *Tarlatinum* cum expedita manu ad continendum in fide *Vintimelium*; quod à noſtris illic majoribus copiis auctis bello impetebatur, præmittunt; *Jacobo*, quæ ad urbis tutelam, & arcium oppugnationem pertinerent, committunt. Is, ut ſupra demonſtratum eſt, optimum ratus, ſi priuſquam Rex in *Italiam* deſcenderet, arces reciperentur; ne duplici malo laborantes neutri,
44 dum aliò diſtraherentur, reſiſtere poſſent, repente admotis tormentis eam arcem, quæ ſuperior eſt, quod *Caſtellatium* vocant, quam accerrime poteſt expugnare contendit. Quod ubi videt parum ſuccedere, quia ſumma vi, qui in præſidiis erant, continenter repugnabant, nec diutina tormentorum concuſſione craſſities murorum ita facile demoliri poterat, & jam exercitus Regius adventare nuntiabatur; non abs re alia via & tutiore eorum animos tentandos cenſet: atque ſummiſſis qui eos ſuaſionibus, pollicitationibuſque ad deditionem pellicerent, plus blandiendo promittendoque quam oppugnando profecit. Addebant jam capta eſſe Regia caſtra, deletoſque omnes in ſubſidium miſſos exercitus; & longe lateque *Genuenſes* victores munitiones circumquaque diſpoſuiſſe, ut nullus aditus *Gallico* militi relictus videretur: novam ex loco ſibi plerique religionem fingebant, multorum calamitatem, & qui in eodem occidiſſent Caſtello ante oculos po-

A nentes. Tali terrore omnibus perterritis, aut in ſpem præmii adductis, acceptis pecuniis, & conditionibus oblatis, quibus liceret cum omnibus impedimentis quo vellent proficiſci, ſe & arcem *Genuenſibus* dedidere; qui datæ fidei parum memores, cum primum arcem ingreſſi ſunt, omnes ad unum facto impetu inermes trucidant; ſanguinem occiſorum in pelvim colligunt, quo adhuc tepente (nefandum & inauditum crudelitatis genus) manus ſinguli, ut plerique retulerunt, abluunt, cadavera tetrè & immaniter diſcerpunt. Fuere qui dicerent virilia maribus amputaſſe, in oraque deteſtanda quæque perpetrantes impoſuiſ-
B ſe. Sexdecim numero fuiſſe traduntur, qui in ea arce inventi ſunt; inter quos mulieres duæ, & impubes unus, quibus ne pepercere quidem. Nec crebræ ducum comminationes eos à tanta feritate continere potuerunt. Tanto furore & ſævitia ea plebes *Gallicam* cædem expetebat! Hac re elati popularium animi, confeſtim ſtructa acie inferiorem arcem, quæ *D. Franciſci* ædi conjuncta eſt (*Caſtellatium* vocant) conglobati denſiſſimis cuneis ſubeunt, ſcalas erigunt. Dum aſcendere nituntur, à noſtris ex propugnaculis & vallo acriter reſiſtentibus, jaculis, telis, ſagittis, lapidibus, ſcorpionibus aut manu, aut tormentis emiſſis pro-
C pelluntur: alii præcipites in caput detruduntur. Aliquamdiu ſumma vi hinc inde decertatum eſt. Sed *Genuenſes*, quum plerique incaſſum ſauciarentur, nec pugnam diutius ſuſtinere poſſent, ſe recipiunt poſtridie: & aliquot diebus poſt, cum idem ſæpius fruſtra attentaſſent, ſtatuunt muros ſubruere, ac propugnacula, quibus clauſtra S. *Franciſci* cingebantur, quam celerrimè demoliri; ut eo præſidio ſpoliati noſtri acrius in arce pre- 45
merentur. Arietes igitur, ſudes, harpagones, dolabras, vectes, pluteos, vineas, crates, & quæ uſui forent, intentius parare, nec minus impigrè deminationem attentare. At noſtri quam
D graviſſimis mortariolis (ita vocant lapides craſſiores vi tormenti in altum emiſſos, ut in terra graviore impetu concidant) proximiores civium domos, & teſtudinis tabulata crebro concutiebant; & qui in opere erant ſulfureis ignibus, oleo piceque ferventibus diſturbabant. Interea Rex cum maximo atque ſplendidiſſimo Ducum procerumque ſuorum, ac primorum ſacerdotum ex omni *Gallia* comitatu per *Taurinos* in *Italiam* deſcendens, ſatis citato agmine *Aſtam* jam pervenerat. Ibi aliquot dies commoratus, quo omnes belli duces commodius convenirent; inter quos fuere *Alfonſus Eſtenſis* Ferrarienſium Dux, *Franciſcus Gon-*
E *zaga*, Mantuæ Marchio, *Gulielmus* Montis-ferrati item Marchio: & plerique alii ex *Italia* Principes. Ubi de ejus adventu in Italiam *Genuenſes* certiores facti ſunt, legatos ad eum mittunt primores ex popularibus civitatis; cujus legationis qui principem locum obtinebant, dicerent, non ſe arma ſumpſiſſe, ut in ejus majeſtatem rebellionem facerent; ſed ut à potentia nobilium, qui Reipublicæ jura per vim diu occupaſſent, & infimum quemque ex animi libidine pulſaſſent oppreſſiſſentque, tuti forent. Nec ſe Regios præfectos, aut magiſtratus urbe, aut ora *Liguſtica* ejeciſſe; qui, ſi de controverſiis æquo jure diſce-
F ptare voluiſſent, nunquam plebem ad arma decurriſſe; ſed eos ſua ſponte aufugiſſe. Ipſe in re præſenti cognoſceret; quod jus eſſe videretur, juberet: ſe facile, omnes & ultro obtemperaturos, modo nobilitas à maleficiis in plebem abſtineret, cui popularium vires, ſi irritaretur, reſiſtere non poſſent: ſibi in animo eſſe ut plebes ab armis diſcederet; inter quæ negotia urbis tuta eſſe non poſſent, imò ſopirentur cum maximo totius Reipublicæ detrimento; nihilque præter

Regia jussa de cætero attentarent. Nam iratum in se Regem quoquomodo lenire conabantur: aut ejus adventum, si ad colloquium admitterentur, tantisper callidis tergiversationibus remorari, donec aliunde suppetias contraxissent: quum auxiliares copiæ, quas ex *Hetruria* & urbe *Roma* acciri mandaverant, nondum applicuissent, aditusque omnes munitionibus firmare, nostris occludere properabant. Nam terra marique, si Rex cum exercitu urbem appropinquaret (ut nuntiabatur) se brevi facile obsessum iri animadvertebant; resque eorum in maximum discrimen adduci posse: quod reliquum quoque copiarum, quas ad oppugnationem arcis *Monœci*, & ad subveniendum *Vintimiliensibus*, præmissas fuisse demonstravimus, ad se pro tuitione urbis, quod
46 Regia maritima classis, & terrestris exercitus intercederet, recipere non posset; nec etiam illis laborantibus ab obsessis subveniri. Cum igitur *Astam* oratores pervenissent; à Rege non admissi, quod eorum versutas fictiones jamdiu exploratas haberet, in patriam, exoratis litteris, quibus publica fiebat potestas per Regia castra, ut tuto transire liceret, re infecta revertuntur. Quod ubi *Genuæ* compertum est, alii trepidare, clamque vulgi efferatam superbiam incusare, cujus temeritate in præsentaneum exitium redacti fuissent. Non parum esse quod prudentissimi Regis iram sua pertinacia in se concitassent; superesse extremum & calamitosum exitium; quum nulla prece placari potuisset. Itaque incepti jam plerosque pœnitebat. Qui in finitimis erant castellis interim repentino metu consternati, relictis sarcinulis plerique in urbem se receperunt. Nihilo tamen secius omnia parare, quæ jam constituta erant ad obsidionem, aut bellum sustinendum, si aperta acie congredi oporteret. Pars enim omnia experiri malebant, quam Regiæ Majestati iterum submitti. Alii verò nihil magis optabant, quam veniam quoquomodo à Rege exorare posse. Nulli tamen interim liberum erat quid in animo haberet proferre; tanto vulgarium metu populus concutiebatur. Intermissa itaque aliquantisper *Castelleti* oppugnatione, duo derepente validissima propugnacula in jugo montis erigere, ac communire contendunt, ut inde nostros transeuntes per ima vallis ex eminentiore loco sagittis, jaculis, pilisque ferreis, aut manu, aut tormentorum & scorpionum vi emissis impeterent, longeque ab ea planicie amoverent, ubi castra commodius metari posse videbantur; simul, ut ea parte, unde majus periculum immineret, urbem his saltem duobus præsidiis tutari possent. Nam ad radices montis ita sita est *Genua* meridiem versus, ut ex eo in colles suppositos, qui velut promontoria quædam circa littus maris, & in medio quasi umbilico urbis prominent, in ipsamque urbem facilè emitti possit, liberque aditus sit per valles, quarum una ad occidentem per ipsam *Pociferam* ad S. *Petrum Arenæ*, & ad *Pharum*; altera orientem versus *Bessagnum* deducant; cætera mari alluuntur. His igitur propugnaculis pro tempore munitionibus firmatis, & qui in arce obsidebantur pecunia frustra tentatis, intermissam oppugnationem intentius repetere conantur. Sed interea *Carolus*, cum eorum fines citatiore agmine populabundus ingressus esset, expletis legionibus cohortibusque auxiliariis, per salebrosos & steriles montes, cum omni exercitu proficiscens, hostium animos ingenti terrore perculsit. Omnia enim impedimenta, & equos, qui supra numerum militum bello inepti essent, quod in angustiis & infructuosis locis omnis inutilis calonum
47 ac lixarum turba, quæ ad ea necessaria videretur, non parvo oneri & impedimento sit, post se in

A hybernis relinqui jusserat. Itaque expedito milite quæque in via discurrebat, castella & oppida circumquaque naturâ & viris munita aggressus, omnia capta militibus donat. Interim multa prælia, & alia aliis locis levia facere, ut novi milites sine metu pugnæ adessent. Qui cum viderent fugientes capi, aut occidi, fortissimum quemque tutissimum armis se suaque omnia alia tegere; honorem atque divitias quærere: sic brevi spatio tirones veteranique coäluerunt, ut virtus omnium æqualis facta videretur. Deinde ipse intentus propere sequi non longe à *Genua* duobus millibus passuum ad *Riparolium* oppidum in valle *Pocife-*
B *ræ* castrametari jubet; prædas fieri interim à militibus prohibet. Dispositis præsidiis ac custodibus ubi necessarium videbatur, ipse castra circuire, militem vigilare, & in armis esse cogebat. Nihil interea hostem, qui juga montis occupaverat, propugnaculaque, ut demonstratum est, communiverat, attentare, donec Rex cum prætorianis militibus adventasset. Jusserat enim ne *Carolus* cum hoste aperta acie congrederetur, aut ad expugnationem urbis propius accederet; sed se intra castra in armis contineret, hostemque, si descenderet, continua præliorum simulatione lacesseret, ut tædio vigiliarum ac laboris defati-
C gatum, imbecilliorem redderet, donec appropinquasset. Se propediem cum regulis suis & primoribus adfuturum. Sequebantur eum amplissimæ auctoritatis summæque prudentiæ octo Cardinales, inter quos *Georgius de Ambasia*, Rothomagensis Archiepiscopus, legatusque ac Pontifex in omni *Gallia*; principatum obtinebat *Stephanus Poncherius*, Parisiensis Episcopus, ac *Mediolani* Princeps Senatus; quem Cancelerium vocant. Duces præterea ac omnes proceres ex omni *Gallia* præstantissimi. Rex igitur tam insigni splendidoque primorum comitatu *Alexandria* movens,
D quo XI. Kal. Maji *Asta* pervenerat, armis, paludamento equoque spumanti super omnes conspicuus, lustrato reliquo exercitu in castra, relicta ad sinistram *Dertone*, per *Genuensium* fines ire contendit. Nuntium tunc à *Maximiliano* Romanorum Rege missum retulisse Regi ferunt, ne *Genuenses* tam atroci bello ulterius peteret, nec diutina obsidione premeret; neve imperii jura vi sibi vindicaret: ad *Maximilianum* pertinere cognitionem, sub cujus imperio essent *Genuenses*, si in eum fortassis aliquid commisissent: esse prius legibus experiundum, quam armis: si aliqua esset controversia, decertandum. Itaque peteret coram eo, qui optimè jus diceret, si aliquid sibi à
E *Genuensibus* staret. Nam *Romani* Imperatoris officium esse, ut quos confœderati amici, socii, aut subditi ejus hostes, aut amicos habuerint, eosdem 48
aut amicos, aut inimicos habeat. Quamobrem nisi hujusmodi expeditionem omitteret, non ultra toleraturum *Maximilianum*; sed actutum suas, & Imperii vires in eum sulcitaturum. Nec permissurum jura Cæsarum prosterni, & ita ludibrio iri. Contracturum mox ex omni *Germania* ingentes exercitus, quos in *Italiam* contra eum transportaret. Meminisset quanta potentia, quantisve viribus, præter auxiliares copias *Germanorum*, Cæsares soliti alias fuissent ex proprio milite pro
F tuendis amicis & subditis, fines suos in hostem egredi. Nec *Maximiliano* minores exercitus quam superioribus Cæsaribus parere. Huic prudentissimus Rex paululum subridens respondisse traditur, Se intra octo dies sperare benevolentia superûm, robore atque virtute suorum militum ita effecturum, ut cujus ditionis semper fuerint *Genuenses*, Maximilianus intelligat: eam urbem & omnem *Liguriam* constare majores suos longè ante possedisse, quam *Germani* in *Italia* imperitare cœpissent;

sent; nec eam, licet bello sæpius lacessitam, in *Germanorum* Cæsarum unquam potestatem devenisse. Quam etiam superiores Duces *Mediolanensium* à majoribus suis, quod à finibus distaret, & aliis implicarentur negotiis, in custodiam ob vicinitatem accepissent, ultroque in eorum acta semper jurassent. Nullam præterea hactenus jurisdictionem *Germanorum* Imperatores in Reges *Francorum*, aut eorum subditos exercuisse; nec ad eos tantillam quidem de eorum controversiis spectasse cognitionem; quippe qui sanctissimos semper habuerint apud se Senatores, gravissimos viros, qui æqui & justi rationem ex veteri instituto tenuerint. Et item potentissimos exercitus paratos ad comprimendos, si qui forte motus fierent, repugnantium conatus. Nec verisimile esse quod hi potentissimi Reges, qui aliquamdiu aliis sanctissime jus dixere, orbis imperium modestissime gubernarunt, principibus *Germaniæ*, si quam habent auctoritatem, sua virtute partam reliquere, aliis subjicerentur. Sibi non minores adesse vires pro tuenda Regia ditione, quam majoribus suis. Itaque posse subditis suis quod æquum esset, sine externo consilio, aut magistratu statuere. Lustraret ipse quot adstarent Senatores gravissimi & prudentissimi viri; quos tunc in armis robustissimos milites & strenuissimos duces haberet; quas secum copias traxisset. An possent quod justum esset auctoritate & doctrina censere; & *Maximiliani* viribus resistere. Consideraret reliquisse non minores in *Gallia* exercitus ad tutandos regni fines. Se autem minas cujusquam non formidare; nec sibi *Germanicam* potentiam terrori esse; quum majorem partem amicam & con-
49 fœderatam semper habuerit; quæ si senserit in se tam injuste & sine causa arma moveri, partes suas aperte tuebitur; quum se non minora facturum pro tuitione Imperii, quam *Maximilianum* intelligebat. Itaque, si in *Italiam* descenderit bellum illaturus, aut in *Galliam*, se non minus alacri animo quam libenter quoquomodo excepturum. Interim summa vi enixurum ut, quæ nimis impie defecit, *Genuam* recipiat. His & similibus dimisso nuntio, Rex ad *Burgum Furnariorum* cum pervenisset, *Carolum* monet quanta possit celeritate omnia parer; ut propugnacula, quæ in vertice montis supra communita diximus, quam celerrime expugnentur; ut eo *Genuenses* præsidio destituti acrius in urbe ex eminentiori loco expugnarentur, includerenturque; ac laborantibus obsessis in arce *Castelletto* quoquomodo subveniri posset: qui in maximam spem erigerentur, si cernerent suos superiores hostem intra mœnia urbis occlusisse. Per ea fere tempora *Bentivoli*, ob id fortassis rati Regem non intercessurum; sive quod rumor esset *Julium* à *Genuensibus* stare; sive quod eo bello Rex distrahi maxime videretur, contractis clam aliquot ex amicis in agro *Mutinensi* tumultuariis militibus, conabantur *Bononiam*, ejectis qui pro summo Pontifice in præsidiis erant, armis domesticis, & suæ factionis adjuti recipere. Quod ubi Regi in tabernaculis renuntiatum est, statim præcipitem nuntium per dispositos equos *Mediolanum* ad Senatum misit; ut *Joannes* interim arcta custodia in arce portæ servaretur; donec filii arma, quæ contra Pontificem moverant, deposuissent. Tractus itaque in arcem *Joannes*, intra paucos dies, quod filiorum irriti conatus fuissent, dimittitur. Tunc enim qui legatus *Bononiæ* erat, vigilare intentius, in armis esse, populo & amicis blandiri, *Bentivolæ* factionis magnos viros deterrere, donec tuta pacataque omnia Regiâ curâ intelligerentur. *Carolus* igitur cognito Regis animo, qui ad sex tunc millia passuum à castris distabat, convocatis
A centurionibus per singulas turmas & centurias, & omnibus belli ducibus, quid unumquemque facere oporteat edocet; pristinam virtutem uniuscujusque extollit, cujus tunc maxime memores sint hortatur. In conspectu Regiæ Majestatis pro honore, pro gloria contra perfidissimum hostem, qui tam impie rebellionem fecisset, decertandum esse. Non parva victoribus præmia proposita; laudem, dignitatem, æternamque rei bene gestæ apud omnem posteritatem memoriam. Stat enim eximiæ virtutis sempiterna cognominatione præclari facinoris decus indelebile atque immortale. Victos vero nominis atque famæ turpem
B ac detestandam notam perpetuamque ignominiam subituros; quibus nullus unquam ad dignitatem aditus pateret. Cum plebejis dimicandum esse, qui, etsi continuis urbicis contentionibus assue- 50
ti, nullo tamen ordine, nulla lege, aut militari disciplina astringi possent, qui facile disturbati superarentur. Nec referre quod cacumina montium occupassent, ad quæ iter asperum & difficile videretur militi. Nihil enim invium virtuti, cui omnia parent; nihil viro forti insuperabile esse: nec in multitudine victoriam; sed in virtute paucorum consistere: in angustiis, ubi quis circumveniri non possit, adverso pectore in ho-
C stem pro muro, pro vallo utendum; quem si loco moveris, si terga dare coegeris, reliquos facile loco cessuros. Non solum enim hostem habent, sed fugientes suos maxime repellunt: nam hostem in arcta planicie, quæ in jugo montis ei tantum relicti erat, non posse copias suas commode explicare: quæ si descendere conarentur, quaquaversum tormentis cæderentur: itaque nihil obstare, si primum impetum fortiter subeuntes sustinerent, quin statim propugnacula caperentur, victoriaque in manu esset. Quo enim fugerent, quum undique cingerentur numerosissimo robustissimoque equitatu ac peditatu? Solam urbem
D relictam esse, quo se reciperent, ubi se includerent; diutius se tutari amisso monte non posse; infesta classe mari urgeri; quæ si littori & portui applicuisset, nihil in omni ora maritima tuti *Genuensibus* relictum iri: meminissent, si quid damni superioribus bellis discordia ducum pertulissent, id omne una die, uno momento se facile reposituros. Dimissa concione tantus ardor pugnandi milites invasit, ut omnes summa alacritate in aciem conversi inter primos ordines ad invadendum hostem collocari exposcerent. Erat dies solennis *S. Marci* VI. Kal. Majas, anno CCCCCVII
E supra millesimum. *Carolus* igitur strenuissimum quemque ex omni cohorte deligit. Hos adverso monte, qua via ab speculatoribus locorum gnaris ducerentur, in hostem prorumpere jubet. Præmissi item stratiotæ, & CCCCC levis armaturæ equites, qui patentiore, licet acclivi itinere, tumulosa loca supergressi à tergo hostem, in nostros ascendentes prorumpentem, lacesserent. Hos *Franciscus Gonzaga* Marchio *Mantuæ*, rei bellicæ scientissimus, & *Mercurius Epiroia* ductitabant. Ita tormenta & reliquum peditatum in jugum montis, quod hostes occupassent, sine ingenti velitatione commodius comportari posse existimabant: unde si præsidia hostium dejicerentur, ni-
F hil intercedere quin propugnacula facile expugnari possent. Partem equitatus ad ostium *Pociferæ* collocat; ne ea parte eruptione facta in nostros pugnæ intentos derepente emitti posset. His præerat *** Reliquum exercitus tum paulo supra in ipsa valle pro castris esse jubet. His mandat ut nostris laborantibus ubique subvenire festinent: id tamen nisi necessario non faciant: loco interim 51
non moveant, nisi inclinare acies viderint. Ipse interim singulos adit, cohortatus, ne labori suc-

cumbant: omnium superiorum dimicationum fructum in eo die atque hora docet consistere. Ita omnibus in aciem structis ordinibus, unusquisque quod jussi sunt impigrè faciunt; loca prærupta ex ascensu tentant. Ad cacumen jam ferè perventum erat; tunc hostes ingenti clamore sublato per declivia & devexa in nostros conscendentes prorumpunt, prælium committunt. At nostri, etsi glandes & missilia manu seu tormento ex edito emissa plerosque vulnerabant; nihilo tamen segnius in hostem catervatim procedebant: & qui præmissus erat levis armaturæ equitatus jam exteriores munitiones circuire, & ab tergo hostem adoriri, inde ex vallo atque omnibus munitionibus clamor excipitur: propugnantes *Genuenses* deturbat. Ita nostri ascendentes superato monte hostem infestis signis occurrentem, & quasi prælium redintegrantem vehementius invadunt. Illi haud intrepidè resistere: gladiis, & frameis, bipennatisque securibus res gerebatur. Interim cæteræ cohortes, quæ cum tormentis subsequebantur, appropinquabant, & in medios hostes inductæ eos perturbatos, atque alios alibi repugnantes obtruncant. Et jam tormentis (mirabile dictu) tam præcipitato agmine sublime tractis * * * montem tenebat. Hostes igitur cum undique se aggredi acriùs viderent, & tormenta in se converti, ut æquo Marte nostris resistere nullo modo possent, qui majorem partem jugi vi & armis suis rejectis occupaverant; in proximum collem alii, alii in propugnacula confestim se recipere contendunt. At nostri insequentes & jam hostibus permixti, ita ingenti strage & occisione disturbant, ut eos præcipites relictis propugnaculis & colle, partem ad urbis mœnia, partem ad *Castelletum* confugere compellant. Primus superato vallo, & trucidatis qui in munitionibus erant, ingentis spiritus, & maximarum virium juvenis *** *Ivonis de Alegia* filius, qui inter primos aliquot *Vasconum* millia, ductitabat, propugnacula recipit, signa Regia imposito novo ex suis præsidio statim erigit. Nam plerique duces, inter quos *Jacobus Chabannus* non parvæ auctoritatis & roboris, qui tum CCCCC equitibus præerat, cum aliquot militibus, remotis equis, quo peditibus exæquato periculo animus amplior esset, suffectis qui eorum ordines in planicie ducerent, peditibus mixti, montem leviter armati conscenderunt: qui, etsi diu anceps certamen fuit, quia *Genuenses*, qui in eminentiori loco, ut supra demonstravimus, quo nostris pervadendum erat, constiterant, aliquamdiu summa vi se defendebant & tuebantur; tanto impetu & animi constantia cæteros milites sua præsen-
52 tia in hostem impulerunt, ut XI millia peditum, qui illic in præsidiis pro *Genuensibus* acerrimè decertabant, nostris terga dare coëgerint. Tantum viri auctoritate & reverentia militum animos concitari posse compertum est. Ad tria ferè millia & quingentos in eo prælio ex *Genuensibus* cecidere; ex nostris pauci desiderati; nonnulli saucii inventi sunt: & ipse *Jacobus Chabannus* secundum guttur sagitta graviter vulneratus: non minus ad * sextum in altera parte vallis prosperè pugnatum. Eo conflictu ita statim consternati popularium animi, ut cæteris aliis munitionibus omni præsidio destitutis in urbem se receperint, legatosque qui ad Regiam Majestatem de urbe & se dedendis supplices tractarent, exoratis à *Carolo* induciis decreverint. Hujus legationis *Stephanus Justinianus*, & **** viri prudentiæ, & non parvæ apud suos auctoritatis, principatum obtinebant. Hi primò à Rege non admissi, *Georgium de Ambasia*, summæ religionis & sanctimoniæ Cardinalem, suam & suorum miseram con-
A ditionem collachrimantes adeunt, in ejus tabernaculo postrati genua amplexantes, multa semotis arbitris, quæ is ad Regem referret, ut miseris & calamitosis misereretur, collocuti sunt. Nam populum asseverabant posthac, quas leges Rex imponeret, sponte suscepturum; qui in ejus Majestatem furiosa plebis insolentia & domesticis armis, cujus potentiæ, quum inermes essent, resistere non potuerant, hactenus committere, (si quid commisissent) coacti fuissent. Nam eam urbem in tres partes divisam; quarum una nobilium, altera plebejorum, tertia eorum qui populares appellantur. Hos magis nobilibus accede-
B re, armis & bellis insuetos, mercimoniis & amplissimis terra marique negotiationibus intentos, quum divitiis plurimum abundent, frequentes cum nobilibus contrahere affinitates, administrationibus publicis multum, cum res tranquillæ sunt, præfici: plebejos verò, quorum maximus esset numerus, etsi tenuis mercaturæ alii, alii sordidi artificii quæstu vitam degunt, armis tamen, ob continuas inter potentiores & factiosos contentiones, magis vacare; ex quo, cùm irritati ad arma decurrunt, nobilibus & popularibus formidolosos esse. Sed nobiles in munitionibus & castellis suis extra urbem tutos esse posse; populares autem, quorum
C omne peculium in negotiatione consisteret, nisi plebi assentirentur: nequaquam delendam esse eam urbem, quæ ad maximas res gerendas sive terra, sive mari opportuna videretur. Quæ si militi prædæ & direptioni relinqueretur, si more militari ad internecionem deleretur, nullam unquam Regiæ Majestati utilitatem allaturam. Nihil præterea magis decere optimum Principem & Regem quam clementiam. Nam cæteras alias virtutes in quemque privatum affatim posse incidere; hanc 53
ejus Principis peculiarem esse; in cujus manu vita & mors, communisque multorum fortuna consisteret; qui ulcisci & punire ex arbitrio possit.
D Clementiam eam esse, qua animus in odium alicujus ex injuria, aut maleficio concitatus, comitate quadam, ne ulciscatur, aut plectat, continetur: nec ea opus esse non delinquentibus, quemadmodum nec medico bene valentibus. Plus laudis & gloriæ in ignoscendo conservandoque, quam ex animadversione consecuturum. Illud generosi magnique animi & propè divini; hoc sævientis & efferati: eos atrocius plectendos esse, qui pertinaciùs mansuetudine & misericordia deteriores fierent, aut propensiore clementia corrigi non possent. Requirendos esse auctores defectionis, in eosque severissimè animadvertendum, qui plebem ad arma præter bonorum voluntatem tam
E impiè provocassent: cæteri mulctarentur, ut insolentia tenuitate compesceretur. Orare insuper flentes, & obtestari tam gravem calamitatem & nefandum tantæ urbis excidium misereretur. Adesse virgines, infantes, sacra & loca religiosa, quæ in tanta ruina, licet innoxia, servari non possent. Uteretur Regia Majestas in miseros & supplices benignitate, ut semper solet, ac pietate; non ira, aut perturbatione aliqua affecta, sed clara & serena mente, ut per eum renati apud posteros meritò dici possent. Hæc ita perorata cum *Georgius* apud Regem retulisset, multis in utramque
F partem adductis, optima tandem spe dimissi in urbem à *Ricardo* deducuntur. Ad mœnia enim usque nostri prædas facientes discurrebant. Sed interim plebes, quasi non victa, sed à nostris tantùm rejecta, adduci non potuit ut arma deponeret; existimans si superato monte cum nostris iterum manum consereret, se facile obtinere posse: nec tantum esse exercitum nostrorum quantus dicebatur; nec eum esse qui *Neapolitanum* regnum & *Mediolanum* devicerit; perexiguam partem illius

lius supereſſe, magnam partem deperiiſſe; quod
accidere tot prælis fuit neceſſe. Multos *Nova-
riæ* & apud *Lyrim* inedia & tabe conſumptos;
multos domum diſceſſiſſe; multos per valitudinem
remanſiſſe; eas copias, quas viderent, ex delectis
illius anni ex *Helvetiis*, *Vocontiis*, *Vaſconibus*, *Inſu-
bribus* in citeriore *Gallia* eſſe refectas; tirones ferè
omnes eſſe; cataſractos milites montem vix poſſe
conſcendere; ſibi expeditum, & multum eſſe pe-
ditatum. Quod ſuperiore prælio loco ceſſiſſent,
non virtute noſtrorum militum, ſed tumultuaria
quadam trepidatione id accidiſſe. Itaque priſtina
omnium confirmatur opinio, ut iterum montem
inſtructi repetant, prælium committant. Et jam
ſpes victoriæ augebatur; adeo ut quicquid inter-
cederet temporis, id morari rei bene gerendæ oc-
54 caſionem videretur. Populares interim, & qui
de urbe dedenda tractabant, ancipiti malo per-
culſi, hinc ne armata multitudo rabido tumultu
in ſe præceps arma converteret; hinc ne jam de-
linitum & pacatum animum Regis tam repentina
inſolentia exacerbaret; rebus ſuis quoquomodo,
& ut conditio temporum patiebatur, caventes,
intra domeſticos parietes quiſque rerum eventum
trepidi expectabant. At illi per urbem armati ſine
ordine curſitare, & obvium quemque, qui arma
non caperet, objurgare; alios cædere, *Gallos* op-
probrio habere. Poſtero itaque die cum jam lu-
ceſceret, inſtructa acie, belli fortunam, quæ in
eo plurimum valet, iterum tentaturi, nemine re-
pugnante, per abditos quoſdam & acclivos & tor-
tuoſos tramites montem taciti conſcenderunt.
Nam pauci admodum pro munitionibus illic reli-
cti erant. Quò ubi perventum eſt, confeſtim
ſublatis undique clamoribus, infeſtis ſignis con-
currentes propugnacula invadere feſtinant; ſi, an-
tequam à noſtris ſubveniri poſſet, reciperentur:
verùm qui in munitionibus erant, intrepidè reſi-
ſtebant; & cum paulo antè in caſtris ad arma con-
curſum eſſet; quod *Genuenſes* in quoſdam equites
noſtros, in ſuburbiis prædam facientes, vim pro-
pulſaturi erupiſſent: ſtabant tunc omnes acies in-
ſtructæ; ſive quod ita exploratores retuliſſent, *Ge-
nuenſes* cum omnibus copiis montem repetere, ad
excipiendum hoſtem quaque verſus erumpere.
Rex ipſe interim armis inſignis caſtra circuire,
omnem exercitum luſtrare: ex quo ſtatim accur-
rentibus noſtris in conſpectu Regis, illico recu-
perato monte, ita hoſtis premitur, ut iterum a-
miſſo vertice ad devexa atque ima in fugam con-
verteretur. Hos noſtri cedentes ad urbis mœnia
inſecuti, quod ab his qui intus erant excluſi te-
nebantur, magnam ſtragem ediderunt. Et pro-
fectò vix à cæde temperari potuiſſet; niſi per an-
guſta & ſalebroſa locorum elapſi manus noſtrorum
aufugientes ad portam, quæ ad orientem vergit,
alii alia via præcipiti fuga ſe recepiſſent. Ad quam
partem noſtris difficilis aditus erat, & à caſtris ni-
mis diſtabat. Proxima igitur nocte, re concla-
mata, egreſſo non parva ſuorum manu cum im-
pedimentis, liberis, & uxoribus, & his quæ ferri
poterant, *Paulo Norio*, quem ducem creatum fuiſſe
docuimus, *Piſas*, & alia mari finitima loca pro-
ficiſci ſumma celeritate contendunt. Pars navi-
bus impoſiti maritimum, pars terreſtre iter in-
grediuntur. Cætera plebes, quæ vel difficultate
itineris deterrebatur, vel amore patriæ, quæque
domi perpeti malebat, quàm extorris aliena ad-
minicula ſupplex mendicare; (afflictis enim rebus
ſoli plerumque deſtituuntur, quibus maxima an-
tea auxilia pollicebantur) depoſitis ſtatim armis
55 popularibus reconciliatur. Poſtridie ergo, cum
omnis in urbe tumultus ſedatus fuiſſet, iterum
miſſi crebri ad Regem oratores, qui cum eum in
caſtris extra tentorium exercitum luſtrantem in
A armis conſpicuum conveniſſent, ſe ad equi pedes
projecerunt; pauca verba ſuppliciter locuti, flen-
tes miſericordiam, & veniam poſtulabant. Nam
ſi quid præter opinionem & quam promiſſum fuiſ-
ſet, ſuperiore die geſtum fuiſſet, aut accidiſſet,
indomitæ plebis protervum furorem, quæ nulla
vi, aut bonorum ſuaſione reprimi potuiſſet, aper-
tè excuſabant. Exponebant præterea intempeſta
nocte non ſine eorum duce plebejos ad oras orien-
tales cum liberis profugiſſe: cæteros, qui reman-
ſerant, arma depoſuiſſe. Urbem tunc omni
interno metu vacuam oblatas conditiones acceptu-
ram: quos peteret obſides ultro daturam: ingre-
B deretur cum omni exercitu, vel mitteret quem
vellet; jam patere urbis portas: aperta eſſe omnia:
omnes ad unum expectare quid in eos ſtatuat.
Delere, an ſervare Regii juris eſſe: orare tamen
obteſtari, ut calamitoſam tantæ urbis conditio-
nem miſeretur. His cognitis ſtatuit tandem cle-
mentiſſimus Rex in eos miſeros ac ſupplices (quan-
quam gravitas delicti nullo ſupplicio compenſari
poſſe videbatur) clementia & manſuetudine uti.
Acceptis itaque obſidibus *Carolum* cum maxima
parte copiarum primum urbem ingredi jubet. Ipſe
cum prætorianis militibus & peditatu & reliquo
exercitu in caſtris eſſe, donec omni præſidio eam
C ſpoliatam cognoſceret. Ingreſſus igitur *Carolus*
arma omnia in locum unum comportari jubet, ci-
ves omnes ut ſuperna tabulata (ſunt enim altiſſi-
mæ domus ad quintam & ſextam ferè contigna-
tionem) inhabitent; inferna & media cœnacula
militibus libera relinquant, edicit: communitis
prætorio cæteriſque opportunis locis valido præ-
ſidio, ſingulas domos qui diligentiùs perſcruten-
tur, præter hoſpites, præmittit, excubias diſpo-
nit, portas omnes munitionibus firmat; qui ur-
bem diſcurrant interdiu noctuque conſtituit. His
omnibus ita brevi diſpoſitis, poſtridie, quæ erat
Mercurii XXVIII. dies Aprilis, Rex cum ſplendi-
D diſſimo Regio apparatu urbem triumphantium
more ingreſſus. Nam præcedebant omnes miro
ordine inſtructi prætoriani catafracti milites qua-
drato agmine incedentes; pars lanceas, alii bi-
pennes ſecures manibus geſtabant. Signiferos ſin-
gularum cohortum antecedebant tympaniſtæ,
buccinatores, tibicines, liticines, cornicines,
diverſique ſoni bellici inſtrumenta. Hos ſinguli
ſingularum turmarum tribuni & centuriones du-
ceſque ſubſequebantur. Dein CCCCC equites ſa-
gittarii cuſtodes corporis arcu, pharetra levique
armatura propius Regem haſtiſque & bipenni
non turbata acie diſpoſiti procedebant. Inter u-
E troſque nonnulla tormenta ad evomendas, ſi ignis
admoveretur, pilas ferreas non parvi ponderis præ- 56
parata à quibuſdam ſelectis peditum manipulis du-
cebantur. Reliquus peditatus in ſuburbiis ſubſi-
ſtere juſſus. Item Rex ipſe generoſo ac fremen-
ti equo inſignis ex ſerico paludamento albi colo-
ris apibus aureis & flammis intertextis ad ima pe-
dum inſtrato, in quo aureis item majuſculis litte-
ris inſcriptum viſebatur; NON VTITVR ACVLEO
REX CVI PAREMVS. Dictum profectò tam cle-
menti Principe & auguſto dignum. Maximè con-
ſpicuus ante omnes proceres & antiſtites religio-
ſorumque primores vehebatur. Anteibat alius e-
F quus, quo inſidebat *Galeacius Sanſeverinas*, pal-
lio cæſii aut cyanei coloris coopertus, aureis in-
ter lilia ſideribus inſertis (cœlum ſuis ſtellis reful-
gentibus dixiſſes) in quo craſſioribus litteris de-
ductum legebatur; NESCIS QVID VESPER VE-
HAT. Quod humanarum rerum incertam viciſſi-
tudinem demonſtrabat. Legionarii ad quinque
millia equites, quos *Carolus* ductitabat, expanſis
ſignis in compitis & toto viarum tractu, quà
tranſeundum erat. Hinc inde diſpoſiti, tanquam

in præſidiis collocati, loco non ceſſere, donec
Rex cum omni apparatu in prætorium, ubi ſe-
dem ſibi delegerat, pervenit. Omnes, præter
duces & proceres (nam hi equis vehebantur) aut
ſtare, aut anteire armati. *Genuenſes* pullati omnes
paſſim proſtrati veniam & miſericordiam orantes
viſebantur; quaſi nondum certi eſſent, quid in eos
Rex ſtatuere decreviſſet. Ita enim ejus arbitrio
victi ſe commiſerant. Verùm ubi compertum eſt
Regem omnibus pro ſua innata manſuetudine igno-
viſſe, conceſſiſque adeo ut nullus ad pœnam re-
quireretur, præter auctores defectiones; recreati
civium animi, exhilarari primo, metumque tum
omnem abjicere cœperunt. Nam unus interim
*Demetrius Juſtinianus*, quod plebem ad arma con-
citaſſet, delatus ſupplicio affectus eſt. Cæterique
aufugiſſent non requiſiti, præter *Paulum Norium*,
qui a *Piſanis*, ad quos confugerat, aliquot diebus
poſt *Genuam* miſſus (tantum deſperatis rebus ad-
verſa fortuna reluctatur) affectatæ tyrannidis pœ-
nas dedit. Nam homo novus ex infima plebe tan-
ta ambitione ductus dominandique libidine, non
veritus fuit eum ſummum magiſtratum petere in
ea urbe, quæ alienæ & Regiæ poteſtati ſubeſſet;
qui non opem ferre miſeris, non potentiam im-
proborum arcere, non civitatem defendere, non
Reipublicæ conſulere; ſed maximè bonos dele-
re, omnes circumſcribere, pro arbitrio & animi
motu res miſcere, & alia aliò transferre poſſet.
His enim plerumque viris imperia tribuuntur le-
vioris multitudinis ſuffragio, qui curioſius priva-
ta commoda, quam totius Reipublicæ ſalutem
perſequuntur. Ita incerto judicio vulgarium ani-
mi agitantur, ut profecturis anteponant nocitu-
57 ra, exiſtimantes nihil ſupra quod ſentiunt even
turum. Convocatis interim primoribus urbis,
omnique Senatu, Rex dicta lege, quam in po-
ſterum ſervaturos vellet, omnia antiqua diploma-
ta ad ſe afferri jubet, eaque ſtatim comburi, ut
ejus qui ſervaſſet, & velut novæ urbis conditor
eſſet, mandatis, ſcitis, placitiſque ac privilegiis,
non aliorum uterentur parerentque. Eam in hunc
modum conſcriptam fuiſſe comperimus;

*Regibus* Francorum *dediticius perpetuò* Genuen-
ſis *eſto. Eorum majeſtatem reverenter & religioſe
colito. Summa vi atque ope defendito. Quoſcunque
hi hoſtes judicaverint, inſectator, bello & armis de-
fatigato: donec devicti, aut in amicitiam devenerint.
Injurias, rapinas, damna, cædes; tum quicquid de-
trimenti ex fuga & exilio hactenus ſuſtuleris, tibi
invicem ſub abolitione uterque condonato. Bona fide
ſine fraude in concordiam & gratiam rediiſſe exiſti-
mato. Arcem munitiſſimam ad* Pharum *publica im-
penſa, ut delecti ad id architecti cenſuerint, conſtrui-
to. Quæ pertinent ad ærarium & ſocietatem Sancti*
Georgii, *ut erant, perpetuò libera ſunto. Ex pu-
blicis vectigalibus, prætorianis militibus, & qui in
præſidiis deinceps erunt, ſtipendia quotannis ſtatutis
temporibus perſolvito. Quatuor longas naves, & to-
tidem onerarias in armis, ſi maritimum bellum cum
quovis hoſte gerere contigerit, paratas habeto. Ma-
giſtratus hi perpetuò annui jus dicunto, quos præfecti
elegerint. His nihil inconſultis, qui pro Rege erunt,
neque domi, neque militiæ unquam attentato. Hi,
ſi diſcordiæ & contentiones inciderint, inter litigan-
tes diſceptanto.* Carolo, *qui* Mediolanenſibus, Ge-
nuenſibus *ac* Aſtenſibus, Galliæ*que* Ciſalpinæ
*præeſt, pareto. Quem, ſi quæ illic controverſia diſ-
ceptari non poterit, ob vicinitatem ſingulares eximiaſ-
que ejus virtutes appellato, penès quem arbitrium
decidendæ litis, paciſque componendæ ſit.*

A Diſtat autem *Mediolano* itinere ferè dierum trium
*Genua* vetus & dives, ut diximus, *Liguriæ* empo-
rium, perpetua & magna mercatura celebre: ad
quam ſarcinariis jumentis merces ultro citroque
ex mediterraneis locis pro compendio viarum ter-
ra comportantur, mari capaciſſimis onerariis na-
vibus. Nam etſi quatuor fluvii ex illius jugis mon-
tis erumpunt: ita tamen tenues ſunt, licet peren-
nes, ut navigia non capiant. Per confragroſas &
recurvas valles *Burmida* Caſinos perluit; *Urba*
Apennini juga diſcriminans ad ima perlabitur; *Le-
morus* Gabium præterfluit; *Scrivia*, quam non-
nulli *Iriam* appellare maluerunt, magno hiatu
B montes dividit, & quà in plana erumpit, in ver-
tice montis, ſeu faucium, cuſtos *Serravallæ* ex
re cognomen habet. Unde ad mille ferè paſſus
ſuprà *Antiria* olim vetuſta civitas & opulenta, cu- 58
jus veſtigia & ruinæ viſuntur, intercidit. Ita di-
cta fortaſſis, quod in monte edito poſita confluen-
tem ex adverſo fluvium inflexu *Apennini*, velut
in cubito, proſpiceret. Sed Lemorum *Urba*,
Urbam *Burmida*, Burmidam per *Genuenſes* ſinuo-
ſo tractu diſcurrens *Tanarus*, eorum aquas & fa-
mam auferens, excipit; qui ad *Auguſtam Bartia-
norum*, quam nunc mutatis litteris *Baſſignanam*
vocant, lemborum ac parvarum navium capax
C *Padum* ingreditur. Mons, quem ferratum ap-
pellant, fertilis, & vicatim habitabilis diei ferè
ſpatio ab *Alpibus* ſupra *Taurinum* diviſus atque diſ-
cretus, per patentes ad dextram campos, & col-
les magis quam juga ad ſiniſtram inter utroſque
fluvios attollitur. Nam ab ea parte *Tanarus*, ab
hac *Padus* urgent. Non igitur, etſi indicta cc
millium ſcutorum mulcta, capta *Genua*: ſed à ci-
vilibus diſcordiis, quibus maximè agitabatur, ab
humaniſſimo Rege illæſa ſervata; non everſa aut
deleta; ſed aucta, & divina tanti Principis cle-
mentia perpetuo his legibus firmata fuit. Jactent
jamjam illi, ſi Deo placet, veteres rerum ſcri-
D ptores ſuos *Marcos Marcellos*, qui captarum à ſe
opulentiſſimarum urbium afflictam fortunam & ca-
lamitoſam everſionem defleant, ſi à direptione
abſtinuiſſe compererint. Extollant Senatus *Ro-
mani* clementiſſima acta, quod *Syphacem* ditiſſi-
mum *Numidiæ* Regem captivum, *Tiburi* in cu-
ſtodia mortuum, publico funere cenſuerit effe-
rendum, ſi eum prius ſui juris eſſe permiſerit. In
*Perſen* qua clementia uſus eſt idem Senatus (ut
ſilentio prætereamus pleraque hujuſcemodi illius
humanitatis commemorata exempla) ſi vita fun-
cto eos honores ei tribui mandavit, quos viventi
E non ſine injuria abſtuliſſet? At hæc, non ut an-
tiquitati detrahamus, recenſeo, quæ ſua gloria
nuſquam fraudanda eſt: ſed ut rerum collatione
dijudicet poſteritas non umbratiles quaſdam vir-
tutum effigies invictiſſimum Ludovicum Regem
aſſecutum fuiſſe; ſed veras virtutes ita perpetuo
in omni negotio comites habuiſſe, ut nihil un-
quam ſine virtute gefferit. Quippe qui ea ſubje-
ctis clementia parcere, & ea ſuperbos non debel-
latos humanitate frenare didicerit: ut pluris ſem-
per fecerit poſt victoriam ignoviſſe, quam con-
fligendo hoſtem profligaſſe. Quos enim delere
jure potuiſſet, ſervare quam perimere, & vivos
F quàm fato functos muneribus proſequi maluit.
Arce interim ad *Pharum* erigi cœpta, impoſito-
que novo præſidio, cui ** præfecit: urbi, nec-
non omni *Genuenſi* ditioni ** præfectum conſti-
tuit; magiſtratus impoſuit. Cæteras item alias
arces communiri curavit.

59

# GEORGII FLORI,

## *Mediolanensis*, J. C.

## DE

# BELLO GERMANICO,

## LIBER UNUS.



EDACTIS his legibus in deditionem *Genuensibus*, compositisque in hunc modum rebus, LUDOVICUS *Mediolanum*, in *Galliam*que *Cisalpinam* proficisci pergit. Ibi à populis, qui Regibus suis, maximè externis, adventantibus gratulari cupiunt, tum quod eos raro videant, tum quod se tali præsentia honoratos, & benignè amplexos eorum liberalitate atque munificentia, sperent largitionem aut privilegia aliqua posse consequi, ob partam recens victoriam summa alacritate expectabatur. Nam *Mediolani* omnis ordinis cives maximè intenti, ut Regem quam honorificentissimè exciperent. Alii non parvo studio, quà transeundum erat, pontes reficere; alii vias munire & sternere; alii alibi ad excipiendum Regios proceres domos parare; alii pegmata construere, ubi oppugnationes urbium cernerentur, navalia prælia in conspectu. Nonnulli currus, quibus captarum urbium arma & spolia circumferrentur, componere. Alii arcus triumphales fabricare, è quorum summo vertice Rex, velut eminentiore specula, in splendidissimo solio, aureis liliis inter cyaneos colores depictis cum Majestate sedens subjectas urbes, oppida, lacus, flumina, montes, provincias, regiones, non sine quadam cosmographica mensura descriptas, intueretur. In aliis item carmina, in aliis effigies legebantur, quibus subacta *Genua* demonstrabatur cæteras *Italiæ* urbes in Regiam potestatem facilè venturas. In vestibulo portæ *Ticinensis*, velut in frontispicio, quà ingressus erat, *Mediolanum*, cum omni ejus ditione, Regiæ Majestati à *D. Ambrosio* oblatum intrantibus sese spectandum pulcherrimè offerebat. Hinc non recta via, qua itur ad aream portæ *Jovis*, sed introrsus ad vicum auri-fabrorum, & ad ædem *D. Mariæ* majorem omnia pannis & tapetis ad portam arcis usque miro artificio, velut topiario opere intecta & inumbrata; parietes quoque theatricis velis obducti visebantur. Tanta cura ac diligentia, qui opibus & potentatu pollebant, omnia parare, quæ ad excipiendum
60 Regem quam maximè digna viderentur. Urbem igitur ingressus est LUDOVICUS sub Maji principium, publico omnium applausu, summaque lætitia, omni ferè populo obviam effuso: quem velut triumphantem sequebantur omnes ex terra *Gallia* atque *Italia* proceres, & sacerdotum primores; inter quos aderant XII. non parvæ auctoritatis Cardinales. Magnificum atque splendidissimum epulum Regi & proceribus plerique dedere; & in primis *Joannes Jacobus Trivultius* summa lautitia & copia extra ædes suas in via, qua itur ad portam *Romanam*, constructo velut ex lignis & tabulis cum subselliis extemporali theatro. Item *Galeacius Vicecomes*; tum *Sebastianus Ferrerius*, Quæstorum amplissimus præfectus, Cardinales omnes, ac sacerdotum primores ducesque adipali
A cœna excepit. Ludi dein aliquot dies in area portæ *Jovis* in signum victoriæ celebrati; in quibus varia ab omni populo certaminum genera adstante Rege spectabantur. Constructa ad id complura ex solidis lignis tabulata & podia, & ex vicinis circumquaque domibus mœniana, unde digniores & matronæ sine cujusquam injuria spectarent. Proposita victoribus præmia; summa vi & hasta & gladio bipennibusque nunc equo, nunc pedes certatum est; ut alios cadere & corruere, alios cadenti similes videres. Sed huic publicæ lætitiæ invidit fortuna, quæ prosperis semper adversa immiscet; sparso statim rumore *Maximilianum* ex
B omni *Germania* publicos conventus habuisse, omnes Imperii principes in Regiam Majestatem concitasse, qui brevi in *Italiam* non parvas copias transportarent. Hujus rei auctores fuisse *Venetos* fama percrebuerat; quam augebant antiqua eorum in *Mediolanenses* innata odia, & immensa jamdiu concepta libido invadendi finitimas urbes, & occulta recens in *Neapolitano* bello adversus *Gallos* præter fœdera *Hispanis* subministrata auxilia; quod ægrè ferre viderentur tantæ potentiæ Regem vicinum habere: quem si *Italiæ* finibus aliquo externo motu procul summovere possent, nihil unquam impræsentiarum obstare, quin ejus univer-
C sum imperium obtinerent. Itaque, sive quòd vererentur, ne capta *Genua* tantus exercitus in eorum perniciem duceretur, quum non tam ut *Genua* recuperaretur, comparatus videretur, quam ut cæteræ *Italiæ* urbes ejus imperio subigerentur; sive quod Regias vires tali tumultu atteri, & se *Italia* aliquando potiri posse sperarent, clam *Maximilianum* maximis pollicitationibus sollicitasse, ut quantis posset collectis militibus in Regem descendere festinaret, ne Imperii juribus, ad quæ is subacta *Genua* aspirare videretur, tam ignave in *Italia* spoliaretur. Fingeret se *Romam*, capiendi gratiâ Imperii insignia, velle proficisci: peteret-
D que per *Insubres* liberos aditus. Varia populorum 61
esse studia, & novo regno plerosque infensos. Se autem pecunias, & quas in armis haberent, numerosissimas copias pro tuitione Imperii, cujus semper studiosissimi fuissent, ne in *Gallos* transferretur, ultro oblaturos. Quæ cum ubique palam divulgarentur, omnium animos ingenti terrore concusserant; adeo ut alii destitutis agris intra urbes, aut communita castella se & sua recipere properarent; alii ad vicina alterius ditionis oppida confugere destinarent. Huc accedebat, quod nonnulli perditissimi homines clam in vulgus jactitabant Regem, qui tunc cum proceri-
E bus *Savonam* profectus fuerat, *Ferdinandum* Regem ex *Neapoli* in *Hispaniam* redeuntem excepturus, metu cum *Carolo* ac omni exercitu jam fugam parasse, ut *Gallicis* rebus, quæ *Germanico* motu titubare viderentur, quoquomodo consuleret; *Mediolanum*que, & cæteras ejus ditionis urbes *Maximiliano* & ejus militi in *Italiam* adventanti

tanti prædæ reliquisse. Itaque metus & trepidatio in dies ubique convalescebat. Sed aventu *Caroli*, quo cognitum est *Venetos* ad Regem sui purgandi gratiâ legatos misisse, cum quo antiqua fœdera firmarent, cuique communem hujus belli fortunam suscipere paratos se pollicerentur, aliquantulum sedari cœpit; ejusque oratione, quam ad IV Idus Julias, convocata in Curiam ex omni ordine frequentissima concione, luculentissimam habuit, confirmati civium animi, depositusque pene omnis timor. Nam in hæc fere verba exorsus est;

*Non sine causa, viri optimi, hactenus distuli adventum ad vos meum: qui etsi nonnullis acceleratior debere in tanto discrimine esse videbatur, ut tam varia animorum consternatio ob novos belli motus, qui ex* Germania *in hanc urbem & Regem parari nuntiabantur, si non exstingui posset omnino, aliqua saltem ex parte sedaretur. Si rectè tamen & æqua lance omnia pensitentur, quæ interim gessimus, ne tantillum quidem invenient, ex quo hæc nostra morula accusari, aut reprehendi merito possit. Nam quum me oportuerit imprimis ex officio, ut par erat, Regiam Majestatem in* Galliam *felici successu redeuntem, post habitum* Savonæ *celeberrimum, & splendidissimum illum cum Catholico* Hispaniarum *Rege conventum, mea quidem sententia universæ Reipub. Christianæ longè profuturum, ad radices* Alpium *deducere & comitari; deinde illinc ad loca magis opportuna proficisci: ubi, quæ interim pro magnitudine periculi necessaria videbantur ad excipiendum, imò veriùs ad opprimendum hostium impetum, & tumultuarium illum furorem, si fortassis, ut rumor erat, ex improviso erupissent, matura diligentia præpararentur, nihil prætermisi (si vera fateri licet) quod ad officium meum spectare videretur. Ita enim faci-*
62 *lè accepi, quo animo, quo apparatu, quibus sociis bellum suscipiendum: si suscipiendum sit, prudentissimè censeret Regia Majestas. Ego quoque interim salebrosos* Alpium *amfractus & arctissimas fauces ita hosti pro tempore occlusi, ut annus sit, etiamsi non subveniatur, antequam ipsas angustias superare possit. Inter quas si numerosum exercitum duxerit, inedia conficietur; si verò parvum, facilè internecione delebitur. Quamobrem nonnulli, ut audio, sceleftissimi homines, si hujusmodi belluæ truculentissimæ homines appellandi sunt, quum non possint sui ipsorum, patriæ, parentum, liberorum, nedum Regiæ Majestatis, pro quibus sua & semetipsos, si in aliquo bene sentirent, ultro deberent offerre, perfidissimi proditores meritò non vocari; quos aliquando,* DEO *propitio, tanquam marcescentes & putidos fœtus, ne bonos inficiant, è medio cum eorum maxima ignominia tollemus (sed motos præstat componere fluctus) existimantes ex tantula mora se occasionem nactos, ita sunt novarum rerum avidi, plebem excitandi, & popularium animos, & eorum maximè qui rebus itidem novis student, in nos irritandi, temerario satis conatu ausi sunt clàm primò, semotis suæ factionis conventiculis, tum demum palam rumorigerari, nos jam & Regem ipsum ad fugam paratos esse, & patriam hanc, tanquam nobis infensam irruenti hosti prædæ & direptioni relinquere; quasi aliud interim aliquod novum consilium capiendum in tanta rerum perturbatione esset, pro tuendis focis, aris, liberis, parentibus, ac patria; quum eam* Gallico *præsidio, & se omnino destitutos esse omnibus persuadere niterentur. Nam qui hæc falsis rumoribus excitarunt, si boni cives essent, si fidi Regiæ Majestati & principi suo, si salvam patriam & Rempublicam, si incolumes liberos & parentes cuperent, cognita adventus* Maximiliani *Regis* Romanorum *fama, & sparso potiùs hujus* Germanici *tumultus rumore, statim ad Regiam Majestatem advolassent, quæ nondum* Alpes *transcenderat; eique omnia quæ vociferarentur, exposuissent: aut ad me certè unum venissent, si tantum itineris suscipere*
A *piguisset, quem planè sciebant, etsi ad hoc munus plerique longe me præstantiores, & auctoritate & longo usu inveniri potuissent, ex Regio decreto huic Provinciæ* Cisalpinæ *præfectum esse. Hoc ita profectò gratum fuisset, ut nihil gratius hoc tempore accidere potuisset. Sed ut has immanissimas feras omittamus, quas aliquando tamdiu vixisse pœnitebit, quum sibi ipsis oneri ac dedecori futuros se esse intelligant, quod res, ut opinabantur, evenire desperent; quum salvam videant patriam, quam evertere omni studio conabantur; jam res expostulare videretur, ut vobis quam brevissimè ostendamus, (quod est narrationis no-* 63
*stræ propositum) qualis animus Regiæ Majestatis, &*
B *noster in vos sit, ut facile cognoscatis, an hæc loca nostro præsidio destituere, & vos in prædam* Germanico *furori relinquere proposuerimus; an vero omni conatu & viribus studioque ea defendere ac tueri summa vi constituerimus. Nihil enim Regia Majestas interesse putat bellum in hac* Gallia Cisalpina *contra vos* Mediolanenses, *an in* Transalpina *contra* Parisios *à quovis hoste gerendum sit. Tanti profectò hanc* Mediolanum *urbem facit, quanti* Lutetiam *primariam regni sui sedem. Nec minores apparatus, aut inferiores exercitus conscribendos esse censet, pro defendenda ac tuenda hac Regia provincia, etsi nuper in fidem recepta, quam pro ipso totius Regni primario emporio & Regio diademate, quod cælitus conces-*
C *sum est, conservando. Tantum enim abest, ut irruenti hosti cedendum putet, ut non omnibus copiis solùm & viribus, sed suo ipsius pectore pro muris, pro vallo ubique, pro gloria, & pro honore occurrere, si oportuerit, sponte decreverit. Magni quidem est animi Princeps, summa prudentia, optimo consilio, maximi ingenii, raræ fidei & probitatis, exactissimæ diligentiæ, & promptissimæ liberalitatis: qui non labori, non impensæ, non sibi ipsi pro laude aut conservanda, aut comparanda unquam parcit. Quod ut clarius vobis liqueat, paucis recensebo quid mihi in* Galliam *proficiscenti commiserit & patefecerit.*
D *Nam ita est benigni apertique animi, ut mecum communicare, non dubitaverit quid in hac tota expeditione præparare constituisset. Me autem imprimis* MD. *cataphractis militibus, &* IIIM *sagittariorum equitum præfecit: quos in stationibus citra* Alpes *cum strenuissimis ducibus ad manum firmissimos reliquit; quibus addidit* CC *amplissimos nobiles viros, & totidem equites sagittarios, selectos ex prætorianis militibus, qui ejus corpori ad custodiam solent assistere. Hæ quidem sunt non parvæ alæ & veteranorum militum turmæ, quum armatorum equitum supra* XV M *contineant; quæ longe majores erunt, cum* DCC *ex*
E Vocontiis *item cataphracti milites, qui cum suo peditatu justum exercitum conficerent, supervenerint. Pedites autem ex his, qui ex bello* Genuensi *rediere, non exauctorati ad* VI M *in stativis continentur. Reliqui ex causa militiâ missi. His accedent* IIIM Hispanorum. *Item* X M *ex* Vasconibus, *& totidem ex* Scotis: *qui jam ab eorum Rege navibus impositi, ut ad nos celerius mari comportentur. Ipse etiam ex eo delectu, quem hîc brevi, re exigente, habiturus sum, aliquot millia conscribam. Hæ omnes copiæ intra mensem Septembrem ad omnia jussa nostra præsto paratæ erunt; & quo opus esse videbitur, statim ducentur. Singula præterea oppida,*
F *castella, arces & loca, per quæ hosti aditus ad nos* 64
*patere posset, maxime* Gavennam, Novocomum, Locarnum, Domidossolam, Tiranum, Piatamalam, Lucanos, Novariam, *& quæ* Verbano *&* Lario *imminent, annona affatim ac omni commeatu, muris, fossis, propugnaculis, aggeribus, turribus pro natura loci, ballistis, scorpionibus, bombardis, & omnis generis vehementissimis tormentis, omnique præsidio ad tutelam communiri quam diligentissimè, ut mandavit, procuravi. Urbem autem hanc* Mediolanum, *atque omnia ejus suburbia brevi*

*vi circumcirca ingenti fossa, vallo, aggere, densissimisque propugnaculis ac muro pro tempore cingemus. Dicet aliquis fortassis, Quid* Papiam, *quæ remotior à* Germanorum *finibus videtur, communire contendis? Huic, etsi hunc locum non conscendimus, ut belli consilia aperiremus, sed ut intelligatis quid pro bello conficiendo præparaverimus, ita tamen responsum velim; Si hostis per vallem angustam, ut nonnulli arbitrantur, descenderet, nullus locus magis opportunus, aut firmior videretur ad eum opprimendum, propter* Ticini *fluminis vicinitatem, si forte relicta* Novaria *per agrum* Papiensem *exercitum ducere moliretur, quàm* Papia, *ubi facile inter duos amnes intercludi posset, ne transiret.* Verbano *item &* Lario *cæterisque lacubus custodes fidissimos cum selecta manu præposuimus, qui præsint nautis & armamentis omnibus, ut hosti nulla copia sit navigandi, nedum copias transportandi, si illac iter facere conaretur. Hic in dies nova tormenta ab optimo opifice fabricantur; ut non sit vel minima transenna in omnibus totius ditionis nostræ mœnibus, quæ aut scorpione, aut bombarba careat, præter ea quæ castris munitissima ac vehementissima habemus. Hi sunt exercitus, hæ sunt legiones, hæ munitiones, hi apparatus, præter auxiliares copias, quibus advenienti* Maximiliano, *si forte nobis invitis iter per hanc nostram Provinciam ingredi attentaverit, nos occurrere Regia Majestas statuerit. Ipse deinde cum validissima manu* II M *equitum, & sagittariorum* IIII M *ex legionibus* Gallicis, *quæ* XX M *equos continent,* Hispanorum *equitum* VI M, *peditum* L M *ex omni totius* Galliæ *delectu optimorum militum subsequetur: quibuscum à nobis jam defatigatum hostem excipiet; & ita excipiet, ut duobus validissimis & invictissimis exercitibus interceptus ac interclusus, ne fuga quidem, si velit, salutem sibi comparare possit.* Venetos *præterea nobiscum confœderatos ac socios in hoc bello cum eorum numerosissimis copiis, ut alias semper, promptissimos habebimus. Duos item potentissimos Reges* Hispaniarum *&* Scotorum, *cum robustissimis eorum terra marique exercitibus. Quid de* Helvetiis *referam, in quibus maximam sibi spem* Maximilianus *ad hoc bellum gerendum reposuerat?*
65 *Nam ita se ad unum pro nobis publice declararunt, ut in eum, si contra nos moverit, ultro conjuraverint. Quid de ipsis Imperii electoribus, &* Germaniæ *principibus, quorum primores ita partes nostras studio & gratia prosequuntur, ut nullo modo assentiri velint, ut bellum contra nos tam injuste suscipiatur? Adducat quæso, si potest, aliquam vel levem causam, quare contra nos arma sumat. Qua enim unquam injuria lacessitus? Fingat* Romam *ad summum Pontificem sibi tuto non licere proficisci, nisi* Gallica *præsidia ex* Italia *amoveantur, sine quibus in* Italia *tutus esse non posset. His arceri ab Imperii insignibus atque ornamentis, nisi bello* Italia *propulsentur, quorum virtute militari ac disciplina ea comparari & tueri ubique facile possent. Quo fortassis fit, ut vi atque armis eo obtentu* Italiam *invadere festinet, ut eam suo præsidio viduatam evertat ac depopuletur. O inexcogitatam, ne dicam inauditam belli indicendi causam! ô novam hominis prudentiam! qui ita conjecturis mentes hominum perscrutari sibi persuadet; ut jam certa habeat quæ ex eventu pendere dignoscuntur! ô exquisitissimum judicium! ô perspicacissimum ingenium! ô sapientissimum consilium, si sibi pollicetur hujusmodi commento* Italiam *suis defensoribus privatam posse invadere. Quis eum prohibet ne ad urbem accedat? Christianissimus Rex, aut ejus præsidia? qui eum summo honore & prompta liberalitate atque munificentia singulari, eximiaque humanitate, ut tantum principem decet, si amicus ad urbem proficiscens descenderit, libentissime prosequetur. Quis ei impedimento esse vult, quo minus Imperii insignia* Romæ, *ut moris est, consequi possit? Invictissimus Princeps noster? qui ad id muneris & dignitatem con-*

A *sequendam opera, studio, gratia, ope, auxilio plurimum, si poposcerit, adesse cupit. Quid enim per immortalem* DEUM *unquam attentavit religiosissimus Rex noster contra* Maximilianum, *aut Imperii jura, ut de eo juste conqueri possit? Scio ei profecto eam mentem nunquam fuisse, nec eum animum, ut super Imperii jurisdictione, aut rebus ad ipsum spectantibus aliquid usurpare concupiverit. Imo vero ita semper animatum fuisse, ut pro illius conservatione nihil prætermittendum unquam censuerit. Tantum certe abest, ut vel minimum quidem, quod ad quemcunque vel privatum, nedum ad Imperii decus ac ornamentum pertinens intelligat, inquietare aliqua ex*
B *parte velit, ut omni studio, atque omni conatu, si quispiam fortassis contrà ausu temerario quicquam moliri tentaret, pro illius conservatione, pace ac tranquillitate nihil unquam prætermissurus esset. Quæ autem invidia est, si benignitate summi Redemptoris nostri serenissimus Rex virtute ac robore suorum militum hostium ferociam hactenus repressit?* 66
*dominia ac regna à tyrannis diu injuste occupata, quæ sibi vel successorio, vel hæreditario jure pertinebant, in suam ditionem potestatemque redegit? Hanc dicat justam belli causam; aut aliam, si* DEO *placet, confingat. Optima sane Imperatoris est prudentia, consilio, auctoritate perturbatis rebus consulere, ut*
C *tali ore via pro conservanda Christiana Repub. sedentur, quum bello inquietentur. Itaque hic jamjam omnia miscet, omnia concitat, & factiones ubique, quas nimirum ex* Germania *ad perpetuam multarum nationum perniciem ac eversionem nonnulli aliis temporibus transtulerunt, sollicitare non desistit, ut majore odio ac pertinacia inter Christianos principes bella suscipiantur; quo facile intestinis discordiis agitatos opprimere ac delere possit. Hoc ad Imperatorias virtutes pertinet; hoc ad summi Principis officium? Sed frustra laborat. Jam cogniti antiqui mores, detectæ occultæ fraudes. Ita* DEO OPT. MAX. *confidimus, tantum justæ causæ tribuimus, ut quum nos patriam-*
D *que nostram injuste lacessiti tueamur, ut ejus perversa consilia ne tantillum quidem pertimescenda, nec ejus potentiam reformidandam esse putemus. Imo vero si hostis descendere per hæc nostra loca attentaverit, certissimam victoriam nobis aperte polliceamur. Majores vestri, ô* Mediolanenses, *soli à vicinis urbibus destituti, sæpenumero maximos* Germanorum *exercitus innumerabilibus sua virtute cladibus pene attrivere; nec superari unquam potuissent, nisi intestinæ discordiæ viam hosti aperuissent. Et vos tanto Rege, tam magni animi & tantarum virium, tan-*
E *tæque prudentiæ defensore, tot exercitibus, tot propugnatoribus stipati infirmiorem hostem, quàm illi superiores essent, formidatis? Quo illa virtus abiit? Quo ille priscus sanguis? Expergiscimini tandem, & bono jam estote animo. Quod à vobis solum in hoc bello petimus, jam metum omnem, unde illa tam repentina consternatio, abjicite; jam oblatrantibus & falsa rumorigerantibus, quorum perversa obtrectatio brevi compescetur, aures occludite. Nam & numerosissimæ & firmissimæ nobis copiæ præsto sunt ex veteranis militum* Gallicis *& bellicosissimis nostris legionibus, præter novos delectus, qui nunc ex veteri instituto in omni terra* Gallia *ad* VIII M *hominum habiti sunt, expertissimi scientissimique, ac maximæ*
F *virtutis & auctoritatis in rebus bellicis duces, qui pro muro, pro vallo adversus irruentem hostem fortissimè stabunt. Ingens auri & argenti pondus, ut nullæ à vobis pecuniæ, ut alias hic ab aliis factitatum fuit, nec in tota Regia ditione exigendæ sint. Nam* Galli, *ut in initio eorum virtute hujus inclytæ urbis & multarum in* Italia *celeberrimi devictis æmulis fundatores extiterunt; ita posthac optimi semper ac fortissi-* 67
*mi erunt propugnatores firmissimique instauratores. Nec minas cujusquam, nec pericula quæpiam unquam reformidabunt. Non vos offendere, sed defendere;*

*non opprimere, sed extollere; non divitiis aut dignitate diminuere, sed augere semper, in animo optimi & clementissimi Regis nostri fuit, ac omnium ejus majorum. At* Germani *quot semper cladibus hanc urbem & totam* Italiam *affecerint, longè antequam sævissimus ille* Fredericus, Barbarubra *cognominatus, eam solo æquaret, bona proscriptorum civium, aut crudeliter obtruncatorum diriperet, templa spoliaret, divina atque humana, ut erat immanissimus, fœdaret, nemo est, qui vel levem rerum cognitionem superiorum temporum attigerit, & memoria parentum vestrorum, qui ignoret. Putant se iterum & sæpius ditari posse ex* Italicis *spoliis, qui hoc bellum expostulant. Sed vehementer errant. Nam ita,* Deo *propitio, quem bonarum rerum omnium auctorem esse cognoscimus, nos & nostra tuebimur, adeo ut eos tam temerarii incepti merito possit pœnitere. Sileant igitur, & jam blaterare desinant, qui nos ad fugam paratos esse oblatrant; & vos, optimi cives, animos facite, & bonam spem induite, quum nihil pulchrius, aut laudabilius esse putemus, quam pro patria, pro honore, pro gloria, pro virtute decertantes atrocissimum hostem profligare, & sanguine nostro ac ære vos liberosque, ac omnes res vestras incolumes servare.*

Ad hæc præfectus annonæ pro civibus pauca respondit, *Mediolanenses omnes ita animatos esse pro Regia Majestate, ut nihil magis cuperent, quam ei plurimum gratificari. Juberet, se promptissimos, ac paratos esse, ut fidos subditos decet, expeditissimè parere, ac omnia exequi; si qui fortè tam impii ac scelesti invenirentur (hoc accidere posse: ut in tam populosa civitate aliqui mali essent) qui aliquid contra molirentur, in eos tanquam in sævissimos parricidas animadvertendum esse. Eum rumorem non bonos concussisse, qui Regias vires satis cognitas haberent, & ejus divini animi singularem prudentiam & benignitatem in maximis rebus perspexissent (in quo tantam sibi spem collocassent, quantam populus unquam in quovis optimo Principe) sed quosdam fortassis vulgares nullam rerum experientiam callentes. Et ob id non misisse legatos, qui eum terrorem nuntiarent, quum interim omnia in urbe quieta essent; cives ad omnia discrimina parati aperte viderentur, pro Regia Majestate, & omni ejus ditione tuenda.*

Hac oratione habita, etsi mirum in modum conversæ omnium civium mentes videbantur, summaque alacritas & cupiditas se pro Rege defendendi,
68 & belli contra quemvis hostem gerendi, *Carolus*
A tamen plerosque, quos vel dubiæ fidei, vel novi alicujus consilii ob studia partium suspectos haberet, in *Galliam* secedere jubet; ne aliquid contra Regem, eo tumultu commoti, clam moliri in patria tentarent; suæque factionis viros, qui potentia & armis plurimum valerent, concitarent. Ita enim facile contineri posse civium animos à studio partium arbitrabatur, si potentiores aliquot amoverentur. Copias præterea, quæ ex *Hispanis* & *Vasconibus* supervenerant, partiendas sibi ac latius distribuendas esse putavit, ut si qui fortassis novis rebus studerent, ac rebellione attentata ad bellum mobiliter celeriterque excitarentur, prius-
B quam plures civitates conspirare possent, præsentia militum, eorum conatus reprimerentur. Itaque tria millia *Hispanorum* in *Placentinos*, qui proximi *Pado* flumini sunt, cum ccccc equitibus mittit. *Vasconum* vi m cum magno numero equitatus ad lacum *Verbanum* proficisci jubet, ne ex his regionibus *Maximiliano* ab *Helvetiis* auxilia in *Italiam* mittantur; ac tantæ nationes conjungantur. In valle *Telina* supra lacum *Larium*, qua *Maximiliano* iter faciundum erat, si in agrum *Mediolanensem* descendere constituisset, x m peditum cum validissimo equitatu in præsidiis collocat. His mandat ut à maleficiis subditorum abstineant;
C omnes montanas gentes in officio contineant. In suburbiis *Mediolani* iii m *Vasconum* continet. Mille item ccccc equites ex prætorianis militibus, quos cc Regios nobiles appellant, & sagittarios equites cccc, qui Regi ad custodiam corporis assistunt. Reliquos exercitus, præter eos qui in *Liguribus* erant, *Parmæ*, *Terdonæ*, *Alexandriæ*, *Novariæ*, *Laudæ*, *Papiæ*, cæterisque in oppidis, ut commodum erat, distribuit. Maxima per idem tempus de reformanda moneta altercatio fuit. Nam quod superioribus annis, ob continuos bellorum motus, nulla, ut antea solitum erat, *Mediolani* pecunia cuderetur; omnis
D peregrina non satis proba in urbem invecta admittebatur; adeo ut aureus nummus, cum maximo Reipublicæ detrimento libris quinque, quas vocant Imperialium, venierit. Sed eodem anno, etsi constituti erant Regio decreto, qui rei monetariæ & officinæ, ut nova pecunia proba cuderetur, præessent: cessatum tamen est, donec *Germanicum* bellum confectum esset.

F I N I S.



T U-

# 69 TUMULUS LUDOVICI XII.

## *Francorum Regis, P. P.*

ACET SVB ISTO FRANCIAE REX MARMORE
LODOVICVS, ANNA CVM BRITANNA CONJVGE.
HVNC NEMPE, QVI RES PENSITANT CONSVLTIVS,
PATRIAE PATREM POPVLIQVE VERVM PRINCIPEM,
RATIONE NEQVAQVAM INDECENTI NVNCVPANT:
QVANDO INSOLENTIAM VETVSTAM MILITVM
COERCVIT PRIMVS SEVERE AC FORTITER;
FAVORE PLEBIS TVTIOR QVO DEGERET,
VITAMQVE FAVSTAM DVCERET TRANQVILLIVS.
TRIBVTA MINVIT AC RELAXAVIT LVBENS,
PRISCVMQVE REVOCANS AVREVMQVE SECVLVM
SVIS BENIGNVS IMPERAVIT CIVIBVS,
SCEPTRVMQVE GESSIT, QVOD VOCANT ANAIMATON,
LEGES REFORMANS MORIBVS STVDVIT BONIS,
SVA CVIQVE REDDENS, NEMINI QVIDQVAM ABSTVLIT:
VLTRO PEPERCIT VLTIONIS NESCIVS,
PRIVATVS ET QVAS PLVRIMAS ACCEPERAT
FASCES ADEPTVS REGIISQVE INSIGNIBVS
FVNCTVS REMISIT PERBENIGNE INJVRIAS.
PARENTIBVSQVE DESTITVTOS PRINCIPES
VELVT TENELLOS EDVCAVIT LIBEROS.
CVRANS HONESTIS IMBVI ILLOS MORIBVS,
VT REM JVVARENT IN FVTVRVM PVBLICAM,
QVOD FAXIT INGENS OMNIVM RERVM SATOR.
PROFVSVS IPSE LARGIENDO NON FVIT,
VT QVI MODESTE PVBLICAM PECVNIAM
MISERAE PVTARET PLEBIS ESSE, NON SVAM.
PROCVL FORISQVE BELLA GESSIT PROVIDVS.
DOMI SVOS IN PACE POPVLOS CONTINENS,
TRANSGRESSVS ALPES BELLICA SAEPISSIME
VIRTVTE TOTAM OENOTRIAM CONTERRVIT;
PATERNA JVRA DVM TYRANNORVM MANV
ERVERE SATAGIT, SED PARVM FELICITER:
NAM LIGVRIAM, CAMPANIAM AC INSVBRIAM
FERRO SIBI SVBJECIT, ET MOX PERDIDIT,
70 VELVT JOCANTE SORTE, ET IN LVDI MODVM
VERTENTE RETRO VLTROQVE RES MORTALIVM,
TRAGOEDIASQVE AGENTE MIRAS CASVVM.
VERVM REPENTE POST TRIVMPHOS INCLITOS
CLARASQVE TERRA IN EXTERA VICTORIAS
INTRA PENATES PROVOCATVS AB HOSTIBVS,
MORBOQVE PRESSVS IMPETVM VIX REPPVLIT
EQVITVM SVORVM NON SVAPTE IGNAVIA,
NOVISQVE PACEM AEGRE REDEMIT NVPTIIS.
TANDEM HIC QVIESCIT OPTIMVS PRINCEPS: VIDE
QVAM LVBRICVM SIT REGIVM FASTIGIVM,
QVANTISQVE RERVM FLVCTVET PERICVLIS!
SORS QVIPPE FALLIT, NEC FAVET SEMPER DEVS,
CVJVS POTENTE SCEPTRA MODERANTVR MANV.

OBIIT KAL. JANVARIIS,
A. S. M D. XIII.

JANVS OLIVERIVS, Abbas
S. Medardi Sueßionenßis, F.

# INDEX
# NOMINUM ET RERUM
# NOTABILIORUM.


Caro-

L.



M.



N.



O.



P.



R.



S.



T.



V.



FINIS.



# PETRI PAULI BOSCHÆ,

*Bibliothecarii, ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum,*

DE

# ORIGINE ET STATU BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

*LIBRI QUINQUE.*

In Quibus De
BIBLIOTHECÆ CONDITORE,
CONSERVATORIBUS, & COLLEGII AMBROSIANI DOCTORIBUS,
*ut & de*
ILLUSTRIBUS PICTORIBUS, aliisque ARTIFICIBUS & denique de REDITIBUS ejusdemque BIBLIOTHECÆ amplis agitur.

*Editio Novissima, priori accuratior nitidiorque.*



*LUGDUNI BATAVORUM,*
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
*Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.*

# HUJUS EDITIONIS LECTORI TYPOGRAPHUS S. D.

QUamvis jam antea a nobis varia de *Rebus Mediolanensium* monumenta publici juris sint facta; attamen operæ pretium duximus, ob raritatem Historiam hanc de Origine & Statu Bibliothecæ Ambrosianæ a *Petro Paulo Boscha*, istius Bibliothecæ Bibliothecario, conscriptam, & *Mediolani*, superiorum permissu, Anno MDCLXIXI. in 4^to typis *Ludovici Montiæ* editam, aliis monumentis adjicere, quoniam non modo reipublicæ literariæ valde utilem, & omnium laude dignam censuimus; sed & quod hoc opus regium & magnificum, quod Eminentissimi *Federici Borromæi* S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopi *Mediolani* magnanimitate splendida, & largitate principali fuit instructum, sit unum ex quatuor illis præcipuis, quibus urbs *Mediolani* cæteras *Italiæ* urbes excellit, populi videlicet frequentia, templo augustissimo, arce munitissima, & Bibliotheca Ambrosiana. De Conditoris impendio, cura & diligentia bibliothecam hanc instruendi, pluribus hic agere, esset *Æthiopem lavare;* nam hæc omnia lectori candido ex Scriptorum Testimoniis operi præfixis, qui Bibliothecam hanc, aut ejus Conditorem commendarunt, ut & ex lectione libri ipsa, satis perspicere licet. Studium autem nostrum, quod in hoc libro recudendo præstitimus, ne ignores, habeto; primò ea, quæ auctoris admonitione addenda erant, à nobis suis locis ab auctore adsignatis esse inserta; deinde nos menda, quæ se animadversioni grammatetharum prioris editionis subduxere, emendasse, & Scriptorum nominibus, quorum testimoniis ad hæc monumenta scribenda auctor usus est, paginarum numerum, ubi invenire possis, addidisse. In eo etiam *Federici Borromæi* Cardinalis, Bibliothecæ Conditoris Iconem, nec non magnifici istius ædificii Ichnographiam nitide & affabre exsculptas invenies. Numerorum characteres in oris nostræ Editionis adjecti paginas supradictæ Editionis significant. Cæterum fruere his feliciter & vale.

---

AD

Eminentissimum Principem, S. R. E. Cardinalem,

## FEDERICUM BORROMÆUM,

*A secretis status Clementis X. Pontificis Maximi, Comitem Aronæ, Marchionem Angleriæ, Ducem Cerri &c.*

PRINCEPS EMINENTISSIME.

*QVæ profecta sunt à* Federico *Cardinali* Borromæo, *ea reddimus Cardinali* Federico. *Debuerat quidem Magnus Patruus tuus liberare invidiâ hoc nomen, cum memor excidii sui Patria magis odisse* Federicum *videretur, quam* Roma *Vatinium. Deleverat* Federicus Ænobarbus *urbem: restituit prope* Federicus Borromæus, *non modò quia sacras Ædes reficiendas suo ære curavit, atque pudicitiæ domicilia condidit, verùm substru-*

*ctâ mole, quæ una illatis literarum opibus urbanas opes auxit, & suo fastigio Patriam supra cæteras* Italiæ *urbes collocavit. Bibliothecam igitur, cujus donatus jam cælo* Federicus *conditor fuit, tradimus tibi: ut quando fuisti acceptissimus* Federico, *ea exporrectâ fronte accipias, quæ illi charissima fuerunt, & jucundissima. Providerat Cardinalis* Borromæus, *cum adhuc moraretur in terris, excelsam indolem tuam, atque animum maximarum cogitationum rectorem, atque architectum, ac proinde institutiones optimas ad formandam pueritiam scripsit. Finxere profectò mentem tuam, Princeps Eminentissime, hæc præcepta: & fortasse* Joanna *Parens ex nobilissimâ* Cæsiorum *familiâ* Federicum Cæsium *Cardinalem tibi exprimendum proposuit: ut ex patrii, & materni generis purpurâ regium spiritum haurires, ac magno incitamento esset ex heroum progenie prodiisse, atque heroum nominibus insigniri. Profectus es ad Romanam aulam honoribus jam dignus, quos deinde es consecutus; & quidem cum in te omnia essent, præter ætatem, matura, honores tamen virtus negavit, quò industriæ, & meritis obsequi videretur, non gratiæ. Vel ipsum nomen satis te* Urbano *Pontifici maximo conciliavit: ut, quando te Magnus Patruus auxisset honoribus, ille pergeret cumulare. Præfuisti nobilissimis urbibus in* Piceno, *profectus es in* Melitensem *Insulam Quæsitor: utrumque munus eâ ratione, & consilio gestum est, quâ rectiùs administrare nec* Themis *ipsa posset, nec* Astræa. Gentilitiis *nimirum annulis tuis maritari noverat virtus, improbitas frænis coerceri: nec quisquam te, postquam tot honoribus es perfunctus, ausus est odisse, nisi qui amaret flagitium. Diutius apud* Helvetios *moratus eam legationem visus es consecrasse; tentavit tuam patientiam diuturnitas temporis, ut hæc etiam constantiæ tuæ laus accederet. Revocavit* Federicum *ab eâ legatione* Alexander *VII. brevique curriculo temporis diuturnam eam moram justa Principis providentia redemit. Præfectus es Urbi, non modò cum* Alexander *Pontifex Ecclesiæ præsideret, verùm cum res Ecclesiastica ad interregnum venisset, frequenti Quiritium acclamatione, & Patrum omnium Purpuratorum consensu; tot enim suffragatorum judicio honestari debuerat, qui tot monumentis diu spectatæ virtutis ornabat suffragatores suos, cum ornaretur. Verùm hæc communia cum multis (nam & aliis vacua* Petri *sedes prorogavit imperium); illa singularia, ut in* Madritensi *legatione ædes Legatorum regio planè sumptu reficeres, ut rei Hispanæ consilio, & ope adesses, ac doceres,* Borromææ *familiæ splendorem, & lumina etiam in iis regionibus occasum nescire, quas cum attingit Phœbus, occidit. Invidit* Madrito Roma: *deesse* Federico *noluit* Clementem *X., cui* Clemens *alter plurimum detulerat. Committuntur tuæ fidei arcana Pontificiæ mentis: redimitur* Borromæus *multiplici lumine, cum prope Alteriana Sidera collocatur. Rutilas nimirum ostro: felici astrorum afflatu Solem tibi, immo purpureum imbrem, Alteriæ Plejades ferunt, atque IN FLUMINE MAGNO conchas invenis, quibus virtus antè fulgeat, quàm amictus. Tibi igitur, qui hæreditarium muricem facis (jam enim quartùm Romana purpura* Borromæam *Gentem decoravit) Bibliothecam tuam tradimus, non minorem fortasse Alexandrina, quam olim* Patriarchalis *urbs tua gloriosè jactavit. Cæterùm scriptori gratiam nullam debes, cum tibi consecrat tua; nihil enim deferre tibi præter se ipsum potest: quanquam neque se ipsum, nam totus est in ære tuo, mancipio proprius, & nexu. Vale diutius ad Ecclesiæ totius opem, & ornamentum.*

*Mediol.* Cal. Quintilibus anno 1671.
Eminentiæ Tuæ

Hum.mus, addict.mus, & obseq.mus servus

PETRUS PAULUS BOSCHA.

# AMICO LECTORI
## *Scriptor.*



Elix *Latium*, totamque provinciam castissimi sermonis parentem, cum sæpius vastaverint barbari latinitatis hostes, quam ab *Attila*, aut *Odoacro* quondam direpta *Italia* est, æquum fuit, ut voces ab eisdem in *Latium* illatæ aliis itidem literis ederentur in vulgus: quasdam etiam cum mutuati essemus à *Græcis*, iisdem omnino formis evulgandas curavimus (quanquam adhuc aliquæ castigantibus typographiæ menda exciderint) præteritis tamen iis, quæ oppida, familias, honores, aut certas sedes indicant. Obversabuntur item oculis nonnullæ voces, quæ cum alia atque alia ratione ab Orthographis scribantur, verbi causâ, odeum, museum, cæremonia, numus, sepulchrum, scalptor & sculptor (quamvis secundùm Diomedem scalpendi verbo usi simus) & aliæ ejusmodi, nobis placuit, aut ademptâ diphthongo, aut immutatis literis scribere. Neque adverbia passim apice oneravimus (quod plerique perperam solent) sed ea tantum, quæ homonymia laborant, vel in emendatis codicibus eruditissimorum scriptorum apice insigniri animadvertimus. Cum autem hæc monumenta traderemus, non unas scribendi formulas, & voces consectati sumus, quas religiosè non minùs, quàm putidè, nonnulli aucupantur soli *Tullio* emancipati, atque omnia ad illius obrussam exigentes. Et quidem meis Auditoribus, quos in Seminario *Mediolanensi* institutionibus oratoriis formavi, author semper fui, ut diurnâ, nocturnâque manu versarent *Ciceronem*; nam illud certius esse censui, quàm quæ apud *Sagram*, quod à *Gherardo Joanne Vossio* lib. 4. cap. pr. institutionum didici: *mustæ illi ætati in primis commendamus lacteam copiam, ac facilitatem Ciceronis, quem & aliquandiu solum legi volumus, quò in sanguinem vertatur, ac succum. At postquam habebit oratio lineamenta corporis, ac Romani sermonis habitum, legendi alii, & ante omnes Plautus*

&c. Itaque & cæteri scriptores evolvendi sunt, præcipue qui aureo, atque argenteo latinitatis seculo floruerunt (quanquam inter se dissentiant admodum viri doctissimi: nam quos *Gaspar Scioppius* in libello, cui titulus, *consultationes de scholarum & studiorum ratione*, æneæ ætati adjudicat, alii in scriptores ætatis argenteæ cooptant); *neque enim* (si credimus eidem Vossio) *omnibus de rebus scripsit Tullius, ideoque nec omnium rerum vocabula peti possunt è summo quidem illo, attamen non solo Latinæ linguæ authore.* Subscribit *Vossio Scioppius* agens de rhetoric. exercitationum generibus, pag. 33. *facilè mihi persuadeo, nec Ciceronem, Celsi, Senecæ, Columellæ, & Plinii verba repudiaturum fuisse, si ei de re medicà, de re rusticà, deque multis aliis rebus physicis scribendi occasio evenisset.* Cum igitur historia scribenda esset, componere me ad historicorum imitationem debueram; siquidem *cum omne scripti genus* (ut contendit Franciscus *Floridus Sabinus* lib. pr. lectionum succesivarum cap. 2.) *proprios habeat limites, proprias etiam virtutes, quo pacto Ciceronem in historià imitabimur, quam ille nunquam scripsit? Nisi fortè tres libros, quos de suis temporibus carmine composuit, quique multis jam seculis exciderunt, historiam appellemus?* Postulabatur quidem à *Cicerone*, vel flagitabatur potiùs historia; sic enim putabant *Romani*, se, illam tractante Tullio, effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cederent; verum Cicero, (*lib. pr. acephalo de legibus*,) cum sibi nullum vacuum tempus, & liberum tribui fateretur, historiam verò nonnisi præparato otio institui, ne exiguo tempore absolvi posse censeret, eum scribendæ historiæ laborem recusavit. Quapropter optimum quemque Latinæ linguæ ducem in his castris sequuti sumus; quòd si quædam aliquibus subobscura videbuntur, tuebitur nostram causam *Vossius* (eodem lib. & cap.) *non est necesse* (inquit) *ita scribere, ut omnes omnia intelligant, sed potius ut quædam sint, quæ rudiores investigare, ac discere cogantur*; quanquam parænesim illam apud *Ciceronem* lib. 2. de finibus multùm moratus sum: *sed tu istuc dixti bene Latinè, parum planè*; idcirco conatus sum & planè scribere & Latinè. Cæterum quæ scriptor, & typographus peccavere (peccavit autem ubique scriptor, alicubi typographus) amicus Lector facilè emendabit, inimicus nunquam. Verum nosti quid *Callicles* ancillis dixerit apud *Plautum* in Truculento?

*Egone tibi maledicam, aut tibi adeò malè velim, ut animus meu'st?*
*Propemodum expertæ estis, quam ego sim mitis, tranquillusque homo.*

Id & si grave est, nihilo minùs placidè feram. Tu me ama, & bene vale.

# MENS AUTHORIS.

*Audi Romana Religio: voces fati, fortunæ, & commentitiorum numinum, characteris gratià, illatas in scriptionem scito: elogia summorum virorum nihil Maximorum Pontificum oraculis adversari volo; sic ubi verò imprudens peccavi, palinodiam canam. Adeò me in potestate tua semper futurum profiteor.*

# TESTIMONIA SCRIPTORUM,

## Qui *Ambrosianam Bibliothecam, aut ejus Conditorem Federicum Borromæum Cardinalem Archiepiscopum Mediolani commendarunt.*

*Joannes Antonius Velasquez ex Sodalitate Jesu*

IN Caput secundum Epistolæ B. Pauli ad Philippenses cap. 2. vers. 6. suam interpretationem tuetur Catenà Græcà in Paulum totidem verbis: eadem habentur in Catena Græca in Paulum, quæ in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi asservatur; cujus quidem cum potiri percuperem, illustrissimus Fredericus Borromæus, qui non modò pari purpurà, & Mediolanensi Cathedrà, sed cælestibus etiam virtutibus Patruelis sui, Magni, inquam, illius Caroli Divi vestigia pressit: plura, quibus tam hic, quam alii Pauli loci mirificè illustrantur, inde ad me, ne de facie quidem notum, quæ mira tanti Principis humanitas, & in sapientiæ studiosos singularis beneficentia est, transferri jussit.

Andreas Schottus ex eàdem Sodalitate

*LIteris Antverpià ad Federicum Cardinalem Borromæum missis Idibus Octobris anno* 1607. *laudat Bibliothecam, Doctorum Collegium, & Græcæ linguæ studia: Probavi equidem (ait), vehementerque laudavi, simùl inaudivi tantum abs te beneficium adornari Italiæ, hoc est, in maximo ingeniorum theatro, atque adeò universo terrarum Orbe excitari abs te interiores hasce literas, Græcas præsertim perpaucorum hominum, quibus cæteræ disciplinæ adornatæ veluti in illustri lumine collocatæ splendescunt; ut, absit verbo assentatio, si juris essem mei, capite jam diminutus, & si ea esset ætas, quà olim in Iberiam profectus, tanquam in laudandarum artium mercatum, doctissimis me hominibus spontè adjunxi Ant. Augustino, & Corruviis, Petro Nunnesio, & Joanni Marianæ nostro, mihi crede, nusquam gentium libentiùs, quàm tuorum in* Ex Tabulario Biblioth.

*in cœtu literatorum acquiescerem: quos & exemplo excitas tuo, & præmiis foves, atque amplificas &c.*

*Idem Andreas Schottus.*

Ex eodem Tabulario.

TOrnaco decimo cal. Aprilis anno 1610. scribit ad Cardinalem Federicum, seque libenter ait decedere Antonio Salmatio in Sermonibus Paschalibus D. Cyrilli in latinum sermonem convertendis (quam modestiam Patris Schotti eximià laude est prosecutus idem Salmatius in epistolà ad lectorem, cum typis interpretationem illam ederet) ego verò quis sum, qui in hac ingenii mediocritate, nullaque doctrina, crescentis Ambrosiani Collegii honori objicere meas nugas audeam? In quo illud verendum, ut duos hic Cyrillus interpretes admittat, cum unus satis, superque sit futurus: si Salmatius Græca adjunget, cedo equidem libens laboreque defungor.

Josephus Scaliger epist. 133. lib. 2. ad Isaacum Casaubonum anno 1607.

*ILlustrissimi Cardinalis Borromæi Judicium de te tam mihi gratum est, quàm jucundum te à tam laudato Viro laudari.*

*Idem Scaliger ad eundem Casaubonum epist.* 140. *lib.* 2. *anno* 1608.

ILlustrissimi Cardinalis Borromæi literæ argumento sunt, non prorsus humanitatem ex rebus sublatam: & superesse animas,

*Queis meliore luto finxit præcordia Titan.*

Jacobus Augustus Thuanus Lutetia Paris. Pridie Nonas Jan. 1608.

Ad Cardinalem Federicum Borromæum.

Ex Tablino Bibliothecæ.

*SUbitus Antonii Olgiati discessus, nam ipsum ad paucas tantùm horas vidère contigit, causa fuit, ut nec erudito viri optimi colloquio diutius frui, nec quædam ad Ambrosianæ Bibliothecæ tuæ olim Alexandrinis comparandæ ornamentum facientia, quæ tunc negotiorum mole obruto in mentem non veniebant, cum eo communicare licuerit; quæ etsi ab aliis meliùs, ac pleniùs, atque ex te ipso in primis scire potes, tamen hoc extitisset devoti erga amplitudinem tuam animi nostri monumentum.*

*Philippus Wannemacherus Dominicanus in libro, cui titulus, triumphus literatorum pag.* 80., *& sequ.*

NObilissimam, maximamque non Insubriæ tantum, sed Hesperiæ totius urbem appuli (superis gratia) fœlici successu, & accessu. Et ut primum licuit Illustriss. Borromæum adii &c. ea occasione cum Bibliothecæ mentionem facerem, quam magnificè eum struere, & instruere famà percepissem, voluit primà à meridie hora ad eum reverterer comitaturus me ad illam &c. Cæpi autem oculos avidè circumferre ad libros, ad ædificia, ad structuras, ad humanæ vix potentiæ monumenta. Stupeo, dum narro; nec dum satis oculis meis credo, atque identidem me, an viderim, interrogo. Ducor per omnia, & singula. Quid primum miror? Non refero pompam, & selectissimum librorum apparatum, erat numerare 14. millia voluminum manuscriptorum. Quot de aliis? Summe Deus! Innumerabilia in omni genere, in omni scientià, in omni stilo. Ibi SS. Patres Græci, Latinique: hic Theologi: illic Jurisconsulti, Philosophi, Medici, istic Mathematici, Astronomi: alibi Oratores, Poetæ, Historici, Grammatici. Clarissimi Vincentii Pinellii Bibliotheca, quam apud omnes rumor, & fama commendaverat, tanquam rarum thesaurum, & quam Cardinalis post ipsius è vità discessum comparaverat, angulum aliquem occupabat, & vicesimam partem. Reliqui ex omni Orbis plaga asportati, & conquisiti. Nam sunt, quibus illam curam prudentissimus Princeps curæ commisit: aliis Orientem, aliis Occidentem, aliis Septentrionem, aliis alium Mundi angulum ad Bibliothecas, Bibliopolarumque officinas perlustrandas, si quid deesset. Hi vero nullum majus, gratiusque munus Antistiti adferre possunt, quam rariorem, & electiorem librum. Jam imagines, & Divorum, Magnorum, Illustrium, Doctissimorumque virorum veræ, ac vivæ effigies in summitate per circuitum depictæ, quo elogio explicabo? nihil illis artificiosius, nihil pulchrius. Illam è Græcia acceperat, alteram è Syria, ex Asia, alteram è novo Mundo. Erant etiam, quas ingeniosissimus Antistes collegerat ex annulis aureis & numismatibus &c.

Justus Lipsius Lovanio 3. Idus Jan. anno 1905. ad Card. Federicum Borromæum.

Ex Tablino Bibliothecæ.

*SIgnificat aliquid Illustrissima Dom. tuà, sed communiter, aut obscurè; distinctius de Bibliotheca tangit Erycius noster, quam ait magno impendio, curà, judicio, magnam, & amplam ab Illustriss. Dom. Tua iri instructum. Gaudeo equidem, & applaudo tam præclaro operi magis, quàm Prætoriis, aut Palatiis aliorum manufactis &c. Idem Lipsius laudat pluribus Bibliothecam, & Collegium Ambrosianum epist.* 88. *Centuriæ V., commendat autem Federicum Cardinalem Borromæum epist.* 19. 73. 92. *centuriæ singularis epistolarum selectarum, quam eidem Federico nuncupavit.*

*Erycius Puteanus Lovanio Pridie Cal. Octob.* 1615. *Ad Cardinalem Borromæum.*

AC sane, qui inclytas virtutes tuas, qui summam doctrinam, qui absolutam facundiam, qui reliquas plusquam humani pectoris divitias intuebitur, integram aptæ, & perfectæ Bibliothecæ laudem, gloriamque vnico Auctori Borromæo ascribet. Nomina Ambrosianam: à te tamen appellationem desumet posteritas. Hoc pium erit originem non auditæ hactenus liberalitatis profiteri. Ego quidem quantùm stylo potero, ævi nostri Bibliothecas percurram omnes, & describam ordine: sed ut tuam ostendam eminere. In hanc rem si curiosus ero, verus ero &c.

Idem

Idem Puteanus Lovanio 12. Cal. Decembris 1609. Ad Cardinalem Feder. Borr.

*DE Bibliotheca jam audivi publicis usibus aperiendam esse, die Divo Ambrosio Sacro O bis igitur lucem illam magnæ urbi tuæ felicem! bis notandam bono lapillo! quia & vetus tutelaris sui beneficium cives agnoscent, & novum hoc tuum, quod etiam insignire ipsius Ambrosii nomine voluisti &c.*

*Alphonsus Ciacconius in hist. Pontif., & Cardinal. vol. 2. col.* 1810.

Bibliothecam Ambrosianam totà Europà celebrem innumeris ferè libris, & multis codicibus manuscriptis insignibus instructam, quam Federicus Cardinalis Borromæus suo ære paravit, & viris doctis auxit, viri eruditi Mediolanum proficiscentes admirantur, & laudant.

In libro, cui titulus *Successores S. Barnabæ Apostoli*, ejusmodi elogio commendatur Cardinalis Federicus Borromæus.

*Literarum impensus cultor, literatorum impendiosus Mœcenas fuit. Sapientiæ suæ magnum Insigne posuit, insignem, totàque Europà celebrem Bibliothecam, cui peculiare Collegium adstruxit, hoc est, lectissimos Viros ejus decoro servitio adligavit. Affectatà sui nominis negligentià nomen promulgavit Ambrosii.*

*Salvator Vitalis Franciscanus in Theatro triumphali Magnalium Urbis Mediol. Spectaculo Quarto.*

AMbrosianam Bibliothecam Eminentissimi Federici Borromæi S. R. E. Cardinalis Archiepiscopi Mediolani magnanimitas splendida, largitas Principalis instituit &c. Opus equidem regium, & magnale: ut, Bibliothecam Vaticanam si demas, Ambrosianæ sit meritò, jureque quam optimo palma danda. Cujusmodi rei mysterium signare crediderim ferream, æneamve illam passis ad ostium atrii spatalionibus sitam.

Philippus Ferrarius Servita in Lexico Geographico.

*URbs Mediolani cæteras Italiæ urbes excellit, quatuor inter alia, populi frequentià, Templo augustissimo vix unquam perficiendo, Arce firmissimà, & Bibliothecà Ambrosianà à Federico Borromæo Cardinali & Archiepiscopo Mediolanensi viro doctissimo, & studiosorum Mœcenate de suo extructà, librisque omnis generis, & linguæ, ac reditibus amplis ad perpetuitatem instructà.*

*Ferdinandus Ughellus Abbas Cisterciensis Vol. 4. Italiæ Sacræ columna* 397.

INter plura pietatis opera, quæ salubriter Federicus Borromæus urbi, Bibliotheca Ambrosiana est, quæ propemodum Vaticanæ æmula tantà librorum copià abundat, tantoque ordine digesta est, ut ad commoditatem mortalium nil videatur potuisse fieri absolutius &c. Reliquit aliquot monumenta tum Latinà, tum Italicà linguà conscripta, quæ reconditam sapiunt eruditionem, pietatis autem studium singulare.

Janus Nicius Erythræus Vol. pr. libri, cui titulum prætulit, *Pinacotheca Virorum illustrium.*

*FEdericus Cardinalis Borromæus insignem Bibliothecam magnifico opere excitatam erexit. ac ditavit, omnibus cujusvis professionis libris undique magno sumptu conquisitis refertam, Ambrosianam ex Divi Ambrosii nomine, Ecclesiæ illius tutelaris Divi, nuncupatam, quam duodecim Sacerdotibus omnium doctissimis commisit, quos etiam Collegii Ambrosiani Doctores appellavit. Fuit ingenio præstanti, eruditione magnà, eloquentià majore, & à summis suis occupationibus feriatus non aliam animi remissionem habebat, præter hanc literarum humanissimam, ac liberalissimam &c.*

*Lucilius Terzagus in Dialogo de Bibliotheca Ambros.*

CArdinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus Bibliothecam omni librorum genere repellendam curavit, eamque non de suo nomine Borromæiam, sed de Divi Ambrosii Patroni nostri Ambrosianam nuncupari voluit. In quo non possum non vehementer tanti viri admirari summam prudentiam, qui omnem inanis gloriæ suspicionem vitans, cui semper inimicus fuit, majoremque publici commodi, quam sui & suorum rationem habens, ut omnes intelligerent ad communem omnium usum, & utilitatem esse comparatam, eam, ut dixi, Ambrosianam appellavit &c.

Joannes Henricus à Pflaumern in libro, qui inscribitur *Mercurius Italicus*, editionis secundæ, in Elogio Mediolani.

*LIterati in universum, quibus ad libros emendos res angusta domi, habent Bibliothecam publicam omnium usui quotidie patentem, in qua, cum Mediolani agerem, numerabantur librorum XL. millia, & conquirebantur undique novi codices Friderici Borromæi Cardinalis jussu, & impensà. Bibliotheca præter libros legendos, exhibet oculis lustrandas pictas effigies virorum eruditione, & vitæ sanctitate illustrium.*

*Joannes Petrus Puricellus Laurentianæ Basilicæ Mediolani Archipresbyter Cap. 2. libri, qui inscribitur* Dissertatio Nazariana.

HIC ipse codex (scilicet Michaelis Pizolpassi) nunc extat in Ambrosiana Bibliotheca, quam nostra ætate magnanimus ille Federicus Card., & Archiepiscopus Borromæus, æternum propterea etiam celebrandus, à fundamen-

men-

mentis erexit, multiplicique librorum copia ad stuporem locupletavit.

Henricus Spondanus in Auctario Chronologico ad Annales Cardinalis Baronii pag. 94.

*Fridericus Borromæus Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, egregius pietatis, ac virtutum Patrui* (rectiùs Patruelis) *S. Caroli imitator, locupletissimâ Bibliothecâ instructâ, Collegium etiam insignium virorum instituit, quod Ambrosianæ Bibliothecæ Collegium nuncupari voluit, quo præclara ingenia excolantur ad Orbem Christianum suis scriptis illustrandum.*

Eisdem disertè verbis commendat Federicum Parentem Bibliothecæ Claudius Robertus in 2. parte appendicis ad Galliam Christianam pag. 44.

*Benedictus Sociacus libro secundo Epigrammatum commendat Bibliothecam Ambrosianam.*

Niliaci taceant Museum nobile Reges,
Ante Parætoniis quod posuere locis:
Nec quas hospitibus congessit Pollio Musis
Divitias jactet porticus alta suas;
Quin Vaticano consurgens vertice sedes,
Ipsa suos fastus erubuisse potest.
Omnibus insultet mirabile Borromæum:
Sol etenim majus nullibi spectat opus.

Aliud Epigr. lib. 7.

*Grajugenas Federicus opes congessit in unam,*
*Inque unam Latium contulit omne domum:*
*Culmine sub tanto servatur tota vetustas,*
*Orbis in hoc totus clauditur usque loco.*
*Cælicolæ hìc populos omnes servare potestis,*
*Hìc Syrus, hìc Solimas, Auson, Achivus, Arabs.*

Joannes Baptista Spadius Dominicanus In Idyllio, quod ex Virgilianis centonibus conflatum, laudibus Cardinalis Federici Borromæi, ejusque rebus gestis exornavit, Ambrosianæ Bibliothecæ meminit.

Georg. 2. *Dives opum variarum opera inter talia primum* Aenei. 6.
Aenei. 7. *Tectum augustum, ingens, sublime è marmore ponit* Geor. 3.
Aenei. 4. *Cuncta virum monumenta ferens, opera, atque labores* Aenei. 11.
Aenei. 1. *Ambrosiæ, & gentis nomen dedit, armaque fixit* Aenei. 1.

Antonius Franciscus Columbus Placentinus, Petrus Franciscus Petruccius Apuanus, vulgò Pontremulensis, & Octavius Guastavinus Alexandrinus carmine Bibliothecam Ambrosianam, ejusque Conditorem Federicum Borromæum illustrarunt.

Longè plura scriptorum Italorum testimonia Latinis inserere importunum visum est.

## Cæsar Bartholomæus Gorranus, Abbas Sancti Michaelis Archangeli in Regno Neapolitano, Insignis Collegiatæ, ac Regii Sacelli Sanctæ Mariæ Scalensis Canonicus, Prothonotarius Apostolicus, & S. Officii librorum Revisor, & Censor &c.

*Jussu Reverendissimi Patris Julii Mercori Mediolanensis hujus Civitatis, ac Status Inquisitoris Generalis vidi librum Petri Pauli Boschæ Bibliothecarii, cui titulus:* De origine, & statu Bibliothecæ Ambrosianæ Hemidecas. *In eo non solum Institutoris Augustissimi operis Cardinalis Federici Borromæi, dignitas cum magnificentia, sed Auctoris Libri diligentia cum eruditione certatim resplendent; unde tanquam utilem valde Reipublicæ litterariæ, & omnium laude dignum typis edi in lucem totius Orbis terrarum debere censeo.*


*Mediolani die 5. Augusti 1671. in fidem*
*Locus † sigilli.*

*Cæsar Bartholomæus Gorranus*
*S. Officii librorum Revisor.*

Die 10. Augusti.
Stante supradicta attestatione.

IMPRIMATUR.

Fr. Antonius Maria Crucejus Sac. Th. Magist., & Commiss. S. Officii Mediolani.
Jacobus Saita S. T. D. Canonicus S. Ambrosii pro Eminentiss., ac Reverendiss. D. D. Cardinali Litta Archiepiscopo &c.
Franciscus Arbona pro Excellentissimo Senatu.



IN-

# INDEX SCRIPTORUM,

## Quorum testimonio usi sumus ad hæc monumenta scribenda.



** Jo-

L.



M.



N.



O.



P.



R.



S.



T.



V.





1


# PETRI PAULI BOSCHÆ,

*Bibliothecarii*,

DE

# ORIGINE ET STATU BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

## LIBER PRIMUS.



A

Istoriam scribere, & veteris memoriæ exempla oblivioni subducere, tam puto difficile, quam Jovis auribus placere. Monumenta quidem rerum gestarum si ab ultima antiquitate repetantur, jam commento propiora videntur; præterita vero gentium, regnorumque origine, rerum incunabula curiose quærimus, negaturi fidem, nisi do-
2 ceat scriptor, ex quibus initiis singula sint profecta. Suo ævo proxima qui chartis tradunt, nihilo felicius operam ponunt; primum enim principum virorum sceleribus, & temere factis narrantem blandiri necesse est: tum vero de re publica ita disputandum, ut nusquam veritas moderatorum errata prodat. Quod si fuco vitium afferimus veritati, aut eorum supercilio deterriti, qui urbibus præsunt, in procerum maleficiis connivemus, *Vopiscus* merito irascitur nobis, ac proinde recte affirmat neminem eorum, qui scripserint, non aliquo mendacio fidem corrupisse; facit vero dictis fidem, ac *Livium*, *Salustium*, *Tacitum*, & *Trogum* hujusce criminis insimulat: quinetiam propositis eorundem locis mendacia indicat. Mihi autem facilior scribendæ historiæ ratio omne prorsus ejusmodi negotium eripit; neque enim Principum arcanis interesse, non Magistratuum impune peccantium consilia damnare, aut populares turbas, & imperia fortunæ vicibus obnoxia referre juvat. Quænam propagandi imperii libido regum animos incendat ad Martem: quis fœdera percutiat, aut violet, quærere nostri consilii non est. Nusquam hic *Macedones*, vel *Persæ*: non *Spartacus*, aut *Sylla*; singula pacata sunt, & incruenta. Igitur, quæ aliorum ingeniis crucem figunt, cum sint prætermittenda, facilem viam sternunt ad scribendum. Illud sane, quod ii, qui annalium monumenta persequuntur, proponunt animis, deesse in hac librorum luxuria haud potest; habebunt enim viri principes, quod imitentur: certe in amplissima *Insubrum* Bibliotheca musarum amorem discent, quam ornavit studiosa magnificentia literarum. Cæterum nova scribendi supellex alliciet fortasse magis animos, præsertim cum antiquitatis rudera effodienda non sint, quæ altius abdita alienant legentes, ipsius vetustatis fastidio, ne annales, & commentarios jam diu cum carie pugnantes de scribentis fide interrogent. Opus enim seculis omnibus admirandum nostra
3 ætate contigit, quod urbis famam, & scientiarum opes auxit; tam brevi autem temporis spatio in eam magnitudinem crevit, ut jam terris omnibus sit miraculo. Hujus vero historiæ provinciam Cardinalis *Federicus Borromæus Bibliothecæ* conditor mandaverat *Fortunato Raulio* Ambrosiani Collegii Alumno: verum is, fatis incœpto obluctantibus, authoris, & posterorum desideria est frustratus. *Josephus Ripamontius*, & *Franciscus Rivola*, dum acta *Federici* in annales suos retulere, pluribus *Bibliothecæ Ambrosianæ* originem, paucis incrementa descripserunt. *Jacobus Philippus Opicellus* libellum de Bibliotheca Ambrosiana vulgavit: sed ipsa tantum primordia, & quæ initiis sunt proxima, recensuit. Nos candide originem, & statum Bibliothecæ scribendo prosequemur, scriptorum, & tabularum fide, ac testimonio: ne monumenta patria, ut plerique solent, civibus consecrare, exteris amplificare videamur.

In Aureliano.

B

Vixerat *Gaspar* Vicecomes *Mediolanensis* Ecclesiæ Antistes, cum *Clemens* VIII. Pontifex Maximus Ambrosianæ rei Cardinalem *Federicum Borromæum* præfecit; Recusaverat quidem excelso animo honorem illum *Federicus*: verum *Philippi Nerii* viri Sanctissimi, qui Cardinalis conscientiam moderabatur, hortatione permotus ab ea sententia decessit. Depinxerat nimirum cogitatione *Episcopales* curas, quæ bene gerendi muneris officia consequuntur: tum vero recens in omnium oculis fratris patruelis vivendi, regendique disciplina, ipsa etiam ætas, ut ei videbatur, immatura (cum annum trigesimum, & alterum ageret) ab honoris majestate *Borromæum* submovebant. Vicit tamen pudorem ratio, & Pontificis Summi imperium: atque ab ipso *Clemente* inauguratus *Ambrosianum* honorem capessivit. Inito Pontificatu maxima quæque animo complecti cœpit; ad hæc literatus ipse exosculari literas, earumque causa sese in solitudinem frequentius abdere. Hanc siquidem amabat unice: eratque jucundissimum, cum se ab urbanis negotiis vindicaret, loca sola incolere ad scribendum, meditandumve. Incessit inde animum ponendæ eremi cupiditas; quamobrem scriptis ad Pontificem Maximum literis potestatem illius excitandæ exoravit, eamque *Camaldulensium* legibus formare statuit. Architectus fuerat instituti *Romualdus Ravennas*, cum in Apennini verticem evadens, ad annosas, procerasque abietes meditabundus substitisset in campo, qui ab herili nomine *Malduli* diceretur: isque *Maldulus* in agendis feris obvius forte factus Divo, campum illi dono dedit, seseque *Romualdi* sectatoribus adjunxit. Hic eremus condita, atque ex gemina voce una coaluit, *Camalduli* appellata. Accenderat fortasse Cardinalis animum æmulatio; *Camaldulensem* enim eremum Sanctissimus Cardinalis *Carolus Borromæus* adamarat impensius, atque eo secessu delectatus cælestibus addixerat animum: & Cardinalis *Gabriel Palleottus*, qui D. *Carolo* usus fuerat amicissimo, Camalduli hospitalitios lares *Bononiensis* Ecclesiæ Archiepiscopis excitarat, si illuc otii, pietatisve causa vellent divertere. Sedem certe eremo Federicus ibi statuerat, ubi ornatæ postmodum Divi *Caroli* ædiculis rupes *Aronensem* montem arce ipsa validius muniunt. Attributus etiam à conditore census est; co-

C D E (margin section letters)

*Anno* 1595.

Rivola in rebus gestis Feder. lib. 2. cap. 15.

Glussianus in rebus gestis D. Caroli lib. pr. cap. 8.

4

Rivola lib. 2. cap. 16.

*Anno* 1601.

17. Cal. April.

Augustinus Florentinus libr. pr. hist. Camald.

Jo. Petrus Glus. in rebus gestis D. Caroli lib. 6. cap. pr.

Ferdinand. Ughellus in Italiæ sacræ vol. 2.

Ex Diplomate Pontif. 17. Cal. Aprilis.

copiam fecerat *Clemens Octavus*, ut ex opulentissimis reditibus Collegii *Borromæorum* (hoc enim nomen à conditore *Carolo* impositum sedi, quæ substructa regio sumptu *Ticini* est) sex millia aureorum numum adimerentur, eaque erigendæ ere-
5 mo cederent. Igitur missitatis literis eremicolæ Pontificis voluntati serviebant. *Arsenius* cœnobita promiserat Cardinali, fore ut *Paulus* Præfectus totius ordinis *Mediolanum Camaldulensis* familiæ antesignanos duceret duos, *Angelum* videlicet, & *Ægidium*, quorum auspico inciperet institutum. Rursum idem *Paulus Camaldulensium* Antistes *Faventia* literas miserat ad Cardinalem de *Angelo Mediolanensis* eremi conditore; simulque solicite caverat, ut omnia ad leges Benedictinorum dirigerentur; ad hæc rogaverat, ut mediis in lucis, qui totam eremum tegerent, cellulam facram excitandam curaret, ac ex tabulatis ad cœnobitas recipiendos cubicula, ne degerent sub dio: illudque esset contra imbres, & Jovis frigidi inclementiam munimentum, donec ingens postea substructio justæ eremi, & cœnobii speciem faceret. Hic operis ardor sensim elanguit: nec inconstantiæ vitium, sed molis alterius cogitatio immutavit propositum, etenim magistra gravissimæ cogitationis dies est: nec pudet consilia damnare, cum ratio consilium emendat. Reputaverat animo *Federicus* eremum totam, eremique disciplinam: abditam illam intra silvas vivendi severitatem urbanis moribus minus profuturam intellexerat: esse præstantius, quod Ecclesiæ foret usui, & seculi jam non sua vitia ferentis audaciæ, atque hæresi luis in morem grassanti obviam eundum; revocasse mystarum vitam ad numinis cultum patruelem Carolum: facturum se utique operæ pretium, si eandem sanctimoniam servet, immo ex equo veluti *Trojano* milites evocet, qui hæresim exarment; id impetrari posse, si literas sacrorum hominum decus tueatur, & Regiam aliquam sapientiæ extruat in urbe: hoc musarum, & literatorum contubernio Religionem, & bonarum artium studia adjutum iri plurimum. Quæ diu agitata mente Cardinalis, placuere postmodum: sicque mutata voluntas, atque à solitudine abducta
6 ad literas. Hanc *Federici* voluntatem probavit Pontifex Maximus, de cujus sententia dicemus opportune. Inde *Borromæus* meditari Bibliothecam, Collegiumque; atque hoc uno consilio Principis animus fervebat, excitaturus fortasse veterem famam urbis, cum, *Mona* Archiepiscopo, Bibliotheca publica cives ad scientiarum otia invitaret. Porro frustra est *Beyerlinchus*, qui Divum *Carolum* parentem operis, *Federicum* amplificatorem fuisse tradit; nam aream hanc Bibliothecæ insederant, cum moraretur in terris *Carolus*, ædes civium multæ, ac gymnasia Taberniana: tum vero tabulæ omnes, & superstites ædificationis testes peregrino scriptori refragantur. Igitur exquisiti codices sacri, profanique, barbaræ, latinæque linguæ, autographa, membranæ, ex papyro, & philyra; nam descripti codices minime vulgares sunt, nec in plebe vilescentium librorum præstolantur emptorem. Etiam cum *Romæ* moraretur *Federicus*, instruxerat Bibliothecam, maximamque librorum vim collegerat undique, animo futura providente. Ejus rei argumento literæ sunt *Roberti Bellarmini* viri doctissimi admonentis *Borromæum* de *Francisco Pitæo* homine *Gallo*; namque id Cardinalis quæsiverat a *Bellarmino*, & cognoverat plura Conciliorum volumina apud illum *Lutetiæ Parisiorum* servari, eaque descripta, & vetustati erepta; immo & tabulas legimus tanti apparatus indices. Ante omnes *Octavius Boldonus Ambrosianæ Bibliothecæ* scrinia ditavit; ejus quasi anathema exterorum hæc invi-

Ex literis Cal. Jun.

8. Idus Junias.

*Annis* 1602, & 1603.

Ripamontius lib. 2. decad. pr. histor. Eccl.

In Theatro Vitæ humanæ tom. pr. verbo *Bibliotheca*: idem mendum irrepsit in librum, cui titulus *Voyage d'Itàlie* tomo p. pag. 143.

6. Cal. Mart. anno 1591.

Anni 1596. Nonis Septemb.

A sentium oculis subjicimus duplex literarum autographum, quas Imperator Turcarum *Bajazetes* ad summos Pontifices *Innocentium Octavum*, & *Alexandrum Sextum* exaravit; character epistolarum nitidus satis, & humanior, quam ut à tyran-
no proficisci potuisse videatur. Nomina plurima, 7
& commentitiæ magnitudinis tituli frontem literarum implent: salus dicitur, tum officia, & studia humanitatis epistolas commendant, & claudunt: elementares autem notæ græcis formulis finguntur. Per eas vero literas *Bajazetes* dono miserat *Innocentio* lanceam, qua unus militum transverberavit Servatoris pectus: ut eo munere
B deliniret Pontificis animum, cum *Zizimus* frater ipsius *Bajazetis Romam* abductus fuisset in vincula. Postquam autem satis instruxerat totam molem Cardinalis, consilii sui rationem Pontifici Maximo probat: immutatam videlicet mentem docet, neque se jam eremicolas, sed literatos homines in spem servandæ Religionis quærere. Sedit ea cura *Clementi* VIII. literæque ad *Borromæum* missæ, hæc summa: commendare se consilium *Federici* de condenda *Mediolani* Bibliotheca: ea nolle rata, & firma esse, quibus *Camaldulensis* eremi institutionem probasset: ac proinde addice-
C re se huic operi sex millia aureorum numûm olim attributa eremo, & mandare se, ut eadem, imminuto reditu *Ticinensis* Collegii *Borromæorum*, in molem *Ambrosianam* erogarentur. Hæc Pontificis munificentia, & animus stimulavit Federicum ardentius: atque palam profiteri sua studia, & communicare cum exteris cœpit; & quamquam domesticam Bibliothecam summis opibus apparasset, ingentia tamen cogitanti, neque ipsa fortasse *Ambrosiana* moles satisfecit. Habiti in consilium literatissimi viri: scriptæ ad unumquemque literæ, & ab omnibus responsum perhumaniter.
D Quærebantur potissimmum græcorum, latinorumque codices descripti à librariis, antiqui, semesique, eo ditior supellex, quo vetustior, illa vero conquisitio apud *Calabros*, *Venetos*, *Germanos*que fiebat ope *Antonii Aquinatis* Episcopi *Sarnensium*, *Jacobi Barotii*, & *Marci Velseri*. Pari studio contendit *Franciscus*, Civis *Mediolanensis*, *Franciscanæ* Cucullatorum famaliæ vir, cum *Pla-* 8
*centiæ* moraretur, namque *Ferrariæ* rem transegerat ita, ut Biblia hebraicis literis exscripta magno etiam sumptu redimerentur, quæ olim *Clementis Octavi* oculis ad spectaculum, miraculumque fuerant oblata, cum illuc ad urbis imperium capessendum se contulisset. Alius item Bibliorum co-
E dex septingentis ante annis exaratus proponebatur venalis: & *Dominicus Hierosolymitanus* nullum in *Italia* tota ejusmodi codicem esse affirmabat, nisi apud Ducem *Urbinatem*; porro hæc Biblia esse *Mantuæ* apud Hebræum quendam salis redemptorem: pretium plusquam tercentum aureorum numum fore. In hoc certamine officiorum eminuit munificentia singularis *Pauli Garexii*; is enim cum Dominicano Ordini in Provincia *Insubrum* præesset, dono dedit Cardinali paginas duas autographas Divi *Thomæ Aquinatis* contra ethnicos, decerptas ex codice, quem *Bergomatum* Religio
F exportatum Neapoli anno MCDIV. intulit in Ædem Dominicanorum. Has autem paginas *Augustinus Galaminius* sacer Quæsitor *Mediolani* jussus à *Garexio* tradidit *Borromæo*. Tantam *Federici* curam interpellavit *Clementis Octavi* Pontificis Maximi funus: itaque ad comitia profectus creandi Summi Pontificis causa, *Romæ* paulo opinione omnium longius substitit. Nam *Leo Undecimus* (hunc Pontificem illa comitia renuntiaverant) cum vix summum totius Ecclesiæ honorem inivisset, rursus ad interregnum continuatis prope funeribus res *Romana* rediit; eoque sublato Pontificatum

Gaspar Alverus p. 2. libri, qui inscribitur *Roma in ogni stato*.

*Anno* 1604. 8. Id. Septembr.

Ex literis ad Card. Fed. scriptis, & ex Tab. Bibl. depromptis.

Ex literis Bartholom. Georgii quarto Idus Novemb.

*Anno* 1605. 4. Non. Martias.

tum Maximum obtinuit *Paulus* V. maximo *Ambrosianæ Bibliothecæ* bono, atque compendio. Reditum in patriam est, nihiloque segnius res curata. *Augustæ Taurinorum Joannes Franciscus Rantius* consilium *Federici* indicaverat *Allobrogum* Duci: cujus ut adhuc animo *Caroli Borromæi*

Ex literis, quas scripsit Vercellis 7. Idus Jan.

9 sanctimonia obversabatur, ita in Cardinalem *Caroli* patruelem studia sua omnia facile conferebat. Commendavit magnificentissimis verbis illius propositum: mandatumque, ut *Federico* aliquot antiquæ epigraphæ mitterentur. Ex eadem urbe Metamorphoses Ovidianæ vetustissimis exscriptæ notis, aliique codices magni nominis, & sumptus *Mediolanum* transmissi. Eodem tempore *Justus Lipsius*, scriptor eruditissimus Bibliothecæ erigendæ consilium probavit: eamque structuram majori emolumento futuram dixit, *quam insanas domos, & fastigiata Pario silice palatia.* Comparandi autem libros curam gnavi homines in se receperant, ad quos literas dederat Cardinalis, nimirum *Bartholomæus Georgius Mantuæ*, *Jacobus Barotius Venetiis*, de quibus antea scripsimus. Et quidem à *Barotio* acceperat Cardinalis lemmata orationum Divi *Joannis Chrysostomi*, quæ antiquissimis voluminibus continebantur; ex quo itidem *Barotio* intellexerat libros græce scriptos *Byzantio* delatos *Venetias* fuisse, sumptuosos nimium, ideoque chariores Cardinali, cujus magnificentiam sumptus magnitudo vehementius incitaret. *Regio Lepidi Camillus Bosius* tertio Cal. sextiles exemplaria permulta deferenda *Borromæo* curavit. Erant vero autographa *Caroli Sigonii* scriptoris clarissimi, archetypum *Annibalis Cari*, quo Italica lingua rhetoricas *Aristotelis* institutiones donaverat: ad hæc latini commentarii in *Porphyrium* membrana descripti. Duo pariter hoc tempore Episcopi *Ambrosianæ Bibliothecæ* commodis serviebant: *Marcus Cornelius Patavinorum* Præsul de quærendis Hebræorum libris erat maxime solicitus: *Raphael Zacynthi*, & *Cephaleniæ* Episcopus per epistolam se curaturum promiserat, ut libri omnes exquirerentur, quot quot insulæ illæ servarent: donoque dederat codicem *Federico*, in quo græcis literis exaratæ fuerant orationes *Leonis* Imperatoris nondum typis

Ex literis 3. Idus Febr. quæ servantur in Tablino Biblio.

Constantinopoli.

Reggio.

Ex literis 14. Cal. Octobr. Zante, e Cephalonia. Ex literis 3. Cal. Sextiles.

10 vulgatæ. Hæc exterorum hominum munificentia: par civium. Cœnobitæ *Cistercienses* ærarium sanctius Bibliothecæ iis opibus auxere, quales ne Vaticanis quidem scriniis continentur. Cum enim librum philyra contextum tot urbis casibus eripuisset fortuna, ac veluti *Cumanæ* vatis codices in *Ambrosiano* Cœnobio condidisset, *Monachi* tradidere *Borromæo*, majori nescias munificentiæ, an muneris pretio. Utrumque profecto magnum, nam abhinc annos mille & trecentos exaratus codex antiquitatem Judaicam à *Flavio Josepho* traditam latino sermone narrat; descripsit autem singula in cortice *Ruffinus Aquilejensis*, Divi *Hieronymi* æqualis. Literæ eminent adhuc toto opere, nec alicubi blattam senserunt; quod autem maxime mirere, magnificentissima *Mediolanensium* Bibliotheca unicum librum suis in forulis servat. Porro illud autographum delatum ad *Insubres* fuisse ab *Attila*, postquam evertit *Aquilejam*, conjicit *Puricellus*; neque eam conjecturam futilem arbitramur; nitet liber argenteis umbilicis, ac præfert titulum tantæ munificentiæ testem. Eadem apparandæ Bibliothecæ cura, procedentibus annis, sequuta est *Federicum*: nec Principem cogitatio ejusmodi dimisit, nisi cum rebus humanis est exemptus; his vero studiis ferebatur Cardinalis etiam ad extremas superi maris oras. *Corcyræ* totius officinas diligenter interrogavit *Vincentius* Archiepiscopus (quamquam & alio loco conquisitio

A *Corcyrea* fastis *Ambrosianis* addet plurimum) sed temporum magis, quam pelagi tempestatibus plura volumina perierant. Acturum se tamen per literas idem Antistes memorabat cum cœnobitis *Epiri*: ut, cum ibi primum desæviisset pestis, libri compararentur: seque eandem operam in insula *Zacynthi* adhibuisse, sed ne libellum quidem expiscatum. Apud *Corcyreos* cum spes omnis decollasset, affulsit alibi. *Bubiemi Joannes Stephanus Ferrerius Vercellarum* Episcopus, quem à Germanica legatione Pontifex Maximus revocabat in *Italiam*, antequam iter ingrederetur, obtulerat

Gesnerus in Biblioth. univers. pag. 587. Corfu. Ex ipsius literis 13. Cal. Feb. Albania. Zante.

11 Pragæ.

B ultro suam operam Cardinali, librosque se omnes, quos vellet, delaturum spoponderat. Ipsi etiam cucullatæ familiæ homines Franciscani, qui *Genuæ* morabantur, licet rerum omnium egentissimi, has opes librorum prodigebant: & *Bobiense* Cœnobium Benedictini Ordinis librorum spem fecerat, quos deinde munifice oblatos accepimus. Adeo nemo se in officiorum certamine vinci patitur, si paulo humanior sit. In hunc fere modum sensim supellex libraria ditescebat, auctarium nobilius paulo post acceptura. Ingenti enim incremento rebus auctis, decus aliud desiderari videbatur, & ornamentum ad tuendas potius literas, quam hæc præsidia literarum. Hactenus

Ex literis decimo nono Cal. Septemb.

Ex literis P. Elisei Bergomatis 15. Cal. Sept. & 5. Cal. Febr. Ex literis 13. Cal. Febr.

Anno 1607.

C multos esse intellexerat conditor *Borromæus*, qui thecas libris refercirent, nullos (nisi Deus præsenti ope respiceret musas) fore, qui libros scriberent ad implendas thecas: hanc copiam variorum codicum etiam à privatis hominibus jactari, proponi pretio, & blattis interdum esse ludibrio, quibus cum infeliciter versentur: majus aliquid excogitandum, quod magnitudine sua omnes, minime vinceret *Federicum*: secum jam inde rationem inivisse quemadmodum debacchantem hæreticorum audaciam cohiberet: eadem homines literarum negligentes posse conciliari musis; tot

D malis præsentissimum fore amuletum, si virorum sapientem cœtus cogeret: fieri utique bono publico, cum ingenuis artibus mystæ excoluntur; scientiarum autem disciplinis excultos *Bibliothecæ Ambrosianæ* emancipandos, ubi nec scribentium, nec scribendi exempla desiderentur: Seminariensem sobolem in hanc spem adolescere posse. Huc igitur animum, & vota convertit *Borromæus*, & Collegium Ambrosianum instituit; hoc enim nomine cœtum maluit insignire. Placuerat quidem scholæ appellatio; sed ea vulgaris, & gregaria videbatur, a priscis nimirum Philosophis usurpata: tum vero puerilibus ludis cognominem esse noverat, eamque olere Grammaticos,

12 Collegii Ambrosiani institutionem laudat Joannes Stephanus Menochius Jesuita Centuria 8. historiarum cap. 12. & centur. 5. cap. 5.

E & Orbilii virgas. Nec specie ipsa venerandi nominis improbaverat titulum Academiæ: sed nondum hæc appellatio æquabat gravitatem cœtus, sive ascribendos homines, sive ipsius conditoris famam spectares. Collegii nomine hunc conventum sapientum virorum nuncupavit recentiori appellatione, quali duo jam nobilia juris, & medicæ artis consultorum Collegia urbis nomen latius ad exteros propagarent. Cæterum cum Fidei Catholicæ defensio ageretur totius Ecclesiæ commodo, evocavit ex *Mediolanensi Clericorum* Seminario florentissimum quemque, quem adoptaret Collegio,

F nostrates tamen, aut certe provinciæ, agrive *Mediolanensis* accolas, quo *Insubrum* dignitati studerent impensius. Seminarium frequentissimam veluti sacræ juventutis coloniam deduxerat D. *Carolus* initi Pontificatus auspicio; immo ne multitudini adolescentum deesset, quos Ecclesia ad templorum præfecturas, & sacerdotia expectaret, tria in urbe condidit, unum alendis adolescentibus ingenio promptis, duo aliquanto grandiori ætate hominibus ad veteris *Canonicæ* ædes, & ad

Ex Joanne Petro Giussano cap. 5. lib. 2. in vita D. Caroli.

*Fulconis* delubrum; reliqua vero erudiendæ juventutis domicilia in Diœcesi collocavit. Quod tamen in Orientali urbis regione condidit, id veluti *metrocomia* est, & caput rerum. Ibi adolescentes politioribus literis formantur primo, tum ad Philosophantium gymnasia dimissi iis facultatibus immorantur, postremam operam Theologiæ impendunt. Præclarum opus, cum Ecclesiæ *Me-*
13 *diolanensis* compendio, quæ ex hac sparta viros pietate, & literis nobiles sibi hactenus pergit oppignerare, tum immani substructionis mole. Hanc excitavit *Carolus*, fastigium imposuit *Federicus*: eam utrique *Borromæo* debet posteritas. Moles ipsa columnata, quadrata specie, multiplici porticu, qualem Solis Regiam columnis sublimibus altam somniavit Poeta; eæ teretes, & continuo marmore, fornicatas porticus fulciunt, disceptantium adolescentum sonore jugi repercussas, & vocales. Conclavia ingentia; horum quidem alia somnus, & epulæ, alia Pietas, & Musæ sibi vendicarunt. Sedes *Joanni Baptistæ* sacra est: manet adhuc vetus nomen Divi præsidis, licet sint æquata solo antiqua *Humiliatorum* ibi incolentium tecta. Seminarienses autem Musæ uberrimos proventus attulere Bibliothecæ huic; a *Federico* adolescentes octo (quamquam *Rivola* novem delectos fuisse tradat, quem numerum certe non explet, nisi etiam *Olgiatum* jam natu magno, & hujusce familiæ patrem annumeret) ex universo grege juvenum secreti Ambrosiano Collegio sunt adscripti, *Antonius Salmatius*, *Josephus Ripamontius*, *Antonius Gigæus*, *Franciscus Bernardinus Ferrarius*, *Benedictus Sociacus*, *Franciscus Collius*, *Antonius Rusca*, *Josephus* Vicecomes; agminis ductor *Antonius Olgiatus*, quem cæteri humaniorum literarum præcepta tradentem audiverant: ii vero omnes Seminariensis medulla. Jam studiorum carceribus egressi metam attigerant: erantque ad ea munia obeunda idonei, queis à conditore destinabantur. In hoc delectu *Ripamontius* nonnullos memorat fuisse vocatos ad Ambrosianum laborem, quos adhuc facultas oratoria umbraticis exercitationibus ad dicendum excoleret. Si vera narrat, Doctorum aliqui aspersi tantum majoribus disciplinis in hunc cœtum sunt cooptati (res mi-
14 minus digna Collegio); licet enim *trienni* studio viam facilem invenerat Cardinalis, Philosophiæ, & Theologiæ addiscendæ, neutiquam tamen hæc assequi ob angustias temporis integrum erat. Nam Collegio addicti statim ea tractaverunt, quæ scribenda proposuerat Cardinalis: tum duo tantum anni post hunc delectum abierunt, cum extructa moles Bibliothecæ civibus patuit. Ut autem omnia caderent auspicatò, cum prius ad aram fecisset Cardinalis, septimo Idus Septembres coactam hactenus vim librorum ex Pontificali Palatio ad Sepulchri domicilium deferri jussit; nam juxta illas ædes excitabatur Bibliotheca. [a] Acta in tabulas releta sunt, ut munificentiam Principis posteritati narrarent. Ædium Sepulchri author fuit Divus *Carolus*, cum dirutis veteribus in illa tecta induxisset [b] Oblatos Sancti *Ambrosii* (is cœtus est mystarum ultro se *Mediolanensis* Ecclesiæ commodis temporibusque offerentium): [c] templum vero *Benedictus Rozo* condidit, dicavitque Divinæ Trinitati; refecit autem post expeditionem, & victoriam *Hierosolymitanam* anno ab orbe terrarum servato centesimo supra millesimum *Benedictus* alter *Rozo* ad sepulchri *Dominici* speciem, quæ obversata fuerat oculis, cum *Hierosolymis* moraretur. Templum lustravit *Anselmus* IV. Archiepiscopus, dedicavitque. In vetustioribus libris Ambrosianæ *Liturgiæ* solennem legimus fuisse diem dedicationis istius, eique sacras Idus Quintiles, quibus, jussu *Anselmi*, Cardinales Ecclesiæ

Lib. 3. cap. 27.

Hos laudat Borserius in supplemento Nobilit. Mediol. cap. 9.

Decadis 5. lib. 3. cap. 4. Verius Rivola in vita Fed. lib. 3. cap. 27.

Hanc Bibliothecam laudat Sociacus lib. 6. epigr.

[a] Ex tab. Cæsaris Pezzani.

[b] De Oblatorum institutione præter Scriptores Mediol. vide Henric. à Pflau. in Mercurio Italico, & Aubertum Miræum in libro, cui titulus *de Congregationibus Clericorum &c.* Jacobum Mercantium in virga Aaronis.

[c] Tristanus Chalcus lib. 6. Donatus Bossius in Chron. ad annum 1096.

A *Mediolanensis* (hac enim appellatione Templi majoris *Canonicos* honestatos quondam fuisse in omnibus fastis, tabulisque legimus) ad fanum Sepulchri supplicatum ibant: eaque dies celebris erat nundinis. Hic olim rem sacram, & psalmodiam octo *Monachi* peragere, & quatuor *Canonici* (cujusmodi cultu insignis est etiam in præsens Basilica Ambrosiana); verum jamdiu *Monachi* exulant: 15
*Canonicorum* superest nomen, & census tantum: templum autem religiosissime tuentur Oblati. Ad hæc me deflexisse non piget, tum quia frequens redibit Sepulchri mentio deinceps, tum quia Oblatorum sodalitati etiam nos dedimus nomen. His
B omnibus, quæ excelsa, & alta moliebatur, parem animum cum afferret Cardinalis, placebat, exteri, barbarique sermonis multiplex scientia: eaque videbatur nascenti Collegio cum primis decora, tanti autem momenti rem pessimo publico negligi dolebat, & neminem invidere feris humanas voces, græcasque ipsas dicendæ salutis formulas, magistra fame, conantibus. Stimulabant præterea animum exempla Principum extruentium gymnasia ad linguarum notitiam. Et quidem induxerat antea in Seminarienses scholas græci sermonis facultatem: sed pauci græce, nemo ha-
C ctenus hebraice loqui. Ejus sermonis elementa tradidit *Dominicus Hierosolymitanus* accersitus *Mantua*; aulicus olim Imperatoris *Turcarum*, & *Persarum* Regis, postea vero execratus gentis dogmata ad Christianos transiit, seque ad obsequium Ducis *Mantuæ* contulit. Noverat hominem optime *Federicus*, ætate senem, infœcundi conjugii virum, literis addictum, qui confirmandæ Catholicæ Fidei causa lucubrationes aliquot contra Hebræos apparasset. Plurium etiam nationum sermones apprime callere ferebatur, *Ægyptium* nimirum, & *Chaldæum*, *Maurorum*, & *Arabum*, *Græcanicum* insuper, & *Hebraicum*. Ea propter
D vocaverat huc hominem, illiusque opera usus, qua ad sermonis hebræi disciplinam, qua ad peregrinationem *Salmatii*. Ignotæ tamen erant nostratibus linguæ populorum, qui orientem Solem spectant, ineratque cupiditas *Borromæo* etiam hæc studia fovendi. Probabat maxime *Persici*, *Arabis*, 16
*Armeni*, & *Abyssini* sermonis scientiam, meditatus, quemadmodum damnatam illam terrarum partem, & caligantem in Sole excitaret ad Fidei Christianæ lumina; quod se assecuturum sperabat, si *cathechismus* Persici sermonis emanaret, isque apud gentem illam vulgaretur. Igitur con-
E quisiti ad hanc disciplinam præceptores, qui Collegium, totamque hanc familiam musarum peregrinis sermonibus formarent, & loqui docerent. Qui Persicæ linguæ elementa traderet, venit ad nos *Persa* quidam nomine *Abdala*: sed è *Perside* natales tantum voluptates regionis deduxerat. Virgunculæ amores magisterii curam excusserant primum, deinde mentiri subobscura verba inanis soni, comminisci denique sermonem à Persica lingua prorsus abhorrentem. Alia ratione, sed pari eventu, Arabici sermonis præceptor spem nostram elusit. Homini nomen *Simoni*; is se à Monte *Libano* profectum memorabat, & Arabicæ lin-
F guæ consultissimum; narrabat fortasse vera: difficilis tamen moribus uterat, & agrestis: ad hæc ira præcipiti, & patriæ suæ desiderio incensus, deseruit nostra signa, pauloque post in meritoria taberna fato sublatus. Fraudatum ita sua spe Cardinalem ipsa prope desperatio solata est, namque cum immineret in adventum peregrinorum hominum ab oriente Sole ad nos commeantium, sive illos lucri cupiditas, sive fuga, & odium regionis dimitteret in has terras, obtulit sese fortuna melior. Ab his quidem erronibus posse impetrari sermonis illius disciplinam speraverat, cum huma-

Joannes Petrus Puricellus in Ambrosf. Basil. monum. n. 234. 287.

Georgius Merula lib. 3. Chron. Med. & alii Scriptores rei patriæ. Franciscus Castellus in quodlibetis. Villa in libro, cui titulus *le sette Chiese*, & supra memorati Scriptores.

Ex literis Barthol. Georgii Nonis, & 5. Id. Decembris anno 1605.

maniter invitarentur ad hæc otia literarum, atque fuga, vel peregrinatione squalentes pretio alliceret, moraretur que mercede. Aliquando nostros in sinus sponte convolare fortunam animadverterat, adesse invocatam: vocatam vero longius avertere sese, atque alio pennis sublimem ferri. Hæc *Ripamontius* tradit, & *Franciscus Rivola*, qui tandem, divina veluti virgula, *Mi-*

Lib. 3. in Vita Card. Fed. Borr. cap. 10. & Rivola in ejusdem Vita lib. 3. c. 29.

17 *chaelem Maronitam* ad nos delatum affirmat. Utriusque sententiam infirmant aperte literæ *Antonii Longi* Jesuitæ, quo cum egerat *Borromæus*, ut alumnum aliquem Collegii *Maronitarum*, cui præerat, ad *Insubres* mitteret; ejusque deinde auspicio venit *Michael*, quem se nobis ostendisse veluti Deum ex machina *Ripamontius*, & *Rivola* asserebant. Ingentem quidem expectationem sui concitaverat *Michael*, nec fefellit; ita enim scripserat Rector Collegii *Longus*, bonis avibus solum vertere *Maronitam*, voluntati Cardinalis, & votis obsequuturum egregie: emendaturum certe ea, quæ *Simon* peccasset, licet præterita nulla ratione corrigi posse videantur. Commendatitiis præterea epistolis Cardinalis *Joannis Baptistæ Deti* cum *Borromæo* conciliaretur, huc se contulit ad insigne magisterium. Persici quidem sermonis, *Arabici* quoque, & *Syriaci* scientissimus erat, & dignus omnino auditoribus tantis, qui tradebantur. Immo anno superiore scripserat ad Cardinalem idem *Longus*, atque in Collegio Maronitarum mystam ali memoraverat peritum *Syrorum* linguæ, ætate & moribus gravem, expertam plures annos ipsius indolem, atque scientiam, cum eadem lingua rudes imbueret: indicioque spectatæ virtutis esse populare studium omnium *Cypriorum*, quorum suffragiis, ubi *Roma* discesisset, ad patriæ urbis Pontificatum vocaretur: ea propter longius fuisse *Cypriæ* Ecclesiæ interregnum, cum nemo alius summo honori idoneus haberetur: eam tamen alumni esse modestiam, ut de infula nihil cogitans, tamdiu se *Romæ* moraturum affirmaret, quandiu *Federicus* obsequii vadimonio non exsolveret. Tanti videlicet erat etiam apud homines peregrinos Cardinali *Borromæo* obtemperare. Ad

3. Cal. Majas anno 1609.

Ex literis ejusdem P. Longi undec. Cal. Apr. 1609.

2. Cal. Apr. 1609.

1608. Pridie Id. Januar.

18 tradenda *Armeni* sermonis præcepta, pellexit *Franciscus Rivola* exterum hominem *Bartholomæum Abbagarum*; vertit primum varias in partes fortasse reluctantem, tum vero expugnavit illius propositum, atque *Venetiis* secum abduxit. Natus apud *Armenos* homo in aula *Romani* Pontificis sermonem patrium interpretabatur ejusmodi linguæ rudibus; relicta Urbe, *Venetiis* familiaritatem inivit cum *Rivola*, quem deinde cum trimestri labore *Armenum* sermonem docuisset, redeuntem in patriam est sequutus. Hospitio exceptum à *Rivola Abbagarum* large aluit sex menses Cardinalis, sacro munere, & pecunia donavit discedentem, ne locatam erudiendis *Insubribus* operam odisset. Valuit certe largitatis *Borromææ* memoria apud hominem; nam Cœnobitam *Armenum Paulum Copum* in eadem studia induxit, pari exitu doctrinæ. Alia præsidia linguarum molitus est Cardinalis, sed irrito conatu; adolescentes enim appellebant animos etiam ad *Abyssinæ* linguæ studia, sed docentium vitio nihil profectum videbant. Præter hanc peregrini sermonis curam eo intendit animum *Borromæus*, ut frequentia exercitationum subigeret Collegarum ingenia, ita amoveri, abstergique posse rubiginem mentium ratus, si nunquam pateretur elanguescere impetum ingeniorum, & certamine laudis scriptionisque excitaret quotidie ad famam, & æmulationem eruditionis. Edixit igitur, ut in ædibus Sepulchri hæc studia recitandi aggrederentur, interea dum Bibliothecæ moles jactis fundamentis erigebatur, atque peregrinus quisque arbiter interesse exerci-

A tationibus literarum posset. Conveniebat etiam ipse Cardinalis, audiebatque, volenti animo, suorum lucubrationes, sive quis Theologicos nexus, & recondita scientiarum explicaret, sive literis suavioribus musarum charites, & mella depromeret. Hæc veluti facies, & apparatus rerum erat, conditisque legibus manserunt post. Re- 19
citabantur autem de scripto lucubrationes, typis postmodum committendæ: nec quisquam intra unius horæ angustias cogebatur, quemadmodum postea jussit Cardinalis ad molestiam longioris moræ avertendam. Præterea amplificandæ

In clepsydram Coll. Amb. lusit Sociaeus lib. 2. epigr.

B Bibliothecæ librorumque cura tenebat adhuc *Federicum*, siquidem in tanta codicum copia inopem reputabat hanc molem, & inanem. Officinæ urbis omnes, & tabernæ librariæ accolarum viduatæ prope libris commigraverant in hanc literarum coloniam: sed quia moles ipsa per se immanis, & par magnitudini Cardinalis sensim ad fastigium surgebat, desiderabatur profecto librorum copia digna olim vel Græca Bibliotheca *Pisistrati*, vel *Romana Cæsaris Augusti*. Itaque erant querendæ opes librariæ etiam apud gentes longo regionum intervallo disjunctas; quamobrem amicæ depopulationes factæ sunt apud

C exteros, direptæque non modo apothecæ, sed privatæ ædes, maximoque etiam pretio convectæ undique literatorum hominum exuviæ in patriam. Hinc scilicet magnitudinem *Ambrosianæ* molis licet conjicere, si *Europam* libris prope omnibus viduatam cogitemus unius Bibliothecæ causa. Peregrinationem vero totam, immo ipsam conquisitionem librorum profuso sumptu adornatam, instructamque, nisi etiam exteri prædicarent, videremur fortasse aliquibus, iniqua ratione,

Philippus Wannemacherus Belga, Salvator Vitalis Sardus.

D æstimantibus *Federici* largitatem & animum emere mendacio fidem. Nos certe minora putaremus, nisi essent omnibus miraculo, neque tanto Principi adscribenda, nisi opinionem vincerent singulorum. Summis viris *Borromæus* hanc provinciam commisit conquirendi libros apud exteras nationes: eademque opera mandatum, ut inirent cum literatis hominibus amicitiam, mutuis postmodum epistolarum, & scriptionum officiis colendam. Quæ res prospere cecidit Collegio, mirumque in 20
modum coiverunt cum nostratibus animi peregrinorum, felicium instar arborum, quæ alienos surculos facile in communionem fœtus admittunt. Atque ut ordine res tota procedat, nec temporibus dissideat, quibus peregrinatum ivere, *Ripamontii* & *Opicelli* narrationem non fatis probamus; pri-

E mus enim discessit ad expeditionem suam *Olgiatus*, post *Olgiatum Salmatius*: postremus abiit *Gratius*, *Ferrarius* autem, qui *Hispanias* peragravit, aliquo post intervallo suam peregrinationem suscepit; siquidem anno undecimo in *Hispaniam* perrexit, quemadmodum ex literis ejus didicimus, atque ab eodem nos accurate hæc omnia sumus percunctati. Natus fuerat *Lucani Antonius Olgiatus* (frequens id Oppidum est inter *Larium* lacum, & *Verbanum* à lacunæ vicinia nominatum ante, quam ex summo montium vertice, penitisque terræ visceribus erumpentes aquæ per con-

Ex literis peregrinantium, immo ex ipso Rivola Gratium peregrinatum fuisse anno 8. hujus seculi conjicimus lib. 3. cap. 29.

Lugano. Lago di Como. Lago Maggiore.

F valles illas, & vada stagnarent) qui cum se puerum Seminariensibus disciplinis *Mediolani* tradidisset, musas sibi adjunxit, magnique postmodum nominis auditores in Seminario eodem ad illarum adyta deduxit, tribus pene lustris, ærumnabili labore, consumptis. Vix inierat Pontificatum *Borromæus*, cum intentum huic operi *Olgiatum* amavit maxime, semperque postea in oculis tulit: eximiaque virtute, ac doctrina spectatum hominem in Collegium *Ambrosianum* induxit, ac Bibliothecæ præposuit. Ad *Germanicam* igitur expeditionem, *Belgicam*, & *Gallicam* ire *Olgiatum*

Bonaventura Castillionæus de Gallorum Insubrum antiquis sedibus.

Joannes Petrus Puricellus in Monum. Ambr. Bas. n. 297. pag. 504. & seq.

 jubet,

jubet, probe quidem in primis munitum ære, tum literis ad proceres viros scriptis, ut exterorum animos sibi facilius pararet. Hæc autem peregrinatio *Olgiatum* ante alios poscebat, tum quia non ita pridem operæ pretium fecerat in emenda Bibliotheca *Francisci Cæsarini*, comparandisque libris *Cæsaris Rovidii*, *Rasarii*, *Ferrarii*, *Merulæ*, *Pinelli*, & *Sophiani*, tum quia facilitate morum plura à peregrinis nationibus eblandiri, & assuetus *Helvetiis*, quibus paret *Lucanum*, sine negotio sibi *Germanorum* animos demereri poterat. Accessit comes itineris *Petrus Martyr Locarnus* non ignarus viarum, ac rei librariæ, cujus opulentam officinam habebat *Mediolani*: quem postea, cum ad urbem revenisset, *Federicus* aureo torque donavit. Egressus è *Venetorum* finibus *Olgiatus*, ad ipsum veluti vestibulum totius *Germaniæ* pervenit *Tridentum*. Ab urbe *Tridentina* migravit *Oenipontem*, iisque in sedibus quidquid æra *Sosiis* merere poterat, comparatum est ab *Olgiato* in *Mediolanensem* Bibliothecam. Vadit inde ad *Vindelicos*, ac principem urbem *Augustam*; frequentissima ea est civibus, & mercatoribus, qui ex *Noricis*, atque affinibus provinciis illuc confluunt. Huc fama urbis invitavit *Olgiatum*: vir literatissimus coluit *Marcus Velserus* alter ex Duumviris. Junxerant quidem jam dudum amicitiam *Velserus*, & *Olgiatus* missitatis invicem literis: sed nondum dederat copiam fortuna fandi coram, ac mutuo aspectu amicorum vultus commiserat. Eminuit lætitia utriusque oculis primum: tum erectis in admirationem, ac reverentiam animis ventum est ad officia humanitatis, & observantiæ. Gravissimis erat moribus *Velserus*, ingenio spectabilis, tanta literarum fama apud exteros, ut ab iis etiam sibi laudem quæsierit; consilii autem experientia præfectus fuerat *Augustæ* ea lege, ut vivo nunquam abrogaretur imperium. Et quidem nos, cum pictam tabulam, quæ expressam ipsius imaginem refert, in *Ambrosiano* Musæo spectamus, gravitatem eam ex oculis conjicimus, & ex oris ipsius majestate vim literaturæ, ac consilii in administranda *Vindelicorum* provincia deprehendimus. Conceperat igitur

22 de *Velsero* spem optimam *Olgiatus*, qua conjunctione literarum & animorum, qua dominatu, & imperio, cum suo arbitratu regere rem cunctam posset. Jam vero assectari etiam per urbem *Antonium* suum *Velserus*, humaniter habere domi, ostendere principibus viris; quæ omnia tum *Olgiatum* multorum amicitiis consociavit, tum apud bibliopolas commendavit, ut offerre infimi subsellii codices minime auderent, sed intima officinarum scrutarentur, nobiliora quæque proponendo emptori.. Interea appetebant *Francofurti* nundinæ, ad quas eunt non modo frequentes accolæ, sed remotarum gentium mercatores propter emporii celebritatem. Plus vice simplici quotannis mercatus indicitur; cum autem variarum nationum mercatores eo tempore conveniant, emptori prostat quidquid pretiosi usquam est aut in *Belgio*, aut in *Galliis*, vel apud *Germanos*, divisamque toto terrarum orbe *Britanniam*. Huc profectus *Olgiatus* plurimos, meliorisque notæ codices retulit; à *Francofurto* concessit *Lovanium* Brabanticarum rerum dominam urbem, & Academia totius *Belgii* maxima insignem: inde *Bruxellas* adiit; sane ex utraque urbe corrogatum quidquid in officinis servaret *Brabantia*, nisi quod *Antverpienses* apothecæ adhuc erant consulendæ. Mercibus, & libris opulenta urbs *Antverpia Olgiatum* ad invidiam usque ditavit. Comitas, & eruditio *Andreæ Schotti* Jesuitæ (non autem *Jacobi*, quo nomine abutitur *Ripamontius*) plurimum conduxit homini; nam cum morum similitudo, & li-

[Left margin notes: Ex actis Bibl. in tabulario. 21 — Vide nuncupat. literas ad secundam partem Azorii, quæ edita est Mediolanensibus typis. — Trento. — Inspruch. — Augspurgh. — Baronius tomo 2. annalium ad annum Christi 303. pag. 731. & Hieronymus Ghilinus in theatro virorum Illustrium. — Francfort. — Fiandra. — Lovagna. — Brufelles. — Anversa. — Lib. 3. in vita Fed. Card. Borr. cap. 16.]

A terarum conjunctio amicitiam conjugare soleat, *Schottus* operam suam omnem *Olgiato* viro eruditissimo impendit. Cujus quidem literatissimi viri familiaritatem Cardinalis *Federicus* perpetuis benevolentiæ tesseris copulatam, firmatamque voluit, nec nisi dira necessitas fregit, amicosque dissociavit. Juvat vero hic laudare posteris hominis doctissimi modestiam; ea enim fuit æquanimitate, 23 ac tantum *Schottus* Ambrosiano Collegio detulit: ut, cum *Cyrilli* orationes, quas latine fuerat interpretatus, pene subjecisset prælo, plumbeis formis subduxerit; deferens hunc honorem *Salmatio*, quem esse addictum ejusdem scriptoris interpretationi per literas narraverat *Borromæus*; quod

B indicare itidem æquum fuit in vestibulo operis, fragmentum autographi ipsius fideliter proponendo. Immo eidem *Salmatio* nuncupavit deinde carmina, aliasque lucubrationes, quas libera oratione Divus *Ennodius Ticinensium* Præsul conscripserat (nam falso *Cyrillum* inscriptum fuisse affirmant *Ripamontius*, & *Opicellus*): nec ea laude contentus *Schottus*, quam *Federico* Bibliothecæ authori tribuit, *Olgiatum* præterea suum, *Ripamontium*, *Ferrarium*, & *Sociacum* eisdem nuncupatoriis literis commendat; tanta fuit existimatio eruditissimi scriptoris de Collegio: eamque jure indicavit

C *Olgiatus* Cardinali, ne studia viri amicissimi ignoraret. Jam *Gallia* expectabat *Olgiatum*, ad quam longo itinere pervenit. Tres modo urbes in ea provincia ad librorum conquisitionem exploratas fuisse reperimus; incertum: an ut alias pari magnitudine nobiles, sed hæreticorum tabe noxias, prohibente *Federico*, vitaret: an *Galliarum* lumina adiisse satis videretur. *Lutetia* venientem ex *Belgio* accepit; læta urbis facies, & pulchra: *Geryonem* totius *Galliæ* recte appellaveris, ita tribus quasi corporibus, partibusque dirempta in unum coit. Urbem interfecat *Sequana* patiens navium, mediamque veluti insulam circumfluit, insanæ

D substructionis tecta, ac templa ferentem. Insula utrinque pontibus urbi conjungitur: discriminat tamen suo intervallo Academiam totam à frequentia Oppidi: & lymphæ vectigales placido alveo regias ædes venerantur. Hic vero copia mercium, & gymnasii fama Bibliothecæ fuit emolumento. 24 Complures codices inventi; juverunt autem laborem *Olgiati* homines doctissimi, *Joannes Baptista Faber*, quem puer Rex ipse *Gallorum* audiverat, *Carolus Labbæus* studiis hisce mirifice postea delectatus, misso insuper libro ad incrementum Bibliothecæ, cui titulum prætulerat, *observationes, & emendationes in Synopsin Ba-*

E *silicon*, & *Fronto Ducæus* è Sodalitate Jesu, græci, latinique sermonis consultissimus, quem meritis in cælum laudibus extulit Cardinalis *Baronius*: isque *Ducæus* amice conjuraverat cum *Federico Borromæo*, ut *Isaacum Casaubonum* à Catholicæ Fidei desertoribus abduceret, quod significavit Cardinali per literas *Marcus Velserus* salutem ante *Federico* dicens verbis *Gretseri*, & *Raderi* virorum doctrina nobilium ex eadem Societate: tum à *Ducæo* memorans deductum fuisse *Casaubonum* ad Maximi Pontificis Legatum, & Cardinalem *Jacobum Peronium*, nodos omnes explicitos

F homini, expeditumque vanis ambagibus, nondum tamen illius pertinaciam expugnari potuisse ancipiti consilio fluctuantem. Habuit etiam perhumaniter *Olgiatum Jacobus Augustus Thuanus* magistratu ipso, quem gerebat; & literis inclytus: doluitque homini (quemadmodum *Federico* indicavit) quod paucas tantum horas colloqui cum *Olgiato* licuisset, tum discessu inopinato hospitis, tum quia negotiorum magnitudo congressus dulcissimi jucunditatem lævo tempore interpellasset. Cum *Parisiis* plurimos codices coëmisset *Olgiatus*,

[Right margin notes: Hujus rei meminit scripto: ad Glaphyra S. Cyrilli in nuncupatoriis literis ad Car. Gasp. Borgia Velasco. — Alegambe in Biblioth. Scriptorum Societatis Jesu. — Lib. 3. in vita Fed. Card. Borr. cap. 16. & Opicellus lib. 2. Monum. — Literis 14. Cal. Septemb. 1610. & 8. Cal. Decembres. — Parigi. — Sainna. — 4. Cal. Quintil. — Vol 9. ad annum Christi 736. Gregorii 2. Papæ 13. Leonis Isaurici Imper. Undecimo: Ducæum laudat Philippus Alegambe in Bibl. Scriptorum Jesu. — Pridie Cal. Novembres anni sequentis. Alegambe in Biblioth. Societ. Jesu. — Literis pridie Nonas Januar. anni 1608.]

Lione.

*tus*, *Lugdunum* conceſſit urbem mercatorum multitudine celebrem, nec gemino tantum flumine

Senna, e Rosne.

*Arari*, & *Rhodano* opportunam, verum etiam ſitu, quod eam in media *Europa* poſitam eſſe plerique

Literis 12. Cal. Sextiles.

ſcriptores autument. Sui itineris rationem, & emolumenta hic expoſuit *Olgiatus* Antiſtiti *Borromæo*, do-

25 cens cogitare ſe *Avenionem*, arcas decem *Lugduni* re-

Avignone.

fertas libris: his in auctarium commodæ conquiſitionis accedere duodecim alias, quas *Lutetiæ* codicibus impleverit, complures itidem à ſe tranſmiſſas *Inſubribus Auguſta Vindelicorum* uſque, *Francofurto*, & *Antverpia*: vereri tamen, ne cæleſtes aquæ per eos dies crebræ membranis offecerint. Ex *Lugdunenſi* conquiſitione profectus eſt *Avenionem*: inde in *Italiam* reverſus *Taurini* ſubſtitit: tandem *Mediolano* ſuccedens obvios habuit Collegas omnes, qui excipientes reducem, honoris cauſa, aſſectati ſunt ad ædes *Federici* gaudentis maxime aſpectu *Antonii*, & fructu uberrimo expeditionis. Paucis poſt diebus miſſum fuiſſe *Olgiatum Vene-*

Iiſdem literis, & cap.

*tias* ad aliam conquiſitionem tradunt *Ripamontius*, & *Opicellus*; talia affirmantibus conſentire ne-

Quinto-Nonas Octobres anni 1609.

quaquam poſſumus: nam ex autographo literarum, quas *Olgiatus* miſit Cardinali, elapſis à *Germanica* peregrinatione duobus annis ad *Venetos* contendiſſe, librorum conquirendorum gratia, novimus. Nec dum ad nos rediverat ex Germanica, Gallicaque conquiſitione *Olgiatus*, cum *Antonius Salmatius* mittitur in *Græciam*, aditurus quoque

Conſtantinopole.

*Byzantium* turcicæ feritatis luſtrum, inde *Hieroſolymam*, tum ſuperſtitioſa divinitate inſanientem *Ægyptum*, & *Babylonem* varii quondam ſermonis parentem, ſicubi apud truculentos homines humanitatis inſtituendæ codices cædibus, direptionibuſque earum regionum ſuperſtites inveniret. Peregrinatio quidem omnium difficillima cenſebatur, non modo quia maria tentanda eſſent infeſta barbaris piraticam exercentibus, obnoxia tempeſtatibus, ſed etiam quia cum incolis agendum vel ipſa æquoris procella nocentioribus. Erat tamen *Salmatius* ejuſmodi indole, atque ingenio, ut cum barbaris agere perhumaniter poſſet: tum

26 vero inſtructus iis facultatibus, quæ feros homines negotiandi ſuavitate ad manſuetudinem perducunt. Porro ſermonis græci ſcientia facile *Pelaſgos* ſibi conciliaſſet, ceu ſub eodem cælo natus conveniret tribules ſuos, & conterraneos. Aſſumpſit in ſocietatem navigationis Rabinum *Dominicum Hieroſolymitanum* ad conquirenda Hebraicæ linguæ volumina, licet inauſpicato. Nonis ſex-

Ex literis Salmatii Cal. Octobris, & ex Opicello ... 2.

tilibus profecti ab urbe perrexere *Venetias* limen, & univerſi maris ſuperi firmamentum. Adverſa vis venti injecit moram *Salmatio*, & Rabino; ſe tamen ſoluturos quarto nonas Octobres nuntiaverant Cardinali, operamque ſuam omnem locaturos, ut ex *Corcyræ* inſula, ac regione tota, quæ

Corfù.

Orientem Solem excipit, opulentam prædam conveherent. Jam ante in illo tractu Orientis

Hierapietra.

*Alexander Turrianus* Antiſtes *Hierapytnæ* vim maximam librorum collegerat, eamque in *Romani* Pontificis Bibliotheca ad ædes Vaticanas collocaverat; cum tamen Ambroſianum hoc domicilium muſis excitari, & referciri voluminibus peregrina conquiſitione comparatis audivit, doluit

Ex literis ad Card. Fed. Borrom. 18. Janua.

vicem ſuam, quod occupare vota *Borromæi* minime potuiſſet, homo præſertim à *Mediolanenſibus* oriundus; adjecit rem tunc integram non fuiſſe: id unum, quod reliquum faciebat fortuna, ſe pro virili curaturum, ut apud Præſules, & Metropolitas Orientis alios codices quæreret, qui locupletarent novam hanc ſapientiæ officinam. Solverunt tandem *Hieroſolymitanus*, & *Salmatius*: verum nihilo mitius mare navigantes tulit; quippe devehebant aliò ſævientes ventorum afflatus, & undarum æſtus: quas eluctati aliquando navim

A

appulere ad *Corcyram* hortis *Alcinoi* quondam, & *Phæacum* mollitie luxuriantem, frugibus tamen adhuc, & ſoli ubertate felicem. Porro inſula Lunæ ſpeciem refert, cum nondum orbem implevit: nautis ſtationem ampliſſimam offert: oppida pleraque, nec prorſus obſcura: princeps inſulæ eſt 27

urbs *Corcyra*, quæ ſedem eam ſuo nomine inſignit. Hic ex animi ſententia cœpit fieri conqui-

Città di Corfù.

ſitio: ſive remota illa Adriaticæ ditionis ora pretium ignoraret facultatum græcarum, quæ exteteris venum irent: ſive æris pretio victa pecuniam (ut fit) præferret ſapientiæ. Erant etiam adjumento quærentibus Cœnobitæ, veluti internun-

B

tii (hos vulgo *Corcyrei* appellant *Calojeros*) qui commercio propinquarum regionum *Macedoniæ*, *Græciæ*, & *Epiri* comparabant merces ejuſmodi librarias, ſedulo renuntiantes ſingula *Salmatio*, præſentique argento græcanicæ doctrinæ codices undique redimebant. Huic negotiationi invidit fortuna, frequens malum bene cogitantibus; inconſtantia primum comitis, tum civiles *Turcarum* turbæ minimo minus ab inſtituto dimoverant *Salmatium*. Namque *Dominicus* ille alterum vix menſem moratus *Corcyræ* iraſci cœpit inſulæ, aſpirare ad *Inſubres*, quod exhauſtæ opibus cultoribuſque

C

regiones tradere plura volumina emptoribus non poſſent, nec ultra peregrinari ob tumultuationem barbarorum liceret. His patrocinabatur *Hieroſolymitanus* ſuæ inconſtantiæ apud *Salmatium*: cæterum homo cupidus rem magis domeſticam, quam librariam ſpectabat, conſtrictus uxore videlicet. Tradidit *Antonius* abeunti geminas fere arcas exaratis manu codicibus graves, ut deveherentur ad Cardinalem, cui etiam memorabat ſe à comite deſertum, & ultimum prope diſcrimen impendere,

Ex literis 4. Cal. Decembres.

ſi in *Cretam* placeret proficiſci; obſtare ſiquidem inceptis motus Turcicos, queis maria clauderentur. Res tamen feliciter proceſſit *Salmatio*, etiam

Candia.

D

poſtquam diſceſſerat Rabinus, coemptis pluribus libris in ipſa urbe *Corcyræ*: alia quoque volumina ſuppetebant extra urbem, & inſulam paranda pretio. Ad hæc imminebat Bibliothecæ cujuſdam 28

Ex litteris 17. Cal. Jan.

Imperatoris multis optimiſque codicibus inſtructæ; fuerat autem *Conſtantinopoli* advecta in regiones proximas *Corcyræ*; interea duas inſulas *Zacynthi*, & *Cretæ* explorabat. Immo *Byzantii* quærebantur *Hieronymi Bibulci* viri *Mediolanenſis* opera, qui in ea urbe gemmariam exercebat, græci ſermonis codices: & ſubinde mittebantur ad *Borromæum*, veteris quondam ſapientiæ ſcripta impen-

Ex literis 18. Cal. Novembr. & 18. Cal. Jan.

E

ſius venerantem. Dum verſatur *Corcyræ Salmatius*, ſeneſcente jam anno, itum in *Græciam* majorem eſt, novæ expeditionis cauſa. Ut eam adiret, mandavit Cardinalis *Gratio Mariæ Gratio*, civi *Senenſi*, ſermonis utriuſque linguæ docto. Tentaverat primum ipſius ingenium *Federicus* in erudienda Seminarienſi ſobole: floruitque *Gratius* humaniorum literarum doctrina; vocatus deinde ad famulatum *Borromæi*, exarandis epiſtolis, arcaniſque herilibus excipiendis, navavit operam. Rem quidem Ambroſianam amplificavit maxime, non modo cum in *Græcia* magna verſaretur, ſed

Exeunte Novembri ex Ripamontio cap. 15. in rebus geſtis Federici Cardin.

F

quandiu moratus eſt *Venetiis*, atque *Patavii*, valetudinem confirmaturus. Et ut habitaverat in auribus *Federici*, ipſiuſque arcanas cogitationes introſpexerat, ita intentione maxima virium ſui Principis voluntati ſubſerviebat: ejuſmodi enim

Ex literis ſexto Idus Novembr. & 3. Cal. Decembr. anno 1608.

aulicis utebatur Cardinalis, ut plane, ad Poetæ invidiam, qui vellent eſſe pii, atque ad muſarum ſacra admitti, *Federici* aulam adire poſſent, ſeque bene moratis illius contubernalibus adjungere. Charitas patriæ tandem *Gratium* à *Federico* divulſit: aut quia deſiderio ſuorum contabeſceret, quod affirmat *Opicellus*: aut (quod vero propius) acceſſitus illuc, ut Academiæ *Piſanæ* eſſet ornamento

Aulam, auliciſque Fed. Card. Borr. laudat Janus Nicius Erythræus vol. pr. pinacoth. virorum illuſtrium. Lib. 2. Monum.

4. Idus Novembres anno 1609.

to. Nec fugit talia scribentem ratio; nam Magnus *Hetruriæ* Dux eucharisticas literas Cardinali scripsit, quod *Gratio* redeundi ad *Senenses* potestatem

29 fecisset; ipsa quoque, *Pisis* cum degeret, Magna *Hetruscorum* Dux quam officiosas misit literas ad *Borromæum Gratii* causa, quod ad natale solum optato revenisset. Immo ipse *Gratius* narrat Cardinali, quanta significatione studiorum, & benevolentiæ amplexi fuerint reducem uterque Princeps; ipsius præsertim Magnæ Ducis comitatem laudat, seque in *Pisano* gymnasio lapidem suum iterum volvere, humaniores literas tradendo. Exeunte Novembri mandavit se itineri *Gratius*; accessit socius viarum, & laboris *Guidus Cavalcantius*, claro loco natus, literarum itidem amantissimus. Peregrinos homines excepit *Mutinæ Camillus Bosius*, veterem suam beneficentiam novis muneribus cumulans: jugem præterea operam ultro obtulit abeuntibus, redditurus in loco librorum copiam, quam illis interea peregrinantibus coegisset. Ex itinere *Gratius* divertit *Senas*, ibi negotium *Annibali Lomenio* datum, uti ex veteri Latio, & *Hetruria* tota vim aliquam voluminum colligeret. *Romæ*, in emporio videlicet terrarum omnium, substitere tandiu, quandiu celebriores apothecæ explorari possent; nam peregrinos homines avocabat alio præda major. Decesserat *Neapoli Joannes Vincentius Pinellius* rei literariæ studiosissimus, ejusque gratia nullis facile sumptibus parcens. Inter cætera ad eruditionis uberrimæ varietatem instruxerat Bibliothecam autographis præsertim exscriptisque codicibus, cum autem latinis, græcisque literis esset eruditus, idcirco optimos quosque scriptores, & prima scribentium exemplaria religiose delegerat. Hæredes, quod moris est, aut in erciscunda familia, aut cum hæreditatem cernunt, libros inanem veluti supellectilem voci præconis destinare, collocaturi in fœnus pecuniam laxiorem. Deditus per urbem rumor facile ad aures *Gratii* pervenit: sed maximis iti-

Cal. Martiis anni 1610.

Literis pridie Idus Martias scriptis anno 1610.

Modona.

Siena.

30 neribus opus esse intellexit, ne, rem trahendo, avolaret e manibus præda: cum persæpe mora magnas cogitationes eludat. Extemplo se contulit *Neapolim Gratius*: ibique præclusa omnia, & ardua esse animadvertit. Libri primum omnes exportati fuerant in villam, cui nomen *Juliano*, modico locorum intervallo ab urbe diremptam; tum vero nonnisi ingenti pretio stare poterant, quod multi inhiarent emptioni, & eruditissimus quisque permagno literarias illas merces æstimaret. Ita multitudine, & doctrina emptorum nihil vilescebat in *Pinellii* Bibliotheca; jamque *Severus* Cœnobita Carthusianus admonuerat de scriptis codicibus Cardinalem; nam id mandaverat homini *Borromæus*, ut libros descriptos ubique gentium conquireret, *Pinellianos* in primis. Et quamquam *Neapoli* viros doctissimos, ac sui studiosos *Gratius* reperit *Franciscum Lombardum*, *Julium Cæsarem Capacium*, & *Joannem Baptistam Portam*, necdum tamen labefactare potuit propositum liberorum, ad quos paterna hæreditas transierat, tum religione à viris doctis injecta matronæ orbitatem prolis tuenti, tum metu, ne vendendi celeritas pretium elevaret. Plurimum quidem valebat apud illos hæredes *Lombardus* græci, latinique sermonis sciens, arcta etiam familiaritate *Pinellii*, & ornamentis Sacerdotii, quod obibat, satis commendatus liberis: *Capacius*, & *Porta*, qua nomine, qua literarum scientia cum eminerent, erant propterea apud unumquemque gratiosi. Hic autem *Porta* adeo postea probavit studia *Bibliothecæ Mediolanensis*, ut professus fuerit *Francisco Plateæ*, qui tum *Neapoli* morabatur, se Cardinali *Borromæo* sua vota, & studia emancipasse, proinde offerre forulos suos omnes librarios, &

Literis 3. Calen. Novemb. anni 1607.

Literis 3. Idus Quintiles anni 1607.

Literis 14. Cal. Sextiles anno 1611.

A quidquid aut pecunia, aut legendo scribendoque corrogasset: sibi curæ rem Ambrosianam esse, ac pro virili amplificaturum conquirendis codicibus, cum vel in ipso ætatis flore diligenter libros 31 sibi undique comparasset. Neque vero gloriose jactabat hæc *Joannes Baptista Porta*, nam eidem *Plateæ* elenchum uberem suarum lucubrationum tradiderat, ut mitteretur Cardinali; recensebantur autem ipsa *Portæ* autographa, aut plumbeis formis jam vulgata volumina, tanta scriptoris voluptate, ut diceret fortunantibus utique malam suam ætatem Superis fieri, ut scriptiones suæ in Ambrosianos nidos inferrentur: sicque fati necessitatem vinceret, vitaretque *Libitinam*. Hos præclari muneris triumviros *Gratius Pinellianis* hæredibus admovit, tractandis illorum animis aptos, promptosque ad omnia officia, literarum denique studiosissimos. Ante omnia solicitavere pretii magnitudine matronæ animum, in cujus tutela relicti fuerant liberi, tum obsequiis (quæ expugnandi muliebris animi ratio est facillima) pervicere, ut se illorum arbitrio commissuram negotium affirmaret, iisque se legibus, quas tulissent, non intercessuram. Qua spe erectus *Gratius Julianum* adiit, librosque omnes cum explorasset, ac in syllabo descripsisset, *Lombardi* rursus, *Capacii*, & *Portæ* obligatam fidem imploravit: ne, interea dum peregrinaretur, à conditionibus muliebris inconstantia discederet. Profectus *Neapoli* apud *Lucanos* lustravit *Melfiam Apulis*, & *Hirpinis* conterminam urbem; ibi *Placidus Marra* Antistes urbis, literatis hominibus impensius favens, locorum rationem, gentiumque mores docuit, quominus irrito labore ignotas terras circumirent. Indicavit celebres librorum officinas, thecas item librarias privatorum hominum, simulque viros, quorum eruditio, vel authoritas peregrinantes conciliare posset exteris, atque Ambrosianos nidos implere; cum autem propositum iter peragere insisterent, donavit abeuntes *Catulli* carminibus graphice descriptis. *Lucaniam* excipit *Apulia* mari supero adjacens, Solibus ad- 32 usta, messium tamen ferax: eaque in *Dauniam* à socero *Diomedis*, & *Peucetiam* ab *Oenotri* fratre dividitur. Monstrabo hic ordine rationem itineris, & peregrinationis; *Ripamontius* enim, & *Opicellus* progredientem aliquando, redeuntemque *Gratium* ad sedes, quas jam fuerat prætergressus ita narrant præpostere: ut, si iter illud confecit *Gratius*, *Ulysse* infelicius erravisse necesse sit. Igitur à *Melfitana* urbe primo tenuisse *Canusium*, tum *Barulum*, *Tranum* denique, consulto enim *Gratium* processisse existimamus, non autem petiisse *Barulum* remotius utique, inde *Canusium*, *Tranumque*. *Barulum* nempe situm est, qua fluvius *Aufidus* superum mare subit, *Canusium* vero propius *Melfi*, unde nostrates discesserant, *Tranum Barulo*. Nobiles sunt eæ sedes vellere, atque *Cannensi* clade; pugna siquidem inauspicato commissa à *Romanis* cum *Pœno* inter *Canusium*, & *Barulum* late has terras fuso sanguine cruentavit. A *Trano* profectus *Barium* Oppidum piscatu Nobile, hinc ad amœnas *Formiarum* sedes pervenit *Gratius*, quas olim *Lestrygones* truculenti cultores habebant humanis carnibus placantes famem, tum vero *Egnatiam*, & qua *Pactius* flumen *Calabros* disterminat ab *Apulia*. Itum inde ad *Brundusinos* est: hinc *Cælium*, *Balesium*, *Aletium*, & *Hydruntum*, qua extremi limites maris superi *Italiam* definiunt; *Hydrus* autem mons imminet urbi, regionemque totam *Salentinorum*, atque oppidum ipsum portu celebre à suo nomine *Hydruntum* appellat. Superatis vero jugis, quæ totam illam oram continuo culmine intersecant, ventum ad *Neritinos*, & *Gallipolim*. Antequam *Soletum*

Ex literis 8. Id. Septembr. anno 1611. & 4. Non. Octobres ejusdem anni.

Melfi.

Basilicata.

Puglia.

Puglia piana, e Capitanata, Terra di Bari.

Dec. 5. lib. 3. cap. 15.

Lib. 2. Monum.

Canosa, Barletta, Trani.

Bari.

Gnazzi.

Brindisi. Ceglie, S. Cataldo, Lecci. Otranto. Capo d'Otranto. Terra d'Otranto. Nardo. Gallipoli. Soleto.

*tum* adveniret, restitit in oppido, quod vulgo appellant *Sancti Petri* in *Galatina*, ab eaque urbe distat mille passus; nam rigebat *Februarius*, ac lutulenta ob solutas nives itinera peregrinari hominem vetabant. Hæc mora plurimum Ambrosianæ rei conduxit; nam literis commendatitiis *Alexandri Donzellii* gratiam sibi ab incolis inivit; accedebant *Federici Mesii* Episcopi *Bubæ* studia, qui jam antea operam suam majori huic *Federico* vectigalem detulerat, gratesque egerat *Borromæo*, quod argentea numismata ob codices exscriptos donasset. Neque subscribere possumus *Ripamontio* Præsulem *Mesium* tum in illo oppido commoratum affirmanti, quod terras illas lustraret sui muneris causa; nam urbs *Bubæ* in *Apulorum* finibus ad ostia *Tipherni* posita est: *Galatinam* vero sitam esse in mediis *Salentinis* inter *Cælium*, & *Soletum* docet *Leander Albertus*. Eo magis crediderim *Mesium* Antistitem oppidanum *Galatinæ* forte eo temporis divertisse ad suos, quo literas legimus rei indices. Per illos autem dies sublatum fuisse fato Sacerdotem quendam *Ripamontius*, & *Opicellus* falso retulere; anno siquidem sexto hujus seculi noverat *Borromæus* mystam hunc *Archipresbyterum* pagi, cognomento * *Esternathiæ*, e vivis abiisse, singulari doctrina virum, cujus in nidis librariis lectissimi quique codices græce exarati servarentur. Cum igitur *Esternathia* tria passuum millia disjungatur *Soleto*, secessit illuc *Gratius*, meliorisque notæ libros, quinquaginta fere ab hæredibus accepit. Hinc *Soletum*: tum obscura oppida prætereundo, *Tarentum* ventum est. Patet ibi celebris portus ad ostia fluminum *Tarenti*, & *Syris* ex montibus in mare defluentium; urbs vero longe clarissima est, sive *Tarantem Neptuni* filium authorem oppidi faciendo suas origines à Superis deducat, sive cognominis fluvii vicinia, tum copia velleris, & opportunitate stationis. Sane ausa est hæc urbs Romanorum arma lacessere, & *Pyrrho Epirotarum* rege copias jun-
34 gente, dominam terrarum gentem in discrimen imperii vocare. Literæ autem minorem veluti *Græciam* æmulatæ, hoc sinu declinavisse bellorum procellas visæ sunt; certe unius *Architæ* ales quamlibet ligneus percurrit late terras omnes, Tarentinaque fama implevit, adeo ut ad invisendum *Architam* etiam *Plato* huc advolarit. Porro eam *Italiæ* regionem, quæ in extremo utroque cornu interjacet, atque oram sinus *Scyllacæi*, ac *Tarentini* complexa, inter *Brutios*, & *Salentinos* spectat *Ausonium* mare, Magnam Græciam appellamus, huic quidem profectioni auspicatissimam, quando illuc etiam *Pythagoram* olim fuisse peregrinatum fama est. *Tarentina* quidem expeditio nostris fuit compendio, quod celebritas portus multum eam conquisitionem ditavit. Nobiliora deinde majoris *Græciæ* oppida circumeundo venit *Rusciam* postremo; jamque comparatis undique libris transmissurus erat in *Siciliam*, nisi *Cererem* ibi magis florere, quam *Palladem* accepisset, insulamque eam librariis opibus nudatam. Hæc ita descripsimus, sicuti certas sedes, & loca indicant Geographi; à *Ruscia Gratius* ad *Pinellianos* libros redit. Verum, ut nunquam ejusdem propositi tenaces fœminæ sunt, sublatam spem omnem emptionis vidit, cum illuc reversus esset *Gratius*, immutata ejus voluntate, quæ parvos liberos regebat. Refigebantur leges, quas nobiles triumviri, proficiscente *Gratio*, tulerant, & cum domesticum illud ornamentum in alias ædes, terrasque deferri turpissimum existimarent, redimi saltem fœditatem eam volebant hæredes magnitudine æris. Dejectus igitur spe sua *Gratius Romam*, & *Senas* revenit, ibique à *Lomenio* affine suo, sicut alibi à clarissimis viris, quibus mandaverat, vim librorum ingentem accipiens, *Mediolanum* rediit: emensus quidem brevi temporis intervallo magna terrarum spatia, cum exeunte Novembri profectus, calendis Aprilibus in- 35
sequentis anni regressus esset. Peccasse autem crediderim in *Ripamontii* historia typographum verius, quam scriptorem, qui primum discessisse affirmat *Gratium*, cum in exitu esset November, regressum autem Aprilis initio: deinde exeunte Januario à Cardinali missum, ineunte vero Aprili sese reducem obtulisse *Borromæo*; quo temporis spatio citatis debuisset equis *Gratius* vorare iter, & *Camillum*, aut *Ladam* cursu celeres prævertere. *Federicum* reditus hominis & librorum copia recreaverat; cum autem totam preregrinationis suæ seriem, exitumque exposuisset, conclamatam *Pinellianæ* Bibliothecæ emptionem doluit; quamquam consilio ipsam etiam desperationem vicit; neque enim angustum *Federici* animum agendi difficultas poterat impedire. Commissum proinde negotium est *Joanni Baptistæ Besutio*, & *Fabio Leuco*, ut *Pinellianis* libris pretium quodcunque statuerent, modo redimerentur. Tandem sive pecunia, sive dexteritas flexit animos: aureis nummis ter mille, & quadringentis *Pinellii* Bibliotheca coëmpta est; & minori certe pretio constare potuisset, nisi quorundam livor intervenisset emptioni. Sequenti autem anno libri omnes ex *Juliani* villa delati ad Cœnobium S. *Severini*, iique septuaginta capsis inclusi promiscua quidem supellex, *Latini* cum *Græcis* immixti, autographa, descriptique codices novem curribus devehebantur in Bibliothecæ *Mediolanensis* triumphum. Impositæ postmodum navibus ejusmodi opes, & in *Genuensem* portum invectæ *Bartholomæi Clappii* fidem implorarunt, Januensis *Metropolitanæ Theologi*, quem Divus *Carolus Mediolanensibus* Oblatis adoptaverat, siquidem de Pinellianis libris ad illum scripserat *Federicus*; hi deinde *Mediolanum* transvecti, nidos Ambrosianæ Bibliothecæ ditaverunt. Hic exitus fuit emptionis Pinellianæ, 36
quæ narrari debuit hoc loco, ne in sequentem annum extracta legentium memoriam perverteret, cogeretque ad superiora legendo peregrinari. Inter hæc morabatur adhuc *Corcyræ Salmatius*, eamque insulam cum libris omnibus viduasset, nihilo segnius foris rem agebat. At Cœnobium Sancti Joannis, quod unius diei iter distat *Buthroto*, delata fuerat Bibliotheca *Byzantina* Imperatoris cujusdam; itaque spes emptionis, ac vicinia prædæ quamquam stimulabant animum *Salmatii*, eo tamen vehementius tangebat, quod negotiari has merces non liceret propter Turcarum stationes insidentium littoribus *Buthroti*. Spes tamen alio ferebat hominem, nam in aliis cœnobiis, & *Callipoli* multos codices asservari audiverat, alios venales esse *Cassiopejæ*, longe plures *Triccæ*. Cum bene cœptis adulari fortuna videretur, procedere tamen negotiatio haud poterat, quod inter *Græcos*, & *Italos* (barbarorum fortasse invidia) concitati motus, utrinque facta cæde, multos sustulissent: atque odio *Italici* nominis vix se discrimini subduxerat *Salmatius*, qui eas turbas improvidus arbiter spectabat. Bono igitur dolo, ne consilii expers negotiatio mole sua corrueret, agendum erat deinceps; licet barbari Italo homini etiam postmodum insultaverint: atque adjecerint terricula supplicio *Promethei* etiam sæviora: seque ex imis præcordiorum fibris peregrini emptoris evulsuros cum corde jecur interminarentur, quod affinium populorum Bibliothecas diripiendo, *Italiam* græcanicis opibus locupletaret. Codices quidem plures proponebantur *Salmatio* facta primum Divorum uno volumine contenta, quæ tamen redimi nequirent minoris, quam quin-

S. Pietro in Galatina.

Anno 1608.

* Ternole.

Eodem libro, & capite.

Ex literis Leuci 15. Calendas Quintiles.

Ex literis Besutii 11. Cal. Quint.

Ex literis Besutii, & Leuci 3. Non. Febr. 1609.

Ex literis Clappii 15. Cal. Decembres 1609.

Ex literis 7. Cal. Majas.

Butintrò.

Gallipoli.

Jannina, ò Gioannina, Tricola.

Ex literis pridie Idus Majas.

Ex literis Cal. Majas

quaginta aureis *Venetis*, aliorum item codicum vis ingens, quos ajebat thesauros rectius appella-
37 ri, & literarum fodinas aureas, quam volumina. Ad hæc emerat D. *Joannis Climaci* lucubrationes antiquioris notæ: item impii *Mahumetis* res gestas turcicis literis exaratas; nec adhuc Bibliotheca Byzantina exciderat homini: seque ob eam profecturum *Buthrotum* affirmabat, ut per internuntiorum colloquia veterem illam gazam librorum in Ambrosianum ærarium posset inferre. Dum hæc meditaretur *Salmatius*, quoties se opportunitas vectorum offerret, mittebat subinde arcas librorum *Venetias* ad clarissimum virum *Dominicum Trivisanum*; cum *Dominico* enim coiverat jussu Cardinalis amicitia, eaque cura *Veneto* homini fuerat demandata. Cum autem *Corcyram*, *Macedoniam*que explorasset, sperabat *Salmatius*, appetente hyeme, se *Cretam* aditurum, inde ad Montem *Athum*, hinc ad insulam *Zacynthum*, cum sudum esset; sed aut tædio peregrinationis, aut barbaricarum nationum metu tandem victus *Salmatius Venetias* primum ad *Dominicum* (fortasse expeditionis suæ causa) tum ad *Insubres* reversus, exeunte Autumno, satis nidos Ambrosianos libris implevit; eoque argumento credimus, quod cum honoris nostri auspicio, curaque hac tractandæ Bibliothecæ libros, thecasque pene singulas interrogaremus, libri in nostras manus inciderunt, vel in insula *Chio* à *Salmatio* comparati. Hanc conquisitionem sequuta est *Pauli* Quinti Pontificis Maximi singularis erga Collegium Ambrosianum voluntas. Mandaverat quidem antea Pontifex *Vicario Generali Viglebanensium*, ut Collegium, & Bibliothecam, atque initia omnia rei Ambrosianæ tueretur; verum quia mendis aliquibus librarii turpiter oscitantis incuria Pontificias literas corruperat, idcirco is, qui tum *Viglebanensium* Antistitis vices obibat, mandanti *Paulo* obtemperare minime potuit. Id fuit in causa, ut anno quinto
38 earum literarum mentionem prudens omiserim; Pontificii diplomatis hæc sententia: bene semper animatum fuisse Pontificem erga eos, qui Collegia instituerent, præsertim si Purpuratorum Patrum aliquis ejus institutionis foret author: audivisse preces *Federici* Cardinalis, ac *Mediolanensium* Antistitis, qui patriæ felicitati natus intelligeret ex Collegiis à Beato *Carolo* conditis prodire quidem homines florentis, & subacti ingenii, sed juvenilem impetum residere postmodum: nec adhuc ullum esse cœtum ecclesiasticis viris magno natu alendis, qui catholicam Fidem, ac Religionem tuendam scriptis, studiisque scientiarum susciperent. Horum causa excitatam ab eodem *Federico* fuisse Bibliothecam juxta ædes Sepulchri, vocatosque ad Societatem cœtus ecclesiasticos Collegas; quibus omnibus conservandis cum fors aliqua esset statuenda, adimere se utique ex *Ticinensi* Collegio *Borromæorum* ad arbitrium *Federici* annui reditus aureos mille. Porro in cœtum Ambrosianum duodecim tantum Collegas esse cooptandos: quorum quidem quatuor diutinam operam impendant Theologiæ, cæteri reliquis disciplinis famulentur; Doctores autem, ubi primum judicio Cardinalis renuntiati fuerint, tum deinde inter se latis suffragiis novos Collegas subrogare posse, si quis priorum in ordinem redigatur, aut morari desinat in terris. Doctoribus omnibus Pontificis edicto mandari, ut singuli lucubrationes aliquot edant in vulgus: Bibliothecam vero ea lege excitari, ut non eisdem modo Collegis, sed civibus, exterisque omnibus, studiorum causa, pateat: eos tamen exsecrari, qui codicem aliquem, aut membranam piceatis manibus attingant, efferantque, eosdemque sontes laverniones resecrari non posse à quoquam, nisi à Pontifice Maximo.

Ex literis 4. Cal. Junias.

Ex literis 4. Idus Majas.

Ex literis 5. Idus Majas, 14. Cal. Junias, & Pridie Nonas Quintil.

Ex literis pridie Idus Majas Monte Santo.

Ex literis sexto Idus Novembr.

Scio.

Ex diplomate Pontif. 5. Cal. Martias anno 1605.

Ex diplomate septimo Idus Quintiles.

A Bibliothecæ præponendum neminem, nisi qui ex Oblatorum Sodalitate sit; Præfectum autem hu-
jusmodi degere posse in ædibus Sepulchri eisdem 39
ornamentis insignitum, quibus reliqui convictores illarum ædium decorentur: in præsens vero *Antonium Olgiatum* præfici Bibliothecæ. Nefas esse inde amoveri libros, aut venum ire: aut prædia, censusve imminui, tollive; hisce autem servandis, tutandisque viros ex singulis ordinibus Civium *Mediolanensium* deligendos: duos videlicet ex Collegio *Metropolitano*, ex urbanis Sacerdotibus totidem, qui à suo Collegio, vel *hierarchis* renuntientur, Præfectum Oblatorum, unum
B ex saxaginta Decurionibus Civitatis, item ex singulis Collegiis Jurisperitorum, & Physicorum unum; quos Decuriones reliqui, Juris, & Medicinæ Consulti creent; adimere se ejusmodi curam *Mediolanensis* Ecclesiæ Archiepiscopis, quod illorum industriam omnem, & vigilantiam late florentis populi frequentia, atque amplissimi honoris operosa solicitudo consumat. Ea Conservatorum fore munia, ut rem Ambrosianam administrantes, eandem sartam, tectamque esse velint, curentque ne qua in re quidquam faciat detrimenti: ejusdem ærario unus Conservatorum præsit:
C forulos, indicesque librorum quotannis consulant, explorentque: Conservatorum veluti Præses creetur unus ex *Canonicis Metropolitani* Templi; si vero quid litium oriatur, id omne *Vicarii Generalis* judicio committendum. Probare, quæ de sacris faciundis ad aram Deiparæ in majori urbis Basilica instituisset *Federicus*: ratam se habere ejusdem munificentiam, qua sacram supellectilem ad mystarum vestes, & sacrificii ipsius pompam apparasset: edicere autem ut quotidie in illa ara Doctores operentur, quos deinde singularibus ornamentis decoratos ex reliquo hominum grege eximit. Vetat enim eos interesse iis conven-
D tibus, aut supplicationibus, quas obire debent
cæteri mystæ, jubet tum ire supplicatum, cum 40
Sanctissimum Christi Corpus, aut Clavus frœno inclusus per urbem circumfertur, cum triduanis precibus coluntur Superum fana, & Provinciæ totius, aut Diœcesis Synodus habetur. Hæc deinde accedunt decora, atque ornamenta Collegio; donantur Doctores singuli Romana Civitate, immo antiquissimis illius Civibus ascribuntur: Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites, & Milites creantur, creatique iis ornamentis honestantur, quibus cæteros Comites, & Milites Romano-
E rum Pontificum decoravit magnificentia. Hic splendor ordinis, tutelam autem Summorum Pontificum fore perennem spondet, ut Collegium, & Bibliotheca Apostolici nominis præsidio sit incolumis; ad locupletandam ejusdem sortem Collegii *Ticinensis Borromæorum* elevatos reditus velle, ademptis prædiis domus *Thisbes*, & Vici *Iriæ*; leges, quas Collegio scripserit, *Federicus*, ejusdem arbitrio refigi posse, ac immutari: quo fatis erepto prohibet quemquam aut illas abolere, aut emendare. Posse *Mediolanensium* Antistitem una cum Conservatoribus Collegii secundo quoque anno ea lege Bibliothecam adire, ac explora-
F re, ut nihil omnino sciscere, jubere queat, aut antiquare, nisi prius Pontificem Maximum consulat. Hisce autem literis, atque institutioni tuendæ præsidere jubet *Auditorem Generalem Causarum Cameræ Apostolicæ*, *Archipresbyterum* Ecclesiæ Mediolanensis, & *Vicarium Generalem*; quibus omnibus si quis intercedere audeat, sacrum eum, ac intestabilem, dirisque cum Divorum, tum hominum esse devotum profitetur. Hæc Pontificii diplomatis summa, cujus tamen aliqua idem *Paulus* V. immutavit, ut postea memorabimus.

Casa di Tismo, Vogheria.

41

# LIBER SECUNDUS.

*Anno* 1609.



INſignis erit hic annus Collegarum noſtrorum experientia, & abſoluta mole Bibliothecæ. Cum jam rite teſtimonia morum, & rerum geſtarum Beati *Caroli* relata eſſent in acta, reliquum erat ut Pontificia conſecratione inter Superos recenſeretur; *apotheoſim* vero illam cum ſummi rerum Italarum proceres, & *Philippus Tertius* Rex *Hiſpaniarum* votis omnibus expetiiſſent à *Paulo* Pontifice Maximo: ipſius tantum *Metropolis*, atque Antiſtitum preces deſiderabantur; eapropter vocavit ad Provincialem Conventum Epiſcopos omnes *Federicus*, quotquot ſunt in *Metropolitæ* Mediolanenſis poteſtate. Convenere numero quidem pauciores, quam ut olim parebant Archiepiſcopo huic; nam Eccleſiam *Mediolanenſem* late protuliſſe ſui imperii fines apud graviſſimos ſcriptores in confeſſo eſt. [a] Certe *Mediolanenſium* Pontifici magna capita Eccleſiarum morem geſſere, *Januenſis* nimirum, *Taurinas*, & *Bononienſis*; immo Ambroſiana *Metropolis* Antiſtites [b] *Colonienſem*, & *Aquilejenſem* ſua habuit in

[a] Miræus in Geographia Eccleſiaſt. à Baſilica Petri de Metropoli Mediolani, Vitalis in Theatro Triumphali pag. 232. & ſeq. Puricellus in Baſilicæ Ambroſianæ monumentis nu. 2. & 99. & in vita S. Laurentii Littæ c. 24. Vicecomes lib. 2. de ritibus Miſſæ c. 13. Ripamont. hiſt. Eccl. Med. dec. pr. lib. 9. & alii.

42 poteſtate. *Inſubrum* autem Epiſcopi, *Ligurum*, *Æmiliæ* univerſæ, ac *Venetiarum* obtemperabant olim Ambroſiano Capiti: atque intra fines hujuſce poteſtatis *Rhætorum* Eccleſiæ, *Alpinæ* omnes, *Illyricum* denique coercebantur. Etiam in *Ticinenſem* [c] Eccleſiam jus dixit *Metropolita* Inſubrum; quamquam *Ughellus Papienſium* Præſulem interdum *Mediolanenſi* eximat imperio, noviſſime vero ſubjiciat. Habuit ergo ſeptimus hic Provincialis Conventus frequentiſſimos Patres, videlicet *Paulum Sfondratum* Cardinalem, & Antiſtitem *Cremonæ*, qui paulo ante arbiter fuerat rerum Romanarum, cum *Gregorius Decimus quartus* patruus Eccleſiæ præſideret, Præſules præterea *Brixiæ*, *Vercellarum*, *Aſtæ*, *Aquenſium*, *Viglebani*, *Laudis Pompejæ*, *Alexandriæ Statiellorum*, *Bergomatum*, *Caſalenſium*, *Dertonæ*, *Novariæ*, *Albæ*, & *Intimelii*. * *Sabatiæ* Antiſtes, quod Pontificio nomine apud Ducem *Allobrogum* ſubſiſteret, mandaverat *Joanni Baptiſtæ Ferro Canonico*, ut ipſius verbis cœtui intereſſet, ac ſubſcriberet. Tanta adhuc juriſdictionis Ambroſianæ magnitudo eſt, licet ſæpenumero decurtata, ut à *Beneventano* [d] nullus *Metropolita* apud *Italos* imperii fines habeat ampliores. Etiam *Antonius Seneca* (quem *Paulus Quintus* Anagnina infula ornaverat, tanto tamen honori pertinaciter obluctantem) præpoſitus olim domui Sanctiſſimi [e] Cardinalis *Caroli*, atque Eccleſiæ *Mediolanenſis Vicarius Generalis*, facta à Pontifice Maximo poteſtate ad nos venit, expetitus propterea à *Federico*, quod peritiſſimus comitiorum ejuſmodi eſſet, cum à Divo *Carolo* haberentur. Eadem cupiditas conveniendi huc inceſſerat Sanctum *Franciſcum Saleſium* Epiſcopum *Genevæ* †; neque obſcuram vo-

[b] Joannes Antonius Caſtillionæus in Mſſ. Puricellus in vita S. Laurentii Littæ c. 24. num. 46. Vicecomes l. & cap. ſupra recenſitis Michael Pizolpaſſus in Mſſ. in vita S. Anathalonis Arch.

[c] Puricellus in vita D. Laurentii Litta cap. 13. Ughellus in pr. Tom. Italiæ Sacræ ad Epiſcopos Papien. & in 4. de Archiepiſc. Mediol.

* Savona.

[d] Id liquet enumeranti ex cath. Cathed. Eccleſ. Patis Jordani vel pr. & Ughelli vol. 8. Benevent. autem Eccleſiæ 18. Epiſcopi ſuffragantur. In actis Eccleſiæ Mediol. 17. Epiſcopi recenſentur.

43 luntatis hujuſce ſignificationem [f] dederat *Joannes Stephanus Ferrerius* Vercellenſium Antiſtes ad Cardinalem. Nam ſcripſerat in hanc diſerte ſententiam: quando percrebuerit rumor cogendæ ſynodi, ardere ejus ſpectandæ deſiderio Epiſcopum *Genevenſium*, obtutumque venerandi conſeſſus jucundiſſimum ei futurum; id amice quæri in præſens à *Federico*, num alienæ Provinciæ Antiſtitem ad *Mediolanenſem* conventum placeat admitttere: aut ſi convenire vetet, quibus officiis advenientem complecti in animo ſit; eum ſcilicet Præſulem eſſe, qui inter cunctos *Allobroges* emineat doctrina, ſumma, nec vulgari eloquentia fulminantem, cum Gallice concionetur;

[e] Ex ipſius ep. atque aliorum nuntiatoriis ad Cardin. Feder. Borrom. anni 1607. 4. Nonas Junias.

† Gineura.

[f] Literis 4. Idus Februarias.

A ad hæc Divino inflammatum Spiritu id unum ſollicite anhelare, ut hæretici homines ab impietatis conſuetudine abducantur: eo in numero apud principes viros haberi, ut ſinguli ſe illius precibus commendatos velint. Facere autem tantum Antiſtitem maximi hæc comitia, qua Cardinalis *Borromæi* Archiepiſcopi nomine, qua conventus ipſius celebritate, & actorum norma: ex qua veluti ex lycæo plurima ſe hauſturum documenta profitetur. Hæc referre attinuit, ut poſteritas intelligeret, quam bene viri ſanctiſſimi de *Federico* opinarentur: abſtinuit autem hac peregrinatione *Saleſius*, profectus deinde huc ad colendos

B D. *Caroli* cineres; quamquam humaniſſime ad *Ferrerii* literas reſpondiſſet Cardinalis (ut in *opiſthographis* eiſdem legimus, quas exaraverat ſcriba intimus) probaviſſetque voluntatem hanc *Saleſii* Antiſtitis, ſua officia omnia, benevolentiamque pollicitus. Has literas una cum euchariſticis, quas idem *Saleſius* ſcripſit *Aniſio* ad *Borromæum* Cardinalem, ob exuvias D. *Caroli* dono miſſas, cum in reliquarum grege offendiſſem, in arcula cupreſſina condidi; nam *Franciſci* ipſius ſanctitatem, & bonam de *Federico* ſummorum hominum opinionem ſunt venientibus ſeculis liquido 44 teſtaturæ. Cum jam Maximi Pontificis voluntas

Carolus Auguſtus Saleſius in ipſius vita lib. 8. 8 Cal. Martias.

Aniſi.

C ad hæc *Borromæi* ſtudia acceſſiſſet (illum enim de futura ſynodo *Seneca* fecerat certiorem) ac *infulati*; ea eſt vox Suetonii, & Sidonii, Patres conveniſſent, multiplex dedit ſpecimen Cardinalis Ambroſiani Collegii, (huc enim ſpectant ea omnia, quæ de Provinciæ Concilio tradimus.) Pridie Idus Majas (quo primum die Epiſcopi in *Metropolitanum* cœtum coivere) cum menſæ aſſiderent, *Joſeph* Vicecomes latinam habuit orationem, luminibus diſtinctam, argumentiſque nervoſam; docuit autem orator, ex quo fonte emanarint horum conventuum initia, quænam inſtituta, & præſtantia, rebus apte propoſitis ad in-

Literis 18. Cal. Octobres anno 1608. & 18. Cal. Decembres anno 1607.

Parona in actis Concilii.

D ſidias aurium, & eſcam animorum. Sic à conviviis delibata eſt eloquentia cœtus Ambroſiani; majores autem diſciplinæ nondum venerant in certamen. Eductus eſt in aciem *Franciſcus Collius*, iſque centum ſexaginta quinque ſupra mille facultatis Theologicæ effata propugnavit; totidem enim recenſentur in ipſius libello, quem Provincialibus Epiſcopis *Mediolanenſis* Concilii nuncupavit. In Pontificali Palatio propoſitum certamen. Conſederant frequentiſſimi Antiſtites, evocatus ad contentionis ſpectaculum ex Academiis, & Cœnobiis doctiſſimus quiſque, neque

E componebatur *Collius* cum tribus modo Theologis, qui contra ſolenni diſceptantium ritu objicerent: verum ſinguli, immo Patres ipſi dimicare cum adoleſcente, qui vix ex umbratica exercitatione prodierat. Decimo ſexto Cal. Junias Civitas, ac propemodum Provincia univerſa erudito certamini interfuit, quod poſteri nunquam admirari deſinent, imitari certe nunquam audebunt. Res adhuc miraculo eſt, cum legimus; ſi quidem ipſius theſes ita dimicationi fuiſſe propoſitas ſatis liquet: ut abdita quæque, & arcana illius doctrinæ ſcrutaretur primum, tum varios autho- 45

Ripamontius dec. V. lib. 3. c. 5. Rivola lib. 4. in vita Federici cap. 8. & Parona.

F res theſium, atque inter ſe multum diffidentes, aut conſentire juberet, aut omnino refelleret. Itaque in ipſius libello excelſum adoleſcentis ingenium ſuſpeximus; caput, atque frontem occupaverat Sanctus *Thomas Aquinas*, effatis aureis plane, atque oraculis doctrinæ: alius *Thomas* ſequebatur, *Cajetanus* videlicet: eoſdem excipiebant *Joannes Capreolus*, *Franciſcus Ferrarienſis*,

*Bartholomæus Medina*, *Joannes Duns*, *Durandus* à S. *Portiano*, *Gulielmus Ochamus* : calcem obtinuerant *Alexander Alensis*, *Henricus Gandavensis*, omnes antistites ejus disciplinæ, quorum dicta eximie defendit *Collius*, descriptis ordine singulorum thesibus. Illud etiam miraculo non caret, quod *Federicus* compendiariam viam Ambrosianis adolescentibus discendi Philosophica, atque Theologica indicaverat, ne juveniles anni frustra inanibus quæstionibus perirent; cum interdum id assequantur adolescentes, docentium fortasse vitio, ut stultissimi fiant in scholis. Tres omnino anni insumebantur : reliqui autem ætatis illius tradebantur aliis facultatibus, quas nobis tricæ Philosophicæ, & Grammaticorum nugæ male invident, duobus fere decenniis tristi literarum fato in hujus *Trojæ* obsidione contritis. Idem certamen instauratum est nono Cal. Junias ab *Antonio Rusca* pari exitu pugnæ, & triumphi adorea; ambo autem tres annos utrique disciplinæ vacaverant, mirabili ad eas consequendas compendio.

Rivola in vita Fed. lib. 4. cap. 8. 14. & 38.

*Benedicti Sociaci*, quem plurimum amavit Poesis, eminuit ingenium apparatu urbis, cum sacræ Divorum exuviæ, quæ in fano *Calimerii*, atque Protomartyris delitescebant, effossæ ab Episcopis deferrentur; hæc enim suprema fuerunt acta Concilii, dimissique extemplo Patres ad suas quisque sedes, *Tullius Carettus* vero, & *Carolus* à
46 *Basilica Petri*, hic *Novariæ*, ille *Casalensium* Præsul ad impetrandam à Romano Pontifice Beati Caroli *apotheosim*. Inter hæc res libraria minime exciderat *Federico*; nam nobiles Bibliothecæ, quæ alios emptores poterant adducere, tantum redemptorem ardentius expectabant. *Marcus Aurelius Grattarola* Præfectus Sodalitati Oblatorum cum *Romæ* moraretur ob cælestes honores Beati *Caroli*, se diligentissime conquisiturum codices descriptos nuntiaverat, immo ostenderat singulos *Borromæo*, quos fratres Cardinalis *Horatii Maphæi* (is fato concesserat) auctioni proposuerant. Cardinalis item *Ascanii Columnæ* Bibliotheca, qui e vivis excesserat, cum libros plures manu exaratos servaret, jamque tota licitationi offerretur, studia *Federici* in se convertit. Cognoverat id quidem *Borromæus* ex *Joanne Salazario*, atque indicem singulorum pene voluminum acceperat; verum Duci *Altaempsio* ingens ea præda postmodum cessit. Cum hæc foris quæreret Cardinalis, adlaborabat domi, ut compararet, si quid pretiosi urbs late domina urbium penitioribus nidis abdidisset. *Hierarchæ* Templi Maximi (nobilissimum id apud *Insubres* Collegium est, certis tantum familiis atque florentissimis institutum) plurimos antiquioris notæ codices habebant, quos *Franciscus Pizolpassus* bonarum artium studiosissimus, olim Archiepiscopus urbis, legaverat Collegio. Has opes auxerat ingentem in modum Bibliotheca Divi *Caroli*, quam ille migraturus ad Superos Ædis maximæ mystis donaverat. *Pizolpassi* codices jam ante emerat à *Metropolitano* Collegio *Federicus* vetustis literis in membrana descriptos, ac ferreis umbilicis ita munitos, ut durare omnino valerent adversus cariem. In *Caroli* autem Bibliotheca inerant (primo Biblia ad utramque oram illustrata animadversionibus ipsius Divi, antiqui precum, ac Liturgiæ Ambrosianæ codices, Plautini, & Te-
47 rentiani atticismi à *Petro Galesino* descripti, Bibliorum, legumque interpretes, Græci, Latinique sermonis scriptores plurimi; quæ omnia inspeximus, ac pene voravimus oculis, cum ea nobis humanissimi viri *Horatius Crucejus*, & *Joannes Andreas Rhaudius* ex Collegis *Metropolitanis* proponerent contemplanda. Ergo exoraverat à Pontifice Maximo potestatem devehendæ Bibliothecæ hujus in Ambrosianam; jamque breves literæ

Parona in actis Concilii.


Sept. Idus Feb. Ex literis Prid. Cal. Martias. Hoc anno 3. Id. Januarias. Anno 1608. 16. Cal. Junias; insignem fuisse hanc Bibliothecam Cardinalis Columnæ tradit in ipsius vita Ciacconius. Undec. Cal. Septembres. Ex literis Bartoli 4. Idus Septemb. an. 1611. venitque aureorum tredecim millibus. Ex lib. Mss. in Bibl. Ambr. cui titulus *Status Eccles. Mediol.* in quo familiæ omnes recensentur Metropol. Coll. Sacerdotiis idoneæ. Glussianus in vita D. Caroli lib. 7. cap. 13.

Ex literis Senecæ, & Bartoli 4. Cal. Decemb.

A missæ fuerant ab Urbe. Cur autem propositi pœnituerit *Federicum*, non stat scio, nisi quia fortasse supremas tabulas sanctissimi patruelis antiquari nollet : aut quia minus decorum amplitudini putaret suæ, si alienis opibus nova ditesceret Bibliotheca, nobiliorum instar siderum, quæ nolunt etiam à Sole lucem mutuari. Erat interea in exitu annus, cum unus dies seculorum omnium fastos insignivit; nam toto vertice surrexerat supra reliquas urbis ædes Bibliotheca, maximo conatu artis, atque operosa substructione molis; cujus fundamenta poni cœpere pridie Cal. Quintiles anni sexcentesimi tertii supra millesimum; archite-
B ctus autem operis fuisse traditur *Fabius Mangonus*. In umbilico, eaque regione urbis, quæ dicitur *Vercellensis*, sedes statuta operi est, exteris, civibusque opportunior. Molis multiplex forma proposita ab architectis : aliis cuneata placuit, columnata aliis : laxam, amplamque probavit *Federicus*. Ingens primum area totam subjicit oculis frontem : æneæ literæ cubitales *Ambrosio* Antistiti sacram esse docent : gradus in hemicycli formam recenti structura appositi. Idcirco autem *Ambrosio* nuncupatam molem constat, quod cum res suas Cardinalis nihili faceret, inanem gentili-
C tii cognominis appellationem fastidivit, totamque Divo urbis Præsidi ascripsit, redeunte sic apud posteros cumulatiore gloria. Fortasse etiam in ci- 48
vium memoriam revocare placuit veterem Bibliothecam, quam olim juxta Templum *Ambrosii* conditam fuisse, atque ipsius Antistitis nomine appellatam fama est : ejusque superstites adhuc in tabulario *Canonicorum* Ambrosianæ Basilicæ aliquot libri sunt monumento. Ima quadratæ molis assurgunt ex marmore, idemque lapis quadratis segmentis munit angulos, & coronat fastigium : isque ordo perpetuus circa molem totam excurrit. Supra vestibulum laxatur arcuato opere in fene-
D stram paries ad Solem occidentem : similisque aditus excipiendæ luci aperitur à postico, qua spectat Ortum. Vestibuli ipsius frontem clathratæ fenestræ, ac marmoreæ pilæ intersecant : gemina deinde corona, & arcu se attollens, infra vicinæ molis supercilium subsidit. Interiora vestibuli suspicientibus offerunt ductos ex ære vultus conditoris *Federici*, cum indice nominis, atque honorum, quos gessit, tum geminas utrinque metuendi carminis tabulas; nam aqua, & ignis iis interdicitur, qui libros, aut membranas audeant auferre; latina vero, italicaque lingua Pontificales diræ legentibus proponuntur. Implet deinde
E oculos concamerata sedes, eaque capacissima : nec uno tamen obtutu contemplantium admirationem exhaurit. Cubitis sexdecim lata est, porrigitur quadraginta in longum : ipsam autem altitudinem cubitis quinis vicenis æstimamus. Area denique tota molis Ambrosianæ, quæ spatium Bibliothecæ, utriusque musei, reliquorumque conclavium amplectitur, patet in longitudinem cubitis centum triginta. Hæc ex fide ipsius formæ, & circini, tum ex mensuræ judicio tradimus. Testudo aureis bracteolis corusca, nitidisque floribus, atque cauliculis, vibrans, discriminatur suspensis
F per æqua intervalla fasciis marmorato elaboratis; ejusdem pretii coronis concamerationem definit,
quæ totum fornicem ambit inferne. Infra coro- 49
nam receptæ in parietem, inclusæque auro Superum imagines irritant oculos, sive radiati oris dignitate, sive antiqua vestium forma. Primam sedem Christi Servatoris effigies; proximam Deiparæ reliquas ordine implent Græcanicæ, Latinæque Ecclesiæ infulati Patres, tum ex utroque sexu lectissimus quisque. Infra icones nidi librarii cubitis tredecim in sublime elati sedis ambitum implent; ad superiores thecas scalæ cochleæ in speciem


Hujus Biblioth. meminit Puricellus in dissertatione Nazariana cap. 2. n. 2. & Pizolpassus in Mss. vitæ Archiep. Med. in epist. nuncupatoria.

Biblioth. Orientem versus sunt excit. ex Vitruvio lib. 6. Architect. cap. 7. & Henrico Salmuth. vol. pr. de rebus deperditis pag. 119.




ICHNOGRAPHIA BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ.

A. Vestibulum .
B. Bibliotheca .
C. Peristylium .
D. Aula Collegÿ Ambrosiani .
E. Aula Imaginum .
F. Viridarium .
G. Pinacotheca .
H. Museum artis statuariæ .
I. Porticus .
K. Sedes Graphidis .



ciem deducunt, nam cochlides eas scalas appellavere *Daniel Barbarus*, & *Gulielmus Philander* in Comment. ad caput secundum lib. IX. Vitruvii, *Ripamontius* in vita Card. Feder. pag. 239. cochleam *Budæus*, cochlidia *Strabo*; Vitruvium ætatis aureæ scriptorem sequutus fuissem, si ea voce esset usus. & ligneo margine circumeuntium vestigia tuentur: inferius transennæ oculos admittunt, non manus. Si quid vero in *autographis*, aut membranis pretiosi est, in scriniis ad angulos molis prominentibus delitescit. Sequitur peristylium; hujus foribus imminet picta tabula expressam ad imaginem ferens vultum *Federici* Cardinalis, tanta majestate oris, quanta, cum viveret, *Insubrum* oculis obversata est. Subjecta *epigraphe* indicat conditum ipsius beneficio Ambrosianum Collegium, & Bibliothecam, cunctasque quoque artes studio, & munificentia eadem restitutas. Octo nidi alternant spatia peristylii, in iis collocata signa fictilia corpore muliebri, vultus referentia scientiarum, & artium nonnullarum; singula vero suis apte insignibus ornantur, ac ferunt libros præceptores facultatum, & indices doctrinæ ejus; cujus species offertur oculis. Author operis *Dionysius Bussola* sculptorum *Insubrum* hac tempestate antesignanus. Fulciuntur porticu superiores aliquot ædiculæ ad secretos congressus Musarum, pergula autem ferreis undique clathris obsepta vadentes circumducit. Medium impluvium occupat palma, frondibus ex cupro comata. Hæc una respuit Hamadryades, lymphis videlicet contenta. Spiritus agit intus ludentes aquas, quæ arcanis erroribus vagæ ex summa arbore, ac frondium
50 apice erumpentes, subjectam musivi operis aream mergunt. Et fortasse aquas amœnitate loci delectatas putaverim, ne Musæ contubernales suum fontem expeterent. Ex peristylio itur in aulam Ambrosiani cœtus, inde in aliam ampliorem, utramque tamen fornicatam. Hæc varios vultus nostratium, & peregrinorum hominum literis, aut liberalibus disciplinis nobilium proponit spectantium oculis: quo recordatio illa præstantium virorum, & cognitio formarum recreet contemplantes. In hanc sedem inferemus postea codices descriptos; cum jam scrinia omnia exundent, libros non ante admissura, quam alii foruli accedant. Florentes deinde areolæ vestibulum pinacothecæ exornant: ut hic pinxisse natura, in museo ars floruisse videatur. Hæc, quemadmodum in præsens manet rerum forma, descripsimus; nam immutavit pleraque studiosa posteritas ad recentioris structuræ exempla. Nos vero indicasse talia non piguit: ne, qui nostras lucubrationes evolvere minime gravabuntur, *Ripamontio*, aut *Opicello* minus credant, aut contra nobis fidem negent, si ab eruditis scriptoribus, & *Federici* æqualibus videant diffidere. Porro pinacothecæ formam, & descriptionem in illos annos consulto rejicimus, quibus statuariorum, & pictorum schola vel instituta est, vel restituta. Ergo condita jam mole Bibliothecæ, dieque indicta, renuntiantur Collegii Ambrosiani Doctores, & sedes libraria aperitur. Sexto Idus Decembres in Æde Sepulchri peragitur cæremonia. Is potissimum dies placuit tum Conceptæ Virginis nomine, tum alterius diei celebritate, quæ olim Ambrosium *Insubrum* Pontificem inauguravit; utriusque enim patrocinio novi Collegæ committebantur. Et quamquam terno sinu pateat Sepulchri fanum, & xystos etiam superiores ferat, tum ad spectacu-
51 lum rei sacræ, cum fit, tum ad modulationes musicas, celebritati tamen sufficere haud potuit. In sinu medio, eoque ampliori, consederat *Federicus* princeps totius coronæ, juxta Cardinalem *Magnus Cancellarius Salazarius*, Præses *Jacobus*

A *Mainoldus*, Senatusque universus cum rerum capitalium Præfecto, pone Senatum Magistratus uterque: propius septis aræ maximæ assidebant itidem *Federico Vicarius Generalis*, & Templi Majoris *Canonici*. E regione Antistitis *Borromæi* rostra ad dicendum sublata: contra Patres Conscriptos sedere Præfectus urbis, & Ædiles: propius aræ succedere Dominicanus Quæsitor, Juris, artisque medicæ Consulti: tum reliqua fani spatia stipari *Præpositis*, *Theologis*que Collegiorum urbanorum, & municipalium, tum Præfectis, Laureatisque religiosorum Ordinum. Hæc orchestra;
B nam infimam caveam ad extremum sinum Templi, immo forum quantum est, totum permixti summis infimi homines stipatis corporibus implebant, multitudine (ut in conferta turba accidit) fluctuante. Certe res inaudita, ac invisa convulserat prope ex suis sedibus urbem, magnitudo etiam, & celebritas pompæ cives evocaverat ex tectis, studio præcipue *Insubrum* eo frequentius affluentium, quo res nova oculis usurpanda est, memori postea liberorum admirationi commemoranda. Invitabat etiam spectatores apparatus Templi barbaro peristromate nitescentis: forum ipsum obvelabatur laneo tegmine, descendentibus ad oram aulæis: pompaque tota à delubri valvis ad
C proximas molis Ambrosianæ fores definiebatur. Ergo veniente ad Ædem *Federico* occinuere chori: symphoniam excepit latina oratio Aloysii Bossii *Metropolitanæ* Basilicæ *Theologi*; dicentis hæc summa. Superis, hominibusque plaudentibus factum, ut Collegium Ambrosianum bono scientiarum conderetur: nec quidquam aliud ferme ad colendas literas augustius excitari potuisse, quam Templum veluti quoddam Musarum, ex quo oracula illuc adeuntibus, & Apollineos tripodes consulentibus redderentur. Sedem eam fore perennem, & peregrinis, nostrisque hominibus frequentem, ubi exteri sermonis scriptores discipli-
D narum commercia jungerent, *Græci* præcipue, & *Arabes* erepti flammis, & cladi sævitiæ vastantis cuncta. Hoc decus maximum urbi accedere, ut scientia linguarum & facultatum lacessere veteres *Athenas* posset, molis vero magnificentia nomini suo, & magnitudini responderet. Nolle tamen vanissimam tantum ostentationem ædificationis *Federicum*: proinde Collegas illuc induci, qui librariam eam supellectilem scribendo augerent. Quorsum enim membranæ subductæ ævo exedenti omnia inferrentur in nidos, aut barbaras etiam terras nostrates adiissent, nisi scriptis molem refer-
E cirent Collegæ? Blattis rectius, quam Musis substructam fore; satius quidem esse, ut libri legentium tandem manibus terantur, quam intacti temporis diuturnitate lacerentur. Sibyllinis profecto foliis fore simillimos, fierique semper ludibria ventis. Hanc esse mentem conditoris *Borromæi*, eaque lege substructam Bibliothecam, ut inibi cives cum exteris Phœbo, & Musis operentur; mystis vero ante omnes commendari hæc sacra literarum, eosque *Ecclesiasticorum* hominum Collegio ad fovendas facultatum omnium disciplinas incendi. Habita oratione, Doctorum novissimus de suggestu citat nominatim unumquemque Col-
F legarum: ac primo ex odeo aræ maximæ (ibi consederant Doctores) evocatur *Antonius Olgiatus* ductor literati agminis, atque præeunte cæremoniarum Præfecto provolutus ad Cardinalis pedes numismate aureo donatur, quod Collegii insigne deferret deinceps. Cudendum id curaverat *Florentiæ Federicus*, atque Deiparæ Divinam Prolem amplectentis imagine signandum: infra incisæ literæ, quibus rogabatur, ut se Collegii MATREM MONSTRARET; aversa facies numismatis ferebat ora Præsulum *Ambrosii*, & *Ca-*

Aloysii Bossii laudes vide in Athenæo Picinell.

52

53

Ex literis Gasparis Moli 3. Cal. Octob.

*Caroli*, quos omnes præesse Collegio voluerat. Divorum vultibus suberat hoc symbolum SINGULI SINGULA; nam singuli Collegæ emancipabantur facultatibus singulis, quas unas excolere jubebantur. Formam ejus numismatis cum *Federici* pietate conjunctam commendaverat admodum *Velserus*, bene Collegio ominatus, cui Virgo Parens Numinis præsideret. Eadem opera significabatur demandata *Olgiato* Præfectura Bibliothecæ, indicabantur studia parandi *syllabum* uberem librorum: conciliabatur etiam auditoribus commemoratione doctrinæ, & scientia, tum castimonia latini sermonis. Inter hæc plaudebant chori versiculis, quos scripserat *Sociacus*; tum *Horatius Casatus* Præfectus cæremoniarum (ex cujus adversariis hæc omnia hausimus) *Olgiatum*, qui submisso poplite jam coluerat Cardinalem, ante Patres Conscriptos constituit: quorum dexteras singularis officii causa osculatus, reliquos postmodum Magistratus, & consessum omnem salutavit. Eodem ordine deducuntur cæteri, nisi quod singulos sua elogia, atque studia comitantur. *Antonius Salmatius* latino, græcoque sermone spectatus pari honore insignitur: hunc *Josephus Ripamontius* ecclesiasticæ primum, tum patriæ historiæ scriptor elegantissimus, *Ripamontium* excepit *Antonius Gigæus* Hebraicæ, Syriacæ, atque Arabicæ linguæ doctissimus: *Gigæum Franciscus Bernardinus Ferrarius* ecclesiasticis antiquitatibus investigandis à Cardinali addictus, tum deliciæ Musarum *Benedictus Sociacus*, utrumque secutus est *Franciscus Collius*, quem Patres infulati Provincialis Conventus disceptantem de

Litteris 2. Idus Januarias anni super.

Ea adversaria servantur in Tabul. Bibl. Lucilius Terzagius in Dialogo de Bibl. Ambr.

54 Theologicis effatis audiverant. Adivere Cardinalem postremi *Antonius Rusca* pari Theologicarum disputationum adoreâ nobilis, atque Josephus Vicecomes, cui de Sacramentorum ritibus, ac cæremoniis scribendi provinciam detulerat *Borromæus*. Eminebant interea non modo *Federici*, sed universæ Civitatis studia, atque late circumfusus ad spectaculum populus, & plebes expectabat prodeuntem ex fano Antistitem suum, & Magistratus. Hoc vero ordine processere, præire sacri homines, deinde *Federicus*, *Federicum* subsequi *Magnus Cancellarius*, Senatus, & Ordines reliqui: recta itum ad Bibliothecam. Varius hinc ad spectaculum multitudinis clamor, obstrepente etiam auribus blande tubarum cantu; inde pro se quisque laudibus in cælum ferre Cardinalem robur, & spem literatorum: reseratis idem foribus spectare, qua licet oculis, sedem prope in immensum recedentem, atque, ut cuique proxima corpora stipaverat concursus, vicinis Collegas novos indicare. Primus in Bibliothecam inferre gradum Cardinalis, tum sequente Senatu, cæterisque Ordinibus ad molis caput subsistere. Enim vero ostendere Patribus Conscriptis structuram, docere singulos studia, animumque suum, monstrare scrinia, & nidos, tradere manibus tractandas Musarum opes. Ostendebatur liber *Ruffini Aquilejensis* contexus philyrâ, Divi *Thomæ Aquinatis autographum*, volumina divinæ magis, quam oratoriæ artis ad insidias animorum, quæ Divus *Carolus Borromæus* ad concionandi apparatum confecerat, sectis in singulas partes argumentorum quibusdam veluti ramulis (quidquid somniet *Maurolicus*, ascribens eas concionum arbores *Gregorio* nescio cui Ordinis Barnabitarum) ubertate rerum tanta in omnes locos oratorios, & in omnem di-

Ripamontius in vita Divi Caroli lib. 7. pag. 356.

In libro, qui titulum præfert *Mare Oceano di tutte le Religioni* pag. 400.

55 cendi materiam, ut aurei oris Præsules ipse aureus expressisse videatur. [a] Hæc volumina, impendente letho, legaverat *Carolus Joanni Francisco Bonhomio Vercellensium* Episcopo, quæ postliminio ad *Federicum Borromæum* patruelem *Caroli* redierunt, cum ea diligenter curasset vir integer-

[a] Fed. Card. Borr. in libro, cui titulus *de sacris nostrorum temporum Oratoribus* lib. 3.

A rimus [b] *Ludovicus Moneta*, nam [c] *Bonhomius* [d] *Leodii* decesserat. Evolvebantur itidem manibus Conscriptorum Patrum volumina literarum, quas idem Divus *Carolus* ad Legatos & Patres Tridentinæ *Synodi* sua manu scripserat, item aliæ *autographæ*; quas *Pius Quintus* Pontifex Maximus, *Paulus Jovius*, uterque *Manutius*, atque alii clarissimi viri exaraverant, aspersas adhuc lituris, cum irati suis lucubrationibus aliquando verterent stylum, & *Virgilii* liber, quem lectitando triverat pene *Franciscus Petrarca*; ejus voluminis latera animadversionibus idem Poeta illustravit, atque originem amoris sui, quo Lauram deperiit,
B in priori pagella exposuit. Liber descriptus est *Gothicis* prope literis, *Romæ* permagno emptus de Bibliotheca *Antonii Augustini* viri doctissimi. Ad hæc cernere erat codicem, qui Ruthenico sermone Euangeliorum oracula referret; hunc dono dederat *Petrus Porta* [e], sacro pariter munere donatus à *Federico*, segmine nimirum subuculæ Divi *Caroli*: exemplar item Bibliorum, quæ Hebræus Rabbi mille ducentis abhinc annis descripserat: tum Samaritanorum Biblia ex urbe *Sichem* advecta; porro liber uterque suam vetustatem qua literarum ductibus, qua conglutinatio-
C ne prodit. Offerebantur horrentibus oculis Mahumeticæ impietatis codices, & pestis nefaria *Alcorani*, Arabicis, Persicis, ac Turcicis literis ad Christianæ Religionis interitum vulgata, unus præcipue ab iis descriptus, qui *Juliæ Cæsareæ* degunt, stipatis ita versibus, tenuissimis literis, ac orbiculatâ forma, ut cum Homerica Iliade in juglande concludi ferme possit. Illa vero gregaria 56
(quæ tamen in cæteris Bibliothecis principes nidos obtinent) Græcanica, Hebraica, Syriaca, Persica, Chaldaica suis sittybis apte inclusa, quæ ad nos ex *Corcyrea* peregrinatione pervenerant: cum latini, atque italici sermonis codices
D descripti à librariis, ex Bibliotheca præcipue Cœnobitarum ad Ædem Virginis Coronatæ *Mediolani* deprompti, quorum beneficio munificentia Cardinalis large respondit. Dum hæc etiam Ordinibus reliquis offerrentur, Patres Conscripti mirari structuram operis, librorum copiam, & delectum: eademque admiratio defixerat Ordines singulos. Et quidem si æstimemus quantum auri in condendam Bibliothecam impensum est, quæ centum quinque millibus pondo signati æris stetit, sive ad coemendos apud exteras gentes libros, atque facienda itinera effusum est, sive
E librorum vim, cum nobilioribus *Europæ* Bibliothecis, etiam cum Vaticana certare posse judicabimus, & eminere fortasse. Neque vero sum nescius Pontificiam *Romæ* amplissimam esse conclavibus, ac libris refertam, eaque propter Ambrosiana majorem: verum humiliores thecæ, nusquam objecti advenientium oculis codices, nisi præsidentium humanitas eximat forulis, & nunquam patens ad studiosi laboris arbitrium Bibliotheca, hoc nomine concedere *Mediolanensi* videtur, quæ nidis in altum suspensis, propositis undique ad spectaculum libris, ac quotidie binas horas matutino, totidem pomeridiano tempore
F reclusa, cives, ac peregrinos homines ad literarum studia vocat, & excipit: immo si quid describendum est, gratuito pugillares offert, & stylum. At si cui hæc fortassis majora veris videantur, quod favere existimer huic instituto, sumptum facile credet, qui de tota mole candide judicabit; librorum certe vim intra triginta millia constitisse, vix dum nascente Bibliotheca, affir- 57
mat *Parona*, descriptorum autem quatuordecim millia; eorum, qui typis sunt vulgati, numerum iniri non posse *Wannemacherus* profitetur: ut saltem huic homini extero fidem habere cogan-

Valerius in vita S. Caroli. Glussianus in vita D. Caroli lib. 7. cap. 13. & lib. 8. c. 29.

[b] Moneta commendat. à Glussiano in vita D. Caroli lib. 2. c. 4. & à Carolo à Basilica Petri lib. 3. pag. 93. & sequ.

[c] De morte Bonhomii Ughellus tomo 4. Italiæ Sacræ in ep. Vercell.

[d] Liege.

[e] Ex literis sexto Idus Septembr.

Algieri.

Ex Calendariis Bibliothecæ.

In actis Conc. Mediol. 7.

In libro, cui titulus, *triumphus literatorum*.

gantur, qui *Paronæ* res patrias describenti minus velint assentiri. Certe Cardinalis *Bentivolus* Bibliothecam Ambrosianam *Europæarum* omnium nobilissimam, ac celeberrimam esse affirmavit (debuit enim esse magnificentissima, quæ condebatur à *Federico*). Et quamquam ipsa per se immanis, & oblata intuentibus codicum copia conditoris largitatem, & magnificentiam prædicat: nobis tamen hæc scribentibus nemo unus veniam negabit, si parva, atque exilia quædam citra dignitatem fortasse fuimus consectati; obsequendum enim fuit qua civium memoriæ, quam sensim vincet oblivio, nisi scriptores accuratius quædam tradiderint, quæ fastis, aut rerum copia, aut incuria persæpe subducit, qua etiam exteris curiose à nobis percunctantibus omnia, cum istuc adveniunt, atque rerum singularum monumenta exquirentibus. Dum hæc spectarent Patres Conscripti, & cæteri Magistratus, intervenit vespera; tum Senatui, ac reliquis Ordinibus egit ingentes gratias *Borromæus*, quod operis ejus, & Collegii primordia suo beassent aspectu; abiit postmodum affectantibus cunctis ad fores molis, à Præfecto autem urbis ad hexaphorum usque deductus: tum Patres, & Magistratus omnes discessere. [a] Sequenti anno Conservatores ad tuendam Bibliothecam primo creatos reperio, videlicet *Jacobum Terzagum* Templi Maximi *Decanum*, *Ludovicum Besutium* Canonicum *Ordinarium*, (hoc enim nomine nuncupantur [b] *Metropolitani Canonici*, aut quia in partem vocentur administrandæ Ecclesiæ, aut quia Antistes *Mediolanensium* [c] non nisi ex eorum Collegio crearetur, ac propterea *Vidonem Valvassorium*, qui primus extra illorum cœtum rem Ambrosianam capessivit, vitio factum tradiderunt scriptores). Renuntiati

58 præterea Conservatores à *Federico* *Julius Cæsar Bonhomius* Præfectus Basilicæ Nazarianæ, *Andreas Bassus* Laurentiano Templo Præpositus, *Joannes Petrus Glussianus*, & *Stephanus Bigattus* Sodalitio Sacerdotum Oblatorum Præfectus. Submoti à conservandæ Bibliothecæ munere fuerant profani homines; idque impetraverat *Borromæus* à *Paulo* Pontifice, qui consilium commendavit *Federici*: ne sacrorum hominum Collegio viri à sacris abhorrentes, & obligati plerumque conjugio præsiderent. Is autem honor servandi Collegii quinquennis est, & Romanæ censuræ simillimus, ac proinde quinto quoque anno abrogatos, mandatosve hos Magistratus memorabimus deinceps; his enim veluti consulatibus anni, & monumenta debent insigniri. Qui cæteros Conservatores honore antecedit, hic est pater agminis: singulis item sortito rerum agendarum, tuendarum provinciæ contingunt, atque unus eorum ærario præficitur. Constitutæ itidem leges sunt Collegio: ut tertio quoque anno singuli Doctores lucubrationes suas ederent typis (eaque propter ingentibus impensis parata est typographia plumbeis singularum pene linguarum formis) ut septimo quoque die cum convenirent, recitarent ordine lucubrationes suas, proposita iis pœna, qui cœtui minime interessent. Antequam publici juris fierent scripta, secreverat ex eo ordine, atque composuerat inter se Collegas criticos, qui censoria fere severitate inquirerent in lucubrationes alienas, ac tristem literam apponerent, si quæ adversis Musis forent natæ. Qui viginti, & quinque annos in Ambrosianis exercitationibus transegerit, is ut donetur rude, mandat Car-

59 dinalis: eisdem etiam legibus Collegæ alternis vicibus Collegio suo præficiuntur, Præsidis titulo ornati. Cætera demum exsequitur *Borromæus* ad suas cuique partes, tum Conservatoribus, tum Collegis recte obeundas; Doctoribus item stipen-

A dia decernit, queis honeste alantur. Enimvero hanc ingentem lætitiam, quæ *Federicum* ob fundatam rem Ambrosianam perfuderat, alia major est sequuta, cum cælum *Carolo* patrueli decretum est. Antequam tamen *Borromæus* Romam ad cælestes honores Sanctissimi Cardinalis proficisceretur, externa auxilia ad amplificandam Bibliothecam imploravit. A Cœnobitis, qui terras ad *Athum* in *Macedonia* colunt, libros Græcorum, *Monte Santo.* atque Illyricorum exquisierat *Jacobus Luccarus*, *Literis 15. Cal. Septembr.* & *Michael Maronita*, ac interea quidquid *Luccarus* collegerat, aut cum legatione in Oriente fun-

B geretur, aut longa peregrinatione lustraret provincias, quæ ad Occasum pertinent, descriptum mittebat ad Cardinalem, singula etiam de gente Otomanica tradens, atque ab origine usque repetens, adjectis insuper annalibus Epidauriis. Immo idem *Michael* cessationem suam oderat *Epidauri*; *Ragusa.* cum enim regionem vastarent *Turcæ*, inanem parandis libris operam collocabat, ac proinde volebat *Aulonem*, quæ in potestate *Turcarum* est. *Vallona.* Nec *Romæ Joannes* à S. *Maura*, *Græcus* homo, minime segnis librarius otio consenescebat (nam *Rivola lib. 4 cap. 14. in vita Card. Fed.* illius opera utebatur *Federicus*); is enim (quemadmodum nuntiaverat per literas *Papirius Bartolus*) *Sexto Cal Apr. & 5. Cal. Sept.* codicem *homiliarum* Divi *Cyrilli*, quem de-

C scripserat, conferebat cum Vaticanis exemplaribus, sicubi mendosa scriptio ab emendatis codicibus dissentiret. *Borromæus* quoque ad alendos Collegas proventus Ambrosianos auxerat; nam amplissimos fundos emerat prope pagum *Gudi Gambareni* perennibus aquis irriguos ad beatitatem soli. Cum vero ineunte Novembri Pontifex Max. 60 in cælitum numerum esset relaturus Beatum *Carolum*, adornandum fuit iter *Federico* ad patruelis sui *apotheosim*; idcirco Conservatorum, & Collegarum punctis facta est potestas *Josepho Ripamontio*, *Antonio Gigæo*, & *Benedicto Sociaco*,

D ut irent comites itineris, atque conditorem Collegii sui *Romam* prosequerentur. Quandiu vero in ea urbe commoratus est *Borromæus*, cæremoniæ ejus pompam, & magnificentiam regio sumptu curavit. Nobis tamen satis erit indicasse nonnulla, cum eam consecrationem totam *Grattarola* diserte descripserit, sicut usurpaverat ipse oculis, & ejus cæremoniæ initia, atque exitum solicite apud Purpuratos Patres, & reliquos Ordines tractaverat. *Libro, cui titulus I successi maravigliosi di S. Carlo. Grattarolam laudat Sociacus lib. 6. epig.* Sacræ quidem vestes tum tegendis aris, tum ad sacros operantium amictus acu pictas, gemmisque distinctas ita miratus fuerat *Angelus Rocca* Præsul literatissimus, atque Æedituus major

E Summi Pontificis: ut vaticinaretur, Quirites *Ex Grattarola par. pr. cap. 47.* ejusmodi indumenta, & opes visuros nunquam; immo ipse Pontifex Maximus negaret Romanas acus phrygiæ ejus artis opera conari posse. Nos cum libros rationum in hac Bibliotheca consuleremus, qui expensas consecrationis fideliter narrant, ancipites diu fuimus, utrum plus æris in eam cæremoniam impensum sit, an effusum, an utrumque. Sive enim Italico, ac phrygio opere elaboratas vestes æstimamus, quæ ad Romanam, ac Mediolanensem pompam sunt paratæ, sive substructam in Romano Templo Divi *Petri* insa-

F nam molem, sive in apparatu *Metropolitanæ* Basilicæ *Insubrum*, vestiendis videlicet immanibus pilis, ac pingendis tabulis, quarum majores facta *Caroli* spectantibus offerrent, minores vero mala, & morbos à cælesti Averrunco depulsos referrent, tum excitandæ in ipsius Sanctissimi Præsulis tumulo aræ sub profundo despectu testudinis, ingentibus impensis omnia peracta reperimus. 61 Tanti nimirum stare debuerat *Mediolanensibus* ea pompa; alia enim omnis aut minor fuisset magnificentia civium, aut impar ejus magnitudini, cui cælestes honores quærebantur. Eam sane dum in-

strue-

ſtrueret pari animo, ſumptuque *Federicus*, commendavit *Antonius Seneca* magnificentiam Principis, monuitque, ut magnitudinem, ac faſtigium Ambroſianæ infulæ, tum ſacri muricis decus acceptum Beato *Carolo* referret, qui teneram illius ætatem compoſitiſſimis moribus finxiſſet; cum enim vir Sanctiſſimus curam in ſe adoleſcentis *Federici* reciperet, *Ludovici Monetæ* viri lectiſſimi, atque ipſius *Senecæ* judicio, profeſſus eſt, ſe formandi patruelis ſui libenter negotium ſuſcipere, quod Eccleſiæ toti, *Mediolanenſi* præſertim, futurus eſſet adjumento. Nec fefellit ea divinatio vatem, tantum enim oraculum *Federicus* implevit.

Literis 12. Cal. Septembres.

B Jam redierat *Roma* Cardinalis, cum abit miſſus à *Borromæo* in *Hiſpanias Franciſcus Bernardinus Ferrarius*. Placuit *Federico* ingenium hominis, non modo quia obeundæ erant provinciæ, quæ illuſtres viros gignunt literis, verum quia dexteritatem miram ineſſe *Ferrario* intelligebat ad illam negotiationem. Accedebat Græci, Latinique ſermonis ſcientia, tum apta indoles captandis moribus exterorum; & quidem bene cœptis aſpiraverat primum fortuna, poſtea obſtitit propter incommodam valetudinem *Ferrarii*. Sic noſtris conſiliis fata imponunt: & quibus mens valida eſt, eorum conatibus corporis interdum imbecillitas officit.

*Anno* 1611.

C Cardinalis probavit iter maritimum brevius, ac utilius ob *Saulianam* Bibliothecam, quam proſtare pretio apud *Ligures* acceperat. Juvit hoſpitem *Ferrarium Genuæ Bartholomæus Clappius*, quem ad Bibliothecam Cucullatorum deduxit Orientalium linguarum codicibus opulentam, atque eadem opera explorare juſſit libros, quos Epi-
62 ſcopus *Brugnati* ceu amplam Muſarum gazam comparaverat. Simul ex ejuſdem *Clappii* literis intellexerat *Borromæus*, quam diligenter ſuum penſum accuraret Ferrarius in exquirendis libris deſcriptis in Cœnobio, quod vulgo vocant *Hoſpitalettum*; ſed fruſtra locatus labor negotiationem perdidit; nam ea lege *Philippus Saulius* ſuos codices legaverat Cœnobitis, ut eos illico faceret exhæredes bonis ſuis, ſi libri unquam venum irent.

Ex literis ejuſdem Clappii 5. Cal. Majas, & Nonis Majis.

Brugnetto.

D Itaque navigatio cogitari ſerio cœpta eſt; quippe *Liguſtica* expeditio non ultra quærentem morabatur. Obſtructos enimvero alios omnes ventos fuiſſe, præter Japyga tum putamus, cum ſolvit *Ferrarius*; nam celeri adeo, pacatoque curſu lymphæ detulerunt vectores, ut triduo tranſmiſerint mare inferum, ac tenuerint *Barcinonem*. In ea urbe proſpere tranſacta negotiatio eſt; nam quemadmodum totius citerioris *Hiſpaniæ* creditur florentiſſima, ita quærenti Ferrario plurima volumina obtulit notæ primoris.

Barcellona.

E Et quidem codices lectiſſimorum ſcriptorum, quales fert *Hiſpania* literatis hominibus, atque Academiis compluribus felix, in officinis proponebantur emptori, nec alibi plumbeis formis impreſſi; ſingulari fortaſſe ornamento ejus urbis, aut civium ſtudio, aut opportunitate portus, quo facile ad regiones exteras devehuntur. Profectus *Barcinone* adiit *Ilerdam*, nec ſine magno peregrinationis ſuæ compendio, ab *Ilerda Cæſarauguſtam*. Inde *Complutum* venit inclytam omnis literaturæ ſedem; habent hic nimirum ſcientiæ cultores optimos mira ingeniorum felicitate graſſantes ad ſummum decus, earum præſertim facultatum, quæ nodis implicant mentes.

Lerida.
Saragozza.
Alcalà.

F *Complutenſis* enim Academia omnium Philoſophorum ſcholis abdita diſciplinarum myſteria interpretatur. Tanti igitur gymnaſii fama peregrinantem *Ferrarium* ſerius dimi-
63 ſit, quod alloquio doctorum hominum frueretur, & conquirendis codicibus in ea urbe omnino longius reſiſtere deberet. A *Complutenſibus* vadit in *Carpetanos*, atque ad *Hiſpaniæ* totius columen *Madritum*. Cælum etiam exteris mite:

Caſtiglia nuova. Madril; Madritum appellant Ferrarius in Lexico Geographico, Ripamontius in vita Federici lib. 3. cap. 16.

A tellus non modo pluribus aquis irrigua, ſed hortenſibus etiam opibus, qua ſoli ingenio, qua cultu diteſcens. Amnis, vulgo *Manzanares*, ex montium cacumine delapſus ad regias ædes fluit. Jungit utramque ripam fluminis pons multiplici arcu ſubnixus: alveum vero definiunt arbores miræ ſalubritatis aquas vehentem, tum curandis corporibus, tum ad levandos æſtus. Forum ingens quadrati operis, veteri hippodromo ſimillimum, late ſinum *Madriti* aperit; id loci ſpatium cingitur propylæo, quo ſublata ſpectacula ad deſpiciendos ludos. Regis palatium veteri ſtructura conditum:

B frontem molis excitavit *Peregrinus* de *Peregrinis* Archimedes *Mediolanenſis*, cujus ars potiſſimum eminuit faſtigio immanium operum, quæ in urbibus, agroque Inſubrum admiramur. *Madriti Ferrarium* comiter habuit *Hieronymus Caimus* Patritius *Mediolanenſis*, in ſupremo rerum Italicarum Conſilio *Regens*, ac peregrinationi hominis nunquam ſuis ſtudiis defuit. Inde itum ad *Toletanam* urbem; quidquid ibi apothecæ propoſuerant venale, acceſſit *Ferrario*; nam urbs ea, qua magnitudine, qua frequentia civium, atque vicinia regiæ ſedis, literarias ejuſmodi merces habet opulentiſſimas.

Ut liquet ex literis ſexto Nonas Quintiles.
Toledo.
Salamanca.
Andalucia.

C *Salmantica* tum vero fuerat obeunda, quemadmodum *Bætica* Provincia, ac *Luſitana*: verum quia inanes eas ſedes libris periti locorum affirmabant, minime illam expeditionem *Ferrarius* ſuſcepit. Et quidem *Salmanticenſi* itinere, quamvis breviori, fortaſſe abſtinuit, quod jam morbo tentari cœpiſſet: alioqui nobilitas gymnaſii invitaſſet hominem in rebus ejuſmodi minime hoſpitem. Interea cum 64
apud *Carpetanos* curaret *Mediolanenſis* Bibliothecæ incrementa, *Eſcuriaci* ingentem Bibliothecam à *Philippo Secundo* Rege *Hiſpaniarum* ſubſtructam inſpexit in Cœnobio *Laurentiano*. Inſanæ quidem molis conclavia, quorum alterum vulgatos codices, alterum deſcriptos continet,

Portogalla.
Eſcuriale.
Abrahamus Ortelius, & Jacobus Middendorpius.

D *Philippum* hunc *Macedone* majorem eſſe affirmabunt, atque *Philippico* nomini infenſum *Demoſthenem* conciliarent, ſi ab inferis poſſet excitari. Invaſit ab *Eſcuriaco* reducem *Ferrarium* longinquus morbus, tum quia nondum aſſueverat cælo, tum quia iter fecerat ad inquirendos codices Quintili menſe, cum Procyon furit noxius nimium corporibus. Difficile autem expugnari poterat morbus; quod enim præſentiſſimum erat in ſecanda vena remedium, ea incidi minime poterat, cum eſſet *cacoſtomachos*.

E Seſe tamen laboranti *Ferrario* pro virili adfuturos, & *Hercules Ramuſius* medicæ falcutatis peritiſſimus, & *Hieronymus Caſtanus* nuntiaverant Cardinali, qui ad deferendam *Philippo* Regi unam ex coſtis Divi *Caroli* miſſus fuerat *Madritum* à *Federico*. Defunctus tandem morbo exceſſit è *Carpetanis*, atque *Cæſarauguſtæ* convenit *Gabrielem Soram* virum ex Sodalitate Jeſu doctum in primis, qui inſtructam à ſe Bibliothecam humaniſſime *Ferrario* oſtendit. Redeunti placuit iter terreſtre, ſuperatiſque *Pyrenæorum* montium jugis, quæ *Hiſpaniam* dirimunt à *Gallia*, contendit *Avenionem* ad Patritium *Fattorium* ſuaviſſimum hominem (ut ſæpiſſime ejus

Literis 3. Cal. Sextiles.
Rivola lib. 4. cap. 21. vitæ Fed. Borr.

F viri comitatem laudavit mihi memor maxime officiorum *Ferrarius*) à quo cum audiviſſet *Fattorius* acceptiſſimum fore Borromæo Antiſtiti, ſi codices, & membranas conquireret ad opulentiam Ambroſianæ ſedis, omnem ſuam operam adhibuit, ſcriptis etiam ad Cardinalem literis, quibus monebat *Federicum* de libris à ſe repertis:
quos inter recenſebat codices *Decretalium* (ut vo- 65
cant) deſcriptos, ornatoſque pictura, iique ferebantur quondam in *Joannis Vigeſimi Secundi* Pontificis Maximi poteſtate fuiſſe. A *Tranſalpinis* ad *Gallos Inſubres* revenit cumulata Cardinalis lætitia,

Ex literis Cal. Decembres.

tia, cum sospitem *Ferrarium* cerneret, advectamque simul librorum copiam, quam *Hispana* peregrinatio comparaverat. Nihilo felicius peregrinatum legimus *Michaelem Maronitam*, nec morbo tristem tantum, sed etiam funestatam ipsius *Maronitæ* letho expeditionem, quemadmodum narraturi sumus. *Michael* hic, cujus ante meminimus, cum esset inter *Federici* familiares, multum sibi emendatis moribus, ac literis demeruerat herilem animum, seque negotiationi tantæ idoneum probaverat. Porro *Maronitas* appellari gentes eas satis constat, quæ *Libanum* montem colunt (quamvis aliæ ejusdem factionis etiam in urbibus *Damasci*, *Hierapolis*, *Tripolis Syriæ*, atque in insula *Cypro* versentur) à *Marone* quodam morum, ac disciplinæ severioris restitutore. Accipit igitur à Cardinali *Michael* commendatitias literas ad *Marcum Parutam*, & proceres *Venetos*: quibus magnopere commendaverat *Borromæus* *Maronitam* euntem ad damnatas fere terrarum orbis provincias, *Persas* videlicet, *Babylonios*, *Ægyptios*, & *Medos*; cur autem profectionem hanc unam minime alicui de Collegis mandaverit *Federicus*, idcirco opinamur, quod pars aliis peregrinationibus fessi, pars operibus lucubrandis essent addicti, quæ veluti scriptorum vicaria terras omnes peragrarent. Fortasse etiam *Hispanæ* peregrinationis exitu permotum Cardinalem arbitramur, ne Collegæ morbo impliciti Musas habere res suas juberent, aut missum ad populares suos consulto *Michaelem*: ut, cum patrias sedes repeteret, gratior esset tribulibus, atque adeo in-

Libro primo.

De Maronitis agunt in literis suis nuntiatoriis ad Summum Pontif. quæ in Ambros. Bibl. servant. Elianus, & Raggius ex Societ. Jesu. Damasco, Aleppo, Tripoli.

66 gentem prædam ex *Maronitarum* forulis conveheret. Ergo *Maronita* literis *Federici* commendatus optimatibus *Venetis*, *Parutæ* opera maxime usus est *Venetiis*, admissus etiam in onerariam navim, quæ Prætorem *Hierapolis* ad sedem illam, honoris obeundi causa, ferebat. Idibus Juniis ingressus iter ad calendas sextiles *Corcyram* tenuit, peregrinatione *Salmatii* viduatam opibus, statimque alias insulas cogitavit *Zacynthum* videlicet, & *Cretam*. Ex *Zacyntho* quidem, cum eam insulam adiisset, scripsit literas Cardinali, indicans operam, studiumque suum in comparandis codicibus; quæ sane literæ desiderare videntur *Ripamontii* in scribendo fidem, qui *Maronitam* ex *Corcyra* recto itinere profectum *Tripolim Syriæ* affirmavit, ad quam urbem concessit postea magno peregrinationis fructu. Namque oblatis sacris muneribus, quæ large tradiderat abeunti *Federicus*, incendit adeo Præsulis, atque civium animos, ut pro se quisque gestiret hunc literarum institorem cumulare codicibus, nobiliora quæque depromendo. Inde, postquam refertam libris arcam religiosis hominibus Franciscanæ familiæ in *Italiam* profecturis commisit, ad montem *Libanum* pervenit. Natale id fuerat solum *Maronitæ*, atque cum ibi *Antiochenorum Patriarcha* principe tanquam in sede cunctos late populos moderetur, detulit *Michael* Antistiti sacra dona, exuvias nimirum Divi *Caroli*, casulam unam, atque calicem ad rem divinam. Quæ munera cum mirum in modum *Petrum Patriarcham* devinxissent *Borromæo*, gratias deinde egit, significans præterea animum suum, atque earum gentium vota: velatum se tradito amictu fecisse coram Archiepiscopis, & Episcopis, qui sibi obtemperarent: eundem calicem impositum aris ad potum Divini Sanguinis, populo interea sacris circumfuso:

Corfu. Ex literis sept. Idus Augustas.

Zante, e Candia.

4. Idus August.

Dec. V. lib. 3. cap. undeviges.

[illegible] Cal. [illegible]

67 omnes simul, cum *Liturgia* perageretur, pro incolumitate *Federici* implorasse clementiam numinis: aliquot *Chaldæorum* libros jam creditos *Michaeli*, aliosque traditurum insuper, si offerantur; quod ad se attinet, obæratum, ac nexum esse Cardinali, quemadmodum id intellexit ex

A *Georgio Amiræo* Archiepiscopo, cum viveret *Clemens Octavus*: ejusdem benignitati commendatum suo quoque nomine velle *Georgium* Antistitem *Cypri* ad legationem *Romanam* proficiscentem. Hæc *Patriarchæ* illius sensa fideliter exposui, quemadmodum literæ narraverunt legenti. Ventum inde est *Hierosolymam*; in ea urbe Biblia descripta Chaldaice sunt empta; jamque volebat *Babylonem*: verum, prohibente procella, maluit adire *Byzantium*, quam in *Ægyptum* penetrare. *Byzantii* vero quamquam jam dudum artes ingenuæ ob turcicæ feritatis impotentiam defloruerant, plurimos tamen coemit libros, qua Medicæ, ac Astronomicæ, qua Arithmeticæ facultatis,

Gierusalemme.

Cairo, è Babilonia. Constantinopoli.

B *Turcicis* item, *Persicis*que literis exaratos codices, *Paruta Veneto* homine eam conquisitionem juvante, qui tum *Constantinopoli* morabatur. A *Byzantio* revertitur *Hierosolymam*; audiverat siquidem ex Franciscanis complures *Chaldaicorum* libros in ea urbe venales proponi. Lustrata iterum *Hierosolyma* post varios tempestatum, atque locorum, hominumque casus, ex quibus partim bono dolo, partim benevolentia Divum emerserat, *Hierapolim* revenit, ubi *Persici*, atque *Armeni* sermonis volumina collegit. Inter hæc adesse lethum homini:

Aleppo.

C sive vis morbi dejecerit *Michaelem* longa navigatione, laboreque confectum, sive cum obiret vicinas regiones, contracta tabe, nam vulgaris morbus per eos dies finitimas *Hierapoli* sedes depopulabatur. In cœnobio *Franciscanorum* mortalitatem explevit: ex eoque Ordine cœnobitarum unus fatum Maronitæ nuntiavit 68
Cardinali. Triste id nuntium fuit, cum desiderio ipsius *Michaelis*, tum jacturæ metu, ne collecta librorum copia periret; quamquam veluti funeris providus *Maronita* miserat cuncta ad *Parutam*, eaque postmodum reddita *Federico*. Maximam vim pecuniæ *Borromæus* in consanguineos

D *Michaelis* effudit, gratum hac ratione animum suum testatus, cum reddere superstiti beneficium haud integrum esset. Sic ereptus nobis est *Maronita* neutiquam rudis, & barbarus, quales habet tellus illa cultores turcica crudelitate efferatos, verum suavitate morum, & disciplinis ad humanitatem factus. Profecto spem *Borromæi* præcidit lethi malignitas; reversus enim *Maronita* tanto negotiationis suæ fructu, quantum attulit, cætera fuisset executus, quæ literas exornare potuissent. Omnis itaque peregrinatio in *Michaelis* funere conquievit: nec quisquam amplius ad exteros missus, nisi *Gigæus*, cujus expeditionis rationem reddemus, cum tempus poscet.

E Et quidem me quoque juvat, velut ipse in longi itineris partem venerim, conquisitiones tandem omnes peregrinantium *Insubrum* descripsisse. Tot enim terras *Europæ*, atque *Asiæ*, quas certe nunquam pedibus teram, regionum inter se intervallo longe dissociatas, pervagari scribendo debui: ut jam aliena peregrinatione fessus littus libentissime attingam. Præterea nemo non unus æquum magis animum afferet ad evolvenda rerum monumenta, quæ pene habitant in oculis, nam citra mendacium referuntur, ac legentium animos blanditer tenent.

F Quamobrem redimus ex peregrinationibus ad Ambrosianam molem gestiente animo, cum cætera deinde futura sint in expedito; veluti qui se itineri commisit, si ex saltibus, ac præruptis montium jugis evaserit, reliquam viam vorat: ita nos eo lubentius prosequemur reliqua, quo longius iter emensi peregrinas regio- 69
nes peragravimus aliquando, immo tot maria aliena navigatione trajecimus. Hic idem annus Collegium ditavit; nam Pontifex Maximus pecuniam *Ticinensi Borromæorum* Collegio late ex supervacaneo reditu redundantem tanto rursus operi

Ex dipl. Pauli V. decimo tertio Cal. Augustas.

*P. P. Boscha.* C do-

Ex publicis tabulis 13. Cal. Septembres.

donavit: atque à *Mediolanensi* Nosocomio empta prædia in agris *Laumellinæ* rem Ambrosianam amplificavere. Super hæc conquirebantur adhuc codices; *Alexander Turrianus* Antistes *Scythiæ*, & *Hierapytnæ* sic egerat cum *Cretensium* Archiepiscopo: ut ambo operam suam omnem in comparandis voluminibus promitterent, seque eam provinciam cæteris *Cretæ* Episcopis demandaturos, quorum nomenclaturam fuse suis in literis exsequitur *Turrianus*. *Pisis* collegerat *Gratius* descriptos codices *Græcorum*, qui olim in potestate fuerant *Mercurialis*: ac *Romæ* aureis numis quindecim emerat *Papirius Bartolus* librum de illustribus *Italorum* familiis, cui (ut arbitramur) adulterinum *Fanusii Campani* nomen veterator *Cicarellus* imposuit. *Neapoli* res feliciter procedebat *Fabii Leuci* dexteritate, quærebatur autem ibi à *Guidone Cavalcantio* Arabici sermonis docto liber vocum ejus linguæ (vulgo *Camus*) quem cum Regi *Hispaniarum* antea dono dedisset *Cavalcantius*, indicabat ejusmodi codicem *Byzantii* centum aureis venalem esse. Hunc vero *Camum* accepimus post, ac linguæ Arabicæ studiosis profuit magnopere. Et quia *Federicus* inducere in Collegas nostros Arabici sermonis scientiam decreverat (quemadmodum postea feliciſſime *Gigæus* est assecutus) transegerat negotium *Franciscus Platea* cum *Didaco Urcensi* verbis *Borromæi*, ut se *Mediolanum* ad doctrinam ejus linguæ conferret. Satisfacere tamen Cardinalis voluntati minime potuit *Didacus*, quod *Neapoli* ob rei *Hispa-*
70 *næ* commoda moraretur: studia quidem sua indicavit, atque rationem comparandi Arabum codices, pollicitus etiam iturum se in Orientis plagas ad ejusmodi negotiationem. Hanc exercitationem, ac disciplinam *Orientalium* (est Ripamontii, & recentiorum) linguarum gratulatus est maxime *Federico Joannes* à *Jesu Maria* Antistes Carmelitarum *nudipedum* (vulgus excalceatos vocat), quod plurimum esset futura ex eorum usu, qui ad sacram *Persidis* expeditionem mitterentur. Quæ *Joannis* sensa testatus etiam est *Antonius Seneca*; nam cum *Federicus* ingenti incremento augere rem Christianam vellet, volvebat animo quemadmodum *orthodoxæ* Religionis rudimenta Persice descripta in mediam barbariam inferri possent. Tantis vero cogitationibus servire debuerant Ambrosiani Collegæ in scribendo *catechismi* codice, & severioris instituti Carmelitæ, quos tum Cardinalis inducebat in urbem, amplis deinde sedibus exædificatis in regione, quam à *Novellio Tricongio*, Novam appellamus. Reperimus quidem, cum literas ad *Federicum* scriptas digestis in annos singulos voluminibus colligeremus, *nudipedes* Carmelitanos de *Persica* expeditione retulisse Cardinali, memorando homines securi percussos, excisasque ante familias, quam veri numinis cultum ejurarent; quæ tabulæ indicant studia *Borromæi*, cui velut duci, atque auspici nuntiarentur enucleate Catholicæ institutionis incrementa. Cum tertio quoque anno, ut Ambrosianis legibus cavetur, Collegæ jubeantur vulgare typis lucubrationes, aut saltem adornatum opus ostendere Censoribus, abrupit moras omnes Poesis *Sociaci*. Facta sibi à *Salmatio* Præside Collegii potestate (id enim est moris) edidit *Sociacus* sylvas, atque opuscula sacra blandientibus utique Musis, cum ubique accuratæ imitationis vestigia emineant in adumbrandis *Papinii* sylvis. *Sociacum* æmulati Doctores cæteri professi sunt anno se-
71 quenti, quibus studiis darent operam; & quidem *Salmatius* publici fecit juris libros *Joannis Zonaræ* in Canones veterum Conciliorum, quos latina primus omnium lingua donaverat: & *Ferrarius* de antiquo Ecclesiasticarum epistolarum genere

Literis pridie Cal. Jan.

Leo Allatius de hoc libro in animadversionibus ad libros Alphonsi Cicarelli.

Ex literis sexto Cal. Octobres.

Literis 4. Nonas Octobres.

*Anno* 1612. Literis 18. Cal. Januarias.

Persia.

Literis 14. Cal. Jan. Rivola lib. 3. cap. 28. in rebus gestis Federici.

De Novellio Cagnatus variarum observat. lib. 3. cap. 2. & Plinius lib. 14. cap. 22. & Alciatus hist. lib. 2. ejusque simulachrum adhuc imminet portæ urbis.

Literis Prosperi à Spiritu Sancto anni 1625.

*Anno* 1613.

A eruditiſſimum opus vulgavit. Collegarum autem lucubrationes mittebantur ad exteros, mandante *Federico*, atque viciſſim referebantur ad nos alii codices, quos deferendos curaverant *Andreas Schottus* ex Sodalitate Jesu, & *Hieronymus Gratianus* Carmelita. *Madrito Hercules Ramusius* miserat codicem descriptum Arabice, sibi ab *Alonso Ramone* traditum; apud *Turcas* vero, atque Basilianos Cœnobitas in monte *Atho Georgius Barbatus* Epirota libros græco sermone exaratos, quos *Olgiatus* Bibliothecæ Præfectus ab eo expetiverat, se invenisse nuntiaverat Cardinali; Epi-
B dauri autem *Guido Cavalcantius* rem hanc librariam pro virili curabat. Cum eodem *Epirota* egerat *Hieronymus* Comes, ut antiqui Græcorum Patrum codices compararentur; quorum aliquos cum jam *Romæ Mauritius Bimius*, librarius ad rem attentus satis, descripsiſſet, eos avide postea expectabat a *Bartolo* Cardinalis. Horum vero studia erga *Borromæum* præverterat *Athanasius Misiæ* superioris Antistes, misso homine, qui undique græcanici sermonis libros coemeret, exscriptos in primis. Quæ exterorum officia cum Ambrosianas opes amplificarent quotidie, vendicavit sibi interea Religio *Federici* curas, atque
C ad alterius molis magnitudinem *Aronensium* montium fastigia submisit. Videbimur hic aliquibus fortasse ab rerum scribendarum ordine declinare, si de natali cubiculo Divi *Caroli*, atque cellulis ad Religionem loci positis tradamus; verum juvat, varietatibus distinguendo opera, legentium tædio obviam ire, neque enim importuna erunt hæc diverticula, quando novam molem *Federi-* 72
*cus*, atque substructionem totam Ambrosiani Collegii Conservatoribus commisit. Qua *Verbanus* lacus stagnantium late aquarum desidiam indignatus lymphas erudire videtur ad cursum, ac parvo locorum intervallo exundans, violentum
D deinde amnem per medias cautes propellit, lacum utrinque claudunt duo oppida [a] *Arona*, & *Angleria*. Hanc non obscuri [b] scriptores, aut ab *Anglo Hectoris* filio, aut à nepote *Æneæ* conditam ferunt: quamquam alii malint parentes oppidi fuisse *Anglos Saxones*, qui cum *Longobardis* in *Italiam* irruperant. Idque oppidum qua magnitudine sedis, qua opibus, ac imperio finitimarum gentium in urbem excrevisse postmodum, regiumque ibi domicilium *Regem Bellovesum* posuisse. Apud rerum *Mediolanensium* scriptores, immo in tabulis publicis, urbiculam hanc frequentius *Stationæ*, quam *Angleriæ* nomine appellatam
E legimus, sive à statione militum *Romanorum*, quorum meminit [c] *Bonaventura Castillionæus*, sive à sede Præfecti, qui accolis *Verbani* jus diceret, sive quia statio illa esset navigiis fidiſſima, cum recedentes in sinum aquæ portum aperiant. *Corius* autem à *Stationo* quodam appellatam docet, qui deletum à *Gothis* oppidum restituit, suoque nomine insignivit. Hæc propiora veris existimamus, quam ut ejus oppidi originem ad filium, aut nepotem *Æneæ* authorem referamus: urbis autem ejus vestigia se nunquam reperisse *Carolus* à Basilica *Petri* profitetur. Cæterum *An-*
F *gleria*, cum *Longobardis* cessiſſent cuncta, venerat in potestatem *Athonis Vercellarum* Episcopi, & qui regio genere prognatus, cum palatium, pomœrium legasset Archiepiscopis *Mediolanensium*, Pontificales divitias auxit in majus. Delectatus postea loci ingenio, ac montis fastigio, munitiſſimam arcem substruxit *Joannes* Vicecomes infula, ac dominatu *Insubrum* potens; cujus 73
tamen antea conditorem fuisse *Othonem* Vicecomitem *Bugatus*, *Rolandum* vero Regem *Angleriæ* tradit *Castellus*, atque altiſſimum in penitioribus cautium visceribus puteum effodisse, quem etiam-

Literis Antverpiæ scriptis 6. Cal. Apr.

Literis Cal. Maji.

Literis per Hieronymum Batalcam scriptis sexto Non. Quint.

Literis Nonas Octobres.

*Anno* 1614.

Literis 13. Cal. Junias.

Literis undecimo Cal. Quint.

Bulgaria.

Literis Idibus Aprilis.

Diplomate anni 1625. Id. Novembris.

Lago Maggiore.

a Arona, & Angiera.

b Bugatus lib. pr. hist. Corius parte pr. & Castellus in Mss. Alciat. in Inscript. Mss. Castillionæus de Galliis Insubr. Ripamont. lib. 1. hist. Eccl. dec. pr. Gualvaneus Flamma, Bergomen. in suppl. chron. lib. 12. ad annum 1023. Merula in antiquit. Gall. Cisalp. lib. pr. c. 8. Puricellus in monum. Basil. Ambros. n. 578. Inglesium etiam fuisse appellatam Angleriam tradit Chalcus lib. 10. hist. p. 213.

c Libro de Gallorum Insubrum antiquis sedib. Lib. pr.

In libro, cui titulus Nova ria sacra lib. pr.

Ex tabulis supremæ voluntatis.

Idem Castillionæus.

Lib. 4. in hist. compendio Mss. vitæ Principum, ac Ducum Med.

etiamnum incolæ, adulterino nomine, *Orlandi* appellent. Vicecomitum quidem magnificentiam, atque adeo authores fuisse arcis ejus, probant parietes *Othone* plurimo picturati; tanti autem moratos fuisse *Mediolanensium* Duces oppidum *Angleriæ* legimus, ut se *Anglos*, atque *Comarchos* ejus oppidi vocitarent, rati se nimirum ornatos eorum nomine, ac possessione, qui regnum *Italiæ* obtinuissent, atque Imperatoribus, antequam inaugurarentur, *Liturgiæ* librum ad sacramenti sanctitatem proponerent, & Crucem paulo post eorundem osculo offerrent ad eam columnam, quæ adhuc vetustatis ingratiis stat ad valvas Ambrosianæ Basilicæ. Sed, ut mos est rerum humanarum alternis semper vicibus fluctuantium, invasit *Angleriam*, sublato Archiepiscoporum dominatu, *Matthæus* Vicecomes, cujus flagitii causa communione sacrorum est prohibitus à *Cassono Turriano*, qui eo tempore Pontificatum *Mediolanensem* obibat. Nostra ætate *Angleriam* tenet inclyta *Borromæorum* Familia, quemadmodum reliqua *Verbani* ora eidem genti paret. Ex adverso in lacus littore *Arona* urbis speciem mentitur, inclusa mœnibus, & portu, emporioque commoda finitimis. Huic oppido arx imminet munitissima, in imperio quondam Archiepiscopali contenta, nunc Martis opibus tuta provinciæ *Mediolanensis* fines tuetur. Ergo cum in arce *Aronensi* Divum *Carolum* parens *Margarita Medicæa* esset enixa, neque illuc ob militis præsidiarii stationem, ad colendum *Borromeæ* sanctimoniæ domicilium evadere peregrini homines possent, in proxima montium juga evulsum sedibus suis natale cubiculum transtulit *Federicus*. Excitatum deinde templum sumptuosi operis Divo est, adjecto in speciem *Lauretanæ* Ædis cubiculo, cui circumfusa iterum luce sidera alluserunt, quemadmodum ex tabulis testata res est. Lapidem primum salutari signo, atque cæremoniis rite expiavit *Federicus*: aderantque spectaculo *Philippus Archintus Novocomensium*, & *Petrus Georgius Odescalcus Viglebanensium* Antistes, clara item, atque obscura capita affinium agrorum, & *Verbani*. Monti impositum *Caroli* nomen, ædiculis per certa intervalla dispositis: ut fictili opere subjiciant oculis res gestas Divi, cujusmodi sacella spectamus in *Varisiano* monte Magnæ Matris. Iis autem ædiculis substruendis ingenti sumptu contulere Dux *Allobrogum*, Cardinalis *Ferdinandus* Taberna, Sodalitas Oblatorum, Civitas *Brixiensis*, Familia *Borromæorum*, Vicecomitum, & Littarum, ac nobiliora Collegia artificum etiam transalpinorum. Inædificavit etiam in eo monte *Federicus* Seminarium, cujus moderatorem præfecit operi toti sacellorum. Accessit postea ingens simulachrum Divi ex cupro (quale *Detrianus* architectus, si viveret, suo longe majus existimaret) cubitis tribus supra triginta in mirandam altitudinem procerum, latum sexdecim; fortasse etiam cum factum est, fieri minime posse credidimus: attamen minor colossus magnitudinem Divi non æquasset. Maximi ejus simulachri partes nondum coivere, sive artis desperatione molem suam extimescentis, sive magnitudine sumptus. Colossum ære suo faciundum curavit *Borromæus*, ingentibus tantum operibus architectandis natus: graphide descripsit *Joannes Baptista Ceranus* pictor eximius. Nos vix Bibliothecam Ambrosianam attigeramus, cum explicandæ salteem graphidis ejus subiit cogitatio. Tentata non semel res, nunquam tamen processit; conclavia enim nostra angusta sensimus, atque in sedes præter modum amplas induci posse censuimus. Suo iterum volumine intorsimus graphidem, ac intulimus in museum artis statuariæ, uno pollice

De Comitibus Angleriæ consule Georgium Merulam lib. p. Chronic. Mediol. Castillionæum in Mss. Puritell. in dissertatione Nazariana c. 133. n. 6.

Corius parte 2. & Ripamontius dec. 3. lib. pr. Ripamontius de orig. & Pontif. D. Caroli lib. pr.

De oppido Aronæ vide Merulam lib. 2. cap. 15. Bonavent. Castillionæum, Erycium Puteanum ep. ad Lud. Septalium in ferculis 2. epistolar. Vicecomitem de Missæ ritib. lib. 2. c. 14.

74 Carolum à Basilica Petri lib. pr. Novariæ Sacræ, & Alciatum in inscript. Mss. Puricellum nu. 308. Tristanum Chalcum.

Ripamontius lib. 2. p. 3. hist. Mediol. Vicecom. loco ante monstrato, & Rivola lib. 4. cap. 26.

Ex quæst. de hac luce habita anno 1616, quæ servatur in Tabul. Bibl. Ambr. Rivola lib. 4. c. 26. Grattarola in libello de montis Aronensis dedicatione.

De sacellis Montis Aronensis consule Maninum.

Vide Ælium Spartianum in Adriano.

75

contenti, quem fictilem proponimus oculis civium, atque exterorum ad æstimandam molem. Jam secundum Collegii Ambrosiani leges (erat enim in exitu olympias) jubebantur abire magistratu Conservatores, cum eis quinquennem provinciam prorogavit *Borromæus*. Alius inivit annus inglorius fere. *Joseph* Vicecomes ecclesiasticæ eruditionis scientissimus primum volumen observationum suarum typis commisit. Liber est lævi cupresso servandus; inquiritur in ritus, ac cæremonias veteres *Baptismatis*, & ex veterum Patrum, ac doctissimorum scriptorum oraculis singula depromuntur. Sacram hanc Vicecomitis eruditionem placuisse cordatis viris argumento est, quod exteri codicem eum quærant ambitiose; tanta vis est doctrinæ, præsertim cum demorsos ungues sapit. Certavit etiam cum Collegis nostris *Georgius Longus* Bibliothecæ custos; teruntur adhuc legentium manibus illius lucubrationes de annulis signatoriis antiquorum: quas profecto subsecivis horis natas conjicimus, cum tempus solidum exscribendis indicibus Bibliothecæ impenderit, eosque *Olgiato* Præfecto nuncuparit. Paulo majora molitus est annus sequens; nam prospexit literis *Federicus*, ne desiderarent linguarum cultores, si quando funestum esset alicujus interitu Collegium. Igitur peregrini sermonis studia in Seminarienses scholas induxit *Borromæus*: & commendavit consilium *Paulus* Pontifex Maximus, scriptis brevibus literis. Pontificias, inquit, partes esse, ut eæ exercitationes, ac studia foveantur maxime, quæ sunt è republica: probatam jam omnibus esse Collegii Ambrosiani operam propter linguarum variarum disciplinam, quæ nobis exoticarum facultatum arcana aperiunt; ne casu, aut temporum invidia intereant ea studia, mandare se, ut duo, quatuorve adolescentes iis exercitationibus subigantur in Seminario *Mediolanensi*, ejusdemque sedis quadra vivant: quam si rationes Seminarii negent, eandem dimidia tantum pensione æris, quod reliqui convictores exsolvunt, redimere possint. Hæc Pontifex; tanta scilicet ejus exercitationis cura permoverat *Federicum*, ut quæreret etiam apud exteros hominem, quem studiosis linguarum ducem præponeret, Arabici præsertim sermonis. Nec erant; qui Persicam interea, & Abyssinam linguam traderent, quamquam id expetiisset Borromæus à Paruta suo; immo ejus spem deluserat *Arabs* patrii sermonis interpres, nam *Antonius Caracciolus* profectum eum cum *Neapolitanorum* Prorege in *Hispaniam* significavit, paremque fore huic oneri *Florentinum* civem, cognomento *Cinum*, Majoris Templi *Canonicum*, & servitio *Hetruscorum* Ducis addictum. Expeditius visum *Borromæo*: ut quoniam *Gigæus* jam elementa sermonis *Persici*, atque institutiones ejus callebat, ad *Hetruscos* proficisceretur. Favit homini singularis humanitas Principum *Medicæorum*; nam instituto huic Ambrosiani Collegii, & Bibliothecæ studuerunt magnopere, propensiori quadam voluntate erga *Borromæam* gentem consanguinitate propinquam sibi, cultu certe, ac fœdere perpetuo literarum. Sane Magna Dux humanissime *Gigæum* excepit, cujus auspiciose *Pisas*, atque *Liburnum* contulit, ubi collocutus cum servo est Arabici, ac Turcici sermonis peritissimo; nec loco humili natum mancipium officia, ac mores prodebant. Hunc dignum esse pileo servum significabat *Gigæus* Cardinali, percupidum ejus disciplinæ tradendæ, jamque accinctum ad ministerium, si *Gigæus* docentem vellet audire. Memoravit quoque se iturum cum eodem mancipio *Pisas*; illuc enim Magnus Dux miserat servum *Arabem*, *Abdalam* no-

1615.

1616.

Nono Cal. Apr.

76

Ex literis Archiepiscopi Hesronitæ 4. Idus Januarii.

Literis 4. Idus Martii.

Literis nono Cal. Febr.

Ex literis decimo sexto Cal. Decembres. Livorno.

77

Ex literis quinto Cal. Decemb. & ex epistola ejusdem Ducis quarto Nonas Novemb.

nomine: ut fine arbitris, atque opportunius inter ipsum, & *Gigæum* disciplina linguarum ageretur. In hac *Gigæi* mora mittebantur subinde ad Cardinalem ab exteris codices sermonis Turcici, opera *Fabii* Quæsitoris *Melitensis*: & inter Collegas *Sociacus* excitavit iterum Musas edito epigrammatum, atque *odarum* libello. Paulo serius visi sunt Collegii legibus paruisse *Ripamontius*, (*Anno 1617.*) & *Collius*; nam octavus prope annus à Bibliothecæ institutione fluxerat, cum nondum lucubrationes eorum viderant officinæ. Rerum quidem agendarum magnitudo utrumque scriptorem videtur desidiæ nota absolvisse. *Ripamontius* inquirere in *Mediolanensis* Ecclesiæ primordia, & Apostoli *Barnabæ* adventum debuit, tum sequentia scrutari, librare scriptorum sententias ob antiquitatis caliginem vix nobis intermicantes. Hoc labore stetit prior *Decas* Pontificalium monumentorum, tanta ubique castimonia latini sermonis, ut in veteri Latio, non inter *Insubres*, *Ripamontius* natus facile videatur. *Collio* longe graviora

A fuerant tractanda, nam de Christi Sanguine agendum erat, quod opus non satis est expeditum ingeniis; difficilem tamen illam scribendi materiam eximia cum laude tractavit, atque ejus viri nomen Cardinalis *Joannes* de *Lugo* Theologicis (In tractatu de incarnat. disp. 4. sect. 1.) effatis, & *Joannes Ferrandus* suis lucubrationibus (In libro, cui titulus disquisitio Reliquiaria.) impressit. Eadem exhauriendi laboris improbitas traxit in hunc annum lucubrationes *Salmatii*; (*Anno 1618.*) prodierunt autem orationes Paschales Divi *Cyrilli Alexandrini*, quas omnes latine vertit, professus initio operis gratum animum erga *Andream Schottum* modestum hominem, & Ambrosianis 78
B Collegis, doctrinæ causa, deferentem cuncta. Accessit novum opus *Josephi* Vicecomitis; indicavit in eo veteres Confirmationis cæremonias, tum egit de *Liturgiæ* ritibus, explicando originem, nomina, ac diluendo impia *hæreticorum* dicta divinis institutionibus, ac sacris obloquentium. Ita externis lucubrationibus, atque domesticis Bibliothecæ scrinia ditescebant.

79

# LIBER TERTIUS.

(*Anno 1619.*) ALiis ornamentis insignivit *Romanus* Pontifex Bibliothecæ Collegas, sacris videlicet amictibus, quibus veluti Ambrosianæ Basilicæ *Canonici*, aut *psalmodiam* peragunt, aut supplicatum eunt. Et quia indumenta ejusmodi Collegium utrumque cum templi Ambrosiani, tum Bibliothecæ inter cæteros Ecclesiastici cœtus ordines amplissime decorant, nos minime abs re facturos opinamur, si de Ambrosiana Basilica, atque *Canonicorum* dignitate tradamus; quippe facile hæc ornamenta Collegarum
80 nostrorum eminebunt, quos *Paulus Quintus* eisdem velamentis, & cœtu nobilitavit. Basilicam eam ab *Ambrosio* ædificatam scriptores omnes tradunt: atque ob ejus nomen, & tumulum appellant Ambrosianam. Coluit hoc fanum impensius *Simplicianus* Antistes suffectus *Ambrosio*, edicens præterea, ut *Mediolanæ* Provinciæ Episcopi singuli, eunte in orbem hebdomada, in ejus ara majori sacra facerent. Eam postmodum aram aureis laminis, immo laminas prope ipsas unionibus, ac gemmis texit *Angilbertus Pusterla* Archiepiscopus tanto sumptu, quanto olim Reges pubescentis Ecclesiæ Basilicas exornarunt. Huc cæteri Antistites Ambrosiani tumuli causa convenire, cum cœtum Provinciæ indiceret Archiepiscopus: cujus rei argumento monstrat adhuc odeum sellas veteres Patrum inscriptas nominibus urbium, quibus singuli præsiderent; ipsius autem odei caput occupat sedes marmorea index cæremoniæ illius; cum *Mediolanensium* Antistes Concilio præesset. Eadem in Æde sacra Imperatorum tempora ferreo diademate vinciri mos erat; & quamquam alibi redimitos interdum Cæsares tradant monumenta, coronamque sacram *Modoetiensi* templo *Joannis Baptistæ* donatam, extra ordinem id factum putandum est, atque munere illo ferrei diadematis oneratos potius, quam ornatos municipes *Moguncíacos* affirmat *Merula*, cum illa inaugurandorum Cæsarum cæremonia urbi semper cederet inauspicato. Porro de *Canonicis* Ambrosianis varia prodidere scriptores [x], ut quisque aut ex vetustis tabulis hausit, aut veris propiora existimavit. *Puricellus*, vir cæteroquin doctissimus, tradidit à mystis quibusdam, quos *Thado* [y] Archiepiscopus in Ambrosianam Ædem induxerat famulaturos cœnobitis, prodiisse *Canonicos*; quam certe originem cum indecoram nobilitati Collegii, tum veris minus consonam arbitramur. Et quamquam *Puricelli* sententia placuit scribenti

(Puricellus in Ambros. Basil. Monum. n. 1. Flamma nu. 404. & Puricellus in Ambr. Basil. monum. n. 392. & in dissert. Nazar. c. 55. Ripam. dec. pr. hist. Eccl. l. 6. Num. 44. in Ambros. Basil monum. & in dissert. Naz. c. 80. Flamma nu. 628. & alii scriptores rerum Mediolan liber Gallici sermonis cui titulus *les estats* &c. Flamma nu. 336. & n. 504. Pflaumern in Mercurio Italico, & liber Gallici sermonis, cui titulus *les estats, empires, royaumes, & principautez du Monde* p. 174. Sansovinus in elogio urbis Mediolani, cum describit nobiliores Italiæ urbes, & alii script.)

C *Ughello* [z], nos tamen supra *Thadonem* rem altius repetentes, ad ipsius conditoris *Ambrosii*, ac *Simpliciani* tempora revocamus; profectos enim Am- 81
brosianos Collegas, opinamur ex *Ordinariis Canonicis*, quorum aliqui (discedentibus cæteris ad alterius Basilicæ cultum) maluerint ad tumulum *Ambrosii* psallere, ut obirent Episcoporum vices; nam adhuc Ambrosianæ Basilicæ *Canonici* priscæ majestatis memores in ipsius *Metropolitani* templi odeo æqui sedent *Mediolanensis Ecclesiæ* Purpuratis. Primum omnium constat, quo tempore *Ambrosius Mediolanensi* Ecclesiæ præsideret, *liturgos*
D fuisse addictos fanis: immo ante multo, quam *Ambrosius* [a] Pontificatum teneret, legimus *Faustiniano* templo minime defuisse cultores, atque in illius Ædis Collegium *Calimerium* fuisse cooptatum. Quod si alicubi ejusmodi mystæ versarentur *psalmodiæ*, ac templorum commodis servientes, Ambrosiana profecto Basilica, cum cæteris emineret, debuit etiam insigniri Sacerdotibus: ne vacua tanti nominis Ædes, & [b] primaria quondam urbis, nunquam ecclesiastico carmine vocalis, infrequentiam ubique hominum, viduasque sacrificulis aras deploraret. [c] Quorsum enim attinuit, cum provinciæ *Mediolanensis* Epi-
E scopis grave esset singulis hebdomadis ad aram Ambrosianam operari, certo ære hanc faciendi molestiam depelli, nisi ut *liturgi* vicariam illis operam præbentes in *Ambrosii* Basilica *psalmodiæ* & sacris vacarent? Sin autem unum custodem Ambrosianæ Basilicæ præficimus, inanem illam sacrificulis complures annos fuisse ostendimus, donec nonagesimo supra septingentesimum *Petrus Oldradus* Archiepiscopus *Cassinensem* familiam, constructo *cœnobio*, vocavit. Credent hoc *investes* pueri? Ut taciti semper Ambrosiani parietes sacro
F nunquam cantu resonarent, sed unus Præfectus cellæ, isque *Levita* præsideret templo, cui Simplicianus, *Ambrosii* causa, omnia detulerat. Immo cum *Aunemondus*, & *Fortis* tuerentur cellam, minime præsidebant templo longe augustiori: 82
[d] unde cellam eandem facile fuerat donare *Monachis*, præsertim cum Archiepiscopi preces (quemadmodum procerum solent) vim animis inferrent. Itaque minime proximum vero putamus, ut quatuor fere secula odeum, atque ara *Ambrosii* sacros cultores desideraret, nullo *Canonicorum* Collegio frequens; cum tamen ante *Petrum Oldradum* Divus [e] *Joannes Bonus* Archiepiscopus Collegium ejus-

([x] Merula lib. 2. antiq. Gallia Cisalp. cap. 9. [y] Num. 119. in monum. Ambr. Basil. [z] Tom. 4. Ital. Sacræ ad vitam Thadonis Arch. Mediol. [a] Experiochæ die festo S. Calimerii in horariis precibus ex Ripam. lib. pr. dec. pr. hist. Eccl. & cæteris scriptoribus. Villa de septem Basilicis Urbis Mediolanen. [b] Chalcus initio lib. 3. hist. patr. Arlurus sect. p. hist. Med. Ponot. hist. trip. lib. 2. cap. 26. in tabulis Tettonis de Badagio in Obizonem de Concoretio anno 1134. (quæ servant. in tabul. Can. Ambr.) appellat. Archiep. Basilica, & auctor libri Gallici *les estats empires* &c. p. 174. & Schotus in itinerario Italiæ in elogio urbis Mediol. [c] Gualvan. n. 405. ex Gualvaneo Placidus Pucinellus in vita D. Simpliciani, & cap. 74. Zodiaci Mediol. Eccl. & Ripamontius dec. pr. hist. Eccles. l. 6.)

[d] Ripam. dec. 1. hist. Ecclef. lib. 5. pag. 351. & lib. 9. pag. 583. [e] Ex hist. Med. ex tab. Archiep. Mediol. Donatus Bossius Ughellus Ital. sacr. tom. 4. ad vitam

ejusmodi instituens, ipsas etiam *Canonicorum* Ædes excitasset *Decii* (oppido id nomen est, quod decimo ab urbe lapide distat), [c] & in *Modoetiensem* Basilicam *Theodolinda Longobardorum* Regina, & in urbanam Ædem *Georgii* Divus [d] *Natalis* Archiepiscopus mystas *psalmodiæ*, & rei divinæ causa induxisset. Scilicet Ambrosianum templum, infulatorum Patrum, & Cæsarum sedes, *Martyrum Polyandrium*, minime par esset Decianæ Ædi, *Modoetiensi*, aut *Georgianæ*: cum Divus *Maternus Decii*, *Joannes* [e] *Modoetiæ*, *Natalis* in *Georgii* fano *liturgiam*, ac preces exaudiret, *Ambrosius* autem in *Martyrum* delubro tacitam solitudinem, & elingue odeum ab astris spectaret? Ipse vero *Ambrosius* cætera sapientissimus, [f] cum *Eustorgianam* Basilicam *Canonicorum* Collegio decorasset, adeo ne caruit corde, ut cum Ædem alienam exornaret, negligeret suam? Eos autem culto-
83 res Ambrosianæ Basilicæ, sive appelles *Canonicos*, sive honesta alia appellatione insignias, nihil moramur, modo ne vacuam tot annos sacrificulis Ædem fuisse fateamur, antequam *Cassinenses* advenirent. [g] Huic sententiæ suffragatur *Tristanus Chalcus* (atque eidem consentiunt *Ripamontius*, & *Villa*); nam à *Petro* Archiepiscopo Ambrosianæ Ædi adjectos fuisse *cœnobitas* scribit, cum uno tantum *Canonicorum* ordine insigniretur; quam sententiam ne quis mendacem, & commentitiam censeret, contulimus cum *autographos*, atque similia singula, fideliterque tradita invenimus. Quæ omnia potius veris consentire putamus, quam ut Petrus *Oldradus Archiepiscopus*, ac majoris templi mystæ traderent Basilicam [h] hanc Ordini Benedictino æquis adeo animis, ut non se magno Parentis *Ambrosii* domicilio abdicare, sed plebejam ædem aliquam, ac vitioso pariete fatiscentem deserere viderentur; deserebant autem propterea quod impatientes laboris frequentare Basilicam eam nollent: cum tamen Provincialibus Episcopis minime laboriosum esset à *Nuceto* [i] usque templum adire Ambrosii ob rem sacram peragendam, immo profectos è suis sedibus incommoda, ac longa itinera suscipere, ut in eodem fano suas vices implerent. Quod vero ad sacrificulos attinet, quos *Thado* Archiepiscopus reliquis Sacerdotibus ascribit, jam (ut liquet ex ipsius diplomate [k]) colebant fanum *Vitalis*, & Agricolæ prope valetudinarium; idque egit *Thado*, ut in convives cooptaret, emanciparet illos *cœnobitis* ad communem *psalmodiam*, atque *Cassinensium* aris addiceret; ex his autem *liturgis* nemo unus Collegas amplissimos prodiisse affirmabit; nam ii famulabantur *Monachis*, assectabantur *Abbatem*, cum obvius venienti Archiepiscopo procederet; jure autem suo colebant templum *Canonici*, atque dum Antistes *Insubrum* cum *Abbate*, & *cœnobitis psalmodiæ* intereret, Ambrosiani aberant: ne vulgaribus sacrificis immisti augustam loci, dignitatisque suæ majestatem nimis æquarent. Si quis demum inficiabitur literas eas à *Thadone Archiepiscopo* conscriptas, subductis veluti columnis ruet hæc moles. Negat diserte *Ripamontius*, appellando suspectas, atque adulterinas; cui si assentimur, injecta securis est toti disputationi. Verum nolu-
84 mus digredi longius ab instituto; refellemus enim *Puricelli*, atque *Ughelli* sententiam uberius, si opus erit, non quidem reprehendendi studio, sed veritatis aperiendæ causa, ne gregariis hominibus cooptasse Bibliothecæ Collegas credatur inconsulto *Federicus*, quos Pontifex Maximus Romanis honoribus decoraverat. Cæterum Ambrosianos *Canonicos* exornavit *Ludovicus* secundus Rex *Galliarum*: *Sigismundus* vero Imperator ea ornamenta auxit in majus; cum enim *Canonici* Cæsaris inaugurandi cæremonias obirent, eos contubernales,

[b] D. Joannis Boni ex Cron. Archiepisc. Mediol. Mss. in Bibl. Ambros.
[c] In chron. Abbas Urspergensis ex Mediol. hist. præsertim Ripam. hist. Eccl. dec. pr. lib. 8. & ex Mathæo Radero in libro Bav. Sanct. Paul. Diacono lib. 4. de Long. cap. 7. & lib. 5. cap. 4.
[d] De D. Natali Gualvaneus nu. 109.
[d] Puricellus in differtat. Nazar. cap. 47. & Ripamontius lib. 9. pr. dec. hist. Ecclesi. Ughel. Ital. sacr. tom. 4. ad vitam D. Natalis.
[e] Monza.
[f] Ripamont. hist. Eccl. dec. pr. lib. 1. pag. 132.
[g] Lib. 5 hist. pat. pag. 100. Lib. 3. & 9. hist. Eccl. dec. p. Jo. Baptista Villa in libro, qui inscribitur *le sette Chiese*.
[h] Autographum servatur in Bibl. Ambros.
[h] In Monum. nu. 22.
[i] Nocetam appellat Chalcus hist. pat. lib. 9. pag. 184.
[k] In monu. Ambr. Bas. nu. 11. & 145.
[l] In Monum. n. 641. & n. 619. fit mentio Sacellanorum.
Dec. pr. histor. Eccl. pag. 595. lib. 9.
Augustinus à Novis, Ex Dipl. Sigismundi an. 1431.

convivas, & Imperatorii sacelli mystas creavit. Quem honorem impertivit Collegio etiam *Leopoldus* Austriacus Imperator, firmando ea decora, quibus *Sigismundus* honestaverat *Canonicos*. Scripsit *Leopoldus* humanissime literas ad *Philippum Corium* Præsulem, & *Canonicos* Ambrosiani templi anno sexagesimo nono supra millesimum sexcentesimum, professus, quando in Ambrosii Basilica Cæsares olim ferreo diademate coronarentur, ac fani Collegæ adessent ad cæremoniam Imperatori, ministri decoris, & duces pompæ, se Præfectum ejusdem templi, & Collegas contubernio Cæsarum decorare, communicare mensa, imperatorio sacello mystas addicere, iis denique omnibus ornamentis extollere, quæ olim amplissima, & honorificentissima eisdem Collegis fuerint constituta. Jam vero ante *Sigismundum* ornaverat Collegas Ambrosiani templi *Berengarius*, & *Conradus* Tertius Imperator ferrea corona redimitus in hoc fano, ædes ipsas Cæsaris, atque atrium donando *Canonicis*; simulque certavere cum magnificentia Imperatorum Summi Pontifices *Urbanus* II. *Calixtus* II. *Eugenius* III. *Alexander*, & *Clemens* III. *Innocentius* V. atque *Mediolanensium* Duces *Joannes Galeatius*, & *Philippus Maria*, cum cætera decora Collegii confirmando, tum data prædiis immunitate. Et quidem *Alexander* Tertius mentem solidam, ac fidem *Canonicorum* incorruptam verbis amplissimis commendavit, ac pluribus ornamentis in consessu Romanorum Patrum insignivit; nam quo tempore *Ab-* 85
*bas* Ambrosianus, & *cœnobitæ* ad Victorem Pseudopontificem defecerant, Præsul, & *Canonici* verterant solum: ne *Ænobarbo* fœde Ecclesiam, urbemque vastanti consentientes ab eodem *Alexandro* sacrorum Principe desciscerent. Cæterum floruit Collegium cum amplitudine, tum frequentia *Canonicorum*; ditavere ornatissimum cœtum *Lanterius* de *Quinqueviis*, & *Guida* conjuges duodecim mystis alimenta præbendo. Alios præterea ascripserunt Collegio huic Cardinalis [a] *Albertus Summa*, & Cardinalis *Federicus Borromæus* Archiepiscopus, cujus facti mentio redibit in tempore. Ex nobilissimo autem Ambrosiani templi cœtu prodiere Purpurati Patres Romanæ Ecclesiæ *Guido Ostiensis*, [b] *Albertus Summa*, *Joannes Antonius* de *Sancto Georgio* Præpositus apud legulejos clarissimus, & Præsules *Ardicus* [c] *Comensis*, qui cum *Othone* Vicecomite ad expeditionem *Hierosolymitanam* est profectus, *Landulphus Badagiensis*, *Trajanus Alicornus*, *Lanfrancus Reina*, & *Hieronymus Corius* Episcopus *Parmensium*, cui deinde *Philippus* frater sufficitur secutus *Castorem Pollux*. [d] *Othonem* etiam Vicecomitem inter Collegas Ambrosianos numeratum testantur, qui res gestas ipsius tradiderunt monumentis, tum vero *Mediolanensi* infula insignitum. *Bonaventura Castillionæus* vir literis, & antiqua probitate nobilis, Collega primum *Scalensis*, præfuit deinde Ambrosianis: iisque Divum *Carolum Borromæum* adhuc puerum fore *Mediolanensis* Ecclesiæ columen, & restitutorem vates minime falsus prævi- 86
dit. Alios item Præsules, & Collegas non obscuri nominis indicant passim *cenotaphia*; debuit enim amplissimus quisque ascribi, futurus præcipue minister, & conviva Cæsarum; indeque accesserunt supra reliquos ordines nobilitas, ac ornamenta singularia Collegio. Superioribus quidem seculis Præsul Collegii infulatus sacros adolescentes *tonsura* insignire, augere Sacerdotiis, jus dicere: *Canonici* suum Præsulem creare, *tunicula*, *ac dalmatica* amicti majoribus ordinibus initiari, tum

sept. Cal. Dec. idque servat. in Ambr. Templi tabul. Ripam. dec. 4. lib. 4. ex Villa in libro. qui inscribitur, *le sette Chiese*.
Quinto Idus Novemb. 1669. diploma Cæsareum in Tabul. Canc. Ambr. Basilicæ servatur.
Ex diplom. anni 894. 4. Non. Decemb.
Ex diplomate anni 1129.
Ex diplom. in Tabul. Ambr. Alex. 3. ob fidem Canonicorum in schismate Ænobarbi.
Vide Privileg. in Tabul. anni 1181. 14. Cal. Septembres.
Anno 1293. 1396. 1412 ut in Tab. Amb.
Puricellus in monumentis nu. 449. & 450.
Chalcus lib. 6. hist. patriæ & Puricellus in monum. nu. 255.
[a] Ex ipsius Test. anni 1188. 16. Cal. Novembres.
[b] Ex testamento Cardinalis Summæ; multi Præsules hujus Basilicæ recensent. in monum. n. 450. & 844.
De Joanne à S. Georgio consule Sansovinum in elogiis nobiliorum urbium Italiæ in laudibus urbis Mediol.
[c] Boss. in Chron. ad annum 1096.
[d] Besut. in hist. Pontif. Mediol. & Ughellus pag. 282.
tom. 4. It. Sacræ in calce vitæ Leonis Peregi.
De Castillionæo Sansovinus in urbibus nobilioribus Italiæ, & Glussianus lib. pr. vitæ Divi Caroli cap. 2.
Præfectos complures clari nominis vide apud Puricellum in monum. n. 450. & alibi. Puricellus in monum. num. 646. de Insula Villæ de Bas. Ambr. in lib. supramem. De jurisdict. constat ex sententia Rainerii Bossæ, an. 1271. Cal. Juniis.

tum rem divinam *Levitæ*; atque *Hypodiacono* comitati facere; [a] cum tamen indumenta ejusmodi, & sacrificandi pompa singularis esset *Canonicorum* templi maximi. [b] Aliis item honorificis vestibus *Pius Quartus* Pontifex Maximus Divi *Caroli* avunculus exornavit *Canonicos* Ambrosianæ *Basilicæ*, templi videlicet dignitate spectata, & Collegii ipsius amplitudine. Multiplex quidem vestis *Mediolanenses* sacrificos honestat: ut facile putemus extra Romanam urbem non alios fortasse tam vario amictu *Liturgos* exornari. Curiones linteati procedunt, humeris rostrato capitio tectis: Præpositi Collegiis agrestibus breviori linea velati amictum nigri coloris oblongum syrmate, cætera holoserico panno subsutum ferunt. Urbani *Canonici*, agrestes item nonnulli, crocotam induunt, læva pelliceum amictum, eumque cucullatum gestantes, quem non obscuri Grammatistæ ab amiciendo *aumuciam* appellatam censent (quamquam eruditissimus vir *Octavius Ferrarius* ab armis nominatam putat, quibus hujusmodi pelles olim injiciebantur); eam vero velasse quondam humeros mystarum reliquæ imagines testantur, ac *Ticinenses* adhuc tergo imponunt. *Ordinarios* Ædis primariæ (hoc enim nomine etiam ab *Innocentio* Tertio decorantur) insignit conchyliata vestis; purpuratos autem prodiisse eo tempore tradit Morigius, quo *Aribertus Antimianus Me-*
87 *diolanensi* Ecclesiæ præsideret; nos tamen antiquiorem usum illum purpuræ censemus; sic enim reperimus ab authore Ordinis *Ambrosio* exornatos murice: neque indumenti syrma convolutum in multiplices sinus comisisse lævæ, verum traxisse longius, quod suspenderent ministri cognomento *obedientiarii*; immo purpurascentis alutæ soleas induxisse pedibus, fulsisse etiam illis caput ostrino pileolo monstrat adhuc imago *Gothardi Pratæ* in Æde Virginis ad *Passarenam*. Indumentis ejusmodi cum semper uterentur *Ordinarii*, Divus *Carolus* ab avunculo suo Pontifice amictus alios hyacinthinos exoravit, queis velarent corpora esurialibus feriis, parentalibus, & cum in luctu versatur Ecclesia, referente sic Ordine Romanorum Cardinalium majestatem conchyliatis vestibus, ac janthinis. *Hyacinthinas* induunt item Præpositi Collegiis urbanis, & agrestibus nonnullis: quemadmodum talaris alia janthina, & aliquando purpurea manuleata velat Præfectum cæremoniarum *Metropolitanæ* sedis. Amethystinatus item est *Vicarius* Archiepiscopi, eique indumento ad imos talos defluenti superadditur palliolum. [c] *Ferularii* autem sive Clavigeri (*Maceconios* appellat *Dulcinius*) & *Phonascus* atrata veste amiciuntur penulæ in morem, inserta præterea capitio cervice, oramque totam amictus, ac partem adversam cuculli holosericum viridis coloris tegit; eo capitis tegumento includunt ora, cum exequias demortuo Antisti exequuntur. Cæterum Ambrosiani mystæ non una vestium pompa decorantur; nam hyberno tempore breviorem lineam velat amictus coloris amethystini candida pelle suffultus, isque impositus humeris defluens syrma retorquet ad latus, micante ad limbum purpura. Hac veste honestari tradunt primos *Apostolicæ* sedis tabelliones, mi-
88 tior pars anni detrahit pellitos amictus dorso, atque lineæ crocotam superinjicit: hujusmodi indumentis Vaticanæ Ædis *Canonici* obvelantur. Minores *Liturgi pelliceos* amictus læva ferunt, crocota tecti; ut tam decoras vestes Ambrosiano templo Ædes primariæ complures invidere possint. Enimvero *Lanfrancus Reina* Præsul Collegii, votis *Borromæi* satisfacturus, qui ejusmodi vestibus Bibliothecæ Ambrosianæ Collegas exornatos vellet, jam antea singularibus Romanæ urbis honoribus decoratos, *Canonicis*, ac reliquis

[a] Secundum Privil. Alex. & Clementis 3. ac Innocentii 4. PP.
[a] Puricellus in monum. n. 647. & 512. & in dissertat. Naz. cap. 112.
[b] Ex dipl. anni 1563. 15. Cal. Junias, & Villa in libro septem Basilicarum pag. 56.
De Vestib. Cler. Mediol. Ferdin. Ughellus to. 4. Ital. Sacræ, & Villa libro suprememorato.
De crocota Oct. Ferrarius de re vestiaria lib. 3. cap. 5. & Vicecomes observ. eccles. vol. 4. cap. 10. lib. 5.
De almutia Molanus lib. 3. de Can. c. 5. & 6.
De almutia Ferrarius, & capitio vulgo Beca in analectis de re vestiaria cap. 16.
Epist. decretal. pr. in literis ad Abbatem de Cerreto script.
In libro, cui titulus *il Duomo di Milano*.
Salvator Vitalis in Theatro triumphali cæmento 12.
In Mss. Bibl. Metrop.
Villa in libro supramem. pag. 368. & 369.
Villa lib. supramem. pag. 368.
Villa lib. supramem. pag. 85. ex privileg. Gregorii Tertiidecimi.
[c] Dulcinius in descript. Templi Maximi Mediol. quod ferant clavam, sive virgam Mazeconici, hoc est *Canonici della Mazza*.
Ripamontius hist. Eccl. dec. pr. lib. V.

A etiam sacrificis assentientibus, potestatem fecit, ut eodem amictu hyacinthino, cum riget bruma, ac æstate supra breviorem lineam velati crocota procederent. Hæc Præsulis *Reinæ*, tum *Canonicorum*, ac mystarum suffragia rata habuit *Paulus* Pontifex Maximus, scriptis in hanc fere sententiam brevibus literis: *Federici* in Ecclesiam merita, fidem, & observantiam arctius sibi Pontificalem animum demereri, ne ipsius fraudet optata; & nunc quidem Divini cultus incrementa spectare *Borromæum*: ac proinde, ne cæteri Ordines odisse Bibliothecæ Collegas veluti profa-
B num vulgus censerentur, cum nunquam sacris agminibus immisti procederent, enixe petere, ut templi Ambrosiani *liturgos* sequi, atque eisdem *Canonicorum* velaminibus liceat insigniri. Itaque implere se libenter *Federici* vota, cum Bibliothecæ Doctores singularibus ornamentis decorari gratum sit, atque Præfectus, & sacrifici omnes Ambrosiani templi æquo animo hoc auctarium, ac decus suarum vestium cum Bibliothecæ Collegis communicatum ferant: eadem propterea Ecclesiastici honoris insignia tributa velle Doctoribus, quibus ornati *synodales* conventus adeant, & supplicatum eo ordine incedant, ut si-
C gna sequantur sacrifici minores, in media acie Bibliothecæ Doctores collocentur, agmen *Canonici*, ac Præfectus Basilicæ claudant. Hæc Pontificis 89
largitas honestavit maxime Bibliothecam, & Collegium, fulgente sic cœtu inter reliquos, atque Ambrosiani nominis decus augente. Cum autem cæteri doctores missionem jamdiu à laboribus impetrassent, atque ego unus hæc studiorum curricula ingressus legibus *Federici* obtemperare debuissem, quæ sacram ejusmodi aciem nos sequi jubent, singularis benevolentiæ fructum cepi; nam ab Ædis Ambrosianæ *Canonicis* potestas da-
D ta est, ut pari gradu cum juniore Collega sani supplicatum irem; quem sane honorem non modo his monumentis traditum volumus, sed etiam præ nobis feremus perenni commemoratione decoris, quod humanissime detulerunt. Per eos ferme dies refectæ *Humilitatis*, quas vocant, ædes, novos cultores admiserunt. Sedem eam alendæ paupertatis ad *quinquivium* in vico *Fulconis* posuisse fertur *Vitalianus Borromæus* anno MCDXLIV. Frons ipsa domus inscripta multiplici nomine *Humilitatis* præfert adhuc effigiem conditoris *Vitaliani*, eo corporis habitu, ut ante Virginem posuerit genua rutilanti sago velatus. Divinam qui-
E dem prolem ad parentis suæ pedes jacentem alloqui videtur Deipara, seque *Vitaliano* authori ædium pro fovendæ paupertatis beneficio reddituram æternæ beatitatis præmia pollicetur. Hanc enim sedem excitaverat *Borromæus* ad erogandam egestati urbanæ stipem, sextarios videlicet tritici bis mille quotannis, & locandis conjugio puellis quatuor, tum ut totidem mystæ in delubro Pedonis rem divinam facerent quotidie. Ea propter præ foribus ædium incidunt in oculos ministri levandæ paupertatis, quorum alii defundunt in amphoras vina, alii offerenti numismata multitudini præbent annonam. Aliam quoque domum
F in eadem *Vercellensi* regione urbis exædificasse *Vitalianum* eundem author est *Serenius*, eumque locum à dividundis in pauperes panibus appellatio- 90
nem duxisse. Effigiem autem illam Virginis suam sobolem colentis placuisse Borromæo sedis ejus parenti, ex eo conjicit *Serenius*, quod, cum ipsius frater Basilius (qui Beatorum numero ob vitæ optime traductæ sanctimoniam est ascriptus) in *cœnobio* Casoreti vitam degeret, in cujus Æde celebris est imago, iconem Divinæ Matris persimilem in suarum ædium fronte locandam curavit. A demissione certe animi nominatam, *Humilitatis* do-

Ut ex tabulis anno 1611. confectis 13. Cal. Majas.
Ut ex tabulario Bib. Amb. in quo literæ servantur scriptæ apud Sanctam Mariam Majorem 8 Cal. Martias.
Ripamontius de Orig. & Pontif. Divi Caroli lib. pr. & Serenius lib. 7. libri, cui titulus *enbirus fyl'obates colossi D. Caroli, sive Elogium Borromæa Familia.*
Libro, & loco supramemoratis.
Eum Beatum prædicant Ripamontius, Serenius, Crescentius in Amphitheatro Romano, ejusque effigies spectatur in Bibl. Ambrosiana.

domum certo ſcimus; nam exemplo fratris Baſilii cuncta deſpiciens, alienam mendicitatem locupletare eſt aggreſſus, ac ſedem eam, prætcrito *Borromæorum* nomine, modeſtiæ domicilium eſſe juſſit. Has ædes emptas à *Carolo Mauro* redemit *Federicus*, ne apud exteras familias ea monumenta gentis perirent; refectas deinde, & exornatas (nam antea rudes erant, atque ob piſtoriæ officinæ fuliginem nigreſcentes) donavit hoc anno Collegis, diviſis in unumquemque ædiculis. Memor ornamenti fornix venientibus in ædes annum indicat reſtitutorem. Expolivit itidem *Federicus*.

Ex tabulario Bibl. Ambr.

Seminarienſes literas jam fere conteneſcentes inſtituendo cœtum Academiæ ad ſcientiarum incrementa Appellavit adoleſcentes aſcriptos *Hermathenaicos*, ſive titulo veteris Hermathenæ, quæ maxime placuit *Ciceroni*, ſive molitus recentem Hermathenam conjuncta ſapientia, & eloquentia, cum priſca Mercurium, & Palladem copularet. Religioſe habitus eſt adoleſcentum delectus à Borromæo, ne poſtremi ſubſellii homines ad *Hermathenaicum* culmen obreperent, atque vileſceret decus juvenile, quod magnopere alit ſtudia facultatum. Præerat tunc ſcholis Seminarienſibus *Jo. Petrus Puricellus*, vir literatiſſimus, acer inſpector ingeniorum, cujus calculis facile ſummi ado-
91 leſcentum ſecerni poterant. Condita itaque Academia eſt, dicata Ambroſio diſertiſſimo Antiſti-ti, quod eloquentiæ cura futura ibi eſſet antiquior: ſcriptæ leges, delati honores, ſublatum Academicorum inſigne, Hermathenæ veteris ſcilicet, ac novæ, adjecto græcanicarum literularum ſymbolo ΑΜΦΟΙΝ ΕΝΕΚΑ. Ac quemadmodum urbes ſuis facile Magiſtratibus adminiſtrantur, ſi unus præſit (cum diviſa in optimates, vel gregarios homines Reſpublica, aut horum perſæpe diſſidentium turbis, aut illorum ambitu, & avaritia pereat) ita in regenda Academia res commiſſa uni eſt, iſque præſidet: tum vero proceres reliqui, ac minores Magiſtratus rem literariam moderantur, honore tamen ſemeſtri. Exeunte hebdomada indicitur conventus, conciliantur primum Superi, tum Theologorum, aut Philoſophorum effata librantur: jubetur quiſque ponere, de quo diſputare velit: afferuntur nodi, ut emineat *Davus* ſis, an *Oedipus*, traduntur denique argumenta ſcribendi latine, ſoluta, an adſtricta mavis oratione. Si qui vero candidati honorem *Hermathenaicum* petunt, ſcriptioni rectæ decus tribuitur, recitatur, ſcribitur plus vice ſimplici, atque punctis res peragitur. Interdum Academicorum omnium lucubrationes graphice pictæ proponuntur cunctorum oculis: inſigniuntur ſtemmate Hermathenæ ſcholarum dicta, cæteri autem adoleſcentes candidam parmam ferunt. Hæc viſum de Academia Seminarienſi referre, & quia etiam nos illos Magiſtratus obivimus, & quia uberrimam deinde ſegetem Collegio peperit Ambroſiano. Anno poſtmodum vigeſimo primo *Hermathenaici* adoleſcentes monumenta collocavere *Federico* conditori, appellando reſtitutorem virtutis, parentem patriæ ſapientiſſimum, atque optimum. Sedes ea cœtus anguſta cum eſſet, poſtea, cum reliqua Seminarii moles ſuperioribus annis abſolve-
92 retur, longum receſſit in latus. Inſequens annus Collegarum laborem provocavit. Vicecomes inſtituit in antiquos Miſſarum ritus inquirere, explorando miniſtrorum munia, rerum nomina, panis ipſius divini ſpeciem, & formam, cætera deinde exequendo, quæ ad ſacrificandi morem, ac ſtatos *Liturgiæ* dies pertinent. Proverbia *Salomonis*, Regum hominumque ſapientiſſimi, *Gigæus* illuſtravit, interpretans abdita ſententiarum, & latine redditis trium Rabbinorum commentariis, nimirum *Salomonis Iſacidis*, *Abrahami Aben*

Rivola in vita Federici lib. 4. cap. 15.

A *Ezræ*, & *Levi Ben Gherſomites*, caſtigando præterea mendas operis. Et quia paraphraſis Chaldaica, & Syra interpretatio diſſidebat ab explicatione pervulgata, cum etiam laborem exhauſit *Gigæus*, ut verſus omnes, ac loca ſecundum fidem vetuſtiſſimi codicis Ambroſianæ Bibliothecæ converteret. De ritu ſacrarum Eccleſiæ Catholicæ concionum egit *Ferrarius*, ſecto bifariam opere, explicata interpretatione nominis, concionatoris partibus, ſede, tempore, permiſtis interea Hebræorum, atque Ethnicorum in dicendo ritibus. Placuit literatis hominibus eruditio
B *Ferrarii*, *Gallis* præſertim, qui, ne perirent exemplaria, *Pariſienſibus* typis vulganda iterum curaverunt. Sequenti anno *Antonius Ruſca* caligantes damnatorum manium ſedes coegit ſubire inviſam lucem, diſputans de Inferno, & ſtatu dæmonum; quod *Ruſcæ* opus feliciter emerſit, atque ſine aureo ramo ſcribentem impune deduxit ad Orcum. Aliæ quidem ipſius authoris lucubrationes jam ſpongiæ ereptæ, & prælum cogitantes corripiuntur flamma; in iis diſſerebat ſcriptor de voluntate numinis; quæ res cum ad aures *Federici* perveniſſet, ferunt ab eo dictum, abnuiſſe divinam voluntatem, ne quidquam de voluntate
C arcana numinis ederetur. In hunc fere modum cum diteſceret Collegium, cœpit etiam aliis locupletari opibus, quas ſublata in *Carnuti* oppido 93 ſacerdotia invexerunt. Sane hæc omnia, quæ ſcripturi ſumus, in annum undecimum fuerant conferenda, cum eo tempore breves literas acceperit *Vicarius Generalis* de tollendis ejuſmodi ſacerdotiis: verum ne res nimium ſtipatæ legentibus eſſent faſtidio, extractæ prudenter ſunt in hunc annum, quo, conſtitutis opibus Baſilicæ, & Bibliothecæ Ambroſianæ, oppidanorum querelæ obmutuerunt. Facturus tamen operæ pretium videor, ſi rem totam à ſuis natalibus exor-
D diar, agendo primum de tranſlatis à Caſtro *Severi* ſacerdotiis, tum de conſilio tollendi eadem, & cœtus omnino abrogandi. De authore oppidi variant ſcriptores; [a] *Alciatus Severum* parentem ejus ſedis fuiſſe affirmat: negant [b] alii, neque tamen conditorem indicant. À *Thuſcis*, cum in agro *Inſubrum* morarentur, excitatum fuiſſe caſtrum illud author eſt [c] *Marinonus*, neque tamen ab *Inſubribus* nomen accepiſſe, ut *Caſtrum Subrium* [d] appellaretur, ſed ab jure dicundo, & circumjacentium late camporum venuſtate. Nos, cum tot ſententiis varietur, ea, quæ vera ſunt,
E difficile conſectari poſſumus. Pulchritudo certe agri ejus elegantiſſima eſt; nam alibi planities fertilis frugum æquat ſolum, alibi tellus tumeſcit in clivos eadem rurſus dehiſcit in valles, placido etiam alveo ferentes aquam. Frequentiſſima ubique oppida, aut ſuſpenſa collibus, aut ſita in camporum patentium æquore, cultorum nobilitate etiam & monumentis clara; juris autem ejus dictio adeo ampla, ut ſuburbanis prope hominibus Seprienſis Prætor dicam impingat. Quod autem *Inſubres* caſtrum illud vel excitaverint, vel communiverint, neutrum veris ſimile; quorſum enim eam ſedem conderent Inſubres, aut muni-
F mentis firmarent, cum urbs totius agri domina jam eſſet terrori finitimis, atque civibus frequentiſſima? Sin vero eam ſedem ante *Mediolani* na- 94 tales ponimus, immo urbem facimus cum *Bugato*, adeone ejus rei monumenta perierunt, ut nihil *Livius*, atque ſcriptores alii fuerint odorati? À *Gallis* quidem, cum in *Italiam* deſcendiſſent, invenio, haud procul à *Ticino* flumine, in agro, qui *Inſubrum* appellaretur, *Mediolanum* conditum: neque tamen ab eo oppido putaverim nomen accepiſſe. Cum enim debellatum eſſet cum *Thuſcis*, iique jam acie fuſi, impetus certe primum

1621.

Sociacus hanc jacturam dolet oda pr. lib. pr. odarum.

Carnago.

Pridie nonas Octobres.

Caſtel Seprio.

[a] Hiſt. pat. l. 3.

[b] Merula de Gallorum Ciſalpinorum antiquit. lib. pr. cap. 6. & Caſtillionæus de antiquis ſedibus Gall. Inſub. pag. 15.

[c] In Mſſ. de Mediol. familiis.

[d] *Sephrion* hoc eſt judicii locus, vel *Sepher* à pulchritudine.

Chalcus hiſt pat. lib. 9. & Caſtillionæus, Puricellus in monum. nu. 587.

Lib. pr. hiſt.

Liv. dec. pr. l. 5.

mum faciendus fuisset in sedem hostium adeo validam, principem agri, cognominem *Insubribus* pago *Heduorum*, deinde excitanda per otium urbs: ne instaurata acie *Hetruscus* palantes oppri-meret, ac sedes antiquas repetens novitiam urbem rideret. Quod si ager, in quo nati sumus, ab eo castro nomen obtinuit, quid *Livius* exordia *Mediolani* accurate tradens non meminit, præsertim si urbs illa *Insubrum* fuit? Ego, cum mihi sæpissime *Modoetiam*, *Angleriam*, *Severi* castrum, *Forum Licinii*, & *Canturium*, aliaque oppida *Mediolanensis* agri urbes quondam fuisse narrant scriptores, gratulor quidem patriæ hanc messem urbium, dolet tamen mihi, quod hisce commentis quæratur fides. Eapropter crediderim *Straboni*, & *Corio* integræ fidei scriptoribus, *Insubrum* agrum nuncupatum à villa *Subriæ*, quam positam à *Subre Noemi* propinquo affirmant plerique, atque eum deinde agrum cum *Insubribus* pago *Heduorum* cognominem *Bellovesus* copiarum ductor comperisset, amplificasse novis substructionibus pagum, vertisse in urbem, ab omine loci *Mediolanum* appellatam. Tabulæ vero supremæ voluntatis, quas *Manicunda Longobardorum* Regina in pago *Cariatis* condidit, cum *Insubrum* Castri meminerunt, adulatio illa est morientis matronæ; siquidem illud oppidum muniverat *Theodolinda* gentis ejus princeps, atque inde à voce vulgari *Longobardorum* putamus cognomen-
95 tum castri *Insubrum* emanasse. Cæterum *Corius* passim castrum *Severi* appellat; neque tamen cæteros satis scriptores revincit *Bonaventura Castillionæus*; nam si illud castrum à *Subribus* cognomentum accepisse contendit, quod *Seurium* vulgo dicatur, proximi contra Vici appellationem objicimus, quem conterranei Vicum *Severi* appellant. Castrum autem, non ab Imperatore *Severo* (nam longe vetustius est oppidum) sed à gente ejus nominis nuncupatum fortasse ex eo credimus, quod [a] *Alciatus*, & [b] *Gruterus* veterem *Severi* cujusdam *epigraphem* ex vicino oppido *Gallareato* depromunt. *Tristanus* nihil super ea re certi statuit; tanta rerum humanarum caligo est, ut cum aliena quærimus, patria etiam monumenta ignoremus. Sane in eo *Severi* oppido natum *Maximianum Herculeum* compertum est apud omnes, idque æquatum deinde solo, cum summa imperii inter *Turrianos*, & Vicecomites ageretur. Sive enim quidam jura hospitii violantes, oppidum ejecto *Guidone Castilionæo* ceperint, sive Prætoris *Mediolanensis* edicto, ut excederet ejus mœnibus intra triduum municeps omnis, atque incola, jamque ingentibus copiis *Mediolanenses* adessent, præferente signum *Gaspare Garbaniatensi*, ac duce prope agminis *Bonifacio Pusterla* Celsiani *Cœnobii Abbate*, certe ut parerent edicto, nudatum cultoribus oppidum est, & ab hoste direptum, excisumque, neque tamen in sacras Ædes sævitum. Excedebat interea miserabile agmen, viri fœminis immisti, onusti sarcinis, parvisque liberis, ac retorquebant sæpenumero oculos ad suas ædes, fragore tectorum ruentium revocati. Exanimes sedis ejus reliquiæ supersunt adhuc cladi murorum, pinnæ videlicet, semirutæ turres, cisterna, & cuniculi, cum ad præter-
96 fluentem *Olonæ* amnem irent aquatum oppidani. Lugubrem hanc faciem loci, tesqua inhospita, ac parietinas vepribus, & virgultis vestitas curiose spectavi, cum in abscissam undique, ac præruptam rupem evasissem, comitatus suavissimis, ac ornatissimis fratribus *Antonio Maria*, *Josepho*, & *Placido Pusterla*, apud quos *Lunati Ceppini* rusticabar. Cæterum cum Prætores *Mediolanensium*, & *Gallareati* suum honorem capessunt, sancte jurant, se omni ope curaturos, ne quis restituat

Reusnerus li. 2. de Ital. affirmat forum Licinii vulgo Incino, & Canturium quondam urbes fuisse.

Parte pr. Corius. Strabo lib. 5.

Cairate.

Gualvaneus Flamma n. 499.

Visevero.

a Ex inscript. Mss. ejusd. Alciati. b In inscriptionib. totius terrarum orbis. Gallarato lib. 9.

Corius par. 2. Chalcus lib. 17.

Bugatus lib. pr. & Castilionæus.

A sedem illam inquietæ rebellionis, cultoribusque inducendis substructionem ullam aggrediatur. Quæ loci infrequentia, ac deformis inæquali maceria vertex, squalorque perpetuus, cum occurrisset Divo *Carolo* lustranti Diœcesim, Collegas, & sacrificulos omnes, qui fanum *Joannis* tuebantur, induxit in ædem *Carnuti* (oppidum id est à *Carnutibus Gallis* nominatum): sustulit postea Collegium illud *Federicus* propter angustias profanarum ædium, & sacræ. Tres Collegæ ascripti sunt *Ambrosiani* templi *Canonicis*, & sex minores sacrifici ad *psalmodiam*: accessere item proventus, ac dos sacerdotii; reliqua, quæ viritim B dividebantur, cessere Bibliothecæ Ambrosianæ. Decedit interea *Paulus Quintus*, cum tot beneficiis Ambrosianos Collegas cumulasset, atque in vacua sede *Gregorius Decimus* quintus collocatur. Vitam pariter absolvit *Joannes Petrus Glussianus* ex Conservatoribus Collegii, Ordinis Patricii vir, ex sodalitio Oblatorum; fuerat hic contubernalis Divi *Caroli*, ejusdemque sanctimoniæ studiosissimus, nec tamen invisus literis politioribus, quas in sinu fovisse argumento est suavitas characteris, quo res gestas à Sanctissimo Antistite *Borromæo* persecutus est diligenter. Sane teritur C omnium manibus liber, non modo ob Divi *Caroli* facta, quæ describuntur, verum dictionis ipsius dulcedine, & perspicuitate, nunquam ani- 97
mo, oculisque fastidium creantis. Sparguntur jam, & disseminantur in terrarum omnium memoriam res *Caroli* immortales, singulari etiam erga ipsum numinis studio, ut disertissimum tantæ virtutis præconem inveniret. *Glussiano* subrogavit *Federicus Gulielmum Vidonum* majoris templi *Canonicum*. Interea dum *Franciscus Collius* disputationes suas de animabus Paganorum vulgi oculis proponit, in quibus celeberrimos promiscui sexus homines, aut ignibus æternis addictos, aut side- D ribus illatos docet, ut singuli numen noverant, & coluerant, novissimam hanc *Glussiani* jacturam alia consecuta est. Mortem obiit Benedictus *Sociacus*, atque ipse omnium primus funestavit Collegium, vir certe Poetis gratissimus, promptus ingenio, versiculos persæpe fundens ex tempore, qui genitus à Musarum una videri potuisset, nisi illæ Venerem semper ignorasse crederentur. Hæc carminis felicitas conciliaverat maxime hominem viris doctissimis, *Federico* præsertim, qui sæpius illum mensæ adhibuit, auxitque pluribus sacerdotiis. Heroici characteris necdum politum carmen servamus in tabulario, nam O- E loris ritu canentem oppresserant fata. Cothurnatus etiam prodiisset in scenam *Sociacus*, *Jeptheam* Virginem acturus: verum ignis absumpsit carmen, ac funeri scriptoris fere prælusit. Parentarunt *Sociaco* suo Musæ; has vero præficas illacrymantes funeri excitavit *Augustinus Terzagus*, eisdem *Pindi* sacris initiatus: multoque post visus est è tumulo revocasse hominem *Philippus Picinellus*, vir infula sui Ordinis, & dicendi copia clarissimus; extulit enim Collegam nostrum summis laudibus, donata sic nominis immortalitate. Alter jam annus inierat, cum positæ prope extra F solis vias regiones rem augent Ambrosianam. Ex urbe *Machao* miserat *Celsus Confanonerius*, *Mediolanensis* Patritius, ex Sodalitate Jesu, libros 98
*Japonensibus* literis scriptos, quemadmodum gens illa humanitatis nescia, prompta tamen ingeniis, confecerat. Accesserat epistola ipsius *Celsi* ad *Federicum*, cujus hæc sententia: discedere ex *Japonensi* Provincia *Sebastianum Vieram* ejusdem Societatis hominem, ut *Romæ* rem *Japonensem* curet: eum locuturum cum *Federico* non sine *Celsi* invidia, qui se non ante visurum ora *Borromæi* speret, quam vita defunctus, metuendæ æternitatis

Glussianus in vita D. Caroli lib. 2. cap. 11. & Rivola in vita Cardinalis Federici lib. 5. cap. 7.

De Carnuto vide Castill. de Gallorum Insubr. antiquis sedib.

Rivola loco supramemor.

Picinellus in Athenæo.

*Anno 1622.*

*Anno 1623.*

Ex literis nuncupatoriis suorum carminum ad Conservat. Bibl. Ambros.

In Athenæo Scriptor. Med.

1624.

Machao.

Decimo quinto Cal. Martias. Daniel Bartolus lib. 4. pag. 197. secundæ partis Asiæ.

tatis

tatis die, spectet Cardinalem inter cæli proceres gestientem una cum *Carolo* jam astris recepto: se minime versari in *Japonia* incommodæ valetudinis causa, animum tamen residere adhuc apud barbaros illos, ad quos remeandi spes sit. Precari enixe *Borromæi* pietatem, ut quando *Japonenses* exquisitissimis cruciatibus Catholicæ Fidei asseclas torquent, commendet *Confanonerium* numini, quo alacriorem animum ad carnificinæ patientiam afferat, ne vultus debacchantis tyranni, aut cruentæ manus tortorum mentis constantiam exament. A moderatore, qui provinciam illam obiret, factam potestatem mittendorum ad *Insubres* codicum, quos latine, italiceque vertissent nonnulli: paucos admodum repertos in *Machuensi* Collegio, eosque non alio nomine gratos fore Antistiti, quam quod *Japonensibus* literis sint exarati. Daturum præterea dono Patrem *Sebastianum* arculam ad recondendas divini panis hostias, ne inter sacrificandum *Federico Celsus* possit excidere: se facile impolitæ dictionis veniam à *Borromæo* impetraturum, quando *Italicam* linguam pene oblitus jam quadraginta annos peregrino sermone loqueretur. Alias autem literas, quas *Celsus* pro necessitudine *Borromææ* familiæ, ac *Confanoneriæ* subinde scripsit ad *Federicum*, fuisse redditas argumento est fragmentum epistolæ, quod proponit *Augustinus Mascardus*, cum scri-
99 bendarum historiarum initia, non ad *Mosem* authorem, sed ad *Abrahami* usque ætatem revocat. Porro eam epistolam miserat *Celsus* ad *Borromæum*, cum in Regno *Sinarum* moraretur; nam insederat *Federici* animo voluptas cognoscendi mores hominum, quos natura in ultimas terrarum regiones deportavit, & nascentem inibi Religionem amplificandi. Reddidit autem *Viera* literas *Confanonerii Borromæo*, quas nos ex reliquis ideo delegimus, quod *Sebastianus* ille epistolæ curator sævos deinde cruciatus Religionis Catholicæ gratia sustinuit, quemadmodum fuse hominis necem persequitur eruditissimus nostra memoria scriptor *Daniel Bartolus*. Hæc foris: domi Patritius alter Ambrosianas thecas præclaro munere insignivit. Tradidit dono Comes *Franciscus Siccus Borella* commentarios rerum gestarum *Francisci* I. *Sfortiæ* Ducis *Mediolanensium* descriptos membrana. Codex quidem pretio & elegantia nobilis amplitudinem hanc domicilii exposcere visus est, non modo ob memoriam gentis *Siccæ*, quæ etiam in præsens ornatissimi Equitis *Joannis Baptistæ* latoclavo, & sapientia eminet, verum ob testimonium insignium virorum, quos *Insubrum* Ducibus ea familia astrinxit. Scripserat illos commentarios *Joannes Simonetta* scriba intimus Ducis *Galeatii*, vir literatissimus, & in gravioribus aulæ, suique honoris occupationibus nunquam intermittens ea scribendi studia, parens *Jacobi* doctissimi pariter hominis, quem Apostolici Senatus purpura, *Paulo* IV. imperante, decoravit. Quamquam (ut Principum benevolentia est inconstans) infelicia rerum humanarum eventa expertus *Vercellis* exul moritur, nihilo interea mitius arridente fortuna fratri *Francisco*, qui antea rem *Insubrum* arbitratu suo moderatus, postmodum in arce *Ticinensi* inclusus interimitur.
100 Itaque hunc codicem *Galeatius Maria Sfortia*, ac filius *Joannes* Duces *Insubrum* dono dederunt *Joanni Antonio Sicco Borellæ*; nam is genitus ab *Antonio* Ducum aulico pueritiam omnem apud *Franciscum Sfortiam* regia pene educatione institutus cum traduxisset, *Galeatium Mariam* Ducem sibi demeruit, qui prætextatum *Joannem Antonium* dilexit unice, tum grandem natu singulari virtute, ac fide præditum summis honoribus exornavit. Præficitur quidem primum præ-

A toriano militi, tum Ducis stabulo, insignitus præterea Comitatu Vici Martis, quod oppidum est *Metrocomia* Brianteorum collium, & regionis, quam à veteri Martis cultu appellamus *Marthesanam*: *Chalcus* & *Ripamontius* sine aspiratione a Marte. Cum autem militaris disciplinæ scientiam teneret in primis, populos non modo transpadanos, verum etiam *Vallis Clavenæ*, *Vulturenæ*, ac fines *Larii* rexit, præpositus etiam *Foroliviensi* militiæ, ut *Catharinam* Ducis sororem, eamque provinciam servaret incolumem: præfectus item *Placentiæ*, secundum *Papiæ*; qua Civitate donatus à secretiori Ducum consilio fuit,
B reposita mox regiæ educationis gratia, cum Ducis *Maximiliani Sfortiæ* pueritiam educandam suscepisset. Hæc referre attinuit ob munificentiæ monumentum, ac familiæ decus sempiternum. Reperio eductos hoc anno ad nostra studia adolescentes Collegii trilinguis decimo calendas Quintiles; nam illud quoque Collegium fovendis literis instituit Cardinalis. Et quidem debueram in annum sequentem hanc rei memoriam rejicere, tunc enim conditum fuisse Collegium tradunt monumenta: verum quia candidatos latinæ linguæ vocavit hoc anno *Olgiatus* ad conventum,
C prospecturum me legentium voluptati opinor, si narrationem præcipiam, cum annum venientem sibi totum fere asserant Academia Graphidis, & pretiosa opificia tabularum. Cum igitur fructus uberes ex Ambrosianis seminibus colligi intelligeret *Federicus*, facturum se è republica censuit, 101
si alia subinde semina in eodem agro sobolescerent, cultorum ritu, ne mendaces postea fundi, aut egentes seminis colentium incuriam accusarent. Itaque Collegium instituit adolescentum, quos Alumnos appellavit, mandando præterea Conservatoribus, & Doctoribus Bibliothecæ, ut spectarent, si qui ingeniis prompti, aut in Col-
D legiis urbanis morarentur, aut alibi indolem suam proderent, modo ne desultoriis essent animis. Adscripsit vero *Borromæus* Alumnorum albo *Hieronymum Aliferum*, *Franciscum Rivolam*, *Petrum Antonium Brugnolum*, *Mauritium Bimium*, *Joannem Petrum Puricellum*, *Franciscum Bernardinum Ramponum*, *Fortunatum Raulium*, *Jacobum Philippum Butium*, *Joannem Donatum Ferrarium*, & *Nicolaum Pelizarium*. Porro ut grassarentur ad nobilium linguarum scientiam, alterius item Collegii author fuit Cardinalis, quod à *Latini*, *Græci*, atque *Hetrusci* sermonis scientia trilingue nominavit. Suas deinde in classes cooptavit singu-
E los adolescentes, prout natos eis facultatibus noverat, conditis quoque legibus, quæ statos conveniendi dies indicerent Collegis, ac scribendi pensum imponerent; annumerabantur autem à *Federico*, non ut elementa, præceptaque earum linguarum discerent, verum ut intima, atque occulta scrutarentur. Quos linguæ Græcanicæ addixit Cardinalis, reperimus hos fere, *Donatum Ferrarium*, *Josephum Rasium*, *Carolum Antonium Daverium*, *Octavium Ferrarium*, *Joannem Baptistam Argentum*, *Bonettum Arrigonum*: quibus adoptavit etiam alios, videlicet *Joannem Baptistam*
F *Roveram*, *Alexandrum Perlascam*, *Joannem Baptistam Cossam*, *Carolum Carcanum*, *Carolum Dardanonum*, *Carolum Franciscum Bonsignorium*, *Franciscum Hyacinthum Arrigonum*, *Antonium Mozzonium*, quorum scriptiones servamus adhuc, 102
cum in *Mediolanensi* Seminario audirent *Quirinum* Doctorem ejus linguæ. Qui *Latini* sermonis decus ab interitu vindicarent, vocati fuerant à *Borromæo Carolus Albricius*, *Julius Cæsar Moneta*, *Franciscus* de *Domis*, *Marcus Aurelius Sampsonius*, *Joannes Baptista Cantonus*, *Oliverius Mazuchellus*, *Fortunatus Raulius*, *Joannes Baptista*

Vimercato. de quo Gaudentius Merula.

Forlì.

*P. P. Boscba.* D *Nava*,

*Nava*, *Horatius Landus*, *Hieronymus Bonsalius*, *Joannes Antonius Castillionæus*, *Bartholomæus Argentus*; hos deinde antesignanos habuimus ejus linguæ, eosque primum *Olgiatus* Bibliothecæ Præfectus, atque Princeps hujus agminis convenire jussit hoc anno scriptionibus compluribus delatis, quemadmodum argumenta earum tradiderat *Olgiatus*. Alios sibi vendicavit lingua *Hetrusca*, majores tamen natu, *Franciscum Rivolam*, & *Carolum Villam Canonicos* Ædis Divi *Thomæ* in Terra amara (remanet sedi id nomen, quod sontes in illius area laqueo punirentur) *Joannem Baptistam Villam Canonicum* fani Divi *Babylæ*, *Josephum Aliferum Canonicum* Basilicæ Protomartyris, *Franciscum Bernardinum Ramponum*, *Archangelum Brascam*. Si quis autem attente Collegii trilinguis institutionem, atque Alumnorum delectum expendet, mirabitur primum ingenium, mentemque *Borromæi* consulentis sic eruditioni, ac scientiis, tum vero hoc agmen hominum commendabit, quos editis postea lucubrationibus, & gestis honoribus summis ire per ora civium audimus elatos laudibus, etiam cum eorum aliqui luce fruuntur, aut virtutis immortalitate redivivos, quos dira necessitas nobis invidit. Et quidem reliquæ adhuc tabulæ indicant nobis proposita fuisse aliquibus Alumnis scribendi argumenta, atque adjectos Censores ad explorandas lucubrationes,
103 collatosque inter se animadvertendi certamine, ne censuræ severitas male sanas scriptiones admitteret. *Hieronymus Alifer* acceptissimus *Federico*, quemadmodum nos ex literis *Borromæi* ad ipsum frequentius missitatis conjecimus, scribere debuerat de *Mediolanensi* Basilica Apostolorum *Petri*, & *Pauli*, non ea quidem, quam in Regione *Tonsa* urbis *cœnobitæ* Benedictini colunt, verum nobiliore alia, quam sive *Monas* Archiepiscopus, sive *Ambrosius* excitarit (nam ea fama in ambiguo est) celeberrimam fuisse constat ob exuvias Apostolorum, & *Nazarii* Martyris ibi reconditas, ac *Serenæ* potentissimæ fœminæ largitatem, quæ marmore libyco stravit templum, cum *Mediolani* una cum viro *Stilicone* consideret. Tradunt inde scriptores Apostolorum primum, *Nazarii* deinde appellatam Ædem: quamvis *Ambrosius* illam eandem Basilicam vocaverit Romanam, propterea quod in ea regione urbis sita sit, quæ *Romam* ducit. Claruit etiam delubrum illatis in aras compluriun Divorum corporibus, & adjecto mystarum Collegio divite copiarum, quas putamus à *Gulielmo Bocardo* cive donatas, cum ille agens feras *Matroniani* corpus diu inter silvas delitescens reperisset; nam ager postmodum, in quo effodit mortales eremicolæ exuvias, fundique affines sunt in potestate *Canonicorum*. Collegii istius ædes illic prius steterant, qua *Franciscus Sfortia* magno sumptu *Nosocomium* extruxit anno MCDLVI. verum in sedes Virginum migrare jussit *Canonicos*, quæ proximum *Agathæ* fanum tuebantur, *Monialibus* in alias sedes ejusdem Divæ prope *cœnobium* Augustini in Regione Nova inductis. Hoc altero postea sublato Vestalium domicilio superfuit Augustini nomen, atque ara in ejusdem Æde posita est *Agathæ* ad *cœnobii* veteris monumentum. *Francisco Rivolæ* mandaverat Cardinalis, ut Grammaticæ Abyssinæ operam suam impenderet; an obsecutus fuerit *Federico*, non
104 satis scio; illud quidem compertum mihi est Armeni sermonis doctum fuisse *Rivolam*, ac postquam voces omnes illius linguæ intulisset Latio, Grammaticas institutiones absolvisse: quæ omnia denique prodierunt in publicum. *Mauritio Bimio* contigerat Conciliorum cura, quæ in *Italia* sunt habita, colligendo nimirum singulorum monumenta, ac in unum veluti corpus rerum omnium

Puricellus in dissert. Nazar. cap. 54. nu. 14. & Villa in libro septem Basilicarum.

Ripamontius lib. 2. dec. pr. hist. eccl. Puricellus in dissert. Nazar. cap. 37. Villa de septem Basilicis, Innocent. ab Eccl. in vita Caroli à Basilica Petri cap. pr. lib. pr. Puricell. in dissert. Naz. cap. 58. Vide in Martyrol. Rom. 6. Id. Majas. Epist. 54. ad Marcellinam sororem.

Bonaventura Castillionæus in vita Mss. S. Calimerii, & Castellus in libro, in quo agit de Ducibus, & Princip. Med.

A partes, & membra conferendo; quæ autem vera, ac legitima Concilia, quæ adulterina, significabat *Franciscus Bernardinus Ramponus*. De origine, & incrementis Bibliothecæ, Collegiique Ambrosiani *Fortunatus Raulius*, vir disertus, cujus memini initio operis, scribere aggressus fuerat; mors præpropera eripuit nobis hominem, tristi literatorum hominum fato, quos raro senectus expectat. Arabicum codicem Alpharabii, manu descriptum, tradiderat *Borromæus Jacobo Philippo Butio*, ut donaret Latio: agebatur in eo de legibus, ac elementis musices; hæc autem B studiorum auspicia placuisse maxime Cardinali argumento est, nam *Butium* postea, & *Joannem Donatum Ferrarium* in Collegas nostros cooptavit, quemadmodum trademus; is vero *Ferrarius* cum sermonis Græcanici scientissimus esset, jussus à *Borromæo* lucubrationes Græcorum reddebat latine. Ut literatorum oculos subirent lucubrationes *Antonii Georgii Besutii*, curam eam Cardinalis *Nicolao Pellizario* commiserat: isque respondit votis *Borromæi*, castigando, & vulgando opus hominis. Porro *Besutius* ille non obscuro loco ad Lacum Urbanum natus, cum altus, educatusque fuisset à Divo *Carolo*, C decessit de vita in aula *Federici*, atque ex consuetudine herili postquam singularem prudentiam hausisset, instituit suis lucubrationibus milites, expendens loca plura *Polybii*, ac *Cæsaris*, quæ ingenia ad legendum invitent. Unum
præcipue mirati sumus, dum illius librum volve- 105
remus, etenim *Federicum Ænobarbum* sævitiæ nota liberat, neque ab illo *Mediolanensium* urbem superinjecto sale dirutam, verum excisa modo mœnia, ac domos eorum docet, qui Guelphis studerent; quæ omnia licet adversentur scriptoribus nostratibus, atque exteris, conatur tamen D probare conjecturis. Ut scriberet de vocibus *radicalibus* Hebraici sermonis, demandaverat *Borromæus* provinciam *Brugnolo*. Neque postrema fuerat propugnandæ religionis cura; Spartam illam tuebatur *Joannes Petrus Puricellus*, elaborando controversias, discutiendoque mysteriorum caliginem, quam hæreticorum impudentia mortalibus offuderat. Ostendit nobis exaratas manu controversias illas *Augustinus Puricellus* Laurentianæ Ædis *Archipresbyter*, atque alia doctissimi Patrui sui monumenta nondum à typographis tractata. Porro ætatem pene omnem transegerat ille majorum disciplinarum studiis, longa Philosophiæ, E ac Theologiæ consuetudine avocatus pene a reliquis facultatibus: ut propterea Cardinalis controversiis conficiendis prudenter admoverit hominem, volente Minerva facile scripturum. Reliquam vero ætatem affectam senio ad amœniora studia convertit, monumenta videlicet urbis vetera tradendo, exoletas jam vetustate memorias Divorum excitando, vindicatis itidem ab injuria criminis sanctissimis civibus *Arialdo*, & *Herlembaldo*, agens præterea de templis, ut narraverant tabulæ, ac conjiciendo, disputandoque assequi potuerat, eæque lucubrationes jam prælum subiere. Fregerat F denique mala ætas hominem majora etiam molientem; nam animus erat (quemadmodum non obscuram antea dederat significationem) non modo fanum *Ambrosii*, & *Laurentii* illustrare, ejusque
mystas, verum cæremonias, & ritus hosce Am- 106
brosianos, quibus facimus ad aras, ac psallimus. Placuisset quidem id operis eruditis hominibus; nam cum Romanorum, ac Græcorum mores teneamus, nostros plurimi ignorant, ex quibus tamen multa decerpta sunt, atque illata in Gregorianos modos, sacra præcipue carmina, & preces. Plura quidem tradidit Collega noster *Josephus* Vicecomes, cum *Liturgiæ* ritus persequeretur,

Picinellus in Athenæo.

Vicecomes de Missæ ritibus lib. 2. cap. 11.

tur, seque ad hoc opus justo volumine aggressurum est pollicitus: promissa tamen minime servavit; eundem quoque laborem jussus à Divo *Carolo* exhausit *Carolus* à Basilica *Petri Novariensium* Antistes; nos fortasse (modo ne mala corporis cœptis obsistant) cuncta tradere instituemus. Hæc igitur studia præbebant alumnis iter ad Ambrosiani Collegii decus; nam ad eam messem subolescebant. Ex Collegio autem trilingui prodierunt illustres doctrina viri, *Octavius Ferrarius* cooptatus postea in nostros Collegas, *Bonettus Arrigonus*, *Franciscus* de *Domis*, *Horatius Landus*, *Joannes Baptista Rovera*, *Hieronymus Bonsalius*, *Joannes Baptista Nava*, & *Bartholomæus Argentus*. Reliquorum par decus; *Joannes Baptista Villa* majores urbis Basilicas, ac vetustissimas quasque Ædes exornavit, indicata singularum origine, conditoribus, atque sacris exuviis templorum, monstrando præterea preces ad conciliandos in septenis delubris Divos, stata eorundem nomenclatura. Comparavit deinde in calce libri Insubres cum Quiritibus, docens *Mediolanensem* urbem appellatam merito *Romam* alteram, quo nomine quondam *Constantinus Byzantium* insignivit. Hunc sane titulum, ac nomen præferebat olim *Mediolanum*, propositis extra mœnia versiculis ad commendationem, ac terrorem urbanæ magnitudinis, qui *Thebis*, atque *Athenis* majorem esse urbem indicarent, & gentibus metuendam; verum sive *Galeatii* Vicecomitis odium fuerit erga Patriam, sive adulatio erga *Ticinenses*,
107 ne arcis munitissimæ substructionem iniquo animo paterentur, sive utrumque, marmor illud gloriæ *Mediolanensis Papiæ* ad caput pontis, qui *Ticini* ripas jungit, in pariete inclusum est, nec prætereuntium oculos adducit. Ordines item religiosorum hominum, & militum recensuit *Villa*; persequitur autem singulorum initia, & incrementa, docet quinam fuerint authores instituti, quæ ratio, ac leges, quo anno unusquisque Ordo prodierit, aut interierit, describendo præterea vestium cultum, leucophæatos, tumatratos, candidatosque, & *lignipedes*, arctoque fune constrictos *cœnobitas*, ut Ordinis indumenta, aut monstravere Superi, quemadmodum Dominicanæ familiæ, aut conditores cœtus invenere. Postremum hoc opus nondum typographos convenit Ambrosianæ Bibliothecæ scriniis contentum. Idem scribendi genus delectavit *Joannem Antonium Castillionæum* Curionem Ædis Vincentianæ, amantissimum perscrutandæ antiquitatis virum. Scripsit primum de Æde sua, ac urbanis Curiis, rimatus diligenter singula monumenta, quæ *Ticinensis* Portæ confiniis circumscribuntur: præterea superstitiosæ religionis exuvias, & lapides indices vetustatis collocavit in parietibus Vincentianis, substructa domi quadam veluti antiquitatis officina. Aliæ itidem lucubrationes satis significant hominis voluptatem in scribendo; nam sive ea æstimemus, quæ de templis urbis, sive ea, quæ de Regibus *Angleriæ*, ac de flagrionibus exaravit, singula redolent antiquitatem. Sustulit *Castillionæum* lues minime tamen immemorem instituti sui, & Bibliothecæ. Quippe membranas suas omnes, adversaria, ac quidquid scripserat, forulis Ambrosianis legavit, meditamenta videlicet, atque ab-
108 solutam structuram lucubrationum. Politiores literæ tenuerunt *Franciscum Arrigonum* acceptum Musis ob aciem ingenii, quæ in illius lucubrationibus vibrat. Commendavit etiam hominem Græcanicæ linguæ scientia, unde Atticæ ubertatis elegantiam hausisse censemus. Majora secutus est *Oliverius Mazuchellus*, vir literatissimus; fuit enim hominis ingenium ad omnes artes, & scientias factum: sive enim amœniores literas spectemus,

*Margin notes (left column):* Lib. 2. de ritib. Missæ cap. 13. Innocentius ab Ecclesia in ejus vita lib. 6. c. 7. — Picinellus in Athenæo. — Morigia lib. pr. cap. 2. hist. — Puricellus in vita S. Laurentii cap. 33. num. 24. — Calvus in Scena liter. Scriptor. Bergom. Par. pr.

A sive Philosophiæ, ac Theologiæ utriusque interiorem notitiam, calluit omnes apprime, qua dicendi copia, atque habendarum orationum suavitate, qua vi quadam arguendi, & facilitate nodos explicandi. Certe ipsius nomen sæpissime in Theologorum scholis commendatum audivimus, cum ii sua effata nobis adolescentibus traderent; quæ res placebat maxime, quod obæratus essem *Mazuchello*: is enim me, & sacra ornaverat toga, & alia ante omnia mente volventem Seminariensibus Musis formandum tradiderat. Concidit superioribus annis: secutaque est hominem mortuum fama, quam livor superstiti negaverat, hoc virtuti contingit, ut nitens multorum oculos perstringat, eam vero cæcitatem abstergat, cum sua lumina moriens condit. Claudit agmen *Alexander Perlasca*, cui Latini sermonis traditos fasces *Octavius Ferrarius* pater ejus linguæ in *Patavino* Gymnasio viris doctissimis est professus. Ego enim ad laudes *Alexandri* scribendas alienam prius fidem implorare debui, quam meam, ne familiaritas tradenti obesset. Si quis tamen lucubrationes ipsius permultas amet evolvere, puram putam ubique Latini sermonis elegantiam suspiciet, eumque unum affirmabit aureæ ætatis facundiam posse revocare. Sane cum luteo hoc seculo longe plures barbari castimoniam latinæ linguæ violent, quam olim in Latium irruperint, mirum est quosdam meliori luto fictos fuisse, qui intermortuam latinitatem excitarent ad vitam. Habuit quidem *Perlasca*, Latini sermonis vindex acerrimus, testes, 109
ac præcones suæ eloquentiæ *Gasparem Scioppium*, *Octavium Ferrarium*, *Carolum*[a] *Mariam Maddium*, Græcanicæ, & Latinæ linguæ doctissimos viros; neque ii aliquid magis mirati sunt in hoc *Alexandro*, quam quod Latium totum subegerit. Eadem studia hominem etiam confectum morbo prosecuta sunt, quæ novem annos in erudienda Seminariensi pube, & ætatem propemodum totam absumpserant, eumque ereptum terris adhuc luget eloquentia. Hæc sunt alumnorum lumina citra reliquorum invidiam: ne, si quem nostræ laudes præteriverint, male scribentem sugillet. Cæterum cum jam secundum annum Romani honoris 1625.
fastigium teneret *Urbanus Octavus*, *Gregorio* Pontifice mortuo, spes maxima affulsit Musis, non modo quia placerent summopere *Urbano* studia, & cogitationes *Federici*, sed quia morum similitudo, ac familiaritas ita utriusque animum copulaverat, ut sæpissime *Urbanus* literas ad *Borromæum* scriptas privato nomine subsignaret. Et quidem Pontifici Maximo æqua res visa est, ut unus ex nobilissima *Borromæorum* Familia Conservatoribus Bibliothecæ ascriberetur, ne alieni tantum molem hanc scientiarum regerent, tum vero demerendis hoc pacto studiis, & animis *Borromææ* gentis erga literatos, quos huic familiæ acceptissimos fuisse satis intelliget, qui in Pontificatum Divi *Caroli*, ac *Federici* inquiret. Itaque *Urbanus* unum ex eadem familia tueri jussit Collegium, sive is Ecclesiastica toga velaretur, sive aris minime addictus esset. Porro *Federicus* inter gentiles *Borromæos Comarchum Julium Cæsarem* progenitum à fratre suo in Conservatorum album retulit, ejusque sobolem, nepotesque, ac posteros ad tuendam Bibliothecam advocavit; eos autem si infœcunda conjugia negarent, proli, & 110
nepotibus, ac posteritati toti Comitis *Caroli Borromæi*, qui eadem cognatione Cardinalem attingebat, fidem hanc, & tutelam transmisit. Post hæc instituit locupletare Collegium *Urbanus*; nam sacerdotium pingue Bolati (pagus is est agri *Mediolanensis*) ea lege mandavit petenti, ut quotannis aurei numi quinquaginta penderentur Bibliothecæ, qui tamen reditus duodecim tantum annis

*Margin notes (right column):* Picinellus in Athenæo. — Picinellus in Athenæo. — [a] In Epist. orat. Perlasca. — Ex diplomate pridie Cal. Feb. — Ex diplomate prid. Cal. Mart.

desiniretur. Per eos dies prioribus Conservatoribus prorogatum imperium est; accessit cæteris Comarchus *Julius Cæsar Borromæus*, atque *Gulielmo Vidono* suffectus est *Aironus* templo *Nazarii* Præpositus. Evulgavit hoc anno duas historiæ *Mediolanensis* partes *Ripamontius*, atque à Pontificatu Chrysolai ad Divi *Caroli* tempora rerum gestarum memoriam trahens Ecclesiasticam historiam absolvit. Describuntur autem accurate à *Ripamontio* incrementa, & casus *Mediolanensis* Ecclesiæ, prout res humanæ sunt mortalibus secundæ, aut lævæ. Quæ cum agerentur *Mediolani*,

Ex literis Prid. Nonas Novemb.

*Hieronymus Foscarinus* Consul *Babylone* curam suam omnem nostris temporibus adhibebat. Accepimus

A

ab eo sermonis Arabici codices, *Ectarim* in primis, deinde monumenta rerum sacrarum, Divorum præcipue, quorum sanctimonia maxime refulserat in Oriente. Res una cogitationes *Federici* decepit; nam cum Abyssinum hominem expectaret ad doctrinam ejus linguæ, isque jam navi veheretur ad *Insubres*, abducitur in vincula à piratis. Doluit vicem hominis *Borromæus*, quamquam rursus operam suam promiserat *Foscarinus*, si quis ab *Hierosolyma*, aut proximis sedibus *Babylonem* adventaret ejus sermonis peritus: ne Collegæ Ambrosiani linguæ Abyssinæ scientiam desiderarent.

B

111

# LIBER QUARTUS.

*Anno* 1625.

Postquam Musarum imperium, atque ejus firmamenta constituit *Federicus*, cæteras quoque artes exornare cœpit; quod acre incitamentum est ad alendas in urbanis ingeniis disciplinas. Cum autem facultates dignæ ingenuis hominibus, pictura in primis, Architectonice, ac statuaria sint visæ, artes eas restituere, ac fovere est adortus. Damnaverat sæpenumero Cardinalis, cum Diœcesim suam obiret, simulachra quædam, & pictas imagines nescias omnino artis ejus, qua fiebant, nec habitu modo corporum male natas, sed à sacrarum literarum oraculis absonas, inductis in agrestia fana commentis, ac deformationibus pingendi, quæ thure primum, & facibus culta, superinductum deinde albarium colentium oculis, ac Religioni eripuit. Tum vero consenuisse apud *Insubres* cre-

112 debantur illæ artes: nisi quod immane Templum Magnæ Matris sculptores cessare minime pateretur. Cum *Ludovicus Sfortia*, cognomento *Maurus*, rei *Mediolanensi* præsideret, *Leonardus Vincius* (de quo longe plura scribemus, cum rerum narrandarum ordo admonebit) illustrem condiderat Academiam, non modo propter ipsius authoris nomen, verum quia viri nobiles ex ea prodierunt, *Bernardinus Lovinus*, *Joannes Paulus Lomatius*, *Cæsar Sextius*, *Marcus Uglonus*, aliique complures; quibus postea pictura debuit plurimum, quod famam hanc artis, ac *Vincii* disciplinam tabularum suarum pretio decorarint. Antiqua civium studia revocavit *Borromæus*, eo majore facultatum compendio, quo plures in recenti Academia disciplinæ tradebantur. Cœtum igitur hunc Pictorum, Statuariorum, atque Architectonices instituit in Pontificali Palatio anno vigesimo altero supra millesimum sexcentesimum, eique cæremoniæ interfuere *Alexander Mazenta Archidiaconus*, *Julius Cæsar* Vicecomes *Primicerius*, atque *Antonius Olgiatus* Præfectus Bibliothecæ. Hoc anno vocati in ædes Ambrosianas accepere primum à *Federico* authore Academiæ leges, deinde inducti in sedem certam cogendi cœtus. Qui singulis artibus, veluti duces operis, ideoque erudiendæ juventuti præessent, creati fuere *Jo. Baptista Crispus*, *Joannes Andreas Bissius*, & *Fabius Manzonus*. Porro hic *Fabius* architecturam restituisse est visus, non modo regiarum ædificationum, atque excitandæ Ædis maximæ *Mediolanensium* (quod fanum miraculo est terris omnibus) in *Insubribus* cura, verum quia *Carolum Butium* Architectum clari nominis ad interiorem scientiam Architectonices, tradendo artis ejus præcepta, deduxit. *Bissius* vero marmoris asperitatem feliciter vicit, simulachris affabre inductis: tantique artificii specimen præbent toreumata, quæ ambiunt Tem-

Raphael Trichet in vita Leonardi Vincii.

Ex tabulis Biblioth.

C D E F

pli maximi odeum. *Crispum* autem non modo 113
iis præposuit, quos pictura sibi oppigneraverat, verum toti Academiæ, ornavitque Principis nomine, & imperio. Sane *Crispus* in oppido *Ceredano* (quod vulgus *Ceranum*, *Polybius Acerras* vocat) *Novariensis* agri natus, à patria sede cognomento *Ceranus*, à parente, quod pingendo vitam toleraret, ad eandem disciplinam institutus, eminuit *Mediolani* primum, tum apud reliquos *Insubres* nobilitate artis ejus, quam profitebatur, neque tantum picturæ placuit *Crispus*, sed etiam plasticen, atque architecturam coluit; qua cum præstaret, plurima architectatus est in ornanda Æde primaria *Mediolani*, atque frontem totam excitavit templi *Paulini* prope delubrum *Euphemiæ*, singulari ingenio operis, quod proximam Ædis Marianæ faciem creditur æmulari. *Cerano*-quidem Principe cum plures cooptati in hunc cœtum fuissent, sese postmodum ex vulgarium pictorum grege exemerunt, nimirum *Daniel Crispus*, *Carolus Franciscus Nuvolonus* vulgo *Pamphilus*, *Joannes Paulus Blancus*, *Camillus Alsona*, *Carolus Blancus*, *Balthassar Todeschinus*, *Melchior Gilardinus*, *Carolus Minoia*, *Richardus Taurinus*, *Bernardus Ferrarius*, *Hercules Procaccinus*, & *Carolus Cornarus*. Cæterum, cum statis diebus convenirent, donabantur à Federico munusculis, qui reliquis graphide anteissent, nam jussi sacrorum annalium monumenta nobiliora rudi penicillo deformabant: tum etiam expendebantur tabulæ quæ vespertinum opus referrent, cum proposito nudi hominis corpore artus singulos conarentur adumbrare. Porro diurnam operam locabant singuli suis disciplinis; & quidem pictores (nam de museo statuariorum trademus deinde) inducebantur in pinacothecam, quam beneficio ejus facultatis condiderat *Borromæus*. Quæ autem eminet in præsens moles æqualis Biblio- 114
thecæ, ea sane aliquanto post substrui cœpit, atque, ut *Federicus* de vita decessit, coronide imposita stetit. Cum vero aream illam insiderent scholæ Tabernianæ, aliis coemptis sedibus ea gymnasia in vicum Fulconis translata sunt: ne Stephanus Taberna author erudiendæ inopiæ sedes suas deletas conquereretur. In eam quidem aulam ingentis structuræ inductæ sunt tabulæ pictæ, quas dono dederat pinacothecæ *Borromæus*: ac ne quidquam intercideret, Academiæ conservandæ præfecerat *Alexandrum Mazentam*, *Julium Cæsarem* Vicecomitem, *Ludovicum Barbavariam* templi majoris *Canonicos*, ac *Olgiatum* Bibliothecæ Præfectum. Hic autem monent nos nobiliores tabulæ, ut eas fere singulas tam civibus, quam exteris scribendo indicemus, non modo quia res ea voluptati futura sit, verum propter ipsius conditoris magnificentiam, quam peregrini homines veluti subjectam oculis mirabuntur. Hujus quidem noxæ ve-

Ferrarius in Catal. gener. SS. pag. 232. & lex. Geograph.

De Cerano vide Scanellum lib. 2. cap. 27.

In libro, cui titulus Musæum.

veniam facile dabit seculi peccantis audacia: si, A
cum *Federicus* pinacothecam totam tradidit mo-
numentis, nos paulo confidentius eandem descri-
bere velimus; nam juvat clarius nudare singula,
quæ (ut solet optimus quisque) modestia texit
*Borromæus*. *Titianus Venetorum* Apelles primas
occupavit sedes, ac frontem prope totam pinaco-
thecæ suo artificio vestivit. Tabula longe omnium
pulcherrima refert Magos Reges, cum vagientis
Dei tugurium convenere. Sedet parens numinis
Virgo, ac pone senescens conjux; illa complexa
cælestem pupulum proponit senioris reguli osculo
divina vestigia: tum vero expedire alius, ministrante
puero, arculam thuris, postremus ostentare pyxi- B
dem refertam munere ad cultum. Reliqua multitu-
do subsistit ad fores, alii quidem sublimes equis, cæ-
teri autem, qui desiluere, regunt vectores suos. Mi-
115 ra vero ars est pictoris, sive invenientis ingenium
spectes, sive pingentis elegantiam: regia certe
tabula; hanc *Titianus* pinxerat jussus a Cardinali
*Estense* seniore, eamque *Estensis* dono tradere vo-
luerat *Francisco* I. Regi *Gallorum*: sedenim aut re-
rum, aut animi inconstantia, minime ex *Italia* ex-
portata tabula est, sed coempta à Divo *Carolo*, cum
in potestatem *Mediolanensis Nosocomii* pervenisset,
redempta à *Federico* pinacothecam Ambrosianam
ditavit. Eam quidem studiose pinxisse Cardinalis C

In Vita Titiani.

*Estensis* causa *Titianum* credimus, ac *Vasarius* in-
ter cæteras commendat. Porro illæ minores tabu-
læ: alia fert *Monachum*, cui propexa est in pe-
ctore barba, alia *Joannis Jacobi Medicæi*, hæc
*Titiani* ipsius barbati vultum, illa Christi Serva-
toris imaginem pluribus vibicibus cruentam, re-
dimitam dumis, gestantem manibus arundinem:
tum peregrinantis hominis ora (quamquam id o-
peris nonnulli firmissime tribuant *Calixto Lauden-
si*) atque senioris cujusdam hominis, cui nudata
calva, & promissa barba; qui sane irritat vicinos
vultus, quos *Vincius*, atque *Durerus* pinxit. Hæ D
tamen minores sunt, si molem æstimemus; cæ-
terum pretio longe plures tabulas vincunt. Illæ
quidem magis pretiosæ; in altera residet *Josephus*
altor numinis, ac numen ipsum ferens, juxta
Virginea parens malum offert infanti. Alludit
Servatoris pedibus parvulus *Joannes*, ac *Raphael*
cælestis ales *Tobiam* ægre ducis vestigia sequen-
tem jubet adire Divinam prolem. Alibi pendet
icon Virginis gerentis Jesum, blandientis *Joan-
nis*, & *Catharinæ* proferentis digitum ad cælestes
nuptias. Idem rursus *Joannes* in altera tabula,
sed natu grandis, affectatur Deiparam, gestiente
inter ulnas sobole, cui *Cæcilia* Virgo citharam E
offert suam. *Magdalena*, quam maximopere extu-
lit *Vasarius*, minime indignata est hoc contuber-
116 nium. Spectat enimvero siccis oculis cælum, ac
fluentibus licentius per lacertos, atque humeros
comis nuditatem emaciati corporis tegit. *Dianam*
putaret *Actæon*, si ora, & sinum lachrymarum
fonte perfunderet. Eadem sane matrona in alia
icone lachrymis ubertim indulget. Componunt
in tumulo peremptum Servatorem *Josephus Ari-
mathæensis*, & *Nicodemus*: ac *Magdalena* solutis
crinibus, & redundante fletu accurrit ad funus.
Contra spectare *Joannes* numinis exequias, atque
insertis mutuo utriusque manus articulis paren- F
tare mortuo; Virgo autem genitrix prona in tu-
mulum artus sobolis venerari. Superne discedunt
nubes, unde maxima vis luminis intermicat
(quamquam lumina omnia in occasu numinis in-
terierint). Accedit ejusdem artificis penicillo de-
scripta regio, tanta pingendi incuria, ut exor-
nasse artem videatur, cum neglexit. Res quidem
singularis, nam tractus regionum à *Titiano* pictos
vix alibi invenies. Decurrit præceps è summis
montibus torrens, alveumque totum definiunt
præruptæ cautes, atque abscissæ, jugi supercilio
altæ, quæ casam ferunt securi pecoris hospitium.
*Titianum* sequitur *Georgionus*, nisi potius antecel-
lit; nam is lumina attulisse dicitur *Titiano*. Ge-
minæ virgines jacentes humi, mundo muliebri
satis comptæ, canunt fidibus: juxta senex sub-
jecto oculis libello efferre videtur in certa carmi-
nis spatia vocem, eique proximus assidere fistulæ
modulator. Cantu delectatum ferunt *Georgionum*:

Vasarius in ipsius vita.

ideoque passim citharœdos in suas tabulas admisis-
se, eosque maxime, qui testudinem tractarent;
nam ea hominem recreabat. Parem pingendi ad-
oream refert *Raphael Urbinas*. Geminæ graphidis
tabulæ ex pinacothecæ corona pendulæ propo-
nunt *Athenienses* scholas *Platonis*, & *Stagiritæ*,
ac disceptantem *Paulum* de ignoti numinis cul-

Actor. Apostol. cap. 17.

tu: eaque exemplaria sunt rerum, quas *Raphael* 117
*Romæ* in Vaticanis ædibus pinxit. Eminent utri-
usque gymnasii labores, ac studia, micante ubi-
que artificis ingenio, cum icon maxime operosa
sit, atque in Pontificum conclavibus merito pi-
cta. Ejusdem artificii pulchritudo pictorem *Ur-
binatem* spectatoribus in alia tabula conciliat. Ab-
luit genibus flexis Servator *Petri* pedes, & cir-
cumfusum Apostolorum agmen idem officii ge-
nus expectat. Historiam illam *Urbinas* affabre
reddidit, sacris ubique convivis ita spectantibus
numinis modestiam, ut alio quisque oris, corpo-
risque habitu divina officia suspiciat, & admire-
tur. Duo plane Apostoli miræ sunt artis; nam
alius scite sibi detrahit tibialia, alter nudatos jam
ungues secat, inarata interim rugis fronte, ac ex-
tantibus venis, dum demissis oculis, & emissitiis
pedum digitos interrogat. Alibi idem *Raphael* re-
divivum è tumulo Servatorem pinxit, atque so-
mniculosas circum excubias; sunt qui hanc ta-
bulam *Julio Romano* adjudicent; nos uter pinxe-
rit, non inique patiemur. Neque indictus abibit
*Leonardus Vincius* (quamquam ejusdem mentio
rursus injicietur); nam iconem Deiparæ suam fe-
rentis prolem mira concinnitate confecit, vul-
tumque *Mediolanensis* Ducis tanta elegantia,

Laudat Borromæum ob pictas Leonardi tabulas Sociacus lib. 4. epigr.

quantam fortasse, cum viveret sibi illa Dux ex-
optaverat, denique trucis medici ora, qui vela-
tus toga dexteram refert ad capulum pugionis.
Ostendimus item exemplum Vinciani cœnaculi,
quod ille pulcherrimum in triclinio Dominicani
cœnobii ad Ædem Gratiarum descripserat; cœ-
næ illius imaginem provida mens *Borromæi* pin-
gi jussit in tabula, cum sævientis Aquilonis affla-
tus Dominicanæ cœnationi historiam fere totam

Sansovinus in elogiis illustrium urbium Italiæ ad urbem Med.

abstulerit. Uterque autem *Bassanus*, *Leander* ni-
mirum, & *Jacobus* senior, diversa licet studia se-
cuti, sui tamen artificii faciunt fidem. Picta à
*Leandro* tabula monstrat Virginem residentem 118
humi, acclinemque *Josephum* de *Ægyptiaco* itine-
re fessum: rusticanos item homines duos, alte-
rum procumbentem ante ora cælestis pupi, alte-
rum servantem Aselli sui lorum. Hæc delectavit
utrumque *Bassanum* voluptas immoderata, ut in
omnibus tabulis Asellum, aut Canem confinge-
rent, quo pacto *Horatianus* pictor cupressum u-
bique simulabat. Cæterum exacta adamussim ta-
bula est, nec usquam supremam manum deside-
res. At vero senior *Bassanus* omnia pinxit indili-
genter, quæ tamen artis negligentia artem pro-
dit. Cælestis ales admonet pastores curando pe-
cori intentos de Servatoris ortu; cum autem cun-
cta reddere per incuriam pictor videri vellet,
emicuit opificium; pastoris enim unius indumen-
ta neglexit, quod subjecta lintea pastoritias ve-
stes consuerent. Utrique *Bassano* concedit facile
*Andreas Sclavonus* (indidit illi cognomentum na-
tale solum in *Illyrico*); neque tamen caret arte.
Alter ex Magis Regibus, isque senior, positis

 ante

ante Divinam ſobolem genibus, & regii amictus
ſyrmate verrens humum tradit numini vectigales
Arabum opes: cum interea reliqui proceres, &
ſimulantium plebes religionem alienam miratur.
Vicit Illyricum pictorem *Bernardinus Lovinus*
*Mediolanenſis*; & quamquam plures tabulas huc
intulerit & *Joannis* agno blandientis, & *Hierony-*
*mi* nudata pectora cædentis ſilice (quamquam
hanc iconem à *Cæſare Sextio* pictam plures affir-
ment) tum Servatoris ſalutari ſigno luſtrantis or-
bem, & *Magdalenæ* ante Chriſtum procumben-
tis, qui ſe illi ſub olitoris ſpecie obtulerat; duæ
tamen tabulæ ipſum prope *Lovinum* vicerunt.
Geſtiunt Virgo numinis parens, & *Eliſabetha*,
dum ludit cum *Joanne* parvo Divinus infans;
mira certe ſuavitas Virginei oris; & ſenilis ma-
jeſtas *Eliſabethæ*, ac labia ipſa loquenti ſimilia,
tum utriusque infantis membra mollia ferme, ac
vivida ſingularem pingendi artem oſtendunt.
119 *Magdalena* vero ejuſdem *Lovini* convertit in ſe
venientium oculos; nam vultus elegantia, frons
exporrecta, flagrantes oculi, crines certantes au-
ro ſpectatorem tenent. Etiam *Federicus Barocius*
ſibi advenientium oculos conciliavit. Virgo geni-
trix, nixa genibus, natam ſobolem colit vinctam
faſciis, ac propemodum vagientem; tanta eſt
venuſtas oris, & tabulæ. Excubat ad tugurii fo-
res *Joſephus* paſtores admittens, qui certatim ad
miraculum confluxere. Lumina vero pingendi,
quæ *Barocii* iconem illuſtrant, in alia itidem ta-
bula fulgent, quam *Petrus Paulus Rubbens Ant-*
*werpienſis* pinxit, ac *Joannes Bruguel* in eadem
urbe natus floribus redimivit. Divina ſoboles
blanditur parenti tenerrimis artubus venuſtiſſima:
Virgo autem modeſtiſſimi, ac formoſiſſimi oris
cæleſtis pupi blanditiis fruitur; eam tabulam co-
ronavit *Bruguel* collectis undique floribus, ac
vere perpetuo, oberrantibus aviculis per ſerti am-
bitum, atque exilibus vermiculis inſidentibus.
Latent in omnibus tabulis *Bruguelis* hujuſmodi
oculorum inſidiæ: nec unquam prodeunt, niſi
cum diligentiſſime interrogaveris ſingula. Immo
quædam exilia admodum coloravit *Bruguel*, ut
niſi oculorum aciem intendas, cernentis oculos
fallant. In argenteo quidem vaſculo aquæ luſtra-
lis, quo nocturnam quietem muniverat *Borro-*
*mæus*, parvæ quatuor tabellæ, eæque eburneæ
diſtinguunt opus (nam reliquas in cupro, ora
ſcilicet Chriſti, ac Virginis, pinxit penicilli acie
*Julius Clovius* non obſcuri nominis pictor) tantæ
exilitatis, quanta olim natura in *Pyrrhi* achate
Muſas, & Apollinem cælavit. Agitant alibi pro-
cellæ fluctuantem cymbam, micante inter nubes
Virgine, quæ navim ſoſpitat: alibi Chriſtus fuſo
cruore reſperſus crucem defert, obvia complo-
rantium fœminarum multitudine, ac comitatus
120 truculentis tortoribus. Hic pendet ex infelici ar-
bore Servator, ac uterque ſicarius comites necis,
ſpectante interim populo, ac militari cohorte nu-
minis lanienam. Propemodum ludit oculos tabel-
la ſupplicationis exigua, quæ tamen admoto vi-
tro, admiratione etiam, nedum aſpectu, majora
omnia proponit oculis. Rigent cuncta gelu, tra-
ctuſque regionis horreſcit nivibus, quas inter cir-
cumfert ſub umbella Sacerdos incluſum *hierothe-*
*ca* Divinum Panem, deducente ſupplicationis
pompam agmine cucullatorum faces geſtantium,
ac multitudine ad cultum procumbente. Exigui-
tas quidem imaginum mira eſt; cæterum molem
totam humani corporis ſpectanti ſubjicit, cum
vix ſpectari poſſit. Tenuitatem eam picturæ exi-
gua admodum tabella Bruguelis ejuſdem, aut æ-
mulatur, aut vincit. Vermiculus, ac papilio flam-
marum immemor roſis inſidiatur: proximus ve-
ro jacet muſculus nitenti roſtro, micantibus ocel-

De Clovio agit Vaſarius vol. ult. Plinius lib. 37. hiſt. nat. cap. pr.

lis, villiſque arrectis. Tabellæ huic redimendæ
aureos numos quingentos non ſemel oblatos au-
divimus, quanti ne in Caſilinenſium quidem fa-
me mures venire potuerunt. Eas tabulas penicilli
acie coloravit *Bruguel*, quas ſequuntur complu-
res aliæ minime diſparis artificii; alibi enim Vir-
go florenti ſerto concluſa ſideream ſobolem com-
plectitur: alibi ſtatuitur ante oculos Templum
*Antwerpienſe*, cujus licet formam pinxit *Henricus*
*Vanſtumych*, atque nomen ſuum inſcripſit in tu-
mulo, humana tamen corpora illuc intulit *Bru-*
*guel*, ſuæ præſertim uxoris, geminæ ſobolis, at-
que ancillæ. Hic eremicolæ complures abditi an-
tris, hic undantes Averni flammæ, damnatique
manes tanta operis venuſtate picti: ut, cum ali-
bi tartara extimeſcant, hic ſpectatores metu va-
cui oculis, & animo requirant. Illic rogum, &
faces ſpectat aduſta Pentapolis, illic conſtrictos
gelu fontes proponit pictor ferentes tamen luden-
tia corpora, tum *Cererem* comitatam geniis ele- 121
mentorum ſpeciem referentibus, denique *Danie-*
*lem* objectum leonibus, quem Rex circumfuſa
ad ſpectaculum multitudine deſpicit incolumem.
Et quamquam floſculis complures vernent tabu-
læ, duas tamen collecto vere exornavit. Altera
minor oſtentat calicem onuſtum opibus ejusmo-
di: alteram vero majorem miſit Cardinali pictor,
eamque ut charius commendaret, gemmam, &
numiſmata cum aurea, tum argentea appinxit,
ratus optimas tabulas poſſe conferri cum gemmis.
Hæc *Bruguel* non imperitus ſuarum tabularum
judex ſignificavit per literas *Borromæo*. Sane vel
fuerit hominis avaritia, vel judicium, *Federicus*
pretium large perſolvit, nam tantum pecuniæ
miſit *Brugueli*, quanti æſtimavere artifices ada-
mantem cum gemma, ac multiplex numiſma.
Ars deinde omnis aut vicit Bruguelem in cæteris
tabulis, aut *Bruguel* artem. Dederat negotium
homini Cardinalis, ut quatuor Elementa pinge-
ret; obſequutus eſt pictor *Borromæo* tanta venu-
ſtate tabularum, quantam ne Zeuxis quidem opta-
re poſſet, ſi viveret. Terræ elementum deſcripſit
propoſitis animantibus, quas alit humus, & in
eadem tabula, Leones, Tigres, feraſque cruoris
cupidas, ac cicures belluas citra metum ferociæ
copulavit: equum in primis tanta venuſtate pin-
xit, ut ſuum Nealces non audeat comparare.
Tellus ubique ridet floribus, pomiſque luxuriat;
in virentium autem camporum receſſu incidit in
oculos Deus ſpectator operis, quod finxit ex ar-
gilla. Sequuntur terram aquæ, alibi decumanis
fluctibus tumidæ, alibi incaneſcentes ſpumis,
quod ex montium jugo delabantur in præceps.
Sedet in ſcopulo Neptunus lympharum pater,
movens cuncta ſupercilio, quæ in æquore ge-
ſtiunt, ac vivunt, ludentibus circa piſcibus, &
conchis, quos aſſultantes fluctibus genii perſe-
quuntur. Suſpenſæ cælo nubes imbrem demit- 122
tunt, quæ obviis fulgoribus niteſcentes Iridem
colorant. Verſant vero infra exundantes urnas
*Nereus*, & *Amphitrite*, quam Venerem putares
in ſpumis. Circa aves paluſtres nutantem algam
videntur quatere, & ſecura naufragii cymba pro-
cellas ridet. Accedit aeris tabula; inſident arbo-
rum ramis canoræ aves, ac furaces. Aquila vero
ſublimis abit deſpiciens volucrum gregem, Olo-
res, Struthiocamelos, ac ſalutandi memorem
Pſittacum, caudatumque Pavonem. Agit mediis
in nubibus currum Phœbus, nec tamen Noctua,
aut Veſpertilio caligat ad Solem. Qua vero chor-
tis aves obſipatam eſcam invadunt, & cum Gal-
linaceo Gallus Indicus pugnat, Virgo tenerrimi
corporis gerit dextera volucrem, læva orbem,
ac paſſim genii inſequuntur volatu aves, aut *the-*
*leſcopio* ſummum æthera intuentur, aut circino
ſide-

Ex literis Bruguel. 8. Idus Martias 1609.

Ex literis 6. Cal. Septemb. 1606.

Rivola in vitæ Federici lib. 6. cap. 15.

siderum errores, eorumque domicilia metiuntur. Hæ tamen tabulæ (in quibus ne cerdo quidem *Apellæus* quidquam reprehenderet) si cum flammarum icone conferantur, vilescere videntur. Inventum tabulæ eximium est; nam effecta ignium describuntur. Occurrit oculis medicus labor, *stillatorium*, urcei herbarum florumque succo saluberrimi, diluta pharmaca, sales, *elixires*, tum reliqua humanæ salutis subsidia, quæ opifice flamma ars excogitavit. Jacere enimvero auri, argentique signati plurimum, militaris supellex promiscue, tubi ferrei, thoraces, gladii, phaleræ, missiles ignes, silex flammarum nutrix, prunæ conclusæ foculo, & cista vitreo opere onusta. Alibi vero rutilare gemmæ, purpurascere coralium, ac lapilli omnis generis flammas artifices expectare. Alibi metalla, rude, aut conflatum æs, aut arte elaboratum in tormenta Martis, & sacrarum turrium æneas voces. Nudata fabrorum corpora chalybem in fornacibus versant, docent in incudibus opificium, extergent, poliunt, acuunt.

123 Diceres Vulcani officinam huc illatam, si Cyclopes adessent. Superne coruscat lychnuchus pensilis, grassantur alibi in ædibus flammæ, *Ætna*, ac *Vesuvius* micant ignibus; eaque incendia non *Salamandram* fovent, sed Dæmonas favillis, ac visu terribiles. Hæc tabula aut commendat, aut accusat artificem, tanto enim studio elaboratam fuisse tulit fama, quod cum tunica molesta foret puniendus *Bruguel*, jamque tortor parasset fasciculos, ereptus flammis à *Federico*, flammas apprime reddiderit. Dissipatus is rumor verus ne sit, an mendax, statuere non attinet. Ea certe Elementa steterunt Cardinali aureis numis bis mille, quæ nunc artifices sexdecim millibus aureorum æstimant ob pictoris nomen, ac rerum miram venustatem, quas pinxit in cupro. Lacessebat autem hominis artem munificentia *Borromæi* (quæ facultates singulas fovet magnopere, elanguescentibus animis, si Principum largitas labori desit) missitatis supra pretium muneribus. Immo cum *Romæ* versaretur *Bruguel* ab ephebis egressus, captaverat sibi benevolentiam *Federici*, qui cum inspexisset indolem, ac ingenium adolescentis, vocatum in suas ædes benigne aluit, ac semper large ditavit pecunia. Porro has tabulas curabat vir ornatissimus, atque studiosissimus picturæ *Hercules Blancus*, ac subinde tradebat Cardinali, adeo delectatus *Bruguele* suo, ut *Zenonianam* villam ferme exornaverit ejus icunculis. Quamquam autem iniquus rumor ferat tabulas illas Elementorum in *Britannici* Regis Museo, aut *Romæ* in optimatum ædibus asservari, nos falsum omnino eum rumorem esse affirmamus; nam non modo tabulæ ipsæ inscriptæ sunt nomine *Bruguelis*, atque titulo anni, quo pictor ejusmodi opus absolvit, verum proferemus literas ipsius artificis,

Ex literis Bruguel. 3. Non. Aprilis 1609. & 4. Idus Martias 1610.

Ex literis Bruguel ad eundem Herc. Blan.

Londra. 124 quæ fidem facti firmissime obtinebunt, cætera enim sunt exempla, quæ *Londini*, ac *Romæ* hospites admirantur. *Ægidius Goninchlous* adumbravit eandem fere artem; excurrit late camporum viriditas, ac opacæ interdum arbores diurni sideris æstum arcent, jacentibus humi eremicolis, & soli cultoribus. Pone sequuntur *Coninchloum Rathnamerus* Pictor *Germanus*, & *Paulus Brillus Belga*; ille cælestium geniorum agmina, ac myriades alitum exigua tabula conclusit; hic regionum tractus pinxit, atque abditum intra silvas *Joannem*, profugam cum divina sobole Virginem, delapsum ex equo *Paulum*, & imagines alias rerum, quas sacri annales referunt. Tabula tamen ea *Brilli*, quæ prospectum maris aperit, longe vincit, quotquot ab eo artifice sunt profectæ; nec tamen ea viliores æstimant artifices geminas alias tabulas regionum, quas dilutis aqua colori-

Ex literis Joannis Baptistæ Crescentii prid. Idus Januarias 1611.

A bus pinxit. Encausticum opus est *Lucæ Batavi*; stolatæ Virgines modulantur lætum Pæana *Davidi* abscissam Gigantis cervicem referenti. Alia tabula ejusdem pictoris objicit spectanti Deiparam stipatam virginibus, sedentem humi, quæ sane imagines veterem *parœmiam* castigare visæ sunt *Batavis* obloquentem. *Albertus Durerus* artem suam mire explicuit, præter ipsius graphides plurimas, atque icunculam Magnæ Matris, lepida est *Eustachii* tabula venerantis flexo poplite oblatam inter Cervi cornua Servatoris speciem: reliquus venandi apparatus, atque odori canes pi-
B ctoris opificium indicant. Refectum *Joannis* caput, & in disco propositum visus est *Durerus* ad vitam excitasse: extremum spiritum prope retentat, cervix; intermorientes oculi, feralis pallor nisi accessissent, crederes locuturam. Adeo vivit caput exanime; quæ ars *Alberti* non vulgaris fuit in membrorum habitu, ac partium singularum æquabilitate. Sane *Durerus* inter omnes pictores eminet ob facultatum plurimarum scientiam, quemadmodum earum disciplinarum minime imperiti scriptores monumentis tradidere. Assectatur *Durerum Jacobus Palma*; Deus conditor præfert læva terrarum orbem, comitantibus nu-
C men geniis elegantissimi oris. Alia Palmæ tabula refert *Mariam*, ac Divinum Infantem cum *Anna* Virginis parente. Eadem operum industria cæteros pictores insignit. *Benvenutum Garofalum* nobilitat Servatoris præsepe; idque *anathema* est *Joannis Baptistæ Besutii*, qui olim in *Federici* familia fuerat. *Andreas*, qui à sarcinatore patre cognomentum accepit, intulit huc *Canonici* cujusdam *Pisani* ora vivam ad imaginem expressa. Ex *Bramantini* operibus reliquas habemus tabulas Divini Patris, ac cincinnati cujusdam hominis, quem purpureus pileolus tegit; quamquam pi-
D ctores *Vincio* magis, quam *Bramantino* postremum hoc opus, alterum vero *Petro Perusino* adjudicent. *Marcus Uglonus* auditor *Vincii* præceptorem expressit; tabulam pinxit Deiparæ ferentis sobolem. Ejusdem Virginis, ac Infantis imaginem *Joannes Petrus* absolvit vir pingendi arte clarus. Pictor cognomento *Surdus* parentem Dei obortis lachrymis tristem pinxit; & convertentem ora in frontem prolis cruentam vepribus. Idem *Surdus* aliam imaginem ostendit Servatoris indecoro murice tecti, & impio fune constricti. In alia vero tabula idem *Surdus* eleganter pinxit Deiparam contrectantem interempti Servatoris
E corpus: juxta lachrymis indulget cælestis aliger materni doloris comes. Eam iconem *Hieronymus Beccaria* Templi Maximi *Canonicus*, & Conservator Bibliothecæ dono dedit; quæ largitas viri est erga bonas artes. *Petrus* uberi fletu deplorans sua perjuria est *Civoli*; erumpunt ex senilibus oculis lachrymæ doloris testes, elatæque manus lymphatum prope hominem ob tristitiæ sensum indicant. Dolorem pinxit *Civolus*, cujus imaginem desperavit *Timantes*. Aliam pingendi rationem secutus est *Michael Angelus* ex oppido *Caraca*; nam licet humana corpora desiderentur, artis tamen abunde est. Continet cista recentes fru-
F ctus, uvas, mala, aliaque id genus naturæ certantia, ac spectantium, nedum *Tantali*, oculis futura ludibrio. Sane si aviculæ viderint, iterum falli poterunt. Fortasse pictori æmulari placuit *Polydorum* conterraneum suum primæ celebritatis artificem, indignum plane, quem nocturnum furacis pueri scelus dormientem jugularet. Ejusdem pretii putamus esse *Julii Campi* tabulam, qua authoris nomine, qua religionis. Servator in horto, cum proximus funeri secum necis atrocitatem reputaret, somniculosis circa sectatoribus, Angeli solatio levatur. Ars mira corporum est, & suavitas,

125 Joannes Paulus Lomatius in Idæa Picturæ cap. 4. & alii.

Meminit Vasarius in vita Andreæ.

126 Carravagio.

Vide Scannellum lib. 2. cap. 20.

Vasarius in ipsius vita.

tas, quæ vibrat in operibus *Campi*; cœterum cum tabula esset in potestate Divi *Caroli*; atque is moriens nunquam ab ea aspectum removisset, convertit in se maxime oculos spectatorum. Indicat pretium operis epigramma monstrans Divum *Carolum* conjecisse in eam tabulam oculos, ac ad Superos aspectu precantis Servatoris avolasse. *Scipionem Cajetanum* conciliat spectantibus picturæ suavitas. Deipara venustissimi oris, virgineo rubore suffusa, flammeo tecta, tam tenui, ut crines prodat, artem expolire videtur; si *Cajetanus* circum astra pinxisset, credidisses *Erigonem*. Eadem suavitas commendat *Guidonis Rhenii* tabellas, quæ D. *Francisci*, & adolescentis cujusdam ora referunt. Majestas eminet in icone *Cerani*. *Ambrosius Insubrum* Antistes redimitus infula, ac reliquis vestibus amictus, quibus Pontifices ad aras operaturi velantur, vibrat metuenda manu flagellum; quæ species fulminantis *Ambrosii* obversata est oculis hostium sæpe, & cum *Theodebertus* violata fide urbem diripuisset, & Parabiagi *Luchinus* Vicecomes cum *Leodrisio* dimicaret.

Carolus à Basilica Petri in vita D. Caroli lib. 6. pag. 264.

Corius in vita Justini Imperatoris, Arlunus sect. pr. hist. Corius par. 3.

127 Augusta quidem majestas, quæ micat in ore *Ambrosii*, gravem Pontificis illius animum indicat, qualem commendant scriptores, cum *Theodosium* à templi foribus submovit, & debacchantis *Justinæ* retudit impudentiam. Pulcherrima etiam est harmonia corporis, & Pontificalium vestium multiplices sinus, & rugæ mirum in modum redditæ. Adeo etiam *Insubres* respexit pictura, quibus immerito *Vasarius* maledixit, tamquam vervecum in patria, & crasso sub aere essent nati. Quare plurimum debent nostrates *Scannello*, qui convicio hominis respondens susceptam maculam delevit. Aliam itidem iconem habemus *Cerani*: offert illa spectanti vultum mystæ strictim attonsi, venusto ore, vibranti ocello; intulit in pinacothecam *Bartholomæus Busatius*, & munificentia sua tabulam exornavit. Æqualis *Cerani* cum esset *Petrus Franciscus Mazuchellus*, à natali oppido *Moræ Azonis Morazonus* vocatus, tum par nobile pictorum apud *Insubres* fuisse ostendit. Nos hominis artem monstramus in disceptantis Jesu tabula, cum circumfusus corona sapientum virorum cælestis doctrinæ arcana aperiret. *Morazoni* autem ratio in pingendo gravis fuit, ac nervosa, sequentibus umbris, & eminentia majestatem rerum, quæ pingebantur. Icones aliquot inclusæ crystallo gloriantur authoribus *Hieronymo Marchesino*, & *Augusto Decio*. *Petrum Vecchiam* Abbatem *Cœnobii Justinæ* in urbe *Patavii*, quem lucubrationes editæ, ac dono missæ Ambrosianis thecis commendavere, retulit in tabula *Franciscus Zanella Patavinus*, inductis eleganter coloribus, ac perpolita suavitate oris, & corporis. Eam tabulam egregie pinxit *Zanella*: pulchrius ornat species augusta Præsulis, qui licet multiplici dignus infula, oblatam tamen *Æmoniensis* Ecclesiæ

In libro, qui inscribitur *Microcosmus Pictura* lib. 2. cap. 19. Franciscus Scannellus diluit Vasarii dicta. PictoresMediol. clari nominis recenset Salvator Vitalis in theatro Triumphali. Morigia hist. l. pr. c. 60. Scannellus lib. 2. cap. 27.

Citta nuova.

128 tiaram recusavit; adeo certatim honores tanti viri sapientiam insigniunt. *Josephi* nuptias descripsit graphide *Gaudentius Ferrarius Novariensis*: pugnam ferarum, ac Centaurorum *Antonius Tempesta* calamo. Servator pictus in cupro, ac ebano inclusus, cum affixus cruci animam ageret, *Petrum Corthonensem* authorem operis fuisse docet. Imaginem illam legavit *Bartholomæus Fassius* Præpositus Collegio *Thomæ* in terra amara; eamque fama est traditam à *Gregorio* XV. *Cæsari* Cardinali *Montio*, ad *Fassium* deinde, cum è vita cessisset Cardinalis, pervenisse, quod illius conscientiam moderaretur. Nec icunculas quasdam inique collocavimus in fronte pinacothecæ; sunt enim perpolito opere absolutæ, ut penicilli acies conari quidquam nobilius haud possit. Subjiciunt oculis Deiparæ facta, sive cum *Elisabetham* con-

A venit, aut proponit Regum osculo parvam sobolem, sive cum fuga se recipit in *Ægyptum*, aut aris puerum sistit, aut ulnis divinum infantem complectitur; aliæ ejusdem pretii icones referunt *Innocentum* cædem, delapsum è sideribus ad pastores nuntium, redimitum spinis, ac demum suffixum Cruci Servatorem. Icunculam *Benedicti* nudatum corpus abdentis in dumos ad vincendam Venerem *Hieronymus Beccaria*: aviculas Carduelem videlicet, Parum atrum, & Pavonem *Flaminius Pasqualinus* dono dedit. Novam artem fallendi excogitavit *Alexius Durie Belga* (nam *Belgæ* artificia singula mira opificii subtilitate expoliunt); is enim quernas, ac popu-

B leas tabulas apprime reddit ad præstigias oculorum, qui se tum deceptos vident, cum manus judicant de tabula. Asserem hic populeum finxit: qui, ut facilius aciem oculorum ludat, mentitur suspensas scorteo vinculo literas, calamos, aliaque id genus. Infra pendet icon *Clementis* X. Pontificis Maximi, tum icunculæ plures regionum inflexa paginarum ora. Quo mendacio facillime decipiuntur spectatores; 129

Strada lib. pr. dec. pr. laudat artificia Belgarum.

nam extremas oras conati attollere, intelligunt ea esse ludibria oculorum. Vicit quidem *Durie*

C Zeuxidem invento, quando ille aviculas, hic homines fallit. Neque vero impar est conatus muliebris; nam geminæ Matronæ antiquas viragines æmulatæ (quibus placuisse picturam satis constat) huc artis suæ decora induxere. *Joanna Cæsia*, heroum progenies, ac mater, quæ *Comarcho Julio Cæsari Borromæo* nupsit, *Sebastianum* multiplici fune vinctum, atque trajectum sagittis pinxit egregie. Insignis est tabula muliebri penicillo: ut *Hirenis* quidem pietate, *Joannæ* autem artificio servatus iterum Martyr videatur. *Cæciliam* Virginem lapillis ornatam insignivit penicillo Comes *Maria Arconata*, omnes pingendi Veneres

Plinius lib. 5. hist. cap. 11.

D secuta, quamquam Virginem coloraret. Muliebris tamen artificii palma Fidei *Gallicia* est deferenda; nam patriæ artis opificium secuta ita præstitit penicillo, ut *Gallicia* sexum viris, elegantiam tabularum viri invidere possint *Galliciæ*. Publicas, privatasque ædes plurimas decoravit suis tabulis Fides; nos *Pauli Morigii* hominis ex Jesuatorum familia, qui res *Mediolanenses* consignavit literis, iconem ostendimus, quam illa depinxit, cum annum octavum decimum ageret, summa venustate colorum, atque excellentia artificii. Hanc vero tabulam debemus munificentiæ *Joannis Thomæ Butii*, quam, sublato Jesuatorum

E Ordine, pluribus philippæis redemit: cujus largitionem aliam longe magnificentiorem ad calcem operis monstrabo. *Gallicia* virgo (nam cælibem vitam duxit) pinxit etiam in tabella Herodiadem, cum gerit abscissam cervicem *Joannis*. Jam vero pinacothecæ totius descriptio pervenerat usque ad umbilicos, præteritis etiam compluribus tabulis, ne legenti essent fastidio, cum lectissimorum 130

virorum munificentia irritat scribentem, nec manum patitur tolli de tabula. Cum enim *Antonii Allegrii Corrigiensis* tabulæ desiderarentur, *Flaminius Pasqualinus* Academiæ pictorum Conservator, ac aliquando pictor ipse, eoque nomine

F picturæ amantissimus, deductos nos in ædes suas elegantissimas ad templum *Stephani*, cujus Collegio est ascriptus, jubet *Corrigiensis* iconem, atque duas simul tabulas, alteram à *Guidone Rhenio*, alteram ab *Alexandro Tearino* elaboratam ad Ambrosianam pinacothecam deferre; tum vero ad largitionis auctarium donat Bibliothecæ carmen autographum *Francisci Petrarchæ* ad Lauram suam. Refert ea tabula ora Deiparæ, ac manus ea arte, qua pictor tabulas universas ad miraculum usque exornavit. *Scannellus Corrigiensem* appellat divinum,

Lib. 2. cap. 19. & sequentibus.

A num, ac fuse ipsius laudes persequitur; certe *Franciscus Cairus Mediolanensis Parrhasius* in hac icone divinitatem quandam inesse sæpenumero affirmavit. Hæc largitas *Pasqualini* benignitatem aliorum invitavit. *Antonius Buscha* pictor eximius, atque author restituendæ Academiæ pictorum (quemadmodum trademus postea) Equitis *Cairi* famam propagaturus, ejusdem pictam tabulam dono dedit. Habet icon geminos vultus, parentis nimirum filium admonentis, ne rem domesticam dilapidet in exteras regiones profecturus, prodigus æris accepti; quam *parabolam* nati patria bona abligurientis Biblici referunt fasti.

B Picturam quidem totam commendat mira suavitas colorum, quos *Cairus* apte commiscebat, tum spiritus quidam corporum, quo inanima vivere putes. Hæc ars minime vulgaris, ad quam sponte tulit hominem pueritia, conciliavit *Cairum* non modo viris spectatissimis, verum Principibus, ac rerum arbitris. Equitem D. *Mauritii*, & *Lazari*

131 creavit *Victorius Amedeus* Dux *Allobrogum* delectatus maxime artibus ingenuis; & cum Equi- [...]dus Quin[...] 1634.

tum albo insereret *Cairum*, equestri amictu suo decoravit, ornatum præterea torque aureo, quem plurimus adamas distingueret: atque Romanum iter ingredientem annulo donavit permagni pretii, quem digito suo Dux *Amedeus* detraxit.

C *Christiana* vero Dux, demortuo conjuge, cum *Caroli Emanuelis* filii jura, & imperium tueretur, auxit Comitatu *Peliæ Cairum*, ejusque sobolem causa picturæ, & artis, quæ beneficentiam Principum provocavit. [...] Cal. [...] Octobr. [...]

Nos, & magni facimus *Cairi* tabulam, & *Antonii Buschæ* munificentiam longe pluris, qui pinacothecam Ambrosianam ditare maluit, quam clari nominis emptorem numos aureos complures minime avaro homini pollicentem. Idem *Buscha* geminas rerum graphides donavit, quibus sacellum Divi *Syri* in *Ticinensis* Carthusiæ Templo exornavit. Et quidem altera

D major subjicit oculis Christum circumfusum Apostolis, cum in locis solis esurientem sectatorum multitudinem recreare dapibus vellet, parvumque *Syrum* (quemadmodum *Papienses* fasti narrant) offerentem Christo quinos panes, & geminos pisces ad satietatem famis, & copiam epularum: altera minor Ecclesiæ Principem *Petrum*, qui sacris eundem *Syrum* initiat, cum apparatu, ac ministris ejus cæremoniæ. Utramque graphidem collocavimus ad pinacothecæ fores, atque cum illis composuimus alteram *Camilli Procaccini*; in ea vero descripserat *Camillus*, pictor nobilis, intere-

E mpti Servatoris funus, complorantibus circa fœminis, ac divis pollinctoribus suprema exequiarum officia persolventibus. Eodem anno MDCLXX. illata in museum est tabula proponens spectatoribus ora conditorum Ordinis Barnabitici (cœtus est Religiosorum hominum ad fanum *Barnabæ Mediolani* institutus.) Procumbunt parentes Ordinis ante *Paulum* patronum cœtus media è nube [...]olicus [...] Oceano

132 radiantem, & calicem Divi Cruoris læva præferentem, affectante Apostolum alite, qui Divi gerit insignia. Ponunt genua ante aram *Pauli* aspectu coruscam, princeps primum instituti, atque Virginum Angelicarum, quas *Mediolani*

F *Paulino cœnobio* inclusit, *Antonius Maria Zaccharia*, *Cremonæ* loco illustri ortus: sequuntur alii conditores *Bartholomæus Ferrarius*, atque *Jacobus Antonius Morigius*, *Mediolanensis* uterque, & clarus genere. Ferunt immutatos concione *Seraphini Firmani* animum ad cælestia adjecisse, instituendo Ordinem, qui vitæ disciplina, & literarum cultu Religionem juvaret plurimum. *Zachariam* velat talaris linea, & casula: cæteros linea brevior amicit, stolis è collo suspensis. Author pictæ tabulæ fuit *Augustinus* à S. *Augustino*,

[...]entius [...] Præ- [...] Rom. [...] in [...] Sac. [...]us in [...], cui [...]us de [...]gatio- [...] Cleri- [...] in [...] vi- [...]um. [...]mon. [...] in vita [...] Caroli [...] &

A muneris vero sectatores ejus instituti, qui cum singulorum pene cœtuum parentes spectassent in tabulis Bibliothecæ, nusquam autem suos, tanti Ordinis conditores addidere cæteris: ne urbs parens, atque altrix familiæ heroas sideribus dignos in *Federici* Museo requireret. Plurimas deinde graphides *Bonaroti*, *Vincii*, *Raphaelis*, *Pauli Veronensis*, *Sebastiani*, & *Baptistæ* à *Plumbo*, *Titiani*, *Palmæ*, *Georgioni*, *Polydori*, *Boccacini*, *Dureri*, *Pordononi*, *Iulii Romani*, *Andreæ* à sarcinatore, *Bacii Bandinelli*, *Lovini*, *Figini*, *Annibalis Fontanæ*, aliorumque artificum nobilium

B contentas libris eadem pinacotheca ostendit, collectas undique *Borromæi* ære, quod large in facultates ingenuas effundebatur. Quod si egentissimi homines pictam tabulam proponerent pretio, & res angusta domi picturam minoris venderet, longe majori pretio redimi jubebat. Immo si quæ tabulæ dono offerrentur, excelso animo repudiavit, ratus indecorum esse, si munera acciperet *Rivola in Federici lib. 6. cap. 15.*

Episcopus, quem in omnes munificentissimum esse oporteret. Ob id cum moriens *Bruguel*, bene- 133

ficiis plurimis obstrictus, legasset Cardinali ingentis pretii tabulam, *Bruguelis* hæredibus ille redonavit auctam corona, quam ebenum ornaret,

C atque cælati argenti laminæ nomine *Federici* inscriptæ. *Rivola eodem libro, & cap.*

Adeo se largitate vinci nunquam est passus, dedignatus compendium omne, quod avaritia proponeret. Fertur, cum Præfectus quidam *Mediolanensis* Provinciæ mille aureos obtulisset *Borromæo*, redempturus tabulam, in qua *Titianus* pinxerat *Magdalenam*, respondisse Cardinalis, se aureos bis mille erogaturum libentissime, si parem tabulam venalem Præfectus habuisset. Hoc Capitolium triumphanti picturæ condidit *Federicus*, certamen pingendi in *Insubribus* instituens, quale *Corinthi*, ac *Delphis* fuisse memorant scriptores. Hæc de tabulis pictis, earumque autho-

D ribus sensimus; quod si qui secus judicant, nos ad peritiorum judicium provocamus. Spectabilis etiam in eadem pinacotheca est sella gemina; in altera scortea Divus *Carolus*, cum lectulum etiam ipsum ad quietem datum odisset, atque interdum cubaret humi, breviorem somnum capere: in altera vero lanea sedere *Federicus* Bibliothecæ parens, ut literis operam daret, utraque autem indicat despicientiam opum, & domestici luxus. *Plin. lib. 8. hist. cap. 9. & Alexander ab Alexandro genial. dierum lib. 5. cap. 8. Grattarola in libro, qui inscribitur successi di S. Carlo pr. par. cap. 3.*

Sequentes anni Collegarum lucubrationes protulere. Vicecomes observationes ecclesiasticas no- 1626.27.28.

vissimo volumine complexus, ornavit erudite

E vestes singulas, & vasa, quibus vix nata Christi religio utebatur ad aras. *Ferrarius* egit de veterum acclamationibus, & plausu, utriusque opus multæ eruditionis est. *Salmatius*, quem doctum sermonis Græcanici fuisse tradidimus, ideoque acceptissimum *Schotto*, orationes paschales Divi *Cyrilli* latine reddidit. Longe major cura exer-

cuit *Rivolam*; nam postquam librum vocum *Armeniarum* summo studio elaboravit, adjunxit etiam 134

ejusdem sermonis Grammaticem, facili ad discendam linguam compendio. *Ripamontius* res gestas D. *Caroli* persecutus, Gentis *Borromææ* originem, & avorum seriem memoravit, initia, atque

F incrementa singula referendo: egit postmodum de Pontificatu illius, ac miraculis sanctimoniæ testibus: ut Divus Præses Bibliothecæ, quamquam immortalitate donatus, etiam literarum beneficio perennaret. Inter hæc cum *Ludovicus Be-* 1629.

*sutius*, & *Jacobus Terzagus* vita essent defuncti, atque jam reliquis Conservatoribus Magistratus quinquennis fuisset abrogatus, novi Conservatores sunt creati, *Comarchus Julius Cæsar Borromæus* secundum, *Julius Cæsar* Vicecomes *Primicerius* Ædis Maximæ, *Aironus* Præfectus Nazarianæ Basilicæ iterum, *Antonius Bussola* Præpo-

*P. P. Boscha* E situs

ſitus Sacerdotibus Oblatis, *Roccus Sbarainus* Curio D. *Raphaelis* ſuffectus *Baſſo*, qui vivere deſierat, ac *Antonius Blanconus* Curio Templi Majoris. Atrox deinde malum civitatem invaſit, rei nimirum frumentariæ difficultas: quo mortales ad inſaniam adacti horrere coguntur aliquando epulas, quibus inhiant, quærendo morticinas carnes, ac fœdiſſimas eſcas ad placandum ventrem. Fames vero, ſive eam frugum inopiam cæleſtium aquarum vis intulerit ſeminibus noxia, ſive occultata per avaritiam frumenta, vexare primum cives, tum vero ademptis frugibus necare: ac paſſim in vicis, & compitis mortales fame exanimes jacere; obviam ivit malo *Federicus* exhauſtis pene horreis atque opibus, levaturus ſqualentem inopiam, & caritatem annonæ. Quod infortunium vix à civium capitibus averterat *Borromæus*, cum ſævius aliud malum, vulgaris videlicet morbus, adoritur urbem: atque adeo nova calamitas ex veteri ſeri cœpit; neque mitiores videbantur Superi, niſi quod minime longa tabe
135 perimebant. Mandavit itaque Conſervatoribus Bibliothecæ *Borromæus*, ac lege edixit: ut, furente bello, vel *epidemia*, occluderetur Bibliotheca, nec omnino quemquam admitteret, niſi cum vis morbi, aut hoſtium deſæviiſſet. Itaque Muſæ ſuos cultores deſideravere; nec aliud egit Cardinalis, niſi ut *Milanum Canonicum* Baſilicæ *Stephani* Conſervatoribus aſcriberet: atque, cum Milanus loco fuiſſet motus, *Julium Maſcherum* Rectorem Seminarii Conſervatorem crearet. Itaque curam omnem *Borromæi* avocaverat à literis civium ſalus, non alium quærentis Apollinem, quam qui morbo graſſanti remedia adhiberet. Porro vulgabatur morbus, aut quia ſuperiore anno affecta corpora ob rei frumentariæ inopiam ac noxias mortalibus dapes invaſiſſet peſtilentia: aut quia Germanus miles in *Italiam* profectus; ſociam eam luem deduxiſſet: ſive coemptis veſtibus, ſive contactu corporum, & contubernio; plurimam certe ſtragem edidit, ac multo majorem datura fortaſſe, niſi initio bruma vim peſtis retudiſſet, quæ poſtmodum, ineunte vere, late ſerpere, ac debacchari cœpit. Satam quoque peſtilentiam feralibus unguentis, ac propagatam tradunt ſcriptores, crinitos item cometas indices mali apparuiſſe, & nocturni, diurnique ſideris defectus plures. Sane Libitina quæſtum acerbiſſimum fecit; lugubris omnis domus, exhauſtæ cultoribus ædes: & cum agmina mortuorum corporum efferebantur, quamvis illata in tumulum, inſepulta jacebant. Miſeranda prorſus facies urbis, niſi aſſuetudo ipſa funerum prope miſericordiam conſumpſiſſet. Itaque cum lues urbem vaſtaret, *Federicus* pacem Superum implorare: itumque eſt ad nobiliora Templa, & circumlatum Divi *Caroli* corpus. Hæc una videlicet calamitas debebatur nomini *Borromæo*: ut *Carolus*, & *Federicus* ſervaſſe urbem dicerentur, cum per-
136 iret. Porro adire Cardinalis *Limocomium* (vulgo Lazaretum) Capitolium videlicet, ac regnum mortis, adeſſe laborantibus, initiare ſacris religioſos homines, large opes effundere in egeſtatem urbanam, atque agreſtem. Sedata vero lue, affirmabat ſe divinitus ereptum periculis, quibus impavidum pectus obtulerat. Quæ cura, ac labor perpetuus bene adminiſtrandi Pontificatus, tum urbana calamitas ſuis tandem malis, ac funeribus exſatiata, cum enervaſſet Cardinalem, ſequenti anno Patriæ eripuit. Antequam ſuprema componeret, cum *Aironus*, & *Sbarainus* vita eſſent defuncti, alios Conſervatores demortuis ſuffecit, *Hieronymum Aliferum Canonicum* Ædis Nazarianæ, & *Bartholomæum Faſſium* Rectorem Collegii Nobilium. Donavit quoque Collegio *Joannem Donatum Ferrarium* Græcanicæ linguæ doctiſſimum, *Octavium Ferrarium*, *Jacobum Philippum Butium Canonicum* S. Thomæ, hunc Hebraici, illum Latini ſermonis conſultiſſimum; Collegas vero omnes ſecundo quoque anno, redeunte in orbem vice, tueri Collegium juſſit, & Conſervatoribus reliquis *Gigæum* ante alios aſcripſit. Dum hæc aguntur, cum jam inſidens præcordiis febricula tentaret Cardinalem, cogitavit primo Senecianam, voluit deinde Gregorianam Villam, quæ tertio diſtat ab urbe lapide; & laxaverat ſæpius animum *Borromæi*, cum ſe urbanis curis eriperet. Verum cum propter uliginem ſoli, ac manantium ubique aquarum copiam cælum ſit paulo gravius, cœpit eſſe infeſtum corpori Principis, & gravedine primum torquere, denique revocare ad urbem victum, ac elangueſcentibus quandoque viribus repente exanimatum. Interea cum atrocior in dies febris præcordia adureret, ac ſpes fere ſalutis decollaret, admonetur à *Faſſio*, qui erat conſcientiæ arbiter, ut vaſa 137
colligat, ſeque ad extremi certaminis aleam obarmet. Accepit exporrecta fronte *Borromæus* hominis dicta: ac poſtquam totius vitæ noxas expiavit, Cæleſti Pane recreatus *Canonicos* Ædis Maximæ circa lectulum procumbentes hortari cœpit, ut attente rem Eccleſiaſticam tuerentur, cum ad interregnum veniſſet. Accedere ſe, inquit, ad littus diutinis tempeſtatibus actum: longam cepiſſe uſuram lucis: nec diutius vivendum eſſe homini, qui inutili pondere terram oneraret: nihil optatius contingere poſſe mortalibus, quam ut mortales eſſe deſinant; eo graviores eſſe cruciatus humanos, quo longius corpore incluſus animus cogitur vitam odiſſe, quam amat: ſex annos ſupra triginta ſe Ambroſianum imperium tenuiſſe, quod temporis ſpatium pauci admodum Antiſtites æquaverint: id unum enixe expetere à Collegio ſuo, quo nihil optari dulcius poſſit, ut inter illos ſemper conveniat, quo Eccleſiam ſervent incolumem, cum vacua ſedes ſingulorum opem implorabit. Nemo ſiccis oculis audiebat, quæ dicebantur à *Federico*, fluentibus uberius lachrymis, cum ſupremis oſculis, & amplexu Collegas exciperet. Inter hæc ſpes ſalutis affulſit, tamquam collectis viribus morbi ſævitiam exarmare poſſet; verum ætas primum, deinde inſidens morbus partibus iis, quas perpetuus texerat pudor, nec medicorum curationi unquam aperuerat, exedit paulatim *Borromæum*: nec remediis caruiſſet, niſi ea remedia odiſſet pudor. Itaque gliſcente in dies morbo cum exigua in ſpe traheret animam, legavit Ambroſianæ Bibliothecæ ruris Gregoriani fundos, ut duo Sacerdotes quotidie ad aram Deiparæ in Templo Maximo ſacra facerent, reliquos autem ejus villæ reditus puellarum connubia abſumerent, quæ in pagis *Verbani Lacus* eſſent natæ. Hæredes ex aſſe inſtituit Virgines *Roſarii*, quibus ſuperiore anno in regione Orientali urbis ædes condiderat: ne pudo- 138
ri paupertas inſidiari auderet, immo ne inopiam paupertas extimeſceret. Cultor videlicet pudicitiæ pudicitiam teſtamento reliquit hæredem. Reliquæ deinde vires obluctari cœpere acrius morbo; ejus impetum cum ferre non poſſet, diem obiit *Federicus* undecimo Calendas Octobres, verſans ſemper animo cæleſtia, eaque meditatio morientem eſt proſecuta. Enimvero comploratio, & luctus civium, qualis in rebus perditis eſſe ſolet, tanto funeri comes ivit; nam recens meritum levatæ egeſtatis, ac avertendæ luis ſedulitas erat in oculis æſtimantium unius capitis deſiderio jacturam; nec facile lachrymarum obliviſci poterat dolor, cum tanta calamitas etiam funeri ſupereſſet. Elatus eſt quinto poſtquam deceſſerat die,

Tadinus de peſte lib. pr. cap. 2. Ripamontius de peſte.

Rivola in vita ipſius lib. 5. cap. 20. & Ripam. in vita ipſius lib. 6. cap. 5.

1630.

Tadinus de peſte lib. pr. cap. 23. Ripamontius de peſte; Lampugnanus de peſte partic. 3.

Rivola in vita ipſius lib. 5. cap. 33. & Ripam. dec. 5. lib. 6. cap. 5.

Rivola lib. 5. c. 22.

1631.

Ex tabulis 3. Idus Septembr.

Senago. Villa di S. Gregorio.








**FEDERICVS BORROMÆVS**
**Card. Archiepiscopus Mediol.**

*Qui fuit insubrum dominâ Federicus in urbe*
*Antistes, phœbi præsul in æde fuit.*
*Tempora velavit murex: Federicus at ostro*
*Doctâ romano lumina mente tulit.*
*Ergo quid mirer, coccum, vel crine tiaram,*
*Miror quod factis ornat utrumque suis.*

die, triſtiori interim Civitate, quam ſi *epidemia*
recrudeſceret; ſqualebat ſexus omnis, atque æ-
tas, egentiſſimi hominum præcipue, quorum in-
ediam aluerat abunde. Juſta fecere mortuo uni-
verſi Ordines: cohoneſtavere exequias *Paulus A-*
*reſius Dertonæ* Epiſcopus, *Joannes Petrus Vulpius*
*Novarienſium* Antiſtes, ac Dux *Ferianus* Guber-
nator *Inſubrum*. *Areſius* poſtquam ad aram maxi-
mam Ambroſiano more eſt operatus, commenda-
vit habita oratione Federici virtutes, ac facta, &
ut erat vir diſertiſſimus, ac præſtanti eloquentia,
motus maximos feciſſe dicitur, & audientium la-
chrymas elicuiſſe uberius, ingemiſcente paſſim co-
rona, nec deſiderium ſublati Pontificis jam ferente.
Cardinali triduo parentatum eſt; ejus laudes com-
memoravit iterum latina oratione *Donatus Ferra-*
*rius* Collega noſter, perſecutus ſingula, quæ im-
mortalia geſſerat *Borromæus*, doloris infandi re-
novatione, cum civium auribus virtutes rurſus,
atque oculis ereptus Antiſtes objiceretur. Compo-
ſitus demum in tumulo eſt in majori Æde ad aram
139 Virginis, quam ab Arbore appellant; arborem
enim ex ære ſolido conſtruendam curaverat anno
MDLXII. *Joannes Baptiſta Trivultius Archipres-*
*byter* Fani Majoris ſimillimam Salomonis cande-
labro, ut fulgore colluceret Templum, atque
adverſam aram illuſtraret; marmor brevi *epigraphe*
inſcriptum docet, quieſcere inibi *Federicum Bor-*
*romæum* Cardinalem, *Inſubrum* Antiſtitem, Magnæ
Matris præſidio tutum. Hæc viſum ſcribere de
funere *Borromæi*; nam vivit adhuc in omnium
pene ore, atque oculis, cum ſinguli civium lo-
quantur de moribus, ac vita Cardinalis tanto
lubentius, quanto acrius obluctantur dolori ſuo,
cum abſentem virtutem invidi requirunt. Certe
ab ipſa pueritia ita fuerat ad virtutes omnes con-
formatus *Federicus*, ut merito D. *Caroli* benevo-
lentiam ſibi adjunxerit, qui eum ſacra toga ami-
civit, deinde ſpectatæ probitatis adoleſcentem Col-
legio, quod nuperrime *Ticini* excitaverat, addi-
xit, futurum reliquis alumnis exemplo adumbran-
dæ virtutis. Quamquam adoleſcentem fuiſſe vix
meminimus: adeo præverterat ætatem; cum an-
num ageret vigeſimum tertium Romana purpura
à *Sixto Quinto* decoratur; auctus poſtea *Mediola-*
*nenſi* Infula ita Pontificatum obivit, ut nunquam
humanarum rerum, aut Gentis ſuæ commodis fle-
cti poſſet, quominus Eccleſiaſtici juris imperia
propugnaret, ſolicitus de concordia, quæ maxi-
mo ſtetit impendio. Tota autem ratio adminiſtran-
di Pontificatus nunquam à labore fuit vacua; nam
*Borromæus* plurimas *Synodos* cogere, urbanas æ-
des, atque agreſtes luſtrare ſæpius, ea diligenter
tuendo, quibus rem Ambroſianam *Carolus* fun-
daſſet. Eccleſiam quidem ſuam etiam *Oſtienſi* præ-
tulit, quæ *Federicum* Patrum Purpuratorum prin-
cipem ſibi vendicaverat; Pontificatum vero Ma-
ximum, niſi contempſit, ſaltem fugit: cum mal-
let dignus videri honoribus, quam ornari. Ejus
ædes nunquam vidit avaritia, inopia quotidie;
140 literas vero habuit contubernales, nam Latine,
Græce, atque Hebraice doctus ſubſecundarias ho-
ras eccleſiaſtico labori cum ſublegeret, meditaba-
tur ſubinde, ac ſcribebat. Neque vero ejus lucu-
brationes, tanquam alienum oleum, & operam
olerent, ſugillaſſet Cardinalis *Bentivolus*, ſi appa-
ratum ſcribendi ingentem, tum adverſaria lituris
fœda, atque ſingularum ſcriptionum *archetypon*
vidiſſet; quæ omnia verſavimus nos, atque in
ſanctioribus ejuſdem Bibliothecæ ſcriniis repoſui-
mus. Cæterum Cardinalis animus eximiis, virtu-
tibus fuit excultus, quibus oportuit honeſtari *Bor-*
*romæum* diſciplina *Caroli*, ac *Philippi Nerii* inſti-
tutum. Neque vero audemus cælitum honoribus
Principem conſecrare (nam prohibet Romana Re-

Tortona.

Ughellus tom. 4. Ital. Sacræ ad Epiſc. Dertonenſes: Craſſus in elogiis virorum illuſtrium: Picinellus in Athenæo laudant Areſium.

Rugattus hiſt. lib. 8.

Carolus à Baſilica Petri in vita D. Caroli lib. 7. pag. 317. Gluſſianus in vita ejuſdem Divi lib. 6. cap. 7.

Ripamontius in vita Fed. lib. 6. cap. 2. Rivola lib. 6. cap. 15. Idem lib. 5. cap. 10. & lib. 6. cap. 15.

Serenius lib. 5. elogii Borromææ fam. pag. 320. Guido Cardinalis Bentivolus in libro, cui titulus *memorie*. De ſtudiis Card. Fed. Ripamontius dec. 5. lib. 4. cap. pr. Rivola, Ripam. in ipſius vita, & Velaſquez in com.

ligio); virtutum tamen, ac virginitatis præſertim
admiratio ita civium, atque exterorum animos te-
net: ut pro ſe quiſque exuvias *Federici* quærat
ad avertenda mala, atque complures præſentiſſi-
mam opem reperérint. Sane cum in Romanum
muricem indigna omnia impudenter effutiant Ca-
tholicæ Fidei deſertores, *Federicum* tamen tulere
in cælum deoſculati virtutes, quas odiſſent. Ipſe
corporis habitus index animi fuit; nam & proce-
ritas magnitudinem pectoris prætulit, & majeſtas
ſupercilii regios ineſſe ſpiritus indicavit; modeſtia
enim prohibuit, ne *Federicus* Regibus imperaret:
ut cum Regibus conferri poſſet, operum magni-
ficentia obtinuit. Porro cum Borromæi funus te-
tigiſſet cives, acrius affecit Collegas noſtros, ac
deinde ſenſimus *Federicum* defuiſſe. Itaque pro-
poſita eſt ad leniendum dolorem præ foribus Bi-
bliothecæ imago ænea Cardinalis, quo cives,
atque peregrini eum fuiſſe parentem operis intel-
ligant: tum vero illius lucubrationes plurimæ ty-
pis ſunt commiſſæ adeo ut neſcias, plurane ſcri-
pſerit, an legerit: certe legiſſe plurima credi po-
teſt, cum tam multa ſcripſerit. Volvuntur eru- 141
ditorum hominum manibus latinæ ſcriptiones, ac
tuſcæ; liber autem is, qui de Principum gratia
inſcribitur, adduxit etiam *Gallos*: quæ natio ſcri-
ptores ſolet quærere cum delectu. *Epicedium*, quo
*Ferrarius* commendaverat *Borromæum*, typorum
beneficio adhuc ſervamus; neque contentio illa
ſcribendi ſublato conditore occidit. Nam *Gigæus* 1632.
externarum linguarum peritiſſimus, cum opes
undique ex monumentis Arabum collegiſſet, coe-
git poſtea in unum Arabicæ linguæ Theſaurum
tanto labore, quanto *Euriſtheus* viciſſet *Herculem*,
ſi illud opus imperaſſet. Patientiſſimus quidem
laboris fuit *Gigæus*, non modo cum Theſaurum
eum ſcriberet, verum cum cæteras etiam linguas
in *Italiam* vocaret. Supereſt etiam cineribus ho-
minis improbus labor, quem in tradendo *Perſa-*
*rum* ſermone exhauſit; inſcripſit volumen Gazæ
Perſicæ titulo, æmulatus *Alexandrum* nationis il-
lius divitias diripientem, cum *Darium* domuiſ-
ſet. Quamquam inter *Alexandrum*, & *Gigæum*
hoc maxime interſit; nam hic Gaza Perſica ter-
rarum orbem ditare animum induxerat, ille ſe
ipſum. Chaldaici quoque ſermonis inſtitutiones
tradere aggreſſus enucleaverat prope ſingula illius
linguæ, præfatus antea, quantum externi ſermo-
nis diſciplina eſſet compendio, ſi facultatum ar-
cana ſcrutari velles, quæ peregrinis præcipue lin-
guis occultata latinitatis cultoribus vulgarentur.
Porro his lucubrationibus typographi immine-
bant, cum mors fefellit conſilium hominis, fru-
ſtrata etiam ſpem Pontificis Maximi; etenim *Ur-*
*banus Octavus* earum linguarum ſcientiam in Col-
legium propagandæ Fidei optans inducere, invi-
taverat mercede maxima *Gigæum* jam comparan-
tem ſe ad iter, ac obſequentem Pontificis impe-
rio. Hic fuit exitus viri doctiſſimi, qui ætatem 142
ſuam omnem addixerat ſermonis peregrini ſtudio,
ac ſummo labore conſecutus, tradiderat ratione
facili ad diſcendum. Sub idem fere tempus vir cla-
riſſimus deceſſit *David Coluillus* acceptus huma-
niſſime à Collegis Ambroſianis, & in noſtris æ-
dibus vita defunctus. Apud *Scotos* natus, cum
patrium cælum faſtidiret, in alienas terras profe-
ctus, gratiam inivit primum à Duce *Allobro-*
*gum*, cujus Bibliothecam tractavit, tum vero in
*Hiſpania* diu moratus eſt muneris ſui cauſa, cum
Arabicum ſermonem interpretaretur, apud *Inſu-*
*bres* demum quieſcens deſiit peregrinari. Libros
*Alchorani* atque Alcami veluti animo eam libro-
rum jacturam præſentiret, quam flamma *Eſcuria-*
*co* poſtmodum attulit, donavit forulis Ambroſia-
nis, acceptos non modo ipſius cauſa verum quia

ment. ad cap. 2. epiſtolæ Divi Pauli ad Philippen. verſu 6. & alii ſcriptores, tum Latini, tum Itali. Rivola de virginitate Federici lib. 6. c 9. Ripam. dec. 5. lib. 6. cap. 7. Rivola lib. 5. cap. 36. Joſeph Scaliger lib. 2. epiſt. 133. ad Caſaubonum, & epiſt. 140. ad eundem.

1633. eos codices descripsit ex Bibliotheca *Escuriaci*. Sequenti anno mors eripuit *Josephum* Vicecomitem, virum illustri loco natum, & in persequenda veterum Patrum eruditione, promptum ingenio. *Cornelius* à *Lapide* minime gravatur ire aliquando in illius sententiam; immo cum omni genere virtutis floreret Vicecomes, singulari etiam pudore ornatus, inde sibi laudem maximam comparavit, eamque apud omnes testatam reliquit *Joannes Stephanus Menochius* vir ex Societate Jesu, cujus se in disciplinam Vicecomes tradiderat. Jam vero Collegæ redigebantur ad paucos, non modo ob frequentiam funerum, verum quia difficillima erant rei *Mediolanensis* tempora, flagrante apud *Insubres* bello, quod ne Græci quidem, aut *Troes* obstinatis ad mutuam internecionem animis tandiu sustinere potuissent. Hæc mala rem Ambrosianam in communem traxere calamitatem, accisis sensim opibus, cum transpadanæ regionis prædia hostium excursionibus essent obnoxia, atque adeo nudata cultoribus annuos proventus Collegio negarent.

Comment. in Joannem c. 13. vers. 7. pag. 446. col. pr.

Centuria 3. histor. cap. 42.

143 Sævit adhuc pertinax ærumna, grassante malo, etiam cum sedatum est; ita enim comparatum, ut quæ pertulimus aliquando infortunia, eadem diutissime sentiamus. Ac cum ferales cometæ magnarum calamitatum prænuntii astris internitent, noxio quidem spiritu afflant aera, cæterum male ominati sideris inclementia sequentium annorum funestat agmen: ita graviorum calamitatum acerbitas debacchatur ad plures annos; nec sensus brevis est mali: furit tandiu, quandiu vel patientiam, vel mortalitatem vincit. Ob eam rem nonnulli Collegarum alia vitæ studia sunt secuti. *Joannem Donatum Ferrarium Barberinorum* Principum erga literatos viros munificentia vocavit *Romam*; atque cum Cardinalem *Franciscum* sibi conciliasset ob eloquentiæ famam, quam re constantem efficiebat, non modo eum sibi Principem demeruit, verum etiam Patruum ipsius *Urbanum* Sacrorum æque, ac Musarum Antistitem, qui delectatus *Ferrarii* ingenio pingue primum homini sacerdotium in *Larii Lacus* pago demandavit, tum eum præfecit *Merati* Curiæ, quod oppidum à meraci copia dictum situm est inter *Montem Vigiliarum*, & *Orobios*. Tum vero Cardinalis *Barberinus*, vel sublato Patruo, observavit amantissime *Ferrarium*, qui, etiam cum defloresceret ætas, minime studiorum suorum immemor nuncupavit *Antichthona* Cardinali munificentissimo, enectus postmodum labore scribendi, commentandique. Eloquentia *Octavium Ferrarium* ad *Patavinos* deduxit, atque in sede artis ejus principe collocatum cum nullo Doctorum composuit, quo certamine gaudent rivales disciplinæ; parem *Veneta* Pallas minime invenit, qui cum *Ferrario* conferri posset. Hac eloquentiæ fama vectigales habet *Octavius* etiam Reges; nam *Ludovicus* XIV. postquam artibus omnibus, ac

Ferrarium laudat Picinellus in Athenæo, & author anonymus libri, cui titulus *voyage d'Italie* to. pr. pag. 152.

144 Musis hospitium in *Gallia* aperuit, *Ferrarium* donavit benigne argento, constituta in annos singulos pecunia, quod regias virtutes omni laude cumulaverit. Eundem Oratorem aureo torque donavit Christina *Suecorum* Regina sexu suo major; *Venetorum* vero Respublica tantum tribuit Ferrario, quantum ne fortasse quidem *Livio* detulisset, si contribules suos *Patavinos* formasset in scholis, quippe nemo eorum, quos hactenus celebre illud *Antenoris* gymnasium audivit, opulentius retulit minerval, quam *Ferrarius*, & *Cæsar Cremoninus*. Debet vero *Octavius* hanc gloriam Mœcenati suo *Borromæo*, qui virum ad Ambrosiani Collegii studia deductum amplissimis ornamentis insignivit; quæ cum minime ignorarent Insubres, mandatum *Ferrario* est, ut res *Mediolanensium* traderet monumentis, postquam

A vixerat *Ripamontius*. Nostra signa nunquam deseruit *Jacobus Philippus Butius* externarum linguarum interpres, ac *Oedipus* arcanorum, quæ peregrinæ Sphinges proponunt ingeniis. Antequam rude donaretur, Arabum codicem manu exaratum vertit, ne iis ornamentis scientiarum careret latina dictio: tum labores alios in curandis literis exantlavit, singulari plane constantia studiorum, & instituti. Collegæ vero, quos nascente Bibliotheca *Federicus* in honestissimum, hunc cœtum ascivit, omnes desiderantur. *Franciscus Collius*, cum pestilentia sacras ædes viduasset cultoribus, à *Federico* in Templi Maximi

B mystas cooptatus, summo in fontium conscientiam arbitrio ecclesiasticos fasces habuit: eoque honore, ac vita defunctus, ob virtutem eximiam gloriæ laude vivit. Neque tamen cum amplissimam eam provinciam obiret, consenuit otio: verum emisit in publicum partem aliam operis de animabus *Paganorum*, eminente ubique scribentis ingenio, & eruditione. *Ripamontium* eloquentia minime fraudavit honoribus. Ædiles, ac Decuriones urbis homini disertissimo negotium dedere, 145
ut res urbanas literis consignaret, tradidit autem summa characteris venustate, quam *Livii*, & *Cæ*-

C *saris* imitatione exornavit: ut hoc seculo fortasse nemo scripserit magis nitide, ac jam multi doctores eum veluti optimum authorem latinitatis adolescentiæ offerant in scholis. Eadem scribendi ratio exercuit hominem etiam senio affectum, atque cum describeret ea, quæ à Præfectis *Mediolanensis* Provinciæ domi, forisque gererentur, à Rege *Hispaniarum Philippo* allectus est Canonicis Templi Scalensis, quod Sacerdotium amplissimum est propter claritatem cœtus. *Antonii Ruscæ* virtus honores omnes fere gessit; cum esset Theologiæ doctissimus, illum Ædis primariæ *Theologum* creavit *Federicus*. *Urbanus* autem Pon-

D tifex Summus singulari honore virum auxit, ac *Præpositum* Templi Maximi renuntiavit; cum tamen Sacerdotium illud sit gentilitium familiæ Marchionis *Vercellini Mariæ* Vicecomitis. Movit vero *Urbanum* non modo majestas ipsa hominis digna infulis, verum scientia rerum, ac orationis maturitas quædam, & senecta, cum ad Apostolorum limina profectus exponeret ea, quæ inito Pontificatu *Mediolanensi* gesserat *Cæsar Montius* Cardinalis. Præfuit etiam *Rusca* vitæ integerrimus sacris Virginibus urbis, ac Diœcesis: immo Ecclesiam ipsam *Insubrum* matrem admini-

Ripamontius hist. urb. dec. 3. lib. 5.

E stravit sæpe, Cardinalis ipsius *Montii* vices obeundo. Ad summam senectutem vixere *Olgiatus*, *Salmatius*, ac *Franciscus Bernardinus Ferrarius*, homines vivacissimi, ac fatis obluctati diutissime. Hoc anno Conservatores renuntiantur, *Comarchus Julius Cæsar Borromæus* tertium, *Julius Cæsar* Vicecomes *Primicerius* Ædis Magnæ iterum, Abbas *Joannes Baptista Besutius Canonicus Ordinarius*, *Hieronymus Corius* Basilicæ Ambrosianæ 146
Præpositus, *Parmensi* postmodum infula insignitus, *Antonius Bussola* Præfectus Sepulchri, *Joannes Paulus Maurus Canonicus* Ædis Nazarianæ, *Dominicus Griffus* Curio S. Victoris ad Theatrum,

1636.

F & *Olgiatus* Bibliothecæ Præfectus. Cum autem *Besutius* vita, *Bussola* magistratu suo abiisset, suffecti sunt in eorum locum *Paulus Corius Canonicus Ordinarius*, & *Joannes Petrus* Quadrius Præpositus Sacerdotibus Oblatis. His Conservatoribus res Ambrosiana culta est, atque amplificata; nam *Primicerius* Vicecomes, ut omnium oculos subirent reliquæ conciones Cardinalis *Borromæi*, ære suo præstitit, ac typis tradidit; eas vero orationes habuerat *Federicus*, aut cum primum lapidem lustraret ad fundamenta sacrarum ædium, aut cum Virgines sacro velamine obnuberet,

beret, vel patresfamilias de instituenda prole admoneret. Beneficentiam illam Vicecomitis honorifice prædicare debuimus, non modo quia vir munificus fuit, verum quia affinitate conjunctus cum *Federico* authore Bibliothecæ. Hanc vero *Julii Cæsaris* Vicecomitis familiam avorum sanguine clarissimam nobilitavit spectatissima virtus Præsulum, quorum honoribus exornatur Patria.
Ughellus tom. 4. Ital. fac.
Nam *Franciscus* postquam *Alexandrinam* tiaram gessit, Ecclesiæ *Cremonensi* præficitur; *Francisci* Patrui virtutes feliciter expressere *Hieronymus*, & *Federicus*; illum *Novariensium* Antistitem declaravit primum *Alexander* Septimus Pontifex Maximus, deinde *Viglebanensibus* præposuit, cum ad eam Ecclesiam administrandam *Maria Hispaniarum* Regina *Hieronymum* è cœtu plurium petitorum secrevisset: hunc idem Pontifex *Alexander Auditoribus Romanæ Rotæ* ascripsit: accessitque honos Bibliothecæ, cujus *Federicus* Vicecomes fuerat Conservator.

# LIBER QUINTUS.

147 Rat in hoc statu res Ambrosiana, & quamvis Mars Gallicus exardesceret, aderant tamen Musæ huic instituto; Collegis enim pluribus, aut fato, aut melioris fortunæ spe ereptis, subrogatus est *Joannes Baptista Rusca* latinis, ac græcanicis literis apprime imbutus, politioris præsertim disciplinæ amantissimus: isque unus numeri damnum pensavisse est visus. Hinc vero cives, & exteri amplificavere librarias opes, ut narrando exequar; eam enim spem conceperat animo *Federicus*, fore ut facultatibus postea suis Civitas hoc præcipuum, ac singulare urbis ornamentum augeret, præsertim ubi captatores testamentorum timerentur, quod plerumque accidit, cum nullus hæres gentilium suorum fortunas adire potest. Eminuit quidem inter cæteros *Comar-*
148 *chus Galeatius Arconatus*, non modo quia libros duodecim *autographos Leonardi Vincii* dono dedit, verum quia oblatam ad redimendos eos codices large pecuniam excelso animo repudiavit. Jam vero ineunte hoc seculo vir Patritius, & clarissimo loco ortus *Vidus Mazenta*, cum *Federicus* vix de condenda Bibliotheca cogitasset, donaverat *Borromæum autographo* ejusdem *Vincii*, in quo de lumine, & umbra disputat: ac perennis tantæ munificentiæ memoria viget cum titulo nominis ipsius *Vidi*, quem liber præfert in fronte.
Raphael Trichet Fresneus in Vita Leonardi.
Fuerat autem *Vidus* vir studiosissimus bonarum artium, humaniorum præcipue, atque ornaverat ipse triumphales arcus carmine, ac plurima *epigraphe*, cum *Margarita* ad *Hispani* Regis nuptias *Mediolano* transiret; præfuerat etiam aliquando Patriæ, qui summus est honos Ædilium, ac Decurionum.
Picinellus Athenæo.
Porro *Leonardus* Pictorum facile Princeps (nam de illo attinet multa scribere) ex natali pago, quem in *Florentina* valle alluit *Arnus*, *Vincius* nominatus, vir primum desultorii ingenii se ad varias artes applicuit: tum vero cum operam navare pictoribus cœpit, probavit illius graphidem *Andreas Verocchius* nobilis pictor: cui deinde à parente traditus, ipsum paulo post doctorem pingendi laude præstitit.
Ex Vasario.
Nam cum *Andreas* expressisset in picta tabula *Joannem* Christi caput lymphis abluentem, *Vincius* cælestem genium Servatoris indumenta ferentem tam affabre pinxit, ut iratus penicillo *Andreas* damnaverit officinam magistram operis. Profectus postea ad *Insubres Leonardus Mediolani* substitit, quo tempore *Ludovicus* cognomento *Maurus* rem patriam moderabatur: cui cum placuisset magnopere *Vincius* ob cantum fidium, ac extemporalem facultatem carminis, jussus ab eo tabulas complures pinxit. Excelluit quoque cælandi, & scalpendi
149 arte, tum scientia Architectonices; certe *Ludovico Insubrum* Duci ponere equestrem statuam ex ære animus erat, cujusmodi plures apud *Italos* spectatoribus se offerunt; verum ars *fusoria* obstitit conanti *Vincio*, ac negavit ex una, solidaque æris lamina fieri posse simulachrum. Exemplar statuæ finxerat ex argilla *Vincius*, ac diu apud nos stetit; *Galli* capta urbe præclarum *Leonardi* opus prefregerunt. Fertur autem *Vincius* ad expressas rerum imagines describendas humanorum corporum motus, ac habitum spectasse attentius: & cum aliquando solutos risu homines redditurus esset in tabula, invitasse ad saliares epulas paganos quosdam, quibus inter cœnandum aniles fabulas recenseret tanta voluptate convivarum, ut tantum non risu rumperentur; tradunt item ad referendum metum, & cætera signa pallentis animi, spectatum ivisse damnatorum hominum vultus, ac rigentes formidine genas, cum tortoris feralem manum ex scalis trepidi opperiuntur; quæ in mente artificis cum pertinaciter hærerent, inducebantur deinde in tabulas ad artis miraculum.
Lomatius in tract. picturæ lib. 1. cap. pr.
Excogitavit etiam jubente *Ludovico* Duce rationem, qua fossam alteram navigabilem deduceret *Mediolanum*; cum enim conditores Galli locassent *Insubrum* sedes inter *Ticinum*, & *Adduam* carentes beneficio aquarum, queis nunc prata, & segetes luxuriant, ob longum locorum intervallum: nec nisi *Lamber*, ac *Olona* obscuri amnes, & lympharum persæpe egentissimi aquas inveherent, alium alveum aperiendum statuerat Dux *Ludovicus*, in quem *Adduæ* præterfluentis aquas derivaret: [a] cum florente *Turrianæ* Gentis imperio ([b] vel potius restituta anno MCLXXIX. urbe) *Ticinus* aquas in aliam fossam patientem navium intulisset.
Ex Trichet in vita Leonardi.
Ergo aggreditur molitor *Vincius* opus, ac prope [c] *Tritii* arcem Bellonæ hospitam ducto ac calcem collium alveo, diremptaque validissimo aggere Addua, ne mistis iterum lymphis sæviret in accolas, jussit fossam usque ad veteres urbis muros defluere.
Sed cum difficillime aquæ deduci possent ob ini- 150
quitatem locorum, quod præcipites navigia ferre nollent, architectatus est *Vincius* cataractas portas, quæ venientes aquas excluderent, vel admitterent ad nautarum arbitrium: sicque admissæ alveum inferiorem implerent, ac reliquam lympharum altitudinem æquarent. His itaque portis cum aquas suspendisset, commeavere deinde nautæ; quamquam minime desint scriptores, qui laudem hanc fossæ navigabilis *Francisco* primo *Sfortiæ* ascribant. In eadem urbe Academiam pictorum instituit, quod commemorare rursus delectat scribentem: nam non modo artifices illi, quos antea laudavimus, ex hac schola sunt profecti, verum etiam *Antonius Bultrafius*, *Franciscus Meltius*, atque *Andreas Salainus*, quos omnes tulit in oculis *Leonardus*. Suis vero auditoribus instituendis singula pene humani corporis membra descripserat: quemadmodum ad consequendam illam artem reliqua præcepta fuerat executus, proponendo luminum, & umbrarum rationem, ac elegantiam totam pingendi. Porro cum animis diffiderent *Vincius*, & *Michael Angelus Bonarotus* (nam sæpe exasperat animos æmulatio, & quos ingenio vincere non possumus, conamur odio) *Franciscus* Primus Rex Gallorum, *Vincium* jam grandem natu, & senio pene confectum in-

[a] Bugattus l. 4. Lampugnanus in monumentis Turrianorum in vita Martini tertii, Luschus pa. pr. compend. hist. ad familias Insubrum Dominas.

[b] Chalcus l. 12. hist. pat. pag. 248. navigabilem fossam à Ticino deductam à civibus docet.

[c] Trezzo. Morigius lib. pr. hist. Mediol.

invitavit in *Gallias*. Obtemperavit Regi *Leonardus*; verum cum homini Gallicum cælum offecisset, complures menses in regia villa decubuit (vulgo Fontanablò, in libris Gallicis legitur Fontanableò) eumque laborantem cum Rex *Franciscus* convenisset, atque erigentem se in cubitum manibus allevasset, ut se à Rege exceptum sensit *Vincius*, linquentem animum dimisit, dignus plane, ut inter Gallica lilia expiraret. Quonam
151 autem fato tot *Leonardi* lucubrationes in Comitis *Galeatii Arconati* potestatem pervenerint, fide *Tricheti* rem tradamus, cum ejus rei, nec *Vasarius*, nec *Lomatius* meminerit. Narrat enim *Trichetus Vinciana* ejusmodi volumina delituisse diu *Vaprii* apud *Meltios* (etenim in eo pago ob amœnitatem loci late despicientis *Adduam*, ac subjectam planitiem cum auditore suo *Francisco Meltio* rusticabatur sæpenumero *Vincius*, atque ibi animum studiis bonarum artium intendebat) tum vero jactata paulo imprudentius, & amissa; quæ jactura consequitur melioris notæ libros. Malo pædagogi cujusdam dolo (ut fere sunt id genus, homines plani, & simulationis artificio eruditi) perierunt *Leonardi* codices; furunculus *Lælius Gavardus* fuit *Asulanus*, conjunctus præterea propinquitate cum *Aldo Manutio*, & præfectus Zenonianæ Ædi in urbe *Ticini*. Hic cum *Meltios* literas humaniores docuisset, ac sæpius ob recens meritum disciplinæ ventitaret in Vaprianam villam, sublegerat nihil tale opinanti hero tredecim libros, ac *Florentiam* detulerat venales, ratus fore, ut Magnus Dux magno pretio compararet. Decedit interea Dux *Hetruscorum*, & cum avaritiæ hominis imposuisset Principis funus, *Pisas Lælius* venit, oblatusque forte *Joanni Ambrosio Mazentæ* Patritio *Mediolanensi*, qui tum in ea urbe studiorum causa morabatur, ut erat adolescens dignus majorum suorum gloria, quam deinde auxit cooptatus in *Hierosolymitanos* equites, & contempta rerum humanarum magnitudine ascriptus Barnabitis, totique illorum Ordini præpositus secundum, religionem injecit homini profligati pudoris, dejecit de sententia, exoravitque, ut *Mediolanum* rediens eas lucubrationes redderet *Meltiis*. Enimvero paruit *Ambrosio Gavardus*; cumque erepta volumina reddidisset, *Horatius Meltius* ignovit primum flagitio pædagogi, tum
152 vero miratus *Mazentæ* fidem, eundem *Vincianis* lucubrationibus donavit. Cum autem *Mazentæ* rem sermonibus jactarent, *Pompejus Leonius* sculptor Regis *Hispaniarum* adit *Meltios*, monstrat quanto chariores esse debeant codices *Vincii*, atque illorum causa quæsturas, & fasces obtineri posse, si à *Mazentis* redempti *Hispaniarum Regi* tradantur. Porro *Leonius* ille patriam artem secutus, ea tempestate cæteros ferme artifices scalpendi laude antecedebat: ipsius vero parens *Leo*, *Aretinus* vulgo, ab Imperatore *Carolo Quinto* donatus ædibus, non iis, quas *Vasarius* in vico Gentis *Moronæ* collocat, verum quæ pone Fidelis Templum vico nomen imposuerunt, atque aliis ornamentis auctus commendatur adhuc simulachris, atque opificio: cujus artis occurrunt spectantibus in Æde primaria signa ænea quinque ad tumulum *Joannis Jacobi Medicæi* secundum formam *Bonaroti* substructum. Cæterum cum *Leonius* ea spe honorum lactasset homines, convenere *Meltii Vidum Mazentam Joannis Ambrosii* fratrem, atque ab eo infimis prope precibus septem *Leonardi* volumina impetravere; reliqua autem multorum capsas adiverunt. Unum Bibliothecæ Ambrosianæ donavit *Vidus*: alterum *Ambrosius Figinus* pictor eximius à *Vido* accepit, ac deinde *Herculi Blanco* legavit: *Carolus Emanuel* Dux *Allobrogum* alio codice est donatus: reliquos, cum vivere desiisset *Mazenta*, coegit *Leonius* in unum volumen, ac hæreditario jure ad *Cleodorum Chalcum* pervenere, à quo trecentis aureis codicem illum ingentem emit *Galeatius Lonatus*. Hæc fere omnia *Trichetus*; verum emptoris cognomen scribentem fefellit: nam *Galeatius Arconatus* redemit, ac postmodum in Bibliothecam *Ambrosianam* non modo eum codicem *Vincii*, verum alios undecim ejusdem scriptoris intulit, quemadmodum rem persequendo referemus.
Cum enim *Jacobus Sextus* Rex *Angliæ* (quod se 153
olim Ethicæ, ac Mathematicæ excolendum dedisset) lucubrationes *Vincii* majori illo codice contentas apud Comitem *Arconatum* servari accepisset, egit magnopere per internuntios cum eodem Comite, oblata etiam ingenti pecunia, aureis nimirum ter mille *Hispanis*, ut vel eblandiretur, vel extorqueret. Sed ut animi vere nobiles nunquam auro flectuntur, aggressus est Rex *Britanniæ Galeatium* gratia, & studiis: accessere etiam preces Ducis *Feriani*, qui tum *Mediolanensem* Provinciam administrabat; verum frustra spe, & pretio solicitavit animum *Arconati* aperte negantis, fraudari posse Patriam *Leonardi* lucubrationibus, ut in oras toto orbe disjunctas amandentur. Eas (ait) opes pecunia neutiquam redimi: se nunquam turpis lucelli cupidum fuisse, sed gloriæ: constantiam viri fortis nec auro expugnari, nec ferro: Principum studia facile interire, perennem vero fore memoriam beneficii apud cives: se quoque non indoctum æstimatorem *Vinciani* codicis esse, jamque cum animo suo statuisse, quibus scriniis sit committendus, ut urbano commodo servetur. Hac ratione irritos spei internuntios dimisit *Galeatius*, & donavit post codicem illum Ambrosianæ Bibliothecæ præferentem aureis literis titulum operis, ac nomen *Pompeji Leonii*, qui dispersas, ac dissipatas Vincianæ eruditionis paginas eo volumine concluserat, tum eadem munificentia reliquos ejusdem scriptoris libros dono dedit. Porro descripsit in eo codice *Leonardus* arcanas artes, quales nec *Archimedes* invenit, ac machinas veterum catapultis, & balistis simillimas, tum formas sustollendis lymphis, ac fontibus derivandis; quæ scribendi studia tenuere artificem, cum *Martisanæ* fossam navigabilem moliretur. Quam vero falsus est author *anonymus* ejus libri, qui hoc
anno MDCLXXI. è typis Parisiensibus prodi- 154
vit cum titulo *voyage d' Italie*? Monstrat enim Vincianum volumen esse *autographum Alberti Dureri*; itaque cum alia quoque menda in eo libro legissem (nam mihi fuerat à *Gallis* quibusdam oblatus, qui *autographum Dureri* gestiebant evolvere) scriptorem cum reprehendendum putavi, ne hominis fide peregrinantes decipiantur; ejusdemque antea sententiam refelli (quam didicerat fortasse à *Beyerlincho*) cum Divo *Carolo* ædificationem Bibliothecæ Ambrosianæ ascribit. Hunc librum indicem itineris Italici largitus est nuper Ambrosianis nidis *Franciscus Bonfilus* Abbas, vir doctrina præstantissimus, & ingenio, *Sorbonæ* Doctor, cum terrestri per *Italiam* itinere rediret in *Gallias*, moratusque Novembris initio *Mediolani*, Bibliothecam hanc inspexisset, singula curiosius conquirendo: qui mos est hominum literatorum studiose intuentium istam scientiarum officinam. *Vincii* igitur *autographum* est non *Dureri*; suos autem codices exaravit *Leonardus* Orientalium populorum ritu à dextera nimirum ora paginæ ad lævam literas ducens: ne quis facile deprehenderet scientiarum arcana, aut plagio sibi vendicaret. Objicimus paginis speculum, idque fideliter singulas voces offert oculis legentium. Imminet in Ambrosiana Pinacotheca arculæ custodi voluminis tabula ingens marmorea, eaque præ-

Vaprio, vulgo Vavero.

Pavia.

Vasarius in vita Leonis Leonii.

Lomatius in Idæa pict. cap. ult.

Vol. ult.

Luscus par. pr. compend. hist. ad Reges Scotorum.

Ex tabulis testibus largitatis, quæ in tabul. Biblioth. servantur.

Tomo pr. pag. 141.

pag. 6. lib. pr.

præfert ora Comitis *Galeatii*, ac docet *Arconatum* virum clarissimum, atque ingenuarum facultatum longe ante alios studiosissimum dono dedisse duodecim volumina *Leonardi Vincii*, atque infracto, magnoque animo contempsisse ingentem pecuniam, quam unius codicis redimendi gratia Rex *Anglorum* obtulisset: memores Bibliothecæ Conservatores monumentum posuisse, tum ob beneficentiam tanti viri, tum ob affinitatem *Federici* conditoris, morumque similitudinem. Et quidem *Galeatius Arconatus*, qua ma-

Arconatum laudat Sociacus lib. 4. epig.

155 gnitudine animi, qua consilio adumbravit *Federicum*; nam præfuit *Nosocomio*, ac urbanæ pietatis proventus, & domicilia servavit, atque auxit: villam suam in pago Castellatii exornavit ædibus magnificentissimis, marmoreis signis, ac fontibus, *Pompeji* præcipue simulachro, quod il-
1638. le *Roma* in patrium solum exportavit. Hæc de *Arconati* munificentia; cæterum sequens annus tristis fuit erepto Comite *Julio Cæsare Borromæo*. Obsidebantur ab *Hispano Vercellæ*, cum *Borromæus* Gentilitiæ virtutis memor, & honoris (nam tribunatu militum fungebatur) ardens in arma magis, minoris tormenti glande ictus occubuit; sic decuit *Julium Cæsarem* dimicantem mori. Fuerat vero *Borromæus* vir strenuus, ac munificentissimus, quo nomine sibi devinxerat Cardinalis *Federici* animum, aversantis illiberales homines, ac nimium parcos. Parentis magnificentiam refert soboles, quam ille plurimam ex *Joanna Cæsia* Romanæ virtutis, ac urbis matrona susceperat. *Joannes* enim natu major principes quoque viros magnitudine animi præstitisse est visus; illos ut æquaret, non magnopere laboravit: neque tamen major videri voluit, ut esset, cum vellet. Federicus ad aras vocatus, Ecclesiasticos honores, quos gessit, omnes ornavit: nec unquam præfecturis, aut legationibus est perfunctus, quin eas reddiderit ampliores, quam invenerit. Semper omnia servavit, præter flagitium, & pecuniam: *Romæ* Gubernatorum ædes restituit: *Madriti* palatium, quod incolit Romanæ legationis Antistites, refecit ingenti sumptu, ac sacellum juxta easdem ædes extruxit. Placuit forma Madritensis ædificationis, & magnificentia *Borromæi Clementi Nono*; *Carpetani* vero affirmavere stetisse structuram illam *Federico* triginta millibus aureorum numûm. Pari sumptu Comes

Brusonus in historia Italiæ lib. 7.

156 *Antonius* ornavit ædes urbanas, atque agrestes: palatium, quod in insula *Verbani Lacus* majores inchoavere, absolvit. Prodit enim ex aquarum late stagnantium æquore insula, nescia primum artis, arti postmodum, & genio loci jucundissima. Plurima *Cedrus* scopulosum silicem vestit: aurea ubique rutilant mala. Atlantis pomarium esse crederes, si Draco excubaret. Multiplex labyrinthus, innocens tamen, viatores ducit, atque alibi Daphnem, alibi Floram, & Bacchum conclusos monstrat. Aprica tellus, amica Solibus, vere perpetuo floret, etiam cum altis nivibus proximæ alpes rigent. Diceres insularum reginam, quas *Verbanus* vehit; adeo lymphis, & montibus coronatur. *Paulum Æmilium* conciliat civibus mira comitas, tum rei equestris scientia, quæ virum turmæ equitum præposuit; reliquam vero masculam sobolem *Julii Cæsaris* vendicavit sibi *Theatinorum* familia: eaque est ornamento Ordini; nam Maximus *Præpositus* est Antoniano *cœnobio Mediolani*: *Andreas* vero indignatus patrii, ac Romani soli angustias, etiam in interiora *Asiæ* penetravit. Cum enim *Innocentius* X. Pontifex Maximus copiam fecisset conveniendi efferas gentes, adivit *Borromæus Iberiam*, & *Colchidem* veneficio famosam: tum sibi barbari Principis animum demeritus complures Religioni Catholicæ emancipavit: ut non inde abduxisse hic *Jason*, sed aureum Fidei Christianæ vellus intulisse credi possit. Postea cum revenisset *Romam*, & narrasset *Alexandro* Pontifici suæ expeditionis exitum, noluit ornari infula, contemptor honorum, ac blandientis fortunæ. Scripsit deinde *Andreas* de Colchidis cælo, tum ritibus, & moribus incolarum: *Carolum* autem Oratorem disertissimum pustularum morbus sustulit: *Federicum* amplis *Theatini* Ordinis honoribus virtus ornavit.

Insulam hanc laudat Sociacus lib. 1. epig.

Joseph Silos histor. Cleric. Regular. Par. pr. lib. 15. ad annum ordinis 61. Servatoris autem 1584. Picinellus in Athenæo Giorgiana, è Mengrellia.

Patre igitur mortuo Comes *Joannes Borromæus* servandæ Bibliothecæ curam suscepit: postmo- 157
dum vero novi Conservatores creati *Aurelius Boldonus Præpositus* Ædi Protomartyris, *Carolus Rhaudius Præpositus* Sepulchro, *Antonius Gattus Canonicus* Ambrosianæ Basilicæ, *Balthassar Pozzolus* Curio D. *Raphaelis*. Enimvero vertentibus annis subrogati alii, prout priores abivere Magistratu, nimirum *Carolus Septalius* Templi Maximi *Canonicus*, ac multo post *Dertonensi* infula ornatus, *Joseph Castillionæus* Curio Divi Andreæ, *Ambrosius Baldinus Canonicus* Ædis Laurentianæ, *Federicus* Vicecomes *Primicerius*; sufficiuntur postmodum *Rhaudio Oliverius Mazuchellus*, *Mazuchello Joannes Petrus Staurengus* uterque *Præpositus* Oblatis, *Castillionæo Joannes Paulus Mazuchellus* Curio Ædis primariæ, *Primicerio* Vicecomiti *Carolus Ambrosius* à Laude *Canonicus Metropolitanæ* Basilicæ, *Baldino Ambrosius Latuada Canonicus* Ambrosianæ, *Boldono Bartholomæus Fassius* iterum, cum *Præpositus* fuisset fano *Thomæ* in terra amara. Inter hæc decedit *Romæ Phi-* 1643.
*lippus Pirovanus*, vir cum genere amplissimus, tum doctrina; reliquit testamento multiplex *autographum* Bibliothecæ, quo continentur Jurisprudentiæ oracula, ac scita, cum ille antecederet muneris antiquitate cæteros *Auditores Rotæ*, nam annos tres supra triginta eum judicandi honorem gesserat. Paruit extremæ fratris voluntati *Marchio Joannes Pirovanus* eques Sancti *Jacobi*, ac Regii Magistratus Quæstor, intulitque in Ambrosianam Bibliothecam ad Patriæ commodum. Scita illa nondum typographos convenerunt, indicamus autem exteris veluti oracula judicantis Astrææ. Hæc munera *Olgiati* præfecturam ex- 1647.
ornavere; nam is recessit postmodum in otia tuta, confectusque senio naturæ satisfecit in patrio *Lucani* solo, vir latini sermonis observantissimus, atque severus judex eruditionis. Bibliothecæ 158
præfectura delata est *Francisco Bernardino Ferrario*, eamque insignivit annus secularis. Ante- 1650.
quam Cardinalis *Cæsar Montius Mediolanensium* Antistes è vivis excederet, sui veluti funeris providus, geminos Orbes, sidereum, ac terrestrem donavit Bibliothecæ; tanquam majora tradere minime posset, qui Orbem utrumque dono daret. Geminos versamus globos, sive suis libratas molibus terras, sive astrorum domicilium. Ne periret facti memoria, imposita est ipsius Cardinalis imagini *epigraphe* testis munificentiæ; eam vero effigiem intulit in pinacothecam *Julius Montius* Comes *Vallis Saxinæ*. Porro decessit eodem anno de vita *Cæsar Montius*, quemadmodum præceperat animo, mitis ingenii Princeps, Patriæ studiosus, & bonarum artium, summis Romanæ Aulæ honoribus insignitus, suosque cineres componi ad pedes Cardinalis *Federici* jussit, laterculo vix utrumque tumulum dirimente. Eodem ferme tempore supremum vitæ diem obiit *Joannes Baptista Rusca*, cum Ambrosiani instituti impatiens aliquot annos præfuisset fano Virginis Celsianæ; vir sane charus literis, & Musis, author carminum, ac symbolorum, quibus Templum illud, atque atrium festo die ascendentis in cælum Deiparæ exornatur. Inducti sunt in Biblio-

bliothecam complures libri testamento *Ruscæ* legati, scriptorum pretio, & largitoris beneficentia nobiles. Post hæc novi Conservatores declarantur *Joannes Baptista Niger Ordinarius* Templi Maximi, *Joannes Petrus Greggius Præpositus* Sodalitio Oblatorum, *Petrus Paulus Cremona Præpositus* Basilicæ Georgianæ, *Franciscus*
1655. & 1656. *Landrianus* Nazarianæ *Canonicus*, *Marcus Antonius Vergiatus* Curio S. *Matthiæ* ad Monetam. Sequenti anno excedit vita *Innocentius* X. Romanum Pontificatum *Alexander Septimus* capessit. Huic Pontifici nuncupavere Conservatores
159 res gestas Cardinalis *Federici*, quas *Franciscus Rivola* narraverat, exorsus ab ortu *Borromæi*, ac prosecutus facta singula Principis, sive quæ primam, sive quæ supremam ætatem honestavere. Placuit scriptoris labor, præcipue cum *Federici* virtutibus consuluerit, ne memoria excederent, sicuti cætera, quæ aut livor detrectat, aut oblivio delet; illud reprehendere nonnulli, quod *Rivola* paulo putidius Hetruscas voces fuit persecutus, ac nonnulla etiam allucinatus.
1660. Post hæc funesta iterum est *Borromæa* domus ob subitam mortem Comitis *Joannis*; cum enim *Origii* (quæ villa est familiæ) repente in morbum incidisset, seque vehementius opprimi sentiret, dum vectus rheda ad urbem revertitur, extremum vitæ spiritum edit. Elatus est magnifico sumptu: duxere funus *Canonici Ordinarii*: celebratæ in fano Pedonis exequiæ, atque inibi conditus tumulo, quanquam & gentilitium pensile sepulchrum atavorum cineres servat in Æde Franciscana, atque adhuc manet ingens monumentum contra sacellum *Joannis* ex lapide alabastrite. Illic fertur sublimis jacere *Vitalianus Borromæus*, cum molem eam tumulandis Divæ *Justinæ* cineribus substruendam curasset, quod Martyris Borromææ reliquias à Patavinis se exoraturum censeret. Comploravere cives exitum *Borromæi*; nam ornamento fuerat Civitati ob magnificentiam, & regium plane animum; ad hæc ornatus fuerat muniis, commissa etiam militaris stipendii, atque hybernorum cura: quanquam eo se honore postmodum abdicasset. Literarum quoque studiosus conditam in *Antoniano Cœnobio* Academiam servavit: eaque cum labore perpetuo exerceri cogeret ingenia. *Faticosorum* est nominata. Stato die, quo juventus feriatur à scholis, convenire frequentes Academici, dicere de scripto, unus declamare è rostris: fastidium interea si quod
160 animis crearetur, levari carmine, & symphonia. Clara quæque capita vocabantur ad hunc cœtum: literati viri *Lucas Assarinus*, *Alexander Perlasca*, & alii plures nomen dederant. *Hetrusci* sermonis nitor exquirebatur, sive astricta, sive soluta numeris afferretur oratio ad vincendam regionis barbariem. Et quidem cum cæteræ *Italorum* civitates hisce studiis delectentur mirifice, par fuerat *Insubres* teneri literis, cum alioqui discinctos otio homines in sinum suum vocet improbitas. Nisi mors cœptis intervenisset, erat in animo *Borromæi* excitare cœtui conclave ingens, dignum Principatu, quem in eo conventu obibat, & magnitudine viri maxima quæque mente volventis, Munus servandæ Bibliothecæ delatum est *Federico Borromæo Alexandrinorum* Patriarchæ, quod honore, & ætate antecederet; verum cum is apud *Helvetios* Romanæ legationis causa moraretur, eam curam Comes *Antonius* frater subivit, tribunatu militum, ac urbanis honoribus decoratus sæpe: nam in urbis Decuriones relatus, Præfectus item *Nosocomio*, & Templo Celsianæ Virginis, rem patriam & sacram vigilanter, bellicam strenue administravit. Interfuit tamen cœtui *Federicus*, cum *Romam* ab *Alexandro* Pontifice revocatus *Mediolano* iter faceret, suoque aspectu restituisse institutum est visus; adeo res Ambrosiana deinceps ad Musarum voluntatem fluxit. Alii item Conservatores declarantur nimirum *Vitalianus Oldradus Theologus* Templi Maximi, *Joannes Baptista Longus* Curio D. *Michaelis ad Clusiam*, ac subinde veteribus sufficiuntur *Michael Landrianus*, *Canonicus* Ædis primariæ, *Bartholomæus Fassius* tertiùm, *Carolus Ghioldus Theologus* Nazarianæ Basilicæ. Inter hæc cum morbo longinquo impeditus *Franciscus Bernardinus Ferrarius*, senectute scilicet, ac jam captus oculis, & capularis
tractare Bibliothecam minime posset, successit vicarius illius muneris *Stephanus Antonius Cantianus*, isque Collegio est ascriptus. Verum paucos 161
annos eum honorem gerit *Cantianus*, præpropera morte sublatus, ac paulo post etiam *Ferrarius* decedit depontanus, & senectute summa, annum sextum, & nonagesimum agens. Uterque ornavit hoc institutum: *Cantianus* descripto ad literas Divi *Caroli* indice, atque singularum epistolarum sententia, qui labor plurimum juvat interrogantes ea monumenta compluribus voluminibus contenta: *Ferrarius* autem qua eruditione, qua multiplici scientia librorum. Me vero à Seminariensibus lyceis, post decennem facultatis oratoriæ doctrinam, *Borromæa* Familia, & Conservatores universi suis studiis prosecuti evocaverunt ad hunc cœtum, delata Bibliothecæ cura. Hic autem scribenda minime essent, quæ ad restituendam in antiquum statum rem Ambrosianam pro se quisque Conservatorum est molitus, ne videamur nostri temporis laudatores; verum officeret fidei ea modestia, silentio novorum operum, ac prætereundo illorum nomina, quorum ope fixus, ac fundatus est hic rerum status. Igitur pace inter *Hispanum*, & *Gallum* composita respirare facultates ingenuæ cœperunt, atque auspicio *Federici Borromæi* Patriarchæ, quem *Clemens* IX. subrogatus *Alexandro* Pontifici, jam perfunctum Urbis Præfectura, Legatum in *Hispaniam* miserat, Conservatoribus autem Comarcho *Antonio Borromæo*, Comite *Jo. Rasino Archidiacono* (cui successit *Aymus Porrus Primicerius* Ædis primariæ, cum ille *Viglebanensium* Antistes esset renuntiatus) *Carolo Francisco Ceva*, atque *Hieronymo Beccaria Canonicis* Templi Maximi, *Antonio Maria Bonacina* Præfecto Nazarianæ Basilicæ. *Jo. Petro Greggio* Præposito Oblatis, *Flaminio Pasqualino*
in Basilica Stephani *Canonico*, *Josepho Valvassorio* 162
Curione S. Michaelis ad *Gallum* (nam is suffectus fuerat *Hieronymo Samarugæ* demortuo) ac me inter cæteros Conservatores propositum non segniter urgente, de restituenda Graphidis Academia agi cœptum. Primum itaque creati secundum leges conditoris Conservatores ad tuendum institutum, videlicet Comarchus *Antonius Borromæus*, Comes *Laurentius Salazarius*, *Hieronymus Beccaria Canonicus Ordinarius*, *Manfredus Septalius* delubri Nazariani *Canonicus*, *Flaminius Pasqualinus Canonicus* in Æde Protomartyris, eademque cura conservandæ Academiæ mihi est demandata. Hi omnes uno animo connisi vicere invidiam quorundam propter privata odia bonas artes negligentium; nam ideo dolebant oculi, quod illis præteritis antiquæ exercitationes revocarentur; cum tamen curæ esset Academia Conservatoribus singulis, tum ob utilitatem facultatum, tum ob ornamentum sedis, ac Familiæ *Borromæorum* disciplinas omnes amplificantis. Accedebat mira dexteritas, & fervidum ingenium *Hieronymi Beccariæ*, cujus ope, ac studio non Academia tantum, verum etiam Bibliotheca revixit comparatis pluribus libris, quos desiderabamus; postquam enim rem Ambrosianam conservare instituit, curam omnem

Ripamontius lib. pr. de orig. & Pontif. Divi Caroli.

Quare illa Ædes nominetur ad Clusiam Consule Castillionæum in Basil. Vincent. pag. 2003.

1667.

1668. 69. 1670.

omnem adhibuit, ut ingenuarum artium utilitati ſerviret, quæ ratio bene gerendarum rerum ſequuta virum eſt, & cum *Noſocomio* præeſſet, & ſacras opes in Ambroſiana Baſilica tueretur. *Flaminius Paſqualinus* ſuopte ingenio ferebatur ad hæc ſtudia, addictus olim picturæ, ſincero quoque pictarum tabularum judicio, atque hoſpitio pictorum, ſi qui magno nomine exteri ad eum divertant: *Septalius* autem à *Ludovico* artis medicæ parente procreatus, frater *Caroli Dertonenſium* Epiſcopi, artem omnem cum in ſuas ædes vocaviſſet, Academiam diſciplinarum altricem fovere
163 debuit. Commendant cives, ac peregrini homines excellentiam *Septaliani* ingenii: verſat ille in omnes partes artificia ſingula: condit ex chalybe ſpecula, qualia inveniſſe dicitur *Archimedes* ad incendendas Romanorum naves, cum cingerentur obſidione *Syracuſæ*, glandes perpetuo curſu, recurſuque commeantes, *theleſcopia*, ac *microſcopia*, gemmas, novas canendi fiſtulas, ſpectra, & icunculas arcanis greſſibus mobiles; quæ omnia ſuo marte excogitavit, & cum reliqua ſupellectile numiſmatum, tabularum, magnetis, ac barbari amictus domeſtico Muſeo incluſit ad artis miraculum, atque urbis ornamentum.

De Muſeo Septaliano Paulus Maria Terzagus, & Alexander Perlaſca in fragmento hiſtoriæ, & Petrus Franciſcus Scarabellus.

*Septalii* comitatem indicantis ſui muſei opes exteris vere commendavit author anonymus libri Gallici, qui inſcribitur *voyage d'Italie*: ut contra falſo affirmavit libros Bibliothecæ *Pinellianæ* emptos, poſtquam deceſſit *Federicus*, atque eorum magnam partem fuiſſe à piratis *Turcis* abreptam, injectamque in undas, tabulas item Elementorum, quas perpolivit artificio mirabili *Bruguel*, eſſe earum exempla, quæ ornant regias ædes Ducis *Allobrogum* vulgo *le Valentin*; quæ menda obverſata ſunt oculis, cum eum librum perlegiſſem. Hæc profecto, atque una pravum judicium de tabellis pictis, quæ ambitum Bibliothecæ coronant, non attinet caſtigare; nam de Pinellianorum codicum emptione, & de Elementis *Bruguel* ſatis cives, atque exteros docui; abſoluta tamen Hemidecade fragmentum ejus libri Gallici, in quo de Bibliotheca, & Pinacotheca Ambroſiana agitur, proponam fideliter: ut ſingula in veritatis lucem videar protuliſſe. Fixæ itaque leges Academicis eædem, quas Cardinalis *Federicus* parens inſtituti condiderat; ſublati modo ſunt tituli Magiſtratuum, fomenta aliquando livoris, ac ſubinde rixarum, cum quiſque iniquo animo repulſam ferat.

Pag. 145. Pag. 93. lib. pr. & 3.

164 Qui ducerent Academicorum familiam, *Antonius Buſcha*, & *Dionyſius Buſſola* ex univerſo agmine delecti, hic ut ſtatuariam artem, ille ut picturam curaret, uterque natus, & aptus ad artium negotia, atque hac tempeſtate facile coryphæi ſuarum facultatum. Nobilitavit præclare hoc agmen Dux *Uzedæ Joannes Franciſcus Pacechus*, *Velaſcus*, *Gomezius*, de *Sandoval*, atavis longe clariſſimis, inclytiſque editus, ex Magnis *Hiſpaniæ*, *Gener Gaſparis Tellez* [a] *Gironii*, Ducis [b] *Urſonis*, Gubernatoris *Mediolanenſis* Provinciæ; picturam enim unice diligens nomen ſuum Academicorum cœtui dedit, delectatus veſpertinæ graphidis exercitatione tanto progreſſu: ut, ſi pingere inſtiterit, ſemper picturus ſit æternitati. Cæterum inſtitutiones pictorum, & ſculptorum hac ratione diſcriminatæ; hyberno tempore circumfuſa juventus ſpectat nudum corpus hominis vario ſtatu, atque habitu, prout ſingulis lubet collocare, impendente *polymixo*, quo clarius ſpectentur tori, muſculi, *tendones*, venæ, nervi, articulique; ea exercitatio, poſtquam dies inclinavit, vocat ſtudioſos artis, prima vigilia exacta dimittit. Ver, & æſtas (nam autumnus juventutem jubet feriari) pomeridianum tempus poſcunt: ſtatuitur in pegmate ligneum ſimulachrum, enode, quo flectantur exanimes artus: amicitur veſtibus, ut contemplantes exprimere poſſint ſinus, & fluentes lacinias indumentorum. Varius delectat veſtium apparatus, aut cum lignea moles *Monachum* agit, aut Imperatorem, vel cum detracta repente chlamyde togam ſumit, aut pallam. Qui vero in eo cœtu adoleſcentum cæteris longe antecellit, is, ut quiſque vel picturam, vel ſtatuariam artem colit, ex Pinacotheca, & Muſeo pictas tabulas, aut ſigna deligit ad arbitrium; ſive adumbrare inſignium artificum malit opera, ſive deſcribere in tabula, aut fingere ex argilla. 165

[a] De Familia Gironia vide Gudiel: de Pacecha, Sandoval, item Gironia vide Spenerum in Theatro Nobilitatis Europeæ.
[b] Oſſuna; vide Lexicon Geographicum Ferrarii.

Itaque nobiliſſima omnium Italicarum Academia eſt, non modo quia patet civibus, & peregrinis, verum ob utrumque Muſeum pictorum, & ſculptorum, atque viciniam Bibliothecæ, ex qualibet depromere ſcriptores, qui in veſpertino conventu recitantur: ut animus veterum hiſtorias arripiens, caſus rerum publicarum, aut præcepta artium diſcat, interea dum nudati artus exprimuntur. Statuta ſedes eſt Academicorum conventui: extructa ante fores porticus, picta geniis, & ſtemmate *Borromææ* Gentis; impoſita foribus hæc *epigraphe*: FEDERICO CARDINALI BORROMAEO ARCHIEPISCOPO CONDITORI SVO MVNIFICENTISSIMO ACADEMIA PICTORVM, ET SCVLPTORVM. Excitatum item aliud Muſeum ad diſciplinam ſculptorum: ſicque abſoluta eſt tota moles Ambroſiani operis, cujus formam probaverat Cardinalis *Federicus*, antequam ad Superos abiret. Conclave ingens capacem ſinum venientibus offert, multiplici toreumate, ac ſigno locuples; quanquam tabulas pictas, & graphides illuc etiam intulimus, ne paries alicubi nudus loci majeſtatem fœdaret. Superne picta teſtudo referet virtutem inſidentem ſolio, & circa obſequentes ingenuas artes. Utriusque autem conclavis, pinacothecæ videlicet, ac muſei artis ſtatuariæ, longitudo æqua eſt, porriguntur enim in longum cubitis viginti ſeptem, latitudo tamen diſpar; muſei latitudinem metimur cubitis denis ternis, pinacothecæ vero ſenis denis; quemadmodum ante in Bibliothecæ *ichnographia* indicavimus. Porro tabulæ pictæ ſunt exempla rerum, quas aut *Raphael Urbinas Romæ*, aut *Corrigienſis Parmæ* pinxit, easque deſcripſere celeberrimi artifices, *Annibal Caraccius* in primis. Graphidem unam *Camillus Procaccinus* pictor egregius confecit opere certe expolito; ſuſtinet Æternus Parens ſobolem ſuam mortalibus exuviis cruentam, ac ſuf- 166
fixam cruci, venerantibus utrinque *Joanne*, ac *Stephano* numinis majeſtatem. Sane ea deſcriptio longe vincit pictam tabulam, quæ propoſita eſt in Æde *Joannis* ad arcam Nazarianam. Porro graphides oblongæ ſunt *Peregrini*, referentes facta Superum, quibus pictores inumbravere Templi Majoris ſpecularia. Graphis alia ab *Julio Romano* eſt profecta; in ea pugnam deſcripſit artifex à *Conſtantino* Imperatore contra *Maxentium* ad *Milvium* pontem commiſſam: quo certamine poſtmodum pictor ille princeps artis Vaticanas ædes exornavit. Graphidem, in qua Neptunus curru fertur, perpolivit *Vincius* cauſa amiciſſimi hominis *Antonii Signii*; Tritones, & natantia aquarum portenta comitantur vectum quadriga Regem, ac imminentem equis ferocitate exultantibus. Exornant Muſei ambitum toreumata gypſata, eaque referunt pugnas, quas in Trajana columna ars incidit; quæcunque enim nobiliorum artificum cælo vel Roma debet, vel *Hetruria*, ea exprimenda gypſo curavit *Federicus*, ne ad exemplaria longa peregrinatione noſtrates proficiſcerentur, cum *Roma*, atque *Hetruria* in *Inſubribus* ſpectari poſſet. Pendet vero è ſtipite

Trichet in vita Vincii.

*P. P. Boſcha.* F nu-

nudatus cute *Marsias*, quem ira in miraculum
versa etiam *Apollo* coleret; proximus *Marsiæ* vil-
licus, qui est in vinea *Medicæorum*, cote falcem
acuit, flexo poplite, arrectisque auriculis; gemi-
na succedit cervix, altera animam agentis *Senecæ*
qualem habet familia *Burghesia* in hortis, altera
*Joannis Pauli Lomatii* Pictoris; hujus author
fuit *Annibal Fontana*, de quo narrabimus postea.
Pulcherrima imago est exoculati *Lomatii*; eam
enim jacturam oculorum præmonstraverat mens
provida *Hieronymi Cardani:* nec eventus præmo-
nentem fefellit. Sequitur humanum cadaver,
connexa inter se ossium compage; redimita cer-
167 vix Lauro est (quanquam & Laurus sentit ful-
mina Libitinæ) dextera vibrat hastam; metuen-
dam atque inanem eam molem fert stylobata in-
scriptus titulo, ac monumento funeris. Augu-
stior tumulus nunquam contigit cadaveri, quam
cum defuit. Proxima est Veneris statua, *Medi-
cææ* magnificentiæ testis, elegantissima admodum,
& veneris plena. Hoc vero simulachrum cum in
oculos *Borromæi* incurrisset, ut erat pudoris cu-
stos incorruptissimus, ad *Olgiatum* Bibliothecæ
Præfectum oculos convertens rogavit, quisnam
in sedes illas depositi pudoris fœminam invexis-
set? Et continuo, ut signum illud secaretur in
partes, mandavit. Abscissis itaque cervicibus,
demptis brachiis, sectoque utero occurrit Venus:
ut Deiphobum esse putes, non Venerem. Infra
effigies trunca hominis insidet stylobatæ: hanc in
ædium Vaticanarum impluvio collocavit artifex;
*Bonarotus* jussus ab *Julio Secundo* Pontifice Ma-
ximo, ut simulachrum absolveret, negavit ope-
ram suam, ratus inchoatas partes æquali artificio
perfici haud quaquam posse. Commodus, sive
mavis, *Hercules* hortorum Vaticanorum, comes
Veneri, turpe olim Veneris mancipium. Stat ille
giganteo habitu, leoninis exuviis tectus, trucu-
lento ore, læva deferens infantem, Hylum for-
tasse suum. Mediam sedem occupat simulachrum
Servatoris, idque ectypum est signi, quod Bo-
narotus in Romano templo Minervæ fecit ex
marmore. Amplectitur ille utraque manu crucem,
eminentibus ubique artubus, & commissuris
corporis, venisque; qualis ars commendavit in
omnibus signis artificem. Prope succedere Apol-
lo Vaticani vireti, nudo corpore, exertis bra-
chiis, pendulo amictu, ac ad lævam retorto,
serpente ad crura colubro ad artis medicæ indi-
cium. Gladiator quoque *Burghesiorum* magnifi-
centiam auget: stat ille toto corpore connilus in
168 ictum, coacta in pugnum dextera, altero pede
porrecto, altero in sinistrum latus recedente; pu-
gilem forte valentiorem *Roma* non vidit. Infra
gladiatorem occurrit spectanti simulachrum Pas-
quilli, recisis naribus, contuso ore; refert omni-
no Romanum obloquutorem, hoc uno dissimi-
lis, quod ille loquacissimus est, hic elinguis.
Porro faciem totam Musei ornant toreumata, &
simulachra elegantiora. Signum Deiparæ è mar-
more Cariarensi summo artificio perfecit *Marcus
Antonius Prestinarius* sculptor *Mediolanensis*, qui
non modo odeum Templi Maximi multiplici to-
reumate ornavit, verum apud *Insubres* præclara
monumenta suæ artis reliquit, Adonidis præser-
tim simulachrum Leinati in magnificentissimis æ-
dibus Vicecomitum, quem etiam lapideum Ve-
nus amare posset. Ea Virginis statua constitit
*Borromæo* duobus millibus aureorum numum.
Tradunt *Prestinarium*, postquam in Æde prima-
ria absolvit aram Praxedis minus eleganter, quam
cætera soleret, leviori reprehensione damnatum
à *Federico* (qui in Pontificali Palatio hominem
alebat, altumque accipiebat large) atque illud
judicium, ac verba increpantis *Borromæi* adeo

Lomatium laudat Morigia lib. pr. hist. cap. 60. Picinell. Ath.

Rivola lib. 6. cap. 9.

Statuam Adonidis Leinatensis laudat Sociacus li 2. epig.

A insedisse artificis animo, ut paucos post menses
vitam amiserit. Gemina utrinque signa jacent de-
jecta in latus, vesperis alterum, alterum auroræ,
quæ sunt in Æde Laurentiana *Florentiæ*; parens
utriusque simulachri est *Bonarotus*; in vesperis
signo adhuc rigida cervix est: expolire noluit arti-
fex, ne à reliquo corpore ob membrorum discor-
diam dissentiret. Est etiam elegans Narcissi statua
eo habitu corporis, ut lymphas consulat suæ for-
mæ judices, à vero nihilum distat, nisi quod ille
in florem, hic in lapidem est versus. Superne
prominent è pariete toreumata, duplex quidem
fictile, & ectypum eorum, quæ *Bacius Bandi-*
B *nellus* sculptor egregius cælavit; medium vero
exemplar est elegantissimum, mirabili opere fa- 169
ctum ex marmore. Eminent sigilla singularis ar-
tificii, militaribus insignibus ubique extantibus;
tabula vero tota interior cælata est tanta arte, ut
*Polycleti* putes, vel *Myronis*. Toreuma illud in-
cidit *Augustinus Bustus Mediolanensis*; nam hic
Pario marmore tumulum ornaverat *Gastonis Fo-
xii*, atque saxo insculpserat bellica spolia, sigilla,
& simulachrum *Gastonis*, quod unum reliquum
est *Mediolani* apud Vestales Marthæ. Cecidit *Fo-
xius*, dum prælio ad Ravennam dimicaret; cum
enim secundo marte, atque juvenili ferocia ela-
C tus, incurrit in profligatam hostium aciem, de-
jectus ex equo confoditur, *Scipioni Africano* æta-
te, atque animo similis, fortuna dispar. Incau-
tius fata provocasse dicitur, victurus hostem, nisi
vicisset. Porro cum ea toreumata venalia prosta-
rent (nam majori sumptu restituebatur Ædes
*Marthæ*, in qua *Foxius* fuerat, tumulatus) emit
unum aureis numis ducentis Cardinalis *Flaminius
Plattus*, atque *Cæsar* Abbas à Patruo suo acce-
ptum donavit Ambrosianæ Bibliothecæ. Cæterum
*Bustus* ille sculptor excellens veteres artifices æ-
quasse est visus; superest in *Franciscana* Æde tu-
mulus *Joannis Marci*, & *Zenonis Biragi* signis i-
D psius, ac toreumate nobilis, quamvis complura
sigilla perfregerit incuria hominum parvi æstiman-
tium artem. Nec deest elegantia *Antinoi* simula-
chro, quod collocatum est in hortis Vaticanis;
& quidem venustissimus esse debuit, qui deperi-
ret Penelopem. Divi *Sebastiani* signum scalpsit
*Christophorus Solarius*, cognomento *Gobbus*, *Me-
diolanensis*, atque impositum est fastigio, quod
lucem in subjectam viam inducit, qua ab Ar-
chiepiscopali Palatio itur in Ædem Maximam;
illius ectypum illatum est in Ambrosianum Mu-
seum. Et quidem Solarius æqualis fuit *Bonaroti*,
E & artificio æque nobilis; ferunt cum Vaticanæ 170
Ædis toreuma, in quo Virgo demortuum Ser-
vatorem gerit, *Mediolanenses Christophoro* suo *Gob-
bo* adscriberent, noctu nomen suum incidisse Bo-
narotum in toreumate; tanti vel æstimabat sua,
vel *Mediolanensem* illum sculptorem. Postrema
est, eaque proxima Musei foribus statua Palladis
ferentis Ægidem, ac galeam; exemplar *Romæ*
in Capitolio est locatum. Horum vero simula-
chrorum spatia ornantur, alterno ordine, fictili-
bus signis, quæ pulcherrima fecit *Prestinarius*,
referentia virtutum speciem, & singula sustinen-
F tur basi. Varia subinde cervix pendet, nimirum
*Laocoontis*, *Niobes*, & *Bucephali*, tum lacerti im-
manes, quales in Romano *Moyse* cælavit artifex,
hermæ, brachia, & pedes ad erudiendos sculpto-
res. Signa minora impendent foribus, alibi caput
humano majus; alibi expressam ad imaginem D.
*Caroli* signum, quod ab *Jo. Andrea Biffio* factum
*Horatius Crucejus Canonicus* Templi Maximi, vir
munificus, & liberalium artium studiosus dono
dedit. Distinguuntur etiam simulachra prægrandi-
bus thecis, queis conclusæ opes artis statuariæ, &
ferreis reticulis munitæ fugiunt manus contem-
plan-

Vasarius vol. 2. parte 3. De Gastone Jacobus August. Thuanus lib. pr. hist. Jovius lib. 2. vita Leonis X. Tursellinus epitome histor. ad Pontif. Julii 2. lib. 10.

Ripamontius hist. ecclef. dec. 2. lib. 15.

Volaterranus laudat Gobbum in Anthropologia col. 645. & Vasarius vol. 2. par. 3.

plantium. Alibi ſigna fictilia plurima *Preſtinarii*, ac typos majorum ſtatuarum conſpicimus, *Saturnum* vorantem liberos, galeatam cum *Marte Palladem*, nudam *Venerem*, *Bacchum* uvas comprimentem manu, *Herculem*, qui Romanas ædes familiæ *Farneſiæ* exornat, innixum clava, humani item pectoris affectiones, quas finxit egregie *Preſtinarius* ex argilla. Ibidem nobile marmor ſpectantes tenet; nam ſurgit ſua ſponte lapis in pinnas, ac muros, varioque naturæ ingenio ædes omnes architectatur; ad hæc conchæ vitro incluſæ, lucernæ ſepulchrales æneæ, & lituus ex orichalco (quem in tumulo quodam ad fanum *Ambroſii* repertum memoria proditum eſt) index

De lucernis ſepulchralibus erudite Oct. Ferrarius, Paulus Areſius in Symbolis.

171 certe Pontificii muneris, atque Pontificem eum inciſis literis docet tumulatum fuiſſe anno milleſimo quinto. Aſſervatur itidem fictilis lychnus ignis æterni; eum effoſſa urna marmorea invenit *Flaminius Paſqualinus*, cum *Trivultianum* Sacellum in Baſilica Protomartyris excitaretur, tum argentea numiſmata *Romanorum* Conſulum nomine, ac ore inſcripta, quæ hominem indicant ante annos bis mille tumulo conditum. A *Paſqualino* lituum, lychnum, eaque numiſmata dono accepimus. Alibi ſigna fictilia ejuſdem *Preſtinarii* ſe offerunt oculis, & ſtatua jacentis hominis, cujus artifex *Solarius*, & Virgo à *Leſanio Mediolanenſi* ſculptore facta, & magnes ferri tenax: tum typi plures Apoſtolorum, & exempla Servatoris Crucifixi, ac gemini toreumatis; quæ omnia mira ars *Joannis*, vulgo *Bologne*, elaboravit. Altera theca ſervat fideliter præclara opera, & exemplaria artificiorum *Annibalis Fontanæ*, quem *Inſubrum Praxitelem* jure vocaveris. Et quidem ſpectamus *archetypa* toreumata, quæ Fontana in argento incidit, ac frontem aræ in Fano *Celſianæ* Virginis texit; nam ille non modo marmori, verum cryſtallo atque auro, opificii ſui pulchritudine, pretium attulit. Elegantiſſimus quoque eſt geminus aliger, atque eorum *prototypi* ſunt, quos Annibal ad Divini Panis *hierothecam* gerendam fecit ex argento, cum in ara Templi Maximi colitur. Alii item nixi altero genu *Angeli* commendant ſculptoris artificium, tum Servator affixus cruci, atque exemplaria *Angelorum*, quibus frons ſumma *Marianæ* Ædis ad *Ludovicam Portam* exornatur. Cernere eſt humana membra, fictile Chriſti ſimulachrum funibus obligati, *Vitellii* Imperatoris vultum, tum vatis cujuſdam ſignum, quod finxit *Joannes Baptiſta Volpinus*, & unum toreuma *Brambillæ* ſculptoris, exemplar nimirum ope-

De Fontana conſule Puticellum in diſſertatione Nazariana cap. 158.

172 ris eximii, quo fornix *Mariani* ſacelli in Æde primaria eſt inſignitus: tum *prototypum Helenæ* ferentis crucem, quam *Ceranus* ſacræ columnæ in regione *Ludovica* urbis impoſuit, ac Græca longe venuſtiorem fecit. Hanc *Helenam*, & *Hirenem* fictilem *Sebaſtiani* vulnera ſanantem à *Flaminio Paſqualino* accepimus; *Sebaſtianus* autem cum *Hirene* eſt *Leſanii* ſculptoris minime obſcuri. Porro *Fontana* ille *Mediolanenſium* ſculptorum Princeps conditus eſt in Templo Virginis prope fanum *Celſi*, immatura quidem morte ereptus, verum immortalitatem nominis ob ſingularem opificii excellentiam conſecutus. Poſtrema theca ſubjicit oculis fictilia ſimulachra *Preſtinarii*, *Fontanæ* præſertim gemina ſigna, atque exemplaria ſimulachrorum Deiparæ, queis aram Virginis ac frontem Templi juxta *Celſi* Ædem illuſtravit; inſigne pariter eſt marmoreum ſigillum militis ademptum *Gaſtonis* tumulo, & ænea commentitiorum Divum; reliqua ſunt exempla nobilium ſignorum, quæ procerum Romanorum ædes nobilitant. In eadem theca conſecrat membranam unam religio; ea vero ſubſignata eſt à Divo *Carolo*, ac Epiſcopis, qui Concilio Provinciali Quinto interfuerunt; ſubſcripſere hoc ordine: primum *Carolus* Cardinalis, & *Inſubrum Metropolita* ſtatuens, ac rata habens quæcunque in acta totius *Synodi* relata, & aſſentientibus Epiſcopis ſancita ſunt: tum vero cæteri Antiſtites, ut quiſque in gerendo Pontificatu erat antiquior: Cæſar Epiſcopus *Dertonæ*, *Hieronymus Laudæ*, *Petrus Aquarum*, *Dominicus Brixiæ*, *Nicolaus Cremonæ*, *Hieronymus Bergomi*, *Dominicus Aſtæ*, *Guarnerius Alexandriæ Statelliorum*, *Jo. Franciſcus Vercellarum*, *Vincentius Albæ*, *Franciſcus Albintimelii*, *Cæſar Sabatiæ*, *Alexander Caſalis*, *Alexander Viglebani*, *Pomponius Cotta Novariæ*. Inter hos eminuit *Nicolaus Sfondratus*, non modo ge- 173
neris, ac virtutum claritate, verum Romani Pontificatus faſtigio; juſta quoque perſolverat *Carolo*, aderantque tum ſocii feralis pompæ, ac luctus Antiſtites *Alexandriæ*, *Viglebani*, & *Caſtri*. *Dominicum Bollanum* à *Brixienſi* Præfectura ad ſacros faſces, & infulas vocatum extulit D. *Carolus*, ac laudatione funebri commendavit; *Joannem Franciſcum Bonomium* inauguraverat idem D. *Carolus Cotta* vero primus ex Juriſconſultorum *Mediolanenſium* Collegio *Romanæ Rotæ Auditoribus* aſcribitur, cum eum honorem *Pius Quartus* ſuis civibus detuliſſet. Ibidem ſpectamus argenteam Servatoris imaginem, quæ morientis *Federici* dexteram ad ſupremam pugnam armavit, *Franciſci Petrarchæ*, & *Galeatii* Vicecomitis in cupreſſina tabella effigiem à *Vincio* expreſſam, cereum item vultum *Iſabellæ*, quam duxit *Carolus* Quintus, ornatum gemmulis, ac margaritis, icunculas à *Cerano*, & *Figino*, aut pictas, aut deformatas, tum imaginem fortunæ altero pede prementis orbem (quod opus eſt *Annibalis Fontanæ*) ora Romanorum Cæſarum, tum vultum Servatoris ex cera, micante ſubtus Jaſpide, & imaginem largitoris Paſqualini, cui pugionem *Sfortianæ* necis memorem arcula cupreſſina conditum debemus; eo *Joannes Andreas Lampugnanus Galeatium Sfortiam* Ducem *Inſubrum* in fano *Stephani* interemit. Micat in eadem theca Amethyſtus ingens, & vultus à *Catharina Cantona* acu pictus; hæc phrygii operis ſingulare inventum excogitavit, quod ab inventrice *Cantona* nomen obtinuit. Eadem arte claruit apud *Inſubres Peregrina* filia architectoris *Peregrini*, utraque ſane vincere potuiſſet *Arachnem*, & *Palladem*. Nec pretium deeſt arculæ qua ſacræ pallæ condebantur ad *Liturgiam Joannis* Vigeſimi ſecundi Pontificis Maximi; theca enim phrygia arte pulchra eſt, ac rutilat margaritis. Miſit hoc munus Cardinali *Baſilius Sere-* 174
*nius* vir literarum, & diſciplinæ ſeverioris amantiſſimus, eoque nomine acceptus *Federico*. Tres vero vultus referentes mortalium animos, cum è corpore profecti, aut numinis aſpectu gaudent, aut expiantur flammis, vel æternis ignibus cruciantur, plane delectant intuentes. Singulorum enim ſtudia artifex mirabiliter expreſſit, ſive voluptatem inter ſidera geſtientis, ſive ſpem patientis expiantes flammas, ſive rabiem exæſtuantis animi, cum perpetuo igne torretur. Lapis vero Bezoar donum eſt *Didaci Torres*, ex Sodalitate Jeſu: includitur laminis aureis, in iis titulus munificentiæ eſt inciſus: *munus Didaci Torres ex ultima India Cardinali tranſmiſſum*. Ejuſdem vero lapidis arculas alias miſſitatas ad *Federicum*, monumento ſunt literæ *Didaci*; nam hic cum eſſet ſumma virtute præditus, chariſſimus erat *Borromæo*, qui in ejus auribus ſui animi arcana omnia depoſuerat, cum *Mediolani* reſtitiſſet, oſculatus etiam diſcedentis manum; immo poſtquam magnis muneribus *Didacum* abeuntem cumulaſſet, tradidit etiam dono duos & triginta calices argenteos, inauratoſque queis uterentur ad aras Myſtæ in

Gluſſianus in vita D. Caroli lib. 7. cap. 13.

Gluſſianus lib. 6. cap. pr. & Ughellus tom. 4. Italiæ.

Carolus à Baſilica Petri in libro, cui titulus *Novaria Sacra*. & Ughellus Tom. 4. Italiæ.

Arlunus in hiſt. Petrus Crinitus lib. 2. Jovius lib. 3. elogiorum, & ſcriptores rerum Mediol.

De Cantona Lomatius in Idæa Picturæ c. ult. & Morigia lib. pr. hiſt. cap. ult. Sociacus lib. 2. 3. & 6. epig.

Celſus de Roſinis tomo pr. Lycei lateranenſis lib. 2.

De Bezoar vide Paulum Sherlogum vol. 2. in Cant. veſtig. 21. ſect. 2 Panciroſum Salmuth. & Terzagum in Muſeo Septal. c. 27. & Guaiterum Charletonum. Ex tabul. Bibl Anib. Alegan be, in Bib. Soc. Jeſu.

Paraguai. in Paraquaria Provincia, in quam suæ Societatis viros, mandante *Claudio* totius Ordinis Antistite, inducere debuerat. Ejusdem fortasse Didaci munificentiæ debemus idolum ligneum in eadem theca suspensum; scipio autem est in speciem pugionis, humano ore, ignarus tamen artificii, ac omnino rudis, nisi quod summa pars est picturata. Huic autem Indi excitaverant aras, incendebant thura: tum positis genibus venerabundi accipiebant oracula, quæ ad animorum, auriumque ludibria fundebantur. Indicat insaniam gentium *epigraphe*, & docet idolum illud ex novo orbe delatum, loquax ibi, hic penitus elingue ad fraudes *cacodæmonis* detegendas, & coarguen-

175 dam *ethnicorum* inscitiam in ea theca fuisse suspensum. Porro hæc omnia signa cum in pinacotheca essent una cum tabulis pictis mista promiscue, substructo conclavi altero, inferenda in sculptorum Museum curavi, ac ordine distributa collocavi singula in basi, argentea tantum, atque ænea numismata in thecis alterius musei à me sunt rite digesta, eæque titulis inscriptæ. Hæc fama renascentis instituti nobis exterorum benevolentiam captavit. *Vix Bibliothecam* tractare cœperam, cum *Ferdinandus* II. Magnus *Hetruriæ* Dux dono codicem dedit, cui titulus, de periculis rerum naturalium, quæ Florentinorum fecit Academia. Nidos Ambrosianos beavit ea Principis munificentia, non modo ob Academiæ ipsius dignitatem, verum quia *Medicæi* Duces, aut restituere, aut occupasse regna facultatum videntur, atque hac una literarum republica gloriari. Purpura certe sua velare creditur Musas Cardinalis *Leopoldus*, & Romani muricis fulgore lumina Phœbo deferre, ut in domina *Hetruscorum* urbe florere discant etiam disciplinæ. *Cosmus* vero III. quem literatorum omnium bono sapientia procreavit, *Federici* Cardinalis *Borromæi* institutum æmulari pergit: quippe scientiarum cultores, & viros linguarum omnium doctos ab exteris quoque provinciis *Florentiam* evocat, longe plures jam sapientes habiturus, quam cives, atque Bibliothecam ingentem cognatam *Ambrosianæ* adornat ad alenda hæc studia scientiarum. Sane, cum *Mediolani* substitit Magnus Dux *Cosmus*, commendavit maxime magnificentissimum hoc domicilium literarum, qua ædificatione molis, qua Collegarum nostrorum exercitationibus, ac postea summopere in hanc curam, & cogitationem rei librariæ incubuit, collegitque undique vim magnam lectissimorum codicum ad ultimam pro-

176 pe *Thulem* profectus, interiore literarum, & scriptorum omnium notitia. Quod Principis consilium adjumento erit exulantibus disciplinis, & Magni Ducis imperium, invidente *Roma*, in veteri *Latio*, totaque *Græcia* propagabit. Per idem ferme tempus profanæ ædes, ac sacra *Gregorianæ* villæ sunt restitutæ, & quidem Ædicula, quæ D. *Gregorio* Pontifici Maximo posita est in sepulchreto, jamdiu clausa desiderabat cultores, obnoxia imbribus, ac vocalis avium loquacibus nidis. Reddidit religionem sedi *Carolus Ambrosius* à *Laude Canonicus* Templi Maximi, vocato ad rem divinam quotidie peragendam mysta: Ædiculam restituit *Hieronymus Beccaria* ejusdem Templi *Canonicus*, ut deinceps religiose coleretur, ac precibus levarentur eorum manes, quorum corpora sæviente pestilentia illata fuerunt in illud sepulchretum, quod à Divo *Carolo* lustratum ferunt. Cæterum dum parentale sacrum curatur manibus, è vivis excedit *Petrus Maria Bizozerus* paulo ante suffectus in locum *Ferrarii*. Expectationem sane Musarum decepit; nam cum in Collegio *Helvetiorum*, ac in Seminario adolescentiam politiorum literarum doctrina formasset, magni ingenii specimen dederat. Interea dum fata Collegas Bibliothecæ subducunt, ditavit scrinia *Joseph Annonus* à Secretis Ædilium, & Decurionum urbis, vir amabilissima suavitate morum, atque pluribus ornamentis decoratus; intulit autem in forulos Ambrosianos *autographum Urbani Montii*, quod nondum tractavit typographia. Accessere ingentes tabulæ, quibus *Urbanus* inclusit terras omnes, ac maria: quemadmodum descripserat regiones singulas in *autographo*, proposita terrarum imagine, persequendo Cæli, solique virtutes & vitia, tum incolarum ingenia; quæ ratio studiorum *Urbanum Montium* delectavit. Hæc rerum Picinellus in Athenæo.

forma, & status manet in præsens, reviviscentibus in dies literis, quæ crebris Collegarum fu- 177

neribus intermortuæ videbantur. Artes ingenuas, injecto studiorum certamine, excitavit *Joannes Thomas Butius* Jurisconsultus, facultatum optimarum patronus, vir auri æque inimicus, ac sceleris. Dedit ille in Romano Sapientiæ Gymnasio operam *Francisco Angelucio Verulanorum* Episcopo, cum ad Jurisprudentiam animum appulisset, ornatus ejus disciplinæ laurea rem Ambrosianam, cum se retulisset in Patriam, defendit, atque nomina tarda urgendo amplificavit. Suo autem ære artes ad certamen accendit; nam ingentes tabulas ab Academicis Ambrosianæ graphidis pingendas curavit, queis facta immortalia *Federici* Conditoris exprimerentur. Primam tabulam *Antonius Buscha* antesignanus instituti elegantissime absolvit; in ea *Federicus* cæleste viaticum defert D. *Philippo Nerio* ægrotanti. Enimvero offert se oculis structura ingens: innititur columnis ædificium; quemadmodum facile invenit ars pingendi, & excitat nullo negotio mirificas moles. Cubiculum *Philippi* cælesti lumine coruscat; expectat ille erectus in cubitum à *Federici* dextera Angelicas dapes. Cardinalis *Augustinus Cusanus* (namque affectatus fuerat *Federicum*, atque ambo appellabantur vulgo Divi *Philippi* spiritus, & animus) nixus genibus, ac reliqui sectatores linteati cæremoniam honestant. Subsistit ad fores pars ferens umbellam, & ignes venerationis indices: pars ad imos scalarum gradus redeuntem *Federicum* opperitur, effusa interim benigne in egenos pecunia. Tabula ubique nitida est, læta, collustrata. Alteram tabulam exornavit labor *Cæsaris* de *Floribus*, & *Ambrosii Besutii*; describitur pompa inaugurandi Cardinalis, quæ cæremoniam eam sequitur, cum à Romano Pontifice peragitur. Sedet ad aram *Clemens Octavus* (nam is *Federicum* inauguravit) Pontificiis vestibus amictus, imponit tiaram cervicibus 178

*Borromæi* procumbentis: decorant cæremoniam velati infula Cardinales, & circumfusi multitudine, cum illa in Urbe sit infrequens, atque Romani Pontifices in tam longo *Mediolanensium* Antistitum agmine paucos admodum initiaverint. Elegans tabula est, non modo apparatu ædis, structura, ac varietate rerum, sed etiam pingendi opificio. Sequitur passibus æquis cæteros Academiæ proceres *Andreas Lanzanus*, summa expectatione juvenis; circumfert sub umbella per urbem *Federicus* reliquos cineres Sancti *Calimerii* Archiepiscopi, & complurium Divorum succollantibus Episcopis, ac per intervalla Superum exuvias gestantibus, postquam Provincialem *synodum* absolverant. Occurrit spectanti pompa tota supplicationis, velati sacris amictibus, linteatique mystæ, sublata spectacula ad multitudinem ferendam; alii positis genibus onusta Divorum cineribus fercula colere, alii submovere confertam turbam; quæ omnia *Lanzanus* pinxit egregie, ac belle excogitavit ad imaginem rerum deformandam. Postrema tabula est *Aloysii Scaramuciæ* à

Veroli. — Baccius in vita D. Philippi lib. 4. cap. pr. & Gallonius pag. 399. in ejusdem vita. — Baccius lib. 3. cap. 10. pag. 216.

patria

patria urbe cognomento *Perusini*; tanta est elegantia picturæ, ut etiam *epidemiam* oculis, & animo conciliaverit. Descripsit *Federicum*, cum grassante lue *Limocomium* adivit, ac ægrotantium egestatem large accepit; subit primum in recessu contemplantium oculos urbs, tum vero *Limocomii* ipsius interior moles, ac amplæ porticus, quæ molem totam circumeunt. Alibi jam exanimata jacent, sanie, taboque fluentia corpora, alibi nuda, & tosta ferali igne, alibi sublata in lacertos mulier *Libitinæ* circumferre speciem videtur; humeros demum hominis expectantis stipem, ac jacentis in plaustro ita pinxit *Perusinus*, ut fortasse *Prometheus* humana corpora non
179 elegantius finxerit. Pestilentia hæc si vulgetur, vitam feret tabulis: nec quisquam extimescet tam elegans malum. Interea dum artes optimæ excoluntur, *Clemens* X. Pontifex Maximus *Federicum Borromæum*, quem ab *Hispana* legatione revocatum à secretis Status esse jusserat, Romano murice exornat. Triumphavit gaudio Civitas, non modo quia *Borromæorum* Familiam jamdiu commendavit civibus pietas, ac magnificentia operum, quibus urbs Romanarum substructionum miracula exæquat, verum propter *Federici* ipsius spectatam tot annorum curriculo virtutem, cognominem, & consanguineam alterius *Federici* Cardinalis. Itaque accensæ circa domos faces, missilibus flammis rutilare cælum, lætusque tubarum, atque sacrati æris cantus aures animosque civilis lætitiæ admonere, clara atque obscura capita purpuram *Federico* gratulari. Ædes quidem Comitis *Antonii* quamlibet amplæ populum, plebemque minime capiebant, cum singuli prope cives irent gratulatum. Data sunt confluenti popello per triduum congiaria, ac (quod mandaverat *Federicus*, cum de accepto murice fratres suos faceret certiores) egestas urbana, sacrarum Virginum præsertim, liberaliter levata est. In fanis Divûm gratiæ Superis actæ; Comites *Antonius*, & *Paulus Æmilius Borromæus* in *Antoniano* Templo eadem officia persolverunt, qua multiplici symphonia, qua æris bellici tonitru: ut religiosus Mars, & Martia religio videretur. Certe res sacra maxima pompa peracta est; nec impares studiis nobiliores Basilicæ Ambrosiana, Nazariana, & Laurentiana, quod *Federico* Cardinali Archiepiscopo essent obæratæ, mystas suos gratulantes ad aras operari jusserunt; veluti fana singula Federicus suo murice decorasset. Cæterum lætitiis omnibus incessere Conservatores, & Ambrosiani Collegæ; nam *Federicos* suos, parentem alterum, alterum Con-
180 servatorem instituti publica gratulatione coluerunt. Itaque nocturnis ignibus circa Bibliothecam, atque Sepulchri Ædem propositis expugnavimus tenebras: impeditæ facibus fenestræ, ac speculæ domorum intermicabant, quæ Templi, ac Bibliothecæ foro circumjacent. Septimo Idus Januarias in Sepulchri delubro gratias egimus Superis solenni carmine, & re divina; *Federicum* commendavit Panegyrico *Joannes Baptista Butius Theologiæ moralis* Doctor in Seminario, quod à Dionysiani Collegii Canonica nomen traxit, & citra religionis negligentiam veneres omnes induxit in Templum, sed dicendi; ego vero gaudebam in sinu, nam *Butium* initiaveram Musarum Sacris, cum facultatis Oratoriæ institutiones Seminariensi adolescentiæ traderem. Cætera subinde sunt executi Conservatores, quæ gaudium profiterentur; nam Sepulchri aræ argento, atque attalicis vestibus radiabant: tecti vero aulæis parietes, pictisque tabulis, quas impendentes lemnisci, sericæque tæniæ redimirent, veterem pompam revocare in memoriam civium videbantur,

Brusonus l. 38. Hist. Italiæ ad annum 1670.

1671.

cum in eodem Templo *Federicus* Cardinalis Archiepiscopus Collegium condidit. Sane delubrum nec suffecit multitudini, nec gaudiis animi. *Federici* effigies juxta aram maximam proposita: *Clementis* vero Pontificis Maximi expressa imago, quod esset author honoris, sese offerebat venientibus in Ædem, holosericis vittis pictam tabulam ferentibus. Ædis frontem Belgicis aulæis vestivimus, imminebat foribus Præses Collegii, & Bibliothecæ Divus *Ambrosius*; illius vero tabulam stipabant utrinque Divus *Carolus*, & Cardinalis *Federicus*, alter patronus operis, alter parens; mediam Templi faciem ornaverat gentilitium stemma *Borromææ* Familiæ, cui subjecta *epigraphe* indicabat gratulationis authores, & lætitiæ argumentum; erat autem hæc sententia:

*Collegium Ambrosianum* 181
*In hac Æde institutum*
*A Federico Cardinali Borromæo Archiepiscopo,*
*Quod Clemens Decimus*
*Federicum Borromæum*
*Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcham*
*Romana Purpura decoraverit,*
*Gratias immortales Superis agit,*
*Et suo Conservatori delatum muricem gratulatur.*
*Ergo huc civis, atque Hospes*
*Pedem infer, & animos hilares;*
*In hoc Sepulchro ferale nihil, læta omnia.*

Hac ego *epigraphe* incolas, ac peregrinos ad rei divinæ spectaculum invitaveram; frontem vero Bibliothecæ, vestibulum, & porticus Belgicum, sericumque peristroma tegebat, reclusæque fores multitudinem totam exundantem admisere studio spectandæ molis. Impendebat foribus ingens tabula Alterianis sideribus nitida, cui ferendæ subjicere humeros videbantur Camelus, ac Monoceros Gentis Borromææ: indicabat elogio laudes *Federici*, quas ego in hanc sententiam fueram complexus.

*Gentilitiis tandem Frænis,*
*Fortunam cohibuit Federicus Cardinalis Borromæus.*
*Ab Julio Cæsare genitus,*
*Fortunam, & muricem Cæsaris ferre debuit.*
*Ut Patrui Magni virtutes referret,*
*Gentis nobilitas jussit, nomen coegit.*
*Pluribus honoribus insignitus,*
*Omnibus egregie est perfunctus,*
*Quæsturam Melitensem cum gereret,*
*Europeæ nobilitatis flore domestica decora redimivit.*
*Diuturna in Helvetiis legatione beavit populos,* 182
*Quos adivit;*
*Nisi ea mora intervenisset,*
*Volasse videretur ad culmen, non evasisse.*
*Præfecit Romæ Federicum Alexander;*
*Nempe Bonos Romæos placuit urbem regere,*
*Qui servassent.*
*Profectus ad Hispanum Jovem*
*Iberico Cælo placuit;*
*Nec difficile fuit à Carolo amari Borromæum.*
*Revocatur Federicus à Clemente Romam,*
*Ad Lauream videlicet, vel ad triumphum.*
*Gentilitius Monoceros assuetus lumini*
*Spectavit propius Alteriana sidera;*
*Nec mirum, exeunte anno, feliciter affulsisse.*
*Quando astra diem Christi natalem comitantur.*
*Macte animis Federice;*
*Pontificis Alterii stellæ diem ferent:*
*Et olim Gentilium tuorum annulis*
*Piscatoris annulum Roma conjunget.*

Creat. Cardinalis 1670. undecimo Cal. Januarius.

Etiam *Novaria* urbs *Insubrum* gratulata est *Federico* purpuram; nam nocturnæ faces revocasse diem sunt visæ, & in majori Templo *Joseph Ma-*

 *ria*

*via Mirabilia* Episcopus, tiaræ, doctrinæque lumine clarissimus, numen precibus, actisque gratiis est veneratus, cum eminerent inter hæc studia civium, præsertim *Sorinæ* familiæ, & *Canonici Bartholomæi Sorini*, qui sectatus *Federicum*, juridicundo in *Helvetiis* præfuerat, seque hoc gaudio cumulatum profitebatur, quo cives cæteri perfundebantur. Porro ager *Mediolanensis*, cujus plura oppida continentur in potestate *Borromææ* Familiæ, prope gaudio exilivit; exauditus passim martii æris fragor, micuere flammæ
183 testes gaudii, adeo ut *Verbanus Lacus* aquas ignibus ad triumphum maritasse putaretur. Exundavit ea *Verbani* lætitia in *Helvetios*; nam *Lucerienses*, qui *Federicum*, causa bene gestæ legationis, Civitate sua donaverant, ex Senatusconsulto egere gratias Superis ob delatum concivi suo muricem, quo nullus antea *Lucerienfium* fuit ornatus. Interfuit cæremoniæ Senatus frequen- Suizzeri.


A tissimus, propositum sub umbella simulachrum Cardinalis *Federici*: concinuit solenne gratiarum agendarum carmen Legatus Pontificis Maximi, tum vero bellica tormenta micuerunt lætis ignibus: quo item gaudio exultavere plura *Helvetiorum* oppida, *Curia* in primis, *Lucanum*, & oppidum *Bilintionis*. Hæc fuerant omnino tradenda ad perennis lætitiæ monumentum; ea vero ne vana luxuriaret inter cæteras imagines, quæ ambitum Bibliothecæ insigniunt, iconem Cardinalis *Federici* Conservatoris à *Cæsare* de *Floribus* egregie elaboratam è regione alterius Cardinalis *Federici* Conditoris collocavi, pictæque tabulæ
B carmen subjeci, quod propitio Apolline scripseram: Coira, Lugano Belinzona.

*Murice quæ tyrio Federici vibrat imago,*
*Non una est: senior nam Federicus inest.*
*Ore quidem distat Federicus uterque: senili*
*Junior ast eadem pectore corda gerit.*

F I N I S.

---

*Fragmentum depromptum ex volumine primo pagina* 143. *&* 144. *libri Gallici, qui inscribitur* Voyage d'Italie.

A Bibliotheque Ambrosienne est une des plus belles de toute l'*Italie*, & il n'est pas si difficile de la voir que les autres d'*Italie*: on y entre sans peine car elle est ouverte à tous venans, on y peut lire tels livres que l'on veut. Saint Charles la commença, & son neveu le Cardinal *Frederic Borromée* la continua; mais depuis leur mort on l'a fort augmentée par les livres que l'on y a mis de *Vincent Pinelli*, lesquels ses heretiers ayant chargez dans un vaisseau pour les porter à *Naples*, ils furent pris par les corsaires *Turcs* qui en jetterent une bonne partie dans la mer pour n'avoir pas rencontré les marchandises qu'ils cherchoient. On en recouvra neantmoins la pluspart à prix d'argent, & on les mit dans cette Bibliotheque. On void tout autour sur les haut de tablettes les portraits des hommes sçavans, chose fort inutile & de grande dépense; car on auroit eu beaucoup de bons livres de l'argent que ces tableaux ont coûté & on auroit mieux connu les Doctes par leurs écrits & dans leurs Livres que par leurs peintures: *Loquere ut te videam.*

Il y a à costé de cette Bibliotheque une gallerie des peintures, où il y a plusieurs merveilleux originaux des plus grands Peintres, & quelques rares copies, comme celle des quatre Elemens, dont je vous ay parlè en vous rapportant les raretez que je vis en *Piedmont* dans la Maison de la Duchesse de *Savoye*, appellée la *Valteline*; (*reponenda omnino est hæc vox*, le Valentin, *quod magnificentissimum domicilium descripserat author pag.*93. *ejusdem voluminis, cum urbem Taurini commendaret*) mais la plus rare piece de cette Bibliotheque, & peut-estre de toute l'*Italie*, est le rare Manuscrit d'*Alberto Dureo*, que l'on conserve fort soigneusement, & duquel on a refusé trois cens livres sterlings.



# INDEX RERUM.



D. Ca-

D.



E.



F.

G.



H.



I.

L.



M.



N.



Ni-

# INDEX RERUM.



FINIS.





# P. D. CHRISTOFORI GIARDÆ,

*Congregationis Cler. Reg. S. Pauli,*

## LIBERALIUM DISCIPLINARUM

# ICONES SYMBOLICÆ BIBLIOTHECÆ ALEXANDRINÆ,

*Elogiis & Explicationibus*

## ILLUSTRATÆ.

*Quibus Facultatum istarum, Iconibus, Coloribus pictis, & variis insignibus adornatis adumbratarum, vim & splendorem, earundemque Majestatem exprimit exhibetque.*

Editio Novissima, priori nitidior & purior.






*LUGDUNI BATAVORUM,*

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

*Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.*

# LECTORI ÆQUO
## TYPOGRAPHUS S.

Pusculum hoc, quod semel tantum, anno scilicet MDCXXVIII. typis penes *Joannem Baptistam Bidellium* in 4to prodiit, & a nobis nunc secunda vice repetitum, te, Benevole Lector, serena fronte accepturum spero. In eo Icones sedecim LIBERALIUM DISCIPLINARUM Symbolicæ continentur, quæ scriniis Bibliothecæ Alexandrinæ sub custodia mancipatæ delituerunt, per *Christophorum* autem *Giardam*, anno ut supra, erutæ & redemptæ publici juris sunt factæ. Has Elogiis & Explicationibus ideo illustravit, ut nostri seculi hominibus Disciplinarum istarum splendorem & Majestatem, coloribus & insignibus variis adumbratam, monstraret & ostenderet. Nihil in illis est non erudito ac diligenti viro dignum; itaque ob peritiam suam in illis illustrandis testatam inter præclaros scriptores apud posteros nomen sibi paravit. Nos in iterando Icones quatuor tabellis exsculpendas fecimus, & ad paginas, in quibus Icon prima cujuscunque tabellæ occurrit, retulimus, in paginarum autem marginibus breviter notavimus, ubi cæteras imagines invenire possis. Paginas supra memoratæ Editionis etiam in oris nostræ adjecimus. Indices quoque, *Disciplinarum* in fronte, Rerum autem in calce addidimus. In reliquis, exceptis mendis, quibus nostram Editionem purgavimus, auctorem stricte secuti sumus. Fruere his & vale.

---

## ILLUSTRISSIMO D. D. COL.
# JO. BAPTISTÆ TROTTO
## MAGISTRATUS ORDINARII REGIO,
### ET INTEGERRIMO PRÆSIDI.

CHATEM, *seu Dactiliothecam invenimus, Præses Illustrissime, non illum* Pyrrhi, *neque vero illum* Pompeji, *sed magni alterius, & regii prorsus animi. illum quidem suo natura ingenio cælaverat; hunc vero ars sua industria perfecit. in illo Musas omnes suis decoras plectris, medium Apollinem cum Cythara vidisses; in hoc liberalium disciplinarum Icones Symbolicas elegantissime pictas non invitus spectes. nam Dactiliothecam affinitas nominis in Bibliothecam facile mutavit. Illam enim vero, quæ fuerat Regis* Mithridatis, *in Capitolio Romanæ Magnificentiæ* Pompejus *dicavit: hanc autem, quam suis paraverat studiis, Charitum Præsul in Collegio Alexandrino Clericis Regularibus S. Pauli tui amantissimis devovit. Consueverunt gemmæ Principibus maximis, Dactiliothecæ sapientissimis hominibus dicari; hæc, seu gemma, seu sit Dactiliotheca, omnibus de causis debuit tuo insigniri, ac præmuniri nomine Bibliotheca, si enim gemma, quod aliud scrinium tuo sapientissimo pectore nobilius? sin Dactiliotheca, quam aliam gemmam tua mente eruditissima pretiosiorem exoptet? nam, quæ* Mediolani *nata, dicitur nihilominus Alexandrina, vindicem sibi parare neminem illo aptiorem potuit, quem e clarissimo stipite* Alexandria *genuit,* Mediolanum *è Senatorio genere suscepit, plenum illius ardoris, & animi, à quo suam magnitudinem* Alexander *invenit. porro Integerrimi Præsidis olim ejusdem magistratus e sapientissimo filio neptis Bibliotheca an potuit melius collocari in matrimonium honoris, quam si ei donaretur, qui non multos post annos ejusdem Præsidis & virtuti, & dignitati successit? quod si Musas gratissimo hospitio exceptas ab* Herodoto *litteris consignatum est; illiberaliter faceret, si quis forte crederet Iconibus Symbolicis aditum fore difficilem ad eum Præsidem, ejus in animo liberales disciplinæ domicilium sibi æternum jam pridem delegerunt. Illa tantum reliqua est dubitatio, ne minus idcirco grata sit, quia mittitur ab egenis pupillis. Sed, ò Dulcem providentiam æterni numinis, dum te unum ex amplissimo ordine delegimus, cui hanc Bibliothecam mitteremus, in pupillorum, & viduarum parentem beata nescio qua sorte incidimus.*

*Quamobrem neque Pietas, neque humanitas, quæ duæ in te singulares prorsus, & admirabiles sunt, precibus à nobis diutius fatigandæ. ut enim illa, vel nulla evocata oratione pupillorum, & viduæ defensioni; ita hæc liberalium disciplinarum venienti choro, & Agmini benignior occurret. Vale.*

Tuæ Dominationis

servi humillimi

Hæredes Melchioris Malatestæ Pupilli.

# PRÆFATIO PRIORIS EDITIONIS
## AD
# CANDIDUM LECTOREM.


ABES, Candide Lector, brevi hoc opere, tanquam *Homeri* nunc liberalium disciplinarum simul conclusas Icones Symbolicas, Elogia, Explicationes. Hæ quidem postremæ longiori oratione scientiarum, & artium naturam mentibus exprimunt; media breviori, sed tamen grandiori stylo eandem animis innuunt; primæ verò illæ varia, & multiplici figurarum supellectile oculis pænè subjiciunt. Quamobrem Icones Symbolicas sic intuere, ut in his tamquam cælestibus in speculis emicantem pulcherrimam facultatum vim, & splendorem contempleris. Elogia sic lege, ut earundem Majestatem non sublimiter expressam (nulla enim, verborum magnitudine satis exprimi nunquam posset) sed minus demisse adumbratam recorderis. Explicationes eò percurre, quò sunt animo propositæ. Illud enim hac in re meum fuit consilium, ut si minus cum Aquilis volitarem altius, ne saltem cum corvis avibus prorsus humi serperem. Verum ita me attollerem Iconum Symbolicarum explicatione, ut medium, & proindè regium iter tenerem. Nam, qui ad hoc usque tempus res Symbolicas litteris consignarunt, hi omnes, non tam verborum splendori, quàm rerum studuisse pulchritudini videntur. Mihi enim vero, dum has explicationes in mentis utero conciperem, tam ornamenti, quam rei exornandæ delectus arrisit. Semper enim judicavi hominis esse & suo, & alieno ingenio abutentis, ita suas cogitationes, licet præclarissimas, scriptis mandare, ut ad eas legendas nulla voluptate Lectorem invitaret. Neque tamen illorum authorum natio florentissima mihi est omninò amica, quos nimia florum cupiditas à fructibus avertit. Qui sua scriptione cedros æmulantur, ut conspiratione gratissima flores fructibus decorem, fruges floribus honorem concilient: illos ego non solum mihi legendos præ aliis deligo; sed, ut idem alii efficiant, pro viribus contendo.

Cæterum, quas legis, explicationes, abortivæ sunt; non modò, ut artis Poeticæ Magister præceperat, nonum in annum pressæ; sed ne quidem nonum in mensem dilatæ, cum tamen novem Lunæ cursibus maturitatem humanis partibus afferri sciamus. Abortum provocarunt Sacra Congregationis nostræ comitia, quæ hoc anno *Mediolani* in Collegio Sancti *Barnabæ* habita sunt. Cum enim scirem rationi, ac fidei eam legem, & consuetudinem accessisse, ut qui litterarum magisterium profitentur Comitiorum tempore aliqua ingenii significatione gratificarentur patribus, qui ad illa ex omnibus locis confluxere; nec haberem quid in oculis conspectuque illorum dignum ipsis statuerem, ad hunc me Portum contuli.

Intellexeram *Alexandrinæ* Bibliothecæ, celeberrimæ illius, & antiquissimæ, quæ *Alexandriæ* incendio periit, heredis, nunc quidem nomine, & spe, aliquando etiam (opinor) ipsa re, munus planè regium ab Illustrissimo Don *Corolo Bossio* factum huic nostro Collegio *Alexandrino* vehementissimè omnibus gratum esse. multitudo, varietas, delectus, ordo, similis omnium ornatus, pulchritudo voluminum, quæ in illa continentur, facilè persuadebant. Adjecti duo maximi globi, Terræ alter, alter Cæli, & Sanctissimorum, Sapientissimorumque virorum Tabulæ, quorum insignes animæ in iisdem libris loquuntur, dubitationem omnem auferebant.

Huc ego vix oculos corporis, multoque magis illos animi Sapientiæ cupidos inflexi, cum liberalium disciplinarum Icones Symbolicæ in ipsius Bibliothecæ scriniis expressæ, iis me vocibus tacitè compellarunt. Quas vides coloribus pictas, variis insignibus decoras in hac medica animorum officina vigiles excubare: illæ nos sumus Filiæ numinis, cælo delapsæ, ingeniorum Cultrices LIBERALES DISCIPLINÆ. Huc nos ejus munificentissima liberalitas attraxit, qui sui pectoris honestissimum Templum nobis semper apertissimum esse voluit. Cæterum, uti maximè laudabiles eos reddimus, quos nostris muneribus cumulamus, ita nostræ dignitatis emblemata à te vellemus explicari, ut laudatæ nosceremur magis, amaremurve. Nam illud pollicemur te relaturum plus ornamenti, quàm collaturum.

Detrectandi oneris causas afferenti, difficultatem tantæ provinciæ, ingenii tenuitatem, inconcinnitatem styli, angustias temporis subingressæ, illicò responderunt; suæ liberalitati a me notam inuri, qui dubitarem, ne singulæ præstò essent ad suas ipsarum laudes breviter explicandas.

Excusantem iterum, quod ii sint hominum mores, ut curiosius inquirant in alienis libris quod vituperent, quam quid laudent, acri oculorum supercilio redarguerunt, quod hominum judicia quàm ipsarum pluris facerem. Nobis enim Magistris, & Ducibus nihil prorsus timendum. ingenio, si tardum est alas; sin aridum, auctorem Caballini fontis pedem admovebimus. Denique tuum erga nos studium ostendisse, satis plane operi tuo fecisse est. Itaque his consiliis impulsus Quadragesima ineunte has explicationes apparavi, pœnè media suscepi, quindecim à Paschatis diebus confeci, & publicè recitandas curavi. Publicus omnium sapor, qui easdem audiere, coegit, ut eorundem votis, & postulationibus responderem, qui me omnes rogarunt, ut quas semel auribus bibissent, non sine voluptate, illas oculis sæpius perlegendas, ac degustandas transmitterem. feci sat citò, magis autem, quàm sat malè. Verùm gratificandi aliis cupiditas, si quæ inest culpa, veniam promeretur, alienam enim quisquis voluptatem, & voluntatem suæ gloriæ anteponit, is profectò, si minus laudem obtinet, justam saltem vituperationem effugit.

---

D. Eliseus Turrianus Congregationis Cler. Reg. S. Pauli in Capitulo Generalis Præses.

*Cum Opusculum inscriptum, Icones Symbolicæ Bibliothecæ Alexandrinæ, à P. D. Christoforo Giarda Congregationis nostræ Theologo compositum, duo ejusdem Congregationis eruditi viri, quibus id commisimus, recognoverint, atque in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si Superioribus, quibus id competit, ità placuerit. In quorum fidem has manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Mediol. die 13. Maji 1626.*

D. Eliseus Turrianus Præses.

---

IMPRIMATUR.

*Fr. Paulus Maria Ritius de Garrexio Sac. Theol. Lect. & Provicarius Sancti Officii Mediolani.*
*Hier. Septala Can. Ord. Pœnit. pro Illustrissimo Card. Archiep.*
*V. Saccus pro Excellentiss. Senatu.*

---

# INDEX

*Liberalium Disciplinarum, quarum Icones Symbolicæ hoc in libello explicantur.*



CHRI-

# 1 CHRISTOFORI GIARDÆ LIBERALIUM DISCIPLINARUM ICONES SYMBOLICÆ.

## PROLUSIO.



Um omnis de ſcientia, & virtute doctrina hominibus eſt utilis, tum longe omnium maxime Imaginum ſymbolicarum Inventrix, & Architecta, cujus beneficio animus è cælo in hanc obſcuriſſimam corporis ſpecum depreſſus, ſuiſque in actionibus miniſterio ſenſuum addictus, virtutum, & ſcientiarum pulchritudinem, & formam ab omni licet materia ſecretam, coloribus tamen adumbratam ſi minus perfecte expreſſam intuendo, in amorem, & illarum cupiditatem vehementius excitatur. Amor enim cognitionem, tamquam parentem amplexatur ſuam, cui, niſi per intimam conjunctionem, pulchrum, & bonum nubant, pulcherrimam amoris prolem in cujuſpiam mente nunquam procreant. Quid autem, aut à natura pulchrius fictum, aut ab immortali Deo conceſ-
2 ſum melius ipſius virtutibus, & ſcientiis? quæ ſi oculis, ut res aliæ, cernerentur, profecto tam admirabiles ſui amores in omnium cordibus gignerent, ut ſpretis voluptatibus, dominandi libidine neglecta, extincta divitiarum cupiditate ad illarum proſecutionem omnes convolarent. Nunc autem ſcientiæ, rerum cognoſcendarum Dominæ, ac Reginæ, agendarum vero Judices, & Arbitræ, quamquam ejus ſint naturæ, ut ſua luce, non minora ſolum aſtra, verum ipſum etiam Solem in contentionem adductæ inumbrarent: mens nihil ominus humana domicilio corporis incluſa, noctuæ perſimilis, immenſum ſplendorem haud poteſt irretortis oculis ſuſtinere. Eſt enim mens oculus animi. Itaque, quemadmodum ignis, ſi craſſioris hujus materiæ paſtu alatur, à nobis videtur; ſin ſuam in patriam purior remearit, omnem effugit ſua puritate oculorum aciem: ita prorſus nobiliſſimæ artes, & diſciplinæ abſtractæ ſenſibus, quo ſunt in ſe clariores, eo a nobis minus cognoſcuntur, concretæ autem ratione aliqua, & præcellenti colorum temperamento noſtris mentibus accommodatæ, facilius, melius, clarius ſuſpiciuntur. Quod ſi una omnium ſapientiſſimorum virorum conſpiratione, & ſuffragio amari minime id poteſt, quod, aut ratione, aut ſenſu aliquo non cognoſcitur; cognoſci autem ſenſibus nihil poteſt, quod non ſit veluti corpus, nihil intelligi mente ſic depreſſâ, quod non habeat corporis ſimilitudinem; quis eſt, qui ſatis æſtimet, quantum iis debeamus, qui, dum ſcientias ipſas, & artes præclariſſimas imaginibus expreſſerunt, illud ſunt aſſecuti, non modo, ut illas cognoſceremus, ſed ut oculis quodammodo intueremur, verſaremur ſimul, atque cum ipſis pæne familiariter variis de rebus colloqueremur.

3 Bene de ſacrarum literarum monumentis meritus eſt *Moyſes*, qui illas primus à Deo accepit, & tabulis conſignatas ad omnem poſteritatem tranſmiſit. Magiſtrum ſententiarum omnis Theologorum ſchola ad cælum uſque ſuſtollit, quod ante alios omnes doctrinam cælo ſubmiſſam ad ſeve-
A riorem diſputationis methodum revocarit. Nam ſapientiſſimis legum latoribus, divinos honores à populis decretos variis legimus, quod ſuas urbes melioribus temperarint inſtitutis. Quis enim ignoret *Socratem*, eam potiſſimum ob cauſam, ſapientiſſimum virorum *Apollinis* oraculo declaratum, quod princeps è cælo philoſophiam evocaſſe crederetur? Ut interim omittam *Æſculapium* medicæ artis inventorem, quem tamquam numen antiquitas omnis venerata eſt: Quo in honore Chirurgorum parens *Chyron*, qui etiam huic arti nomen dedit, ab omnibus ſemper habitus eſt?
B Te vero, *Euclides*, principem ſuum profitentur Mathematici: te ſuum ducem Aſtrologi, *Ptolomæe*, vocant; tibi adhærent uni & Geometræ, & Coſmographi: Nam Architectos, non tam imitatores ſuos, quam laudatores habet *Vitruvius*. Nihil dicam, Poëſis, quemadmodum conditores tuos Deorum filios nuncuparis. Quid enim eſſe ad laudem oratoriæ facultatis illuſtrius poteſt, quam, ut *Demetrio Phalareo* eloquentiæ profeſſori ſupra trecentas ſexaginta ſtatuas *Athenienſes* ſoli excitarint? Jam hiſtoria, & hiſtoriæ ſoror eruditio dici vix poteſt, quibus laudationum generibus ſuos parentes fuerint proſequutæ. omnes
C denique quotquot unquam poſt liberalium diſciplinarum inventum genus, aut illas cogitatione animi fœcunda apud ſe concepere, conceptas, in orbem invexere, aut alieno ex capite naſcentibus ſunt obſtetricati, aut natas ſua induſtria edu- 4
carunt, educatas meliorem ad formam provexerunt, ampliſſimam ſuorum laborum mercedem, ac præmium, nominis immortalitatem retulerunt.

At enim Doctrinæ ſymbolicæ magiſtri, qui has ipſas facultates præſtantiſſimas oculis potius, quam animis ſubjiciendo, familiares illas, & quadam ratione domeſticas hominibus effecerunt, ſo-
D li omnium fraudabuntur debito laudis præconio? mihi vero, quemadmodum nulla alia videtur, aut ad doctrinam aptior, aut elegantior ad ſuavitatem, aut ad perturbationem validior, hac ipſa, quæ Icones ſymbolicas expreſſit: ita, qui primi artem hanc excogitarunt, non illos cum earumdem diſciplinarum primis auctoribus confero, ſed ipſi rerum omnium molitori, ac opifici Deo ſimillimos judico.

Viguerunt ante omnium ſæculorum memoriam, vigent, vigebuntque ſemper in mente numinis opulentiſſima filiæ ejuſdem pulcherrimæ virtutes,
E neque tamen à matre ullo modo diſtinctæ, ſapientia, bonitas, vis cunctorum effectrix, pulchritudo, juſtitia, dignitas, ac reliquæ ejuſmodi plurimæ. Quæ noſcerentur, amarenturve plurimum, digniſſimæ omnes erant: tamen, ut præ nimia ſui generis claritudine intelligi: ita prorſus ignoratæ nulla poterant ratione amari. Quid hic faceret earundem parens Deus? pati, ut tam illuſtres filiæ ab omni hominum notitia penitus ſejunctæ æternum prorſus occultæ ſuamet in luce deliteſcerent, haud videbatur decorum. eas vero in adſpectum, oculoſque mortalium adducere qui poterat id fieri, cum illinc divinarum virtu-

tum præcellens fulgor, hinc nostrorum ingeniorum crassior hebetudo vehementius officeret?

5 Dixit, ac unius prolatione Verbi quot elementa, ac in elementis, quot rerum genera, quot in terris quadrupedum species, quot formas piscium in aquis, quot in aere volucrum discrimina, quot in sphæra ignis prodigia, quot in cælo stellas, & lumina, tot quasi perfectionum suarum Icones symbolicas, semel, ac simul delineavit, effinxit, & in hac orbis Bibliotheca, nisi malis Theatro contemplandas hominibus proposuit.

Eant nunc mortales, querantur modo, negent, si possunt, aditum sibi ad rerum divinarum contemplationem facillimum patere, quando res omnes, quæ sensibus percipiuntur, illarum sunt imagines, & quamquam imperfectæ, quarum tamen adspectu, & contentione, earumdem dignitas conjici satis possit.

Mihi credite; ratione haud absimili, hospites, & quasi peregrinæ in hominum cætibus artes, & scientiæ versatæ fuissent. Nemo illas facie, pauci etiam nomine illas novissent: memoratum sæpius, repetitumque nunc philosophiæ nomen, jam eruditionis, aliarumque disciplinarum, sed vix prolatum, tamquam umbra evanuisset; neque quispiam apud se notitiam illarum retinuisset, præter eruditos, si tamen hoc eruditi homines ipsi assequuti fuissent, nisi cæleste hoc institutum symbolicarum imaginum, præstantissimam illarum naturam clarius exprimendo in oculis, animisque omnium defixisset, suavitatemque ostendendo ad earum benevolentiam, ac studium, vel imperitos pertraxisset. Quid enim est, per cælitum, hominumque fidem, quod harum optimarum, facultatum vim demonstret validius, suavius recreet, commoveat vehementius hoc ipso usu Iconum symbolicarum doctissimo, eodemque plenissimo eruditionis?

6 Cætera probationum momenta, quæ possunt afferri, & numero multa, nec virtute quidem sunt infirma; tamen acutissima ingenia, ut intelligantur, requirunt: at Icones symbolicæ occurrunt ipsæ contemplantibus, ac oculis intuentium sese ingerunt, per hos autem, se animis insinuant, declarant, quæ nam sint, antequam perquirantur, hancque suam ipsarum humanitatem adeo prudenter temperant, ut imperitis, tantum personatæ, reliquis vel mediocriter eruditis, operto vultu, omni persona exutæ videantur. Quanta porro voluptate id efficiant, ipsa si loqueretur suavitas, oratione sua haud assequeretur.

Primum enim habet hoc omnis imago, & similitudo, seu verbis efficta, seu coloribus expressa, ut auditores plurimum, spectatoresque delectet. Itaque sapientissimos Poetas, & Oratores, quorum illud munus, ac institutum est, ut in oratione suavitatem utilitati admisceant, Poeticis sæpius, ac oratoriis imaginibus usos reperimus. Deinde maximus voluptati cumulus accedit, cum est alicujus imago rei, aut personæ, quæ à nobis maxime diligatur. Tunc enim quemadmodum vicaria fungitur tacite illius munere, quæ abest, ac si adesset. Postremo, nisi vis hæc simulachris maxima indita esset, ut animos intuentium ad eorum pellicerent amorem, & imitationem, quos exprimunt: an Græci, an Romani, omnium populorum sapientissimi publicas ædes, privatasque virorum præstantissimorum imaginibus complevissent? an etiamnum Principes viri filiarum suarum, quas habent nubiles, tabulas diligenter ela-

A boratas ad alios Principes transmitterent?

Hic igitur laudare verear illorum consilium, 7 qui has artium, & scientiarum Icones symbolicas primi omnium confinxerunt. Quid enim in illis desideres, quod si haberent, appositas credere ad ostendendam cælestium virginum præstantiam, ad oblectandos spectantium animos, ad mentes omnium desiderio, ac flammis earumdem incendendas? An vim probationis? quæ sunt veluti elingues nuntiæ, mutæ interpretes, testes vero omni fide, & auctoritate dignissimæ? An voluptatis elegantiam? quod unquam perspicillum, quod speculum unquam, quis arcus in nube
B rorida effictus tanta cum intuentium voluptate Solem expressit, quanta symbolicæ imagines, perspicillis clariores, nitidiores speculis, floridiores Iride, scientiarum formas elegantissimas ostendunt? An denique perturbandorum affectuum gratiam? aureæ catenulæ, quæ ex ore Herculis profluentes dicebantur hominum, & aures, & animos vincire, ac post se vinctos trahere, si cum Iconum gratia conferantur, nullius momenti in hac trahendi arte judicentur.

Intellexere arcanum hoc ab ipsius nascentis mundi origine prisci illius sæculi homines sapientissimi, a quibus primum hic efformandarum ima-
C ginum usus profluxit, atque cunctorum sæculorum intervallis labentibus per omnium pæne auctorum nationes pervagatus ad hanc usque nostram ætatem dimanavit. Quis enim in memoria vetustatis ita peregrinatur, qui duas illas memorabiles columnas, lateritiam alteram adversus vim ignis, alteram marmoream adversus impetus aquarum excitatas olim non audierit, aut legerit, in quibus disciplinæ omnes effictæ, ac sculptæ posteris superstites transmitterentur? 8

Nam ab illis præclaram Hieroglyphicorum doctrinam, quam nos tantopere admiramur, *Æ-*
D *gyptii* mutuati sunt. quorum insistentes vestigiis *Græci*, nullam plane artem, ac disciplinam reliquerunt, quam imaginibus symbolicis non decorarint. Quod enim lapidis, aut metalli genus est, in quo illi scientiarum formas non expresserint? Quæ species coloris, quam in iisdem effingendis omiserint? Res erat, quæ non vulgarem saperet eruditionem, singularem majestatem præseferret, compleret incredibili voluptate. Cernere Græcas civitates liberali sub cælo, feraci solo, salo amico circumfusas, plenissimas signorum, imaginum, tabularum, in quibus virtutum, &
E scientiarum decor, quamquam pictus, ac fictus adeo emicaret, ut ignes castissimos in omnium oculos, perque oculos in animos omnium jacularetur, quibus inflammarentur ad illarum cultum, quas ex Iconum adspectu pulcherrimas conjecissent.

Utrum igitur sapienter illos fecisse, an imprudenter arbitramur? si imprudenter: ò sapientiæ nomen insaniens, ò demens philosophia, ò leges imperitæ, ò scientiæ omnes ignaræ, quæ sectatores suos in re tam clara, tam turpiter allucinari passæ fuissent, sin vero prudentissime illos egisse dicamus: illud etiam, quod inde sequitur, admittamus oportet, tanto illustriori laude hone-
F standum esse harum Iconum Auctorem, quanto hæc symbola omnibus, quæ circumferuntur, nobiliora, atque omni ex parte absolutiora sunt. quæ dum percurrimus, favete linguis, & animis. nam Icones non prius visas Musarum Alumni doctissimis, eruditissimisque viris breviter explanando in mentem revocamus.

TAB. I.

Fig. 1.



Scriptura Sacra.

Fig. 2.



Sacra Theologia.

Fig. 3.



Lex Canonica.

Fig. 4.



Lex Civilis.

a.

## 9 *Diſciplinarum Nobilium Numerus.*

AT è florentiſſimis nobilium diſciplinarum ordinibus, cur ſupra decem ſex tantum delectæ ſunt? quia hæ potiſſimum illæ ſunt, quæ hominum vitæ & ſuſtinendæ, & regendæ, & provehendæ non utiles non modo, verum etiam neceſſariæ communi ſententia exiſtimantur. Finis autem in omni delectu, quis neſciat, præcipue rationem haberi ſolere? Deligit Imperator milites ad peculiare certamen: deligit magiſter diſcipulos ad literariam exercitationem. Deligit Rex oratores ad legationem illuſtrem; an ex omnibus unuſquiſque illos non deligit, quos obeundis muneribus aptiores cernit? cum igitur, quemadmodum Imperatori victoria, magiſtro ſcientia, Regi gloria: ita Bibliothecæ *Alexandrinæ* Conditori propoſita fuerit pii, ac litterarii hominis ſufficiens vita, metam ab illo recte tactam fuiſſe opinari debemus, ſi has præ aliis omnibus dum accepit, Religioſis, ac eruditis vivendi rationibus ſatis plane fecit. Reliquum eſt hoc loco, ſingula ut ſingulis conferamus; ex hac enim contentione facilius perſpicietur, an ſibi univerſa reſpondeant.

10 Primum ſacris litterariis vir initiatus, ſi *Platonis* magiſterio edoctus intelligit, primum Deo, deinde rationi, ac æquitati, tum ſibi, poſtremo cæteris hominibus ſe natum eſſe, ad horum omnium officiorum debitum perſolvendum nihil hic deeſſe prorſus comperiet.

Res divinæ, tum quæ ad veram fidem, tum quæ ad caſtam Religionem, purumque ſanctiſſimi numinis cultum ſpectant, non cognoſcendæ ſolum, ſed explicandæ latius etiam, ac ſæpius ab inimicis defendendæ? Præſto adſunt duæ cæleſtes Matronæ, an Virgines? ſacra Scriptura, & ſacra Theologia, illa mater, hæc filia; divinior altera, altera paulo humanior, quæ aureo divinæ revelationis filo, inter varios hujus vitæ errores, & ambages cæca regant fideliſſime veſtigia, donec victo *Satanæ*, carniſque *Minotauro*, felicior *Theſeo*, non *Athenas* redeat victor, ſed in Cælum triumphator aſcendat.

Suum cuique, & ſæcularibus, & ſacris Principibus, ac omnibus hominibus reddendum? Non huic in *Delphos*, ut oraculum conſulat, enavigandum: hic duæ caſtiores *Sibyllæ* cæleſti lumine afflatæ, lex Civilis, & lex Canonica pro conſulentium bono veriſſime omnibus reſpondent. Nunc obſcuritas naturæ ad ingenii exercitationem illuſtranda: nunc recta morum, & optima vivendi ratio, ſibi, aliiſque præſcribenda? quid opus eſt, aut cum *Plinio*, flammarum, quæ è *Veſuvio* erumpunt, miracula curioſius perſcrutari, aut cum *Platone*, non ſine ingentibus periculis in *Ægyptum*, in *Siciliam* ſæpius navigare; cum hinc à naturali, inde a morali Philoſophia pleniſſime omnia doceantur. Atqui perfectum hominis bonum quam ſapienter, tam vere aſſerebat *Diogenes*

A mentem ſanam ſano in corpore: quid ſi hoſpite incolumi domicilium ruinas minaretur? Neque perfugium hoc deſiderari voluit, qui artem me- 11
dicam, & Chyrurgiam hunc in numerum cooptavit, quas curandis, & ſervandis corporibus Deus humaniſſime præfecit.

Jam vero Cæli, terræque cognitio, ſi abſit, difficile videtur, quin tuis in actionibus, *Niciæ Athenienſium* Ducis, & *Thaletis* Aſtrologi turpiſſimos caſus imiteris, quorum ille, cum *Syracuſas* obſideret, laborante luna, Deos indignari arbitratus, re infecta inglorius receſſit; hic cum è cælo ſervaret, in foveam ob oculos poſitam
B infeliciter prolapſus eſt. Laudandus igitur Aſtrologiæ, & Geographiæ occurſus, quarum illa nos cæli, hæc vero terræ ſpectatores efficiat.

Hic ne ſub dio, & ut ait *Venuſinus*, ſub Jove frigido pernoctemus infelicis cujuſdam Aſtrologi monet inſperata mors, qui, cum ſpectandorum ſiderum ingenti deſiderio teneretur, in aperta planitie ſolus morabatur. Aquila, quæ tunc forte teſtudinem unguibus in ſublime elatam tenebat, ſaxum diu ſpeculata, ad quod illam dimittendo, magno cum impetu frangeret, ſummi verticis os calvum, album rata lapidem, ob la-
C pidis, quam præferebat ſimilitudinem, tanta vi, & tam ſecure demiſit, ut ictu caput Aſtrologi percuſſerit, fregerit, in varias partes diſcerpſerit. Quare merito inter alias facultates Mathematica, etiam figurarum, & numerorum Magiſtra, & ædificiorum Præſes Architectura ſedem ſibi vindicarunt.

Ægre ferunt extremo pœne ſe loco ſervari Rhetorica, & Poëſis, atque illas producunt rationes, & cauſas, ob quas, licet artes ſint, pro- 12
ximos honores ſcientiis nihilominus ambiant.

Cui bono, inquiunt, maximarum, & pulcherrimarum rerum notitia pectus veluti ærarium
D complere, niſi, cum res tulerit, in privatas, publicaſque utilitates poſſis non ſine gloria erogare? Nos illæ ſumus, Nos, quæ noſtrorum ornamentorum ſplendoribus ſcientias omnes, & artes illuſtramus; Nos res omnes ſtylo proſequimur, pedeſtris altera, altera vero equeſtris, ambæ nobiles, & honeſtiſſimæ facultates. Nam Hiſtoria, & eruditio, poſt nos ſubingreſſæ idcirco ſunt, illa, ut memorabilium exemplorum copia mater eſſet prudentiæ, lumen vitæ, præſidium eloquentiæ, hæc, ut lectiſſimorum verborum, ac rerum mundum non tam muliebrem, quam viri-
E lem ubique locorum nobis ſuppeditaret. Subſtitere foris aliæ, loci anguſtias indignatæ, ac eximiæ liberalitatis oleum ſtetit, quoniam illi, quo caperetur, vas defuit. At nunc, pro domus anguſtiis anguſte hoſpitamini Muſæ; cum domus auguſta fuerit, templum, in quo præſideatis, auguſtiſſimum eſto.



## *Scripturæ Sacræ Elogium.*

. SACRA VOCOR SCRIPTVRA .

. SIMPLEX NOMEN, MVLTIPLEX OMEN .

. SCRIPTA, NON NATA .

. VIRTVTVM LITERA, VITIORVM LITVRA, .

. A DEO EXARATA, NON AB HOMINE INVENTA, .

. FILIA NVMINIS, MATER LVMINIS, .

. COLVMNA PVRIOR, PVLCHRIOR COLVMBA .

. NORMA FIDEI, SPEI REGVLA, BENEVOLENTIAE FORMA .

. QVI SEGETEM GRATIAE, QVI MESSEM GLORIAE .

. CVPIS COLLIGERE .

. ME LEGE .

13 *Iconis Symbolicæ Scripturæ Sacræ Explicatio.*

QUÆ prima tempore, utilitate prima, prima dignitate omnium artium, & scientiarum est: eadem jure principem & in hac Bibliotheca sedem, & in oratione nostra locum sibi merito vindicat Sacra Scriptura. Nam si ex *Arati* poetæ ethinici sententia ab *Jove* musarum initia sunt; certe nobis, qui diviniori sumus collustrati lumine, ut agendi, ita etiam dicendi ab ea facultate, quæ divina tota est, sunt capienda hodie primordia.

Hæc igitur, si vocis, ac linguæ donaretur usu, ita profecto loqueretur. Quid me taciti, ac hærentes intuemini? Virginem è Cælo demissam, cælestis formæ, verum ingenuæ, modesto, simplicique habitu; non fluenti, ac undanti sinu, ad mamillas præcinctam, librorum magna volumina pedibus conculcantem, læva quidem libellum, dextera vero regentem calamum, aptatis digitis in morem scribentis, caput eximium divinis circumquaque redimitum fulgoribus attollentem, capillis incomptis, ac sine lege effusis, sublatis in Cælum oculis, erectis auribus ad secreta murmura divinioris columbæ? Hic nisi quispiam indecorum existimet à profanis auctori-
14 bus ad res sacras exornandas verborum elegantiam lege repetundarum transferre, illa *Æneæ* verba mihi lubentissime usurparem, quibus matri *Spartanæ* Virginis os, ac habitum gerenti apud *Virgilium* in primo lib. Æne. v. 331. respondit.

*O quam te memorem Virgo? namque haud tibi vultus*
*Mortalis, nec vox hominem sonat; ò Dea certe,*
*Numinis an soror, an Divini sanguinis una?*
*Sis felix, nostrumque leves quæcunque laborem,*
*Et quo sub Cælo tandem, quibus orbis in oris*
*Jactemur doceas: ignari hominumque locorumque*
*Erramus, vento huc, & vastis fluctibus acti,*
*Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.*

Qui enim hominum genus ab ea civitate divitiarum, in qua collocatum ab initio fuerat, expulsum, & in hanc ærumnarum patriam miserrime detrusum reminiscitur; haud inficiabitur, cæcum nostri exilii genus *Æneæ* fuga post eversam *Trojam*, & incensam, ac maris jactatione recte declarari.

A Hæc enim vero, ut Venere castior, & pulchrior, ita etiam humanior blande mihi videtur his verbis subtexere.

Haud quidem meum genus mentiar; haud natalitiam domum, & civitatem mihi subfurabor. Ad populum phaleras aliæ. Non ego fictitia gentium *Pallas*, quam stultissimi Poetæ armatam ex *Jovis* cerebro processisse suis fabulis temere confinxerunt. Procul ò procul à me non solum nugæ, mendacia, fabulæ, sed erroris cujuscunque vel minima suspicio, ac umbra. Nam ipsius veritatis sum Mater, ac Filia. Veritas me peperit; mox in omnium mentibus ex me procreatur. me igi-
B tur videtis Cælo natam, delapsam Cælo, non alio, quam Deo gaudentem auctore; & Parente, cujus ex ore sapientissimo vere prodivi. Nam 15
uti illa *Minervæ* admirabilis origo ficta; ita hæc mea facta est. longa est annorum series, quibus procreata sum. longæ orationis ambages necessariæ forent ad omnem hanc meæ naturæ supellectilem explicandam. Verum brevitatis Amasia rerum summa fastigia tantum sequar.

Primum, qui in ore, in oculis, toto in corpore micat castimoniæ nitor, is me totius expertem maculæ, ab omni vitio liberam, æterni can-
C doris speculum sine labe arguit. quæ vero me vestis modeste ornat, ac tegit, styli genus exprimit non nimis recisum, neque diffluens, sed mediocriter collectum, ut diligentia quædam negligens, & negligentia quædam diligens in eo appareat, quæ omnium votis, ac intelligentiæ respondeat. Nodus ipse, quo fluentes sinus colligo, ejusdem styli formam præscribens, ejusmodi est, ut Veneris fabulosus ille cæstus, quo gratiam omnium conciliari stultissime veteres existimabant, etiamsi opinione sua veritati proximi fuissent, merito huic invideret. Quibus enim me vel ad tempus concessi, ii sermonem publici sa-
D poris consequuti sunt. Testis est, qui ab orationis suavitate melliflui cognomen invenit, qui, non tam ipse, quam ego per illius os videor locuta.

Neque tamen procaci, aut superbo pede subjectos humanæ mentis partus his voluminibus conclusos protero modestiæ, ac observantiæ Magistra; cæterum Imperatrix omnium disciplinarum subjectis quidem; tanquam ancillis utor; at rebelles, ac superbas justissime debello. Idcirco

co enim ſum Cælo demiſſa, veræ lucis parens, A
ut tenebras inferis emiſſas meo ſplendore diſſipa-
16 rem. Ideo æternæ veritatis Dux, & Adminiſtra
in hunc ſublunarem orbem cum imperio legata
ſum, ut omnes errorum phalanges, ac impuriſſi-
mos mendaciorum exercitus profligarem. ſin ali-
quod naturæ bonum invenirem, foverem ami-
ca, non invida contemnerem. Sin ingenii lumen
aliquod detegerem, non modo non extinguerem,
ſed magis, ac magis meo fulgore accenderem.
Qua in re illud mihi plane accidit, quod inter
olerum ſemina ſinapi contingit, ut quæ minima
omnium initio videbar, dum me Apoſtolici ſato-
res prædicatione terris omnibus committerent, B
poſtquam in mortalium cordibus radices egi, ma-
xima omnium, altiſſimaque ab omnibus judicer,
& vere ſim.

Confer, libellum hunc, quem læva ſuſtineo,
cum oratorum, cum philoſophorum libris; ſi in
ferenda ſententia molem ſpectas, vel nunc cauſ-
ſa lubens cado. Sin virtus intima extimæ moli tuo
judicio præcellit; Philoſophorum ingentes libri,
parvi; Juris peritorum innumeri codices, pauci;
oratorum, magnæ chartæ, vel à tergo ſcriptæ,
inanes; Mathematicorum immanes tabellæ, mi-
nutæ, omnium denique auctorum, qui unquam
fuerunt, ſunt, erunt, ſcripta immodica, & etiam, C
ſi plura his adjicerentur, tenuia, ac nullius ſunt
momenti, ſi mea cum vi, ac nobilitate conferan-
tur.

Neque id mihi à ſuperba Titulorum cohorte,
quam auctor in fronte præſcripſerit, importune
arrogo. commendatitiis hiſce litteris ad Benevo-
lum lectorem munitæ proficiſcantur aliæ faculta-
tes. Mihi ſat commendationis apud omnes dat
ſimplex auctoris nomen. Egregia commendatio,
quæ alias omnes in compendium mittat, tanto
17 clarior habenda, quanto verior, & ſolidior. quis
enim Deum audit, quin illico præſtantiam ope-
ris non arguat à nobilitate Auctoris? Nam ſan- D
ctiſſimi, iidemque ſapientiſſimi viri, quibus ad-
ſcribor, ſcribæ ipſi, ſeu potius calami, non Prin-
cipes, aut mei conditores fuerunt. ſcripſere ho-
mines, Numen dictavit. Itaque ob hanc etiam
cauſam in Cælum oculos ſuſtollo, ut locum in-
dicem, unde nanciſcor lumen, quod ſapientiſſimo
è capite, in radiorum ſimilitudinem circumqua-
que vibrans Soli me ſimillimam reddit. Aures eri-
go ad ſuſſurrantis columbæ ſecretum murmur,
quo divini ſpiritus cæleſtis revelatio adumbratur.
Felix columba, fortunata volucris, avis beata,
cui olor cedat, invideat pavo, luſcinia non con- E
tendat, quam Aquila, quam Phœnix ipſa neſcio
quodam livore admiretur. Ergo, dum mihi in
aurem ſuſurras, cæleſtem declaras afflatum, quo
viam monſtrante, & dirigente per ſanctiſſimum
veritatis callem ſemper recta gradior, nec un-
guem quidem ab illa in alteram partem unquam
deflecto. Nam commutatis, ac perturbatis omni-
bus naturæ legibus, quæ ſemper Cælum petit
flamma, potius deorſum feretur, ac ſuis ponde-
ribus in altum tellus librabitur; potius impoſitas
ſibi à Deo leges tranſilient undæ, & ad ſuos
fontes recurrent; obliquum ſignorum ordinem,
in quo ſibi currendum ex Imperio Numinis in- F
telligit, potius Sol deſeret, quam, ut ipſa ab eo,
quod cæpi, divinæ, ejuſdemque certiſſimæ veri-
tatis magiſterio, ullo aut loco, aut tempore, aut
cauſa, aut ullam ob rem tranſverſum agi poſſim.
Abſunt à me, quæ adſunt aliis ſcientiis cauſſæ, qui-
bus non ortum maculant ſolum, ſed etiam progreſ-
ſum omnem. Nam, ut arborum fructus vitiatæ
18 radicis ſigna referunt, & filii debiles parentum
imminutum vigorem teſtantur; ratione haud ab-
ſimili ingeniorum fœtus auctorum vitia contra-
hunt. Etenim ab hominis ingenio quod eſt maxi-
me imperfectum quid eſſe poterat ab omni parte
perfectum?

Tu mihi ingenium aſſeris, cui ſcientiarum, &
virtutum ſemina ab initio natura prorſus nulla
crediderit, conceſſerit tamen igniculos quoſdam,
quos, niſi malis moribus, pravisque opinionibus
maturius extinxiſſet, veritatem ſine labore per-
cepiſſet; ingenium, quod antiqui ſceleris pœna,
ignorationis atra caligine circumſepſerit, violen-
tis perturbationum, odii, amoris, iræ, aliarum
que tamquam furiis obſederit; ab hoc deinde vis
putem gigni poſſe liberos ingenuos, nobiles, ſa-
pientiæ, ac veritatis amantiſſimos?

Videte, cum humanis diſciplinis quam agam
humaniter, Nuntia divinitatis. Principis auctori-
tas, qui me legavit, tanta eſt, ut vel ipſius di-
cto firmiſſime ſit adhærendum, ſtandumque. At-
tamen, cum iiſdem nolo auctoritate contendere,
pugnabo ratione, & ita pugnabo, ut victas, &
ſuperatas ſe ipſæ fateantur.

Primum enim meta illis propoſita, niſi aber-
rent, eſt felicitas temporaria: mihi vero Beati-
tudo animorum æterna: illæ res caducas; ego
nunquam intermorituras. terrenas illæ; cæleſtes
ego. illæ humanas contemplantur; ego altiſſimas,
& plane divinas.

At enim vero lumen illæ ſecurius reſpiciunt,
tutiorem in hac inveniendæ veritatis navigatione
omni Cynoſuram ſequuntur? An ventos tam va-
rios, tam diſſidentes inter ſe, & contrarios *Ho-
merus* excogitavit, ut *Ulyſſi* tot errores probabi-
liter affingeret, in quot homines impegêre, dum
ignoratione Duce, Comite ſuperbia in ampliſſimo 19
ſcribendarum rerum Oceano remis, veliſque
omnibus navigarunt? ſed tolerandi adhuc eſſent,
ſi poſt tot caſus, poſt tot diſcrimina, aureum
vellus veritatis, ut Argonautæ, reportaſſent:
nunc quis illos ferat, cum *Plato* poſt immenſos,
& diuturnos labores, eam ipſam, cujus deſiderio
tantopere flagrabat, veritatem in ſpecu obſcura
concluſam aſſerat; cum alii eidem oculos, vel-
uti cornici inhumaniter perfodiant; cum *Demo-
critus* crudelior omnibus in altiſſimum puteum
præcipitem eandem mittat?

Ego, quæ nihil temporis contrivi in verbis cu-
dendis, in iiſdem, quaſi monilis aurei conjun-
gendis annulis nihil laboris inſumpſi, nihil in
argumentis illuſoriæ artis prorſus adhibui, tamen
in obſcuris clara, in ambiguis certa, in humili-
bus ſublimis, in maximis plana, in arduis facilis,
in facilibus digna, in omnibus decora, honeſta,
perfecta, communem, & omnibus gratiſſimum
ſaporem aſſecuta ſum. Me pueri legunt, intelli-
gunt viri, ſenes conſulunt. Ego lac parvulis;
mel viris palati delicatioris; panis hominibus va-
lidis; invalidis medicina; in occaſum vergenti-
bus vinum.

A me ignari peritiam, ſapientiam docti, mode-
ſtiam divites, egeni tolerantiam, virtutem clari,
obſcuri nobilitatem, plebs ſubjectionem, obſe-
quium miles, ſenatus prudentiam, veram admi-
niſtrandi rationem Princeps refert. Venio ad
emblemata ſimilitudinum quibus me plures exor-
narunt; tellus frugum, & metallorum ferax mi-
hi collata ſterilis judicata eſt. non enim omnis fert
omnia tellus. Atqui ego ſub unius literæ cortice
omnes ſenſus perfectiſſime complector. Alii Occa-
num undarum, & gemmarum ditiſſimum pa-
rentem mecum in contentionem adductum ino- 20
pem, & egenum arbitrati ſunt. Plura enim ex
me volumina, quam ab illo flumina profluxerunt.
Aërem non pauci, quo vivunt homines, haud
tam neceſſarium exiſtimarunt; quam mea ſit o-
mnibus doctrina ad divinioris vitæ genus ſuſtinen-

 dum.

dum. me ignem plures non clam subductum, unde magna febrium cohors terris incubuisse falso dicta, creditaque est, sed ab ipso numinis pectore, tanquam ab æterni amoris plenissima fornace delapsum ad inflammandos mortalium animos probarunt, ut nemo jam sit, qui me pulchriorem animis, quam flamma sit oculis; utiliorem probandis, purgandisque mentibus, quam sit ignis metallis, ardentiorem incendendis cordibus,quam corporibus exurendis sit ejusdem elementi vigor, & apud se non sentiat ingenue, & apud alios libere non prædicet. Neque iis, quamquam amplissimis regionibus præclaram laudum mearum seriem concluserunt.

Nam, inquiunt, non quemadmodum Reges cupidissimos reperiendæ originis *Nili* celeberrimi fluminis asperitas viarum, & difficultas ab incepto revocavit: ita nos à prosequendis tuis immensis laudibus cælorum sublimitas retardabit, clarissima scientiarum Imperatrix. quin tuis pennis subnixi, te usque ad eum, à quo profluxisti, divinitatis fontem cælestibus argumentis decore comitabimur.

Quid enim nobis opus est luna menstruis defectibus laborante, qui te semper plenam suspicimus? quid terræ umbras patiente, qui te nullis terrenis casibus subjectam habemus? quid lucente aliena tantum luce, qui te, non emendicata, sed tua splendentem videmus? quid inconstanti,
21 ac erratica, qui te firmam, gravem, fixam singulari numinis beneficio possidemus? Nam eloquentiæ Præses Mercuri, quæ de te fabula narrabatur, projecta virga aurea duos inter serpentes trisulcis linguis rixantes repente illos ad concordiam, amicitiamque revocasse, unde pacis insigne Caduceus apud Græcos habitus est, verissima minorem historia fateare, quæ ab hac cælestis facundiæ Diva, non semel, atque iterum, sed millies quotidie frequentissima inimicorum conciliatione perficitur.

At tu amoris sidus, & pulchritudinis, seu So-
A lem præeas lucifer, seu Hesperus eundem subsequaris, ne tibi, ne nimium placeas, quando hæc non solum pulchrior, sed multo honestior Virgo ipsum, cui modo præfers, nunc post gradum facis, sua claritate Principem lucis inumbrat. Quod si eadem natura sideribus quæ militibus, ut quemadmodum hi, Duce sublato, cuncti statim aufugiunt: ita devicto Sole, astra illico recondantur: non suus Martem bellicus furor, cum armorum Regina in singulare certamen ad probandam, ostendendamque fortitudinem adducat; non Jovem auxiliaria virtus, à qua nomen invenit, in
B salubritatis disceptationem; non sua tarditas Saturnum in contentionem prudentiæ; non ordo pulcherrimus stellarum Cælum illud, in quo illa sita sunt, in ornamentorum comparationem; non denique omnium reliquarum motricem sphæram, in hujus virtutis probationem vis illa trahat omnium rapidissima. Quid pluribus?

Domui, quæ te genuit, altissimæ omnium, quæ plus accipit ornamenti à Domino, quam conferat, es simillima; ambæ enim ardentioris estis naturæ; ambæ pulcherrimæ, ambæ plenissimæ incolarum, quin ambæ sedes numinis: nisi, quod 22
altera clarior, tu paulo obscurior; Beatorum illa,
C tu viatorum: altera quiescit, tu graderis. Itaque in eam delabor sententiam, ut non tam sis aula, quam Dei Rheda. Persuadent animantes mysticæ quatuor Evangeliorum conditoribus, qui tibi comites assistunt, vel tuo judicio sapienter attributæ, duoque Reges sanctissimi, ac sapientissimi *David*, & *Salomon*, de quibus, uti es optime merita, ita illi vices rependunt gratissimi dum ovantem insoliti gaudii significationibus maximis prosequuntur. At tu Cæli prior, seu aula, seu verior Dei es Rheda, illud precamur, ut cælestis dominationis arcana ne claudas, utque tuis quadrigis, quibus vera salus promittitur, subla-
D tos opportuno tempore in Cælum transferas.

Icon. vid. Fig. 2. Tab. I. pag. 7.

## *Sacræ Theologiæ Elogium.*

. SAPIENTIÆ CÆLESTIS, AC HVMANÆ .

. GEMINÆ VELVT PARENTIS .

. PROPAGO BIFORMIS, NEC DEFORMIS .

. MINOR ALTERA .

. ALTERA GENITRICE MAIOR .

. THEOLOGIA .

. DIVINARVM LITERARVM IANITRIX .

. IMPERATRIX HVMANARVM .

. DEBELLATRIX HÆRESVM .

. CATHOLICORVM DOGMATVM PROTECTRIX .

. HOMINIS LAVREA, NVMINIS LINGVA .

. QVAM HÆRETICIS FORMIDANDVM .

. IMPERII TVI SCEPTRVM .

. TAM CATHOLICIS AMANDVM .

. TVI SACRAMENTI POCVLVM .

Ico-

23 *Iconis Symbolicæ Sacræ Theologiæ Explicatio.*

QUAS Deus conjunxit, homo non ſeparet. Conjunxit plane haſce duas facultatum Reginas, & arctiſſimo vinculo conjunxit Numen verax, non homo mendax. Quod enim arctius vinculum, quam ſervam inter, ac Dominam, magiſtram, & diſcipulam, matrem inter, ac filiam? Sacra Theologia, ſi cæleſtis ſcripturæ divinitas ſpectetur, ſerva; ſi oraculum, & magiſterium, Diſcipula; ſi generationis ordo, ac ſeries, ejuſdem filia merito habenda eſt. Sacræ Scripturæ ad nutum in omnibus ſemper obſequi, ingenuæ ſervitutis eſt; pendere ab ejuſdem docentis ore, ſeverioris diſciplinæ eſt: ab illa proficiſci, in naturæ ſimilitudinem, & formam, ea demum perfecta filiatio eſt.

Quiſquis igitur Dominam admiratus es, ſervam ne deſpice: quiſquis attentas aures magiſtræ præbuiſti, diſcipulam audi: quiſquis ornamenta matris curioſius inſpexiſti, ſacrum, ac humaniſſimum ornamentorum filiæ mundum contemplare.

Reginam indicant inſignia plane Regia, ſceptrum, quod præfert læva, & aureum, quod regio capite ſuſtinet, Diadema. Cæleſte porro
24 illius genus arguit lux cæleſtis, quæ inoffenſa Virginis tempora, ſuis ſplendoribus circumlambens dum velat, revelat. acceptam è Cælo lucem, oculis in terram defixis, videtur in mortales, quibus docendis, & illuſtrandis eandem accepit, regerere. Quibus calicem aureum crucis ſigno nobilitatum dextera oſtentans ad divinorum arcanorum communicationem invitat. Nam veſtis infra latior ad pedes, arctior vero ſupra ad mamillas ſtyli diſcrimen adumbrat, quo nunc ad Chriſtianum populum ſacris fidei documentis imbuendum uberiori, & latiori in concionibus, nunc in ſcholis ad ſuorum alumnorum mentes peritius erudiendas preſſiori, ac limatiori uſa eſt. At ſepticeps Draco, quid incaſſum venenata attollis capita, invictæ Virginis pede ſuppreſſus? erunt hæreſes, donec fides; verum, donec erunt hæreſes, infectas illarum radices, & peſtifera capita conterat Sacra Theologia.

Sic enim cum ſapientiſſimis viris ſtatuere debemus, præter Sacras, ac divites litteras, quas è Cælo dedit ad nos Deus, præter diſciplinas, quas varias, ac multiplices hominum ingeniis excogitatas, natas, auctas, expolitas, perfectas multis laboribus, ac induſtria ſcimus, hanc etiam ſcientiam neceſſariam prorſus fuiſſe, quæ primas illas explicaret, has vero extremas, multis erroribus expurgaret, regereret in multis, in omnibus perficeret.

Nam divinarum litterarum altius profundum quis, niſi ventis ludibrium, fluctibus jocum, piſcibus cibum deberet, ingenii ſui cymba ingreſſus ſecure umquam fuiſſet, ſi ad clavum omni inſtructior nauta non ſediſſet cæli, mariſque plagarum omnium peritiſſima gubernatrix Theologia? an qui ſine illius conſilio, & regimine ſol-
25 verunt à littore, ſacram navigationem adorti, omnes, aut in fide non ſunt naufragati, aut pro ſanis optimorum conſiliorum mercibus peſtiferas, & inſanas opiniones ex ipſo mari ſacrarum litterarum non ſunt expiſcati? neque enim natura prodigiorum mater ad ſuorum diſcrimen operum tot in undis ſcopulos, tot ſyrtes, tot inſulas, ac promontoria, neque tot ventorum genera inimica, & inter ſe contraria ad marinæ plebis fluctus, & ſeditiones excitandas conſtituit, quot Numinis providentia, occultis quidem, verum ſapientiſſimis, iiſdemque juſtiſſimis de cauſis impulſa, locos arduos, & difficillimos in ſcripturis ad inge-

A niorum exercitationem, & tentamentum fidei reliquit. quibus collatæ Charybdis, & Scylla, faciles; Syrtes, nullo modo pertimeſcendæ; æſtus maritimi, optabiles; in quibus enavigandis doctiſſimarum frontium labor, & induſtria deſudaret.

Quod, ſi quis navi ſe crederet orbatæ velis, remis deſtitutæ, nudatæ omnibus præſidiis, quæ felix navigatio requirit, ſine nauta, ſine Tabula Regionum obſervandarum magiſtra, ſine annona, ſine magnete poli certiſſima indice, ſolus abſque comite, ſolus abſque ſocio, ſuo tantum
B nixus ingenio, quid, hunc ſapientem homines, an inſipientem exiſtimarent? ſi ſapientem; inſanirent ipſi, qui perturbata nominum æquiſſima ratione, inſipienti ſapientis nomen adſcriberent. Sin vero inſipientem, quod ſine cauſa in extremum diſcrimen rem, corpus, animum, felicitatem ſuam adducat: dubitatur adhuc, ſapientes, an inſipientes fuerint hæreſum parentes nefandi, qui in ſacrarum literarum explanatione, ſuorum ingeniorum erraticis, divulſiſque puppibus fiderunt adeo, ut neque divinæ revelationis Cyno- 26
ſuram reſpexerint. neque divini ſpiritus auram explorarint, neque ſanctiſſimis afflatibus captandis
C ſuarum mentium vela expanderint, neque remos cæleſtium donorum inſtruxerint, neque Patres eruditiſſimos, hocque in genere præſtantiſſimos ſecum voluerint, neque Sacram Theologiam admiſerint, quæ, dum exponendorum locorum legitimam methodum præſcribit, ſacræ hujus navigationis tabula recte dici poteſt; dum mentem exponentis regit, & quo illam cunque vult ducit, ac deducit, nauta; dum ipſo in curſu procellas inter, ac tempeſtates maximarum difficultatum recreat, annona; dum eccleſiam, veritatis magiſtram, & tamquam polum immobilem in omni diſputatione reſpicit, magnes cæleſtis, haud
D dedecet ut appelletur?

Mihi vero non feliciter minus, quam ſapienter ſuam illi navigationem videntur inſtituiſſe, qui te in omnibus Arbitra, ac Duce, emenſo humanæ contemplationis pelago, in Oceanum divinitatis expedite penetrarunt, mutatiſque remorum, & velorum ordinibus, quemadmodum qui noſtris oppoſitum pedibus mare ingrediuntur, non tam rationi, quam fidei, non tam humanæ, quam auctoritati divinæ ſemper obſecundantes, novos orbes, eoſque cæleſtium divitiarum pleniſſimos, ſacris in litteris detexerunt, recluſerunt,
E facillimum ad illos aditum omnibus reſerarunt.

Neque ſuis ſe in Cælum ſuſtollat gloriæ alis *Chriſtophorus Columbus*, qui ſpreto *Herculis* Imperio, ne *Gaditani* freti columnas plus ultra quiſpiam auderet, conſulentis, ut Columba volucrum prima olivæ vireſcentem ramum in arcam detulit, argumentum ſerenitatis, & pacis: ita primus mortalium remis, non pennis delatus, ſui inter- 27
pretationem nominis complevit, ac Chriſtum novo orbi ſua navigatione primus invexit. Sed neque navis illa, quæ deinde totum orbem permenſa Victoriæ nomen obtinuit, tanquam immenſi maris victrix, ac dominatrix ſuperbiat. longe enim
F minus eſt, quod à vobis terræ optatum eſt, quam quod à Cæli ſacris Argonautis detectum, recluſumque eſt.

Quid? cæleſtis ſolum diſciplina ſacrarum litterarum tantæ interpretis magiſterio, ac voce, ut hominibus explanaretur, indigebat, reliquæ vero à mortalibus inventæ facultates, ſuis contentæ adjumentis, nihil præterea ad ſuam perfectionem requirebant? ecquis hoc dicat, niſi plane deſipiat? eſt enim id veriſſimum, quod tamquam aliquid incredibile putantur affirmare homines doctiſſimi, cum, qui animo Sacram Theologiam per-

percepiſſet, reliquas omnes diſciplinas, tutius aſſequi, intelligere facilius, melius amplecti. Quantam enim ſecuritatem attulit multis, maximiſque rebus, quæ antea dubiæ videbantur? quam porro iter ad ſcientias facile, & planum reddidit, dum innumeros errores ſuſtulit, quibus ſtudioſorum animi ſine fructu, immo non ſine magni laboris, & temporis jactura detinebantur? Etenim, poſtquam rebelles ancillæ ad hujus Reginæ obſequium, ac imperium revocatæ ſunt, multo ſolertiori diligentia comparantur; comparatæ autem longi illuſtriori cum honore ab omnibus habentur.

Antea humanæ artes, cum excuſſo jugo, ſpreta cæleſtis imperii dominatione, more *Scytharum* mulierum vagarentur, ſquallidæ, incultæ, diſcordes, ac deformes erant. Effloruerat in iis decor, elanguerat vigor, emarcuerat vis omnis, ac for-
28 ma interierat. At ubi ſceptrum hoc exoſculatæ, tamquam vitalis quædam poteſtas eo incluſa eſſet, confeſtim revixerunt, moverunt lacertos; neque ſolum; verum longe ad excellentiorem formam redierunt. Illud enim à veſtra mihi petendum eſt humanitate, ut qui pictam in tabula ſacram Theologiam pulcherrimo veſtitu, ac ornatu regali, ac ſceptro ſtantem videtis, quas tabula capere omnes non potuit, vos cogitatione veſtra exiſtimetis præſto eſſe ſcientias omnes, & artes humanas, ut ancillulas, quarum unaquæque nihil aliud agat, nullum ſuum officium ducat, niſi, ut divinæ huic Imperatrici miniſtret, & eam humiliter ſic roget (ſi modo coloribus id exprimi poteſt.)

*tuus, ò Regina, quid optas,*
*Explorare labor; mihi juſſa capeſſere fas eſt.*

Nam, ſi eo veſaniæ proceſſit *Attila Gothorum* Rex, ut *Mediolanum* ingreſſus tabulam pingi juſſerit, in qua *Romanorum* Imperatores, & cæterarum gentium Reges cernerentur, qui ante illum ſupplices provoluti ſaccos auri, argentique pleniſſimos ad ejus pedes effunderent, eaque ſignificatione, quaſi alterum Ditem opulentiæ numen profiterentur: quis, tanquam præcellentis juſtitiæ argumentum non putet, ac laudet id, quod non invite, ſed jam ſponte deferunt Reginæ nobiliſſimarum artium liberales, ac nobiles diſciplinæ?

Primum, quæ prima eſt generationis ordine, ſuæ oblationem ſervitutis auſpicatur Grammatica. Tibi, inquit, ò Imperatrix, verborum, ac nominum opifex, & fabra in eorumdem inventione, ac junctura dicendi elaboro. Excipit Poeſis,
29 meus etiam in hunc numerum procedat venuſtior ornatus. ſubſequitur eloquentia. Ecquis laborum meorum ſcopus in concinnanda oratione, quam, ut in excitandis hominum cordibus tua ſim adminiſtra? Veri, falſique diſceptatrix attexit Dialectica. Diſperéam, niſi omnes diſſerendi rationes perire omnino ſinerem, niſi intelligerem, his meam Dominam probationum generibus ad omnem quæſtionem uti. Quid venatrix arcanorum naturæ, atque indagatrix phyſica? quaſi ego pedem unquam domo efferrem, ut veritatem aliquam, tanquam feram inter vepres, & ſpinas difficultatum deliteſcentem aſſequerer, niſi ad id me tuus honeſtiſſimus famulatus impelleret. At morum arbitra facultas tanto id liberius aſſerit, quanto cognitio hæc humanarum actionum eſt divinæ proximior. Concludunt reliquæ ſimul omnes, ac una tum voce, tum animorum conſpiratione profitentur, ſe, ſi corporum tuendæ valetudini ſtudent; ſi Cælorum ſervandis motibus, ac converſionibus vacant; ſi terrarum ſitus, regionum intervalla, opportunitates locorum ſpeculantur; ſi æ-
A dium fabricandarum, ac muniendarum arcium rationem præſcribunt, ſi dictis, exempliſque antiquorum vitam informant, ſi animum hominis pretioſiſſima eruditionis ſupellectile locupletant, id omne, ut ſuæ Reginæ famulentur, libentiſſime præſtare.

Gratificatur oculis obſequentium ancillarum votis Theologia, atque his comitibus, & ſociis, mortalium genus ad tanti poculi ſacramentum deguſtandum hortatur. Cicutam, & venenum omne, quod in Calicibus *Athenienſes* propinabant, abeſſe ab hoc calice Crux ipſa ſignificat. Non enim cauſſa mortis ibi poteſt ulla eſſe, ubi dominatur
B ſignum vitæ. Parum eſt abeſſe virus niſi adſit
virtus, qua homines deguſtata in Numinis filios 30
commutentur. eſt enim Theologicæ doctrinæ poculum, non quemadmodum illud Sacræ Scripturæ prorſus merum, ſed è fide divina, atque ex humana ratione præcellenter mixtum ad alliciendos, trahendoſque hominum animos maxime accommodatum. Quibus enim ex uvis, quibus ex botris præſtantiſſimus hic liquor expreſſus eſt? potiſſimum ex eo, quem in vineis *Engaddi* natum, canticorum ſponſa ſibi gratiſſimum aſſeverat. Botrus omnium ſuaviſſimus eſt Deus, hu-
C jus botri grana innumera ejuſdem, perfectiſſimaque, ut cum Theologis loquar, ſunt attributa. Simplicitas, Perfectio, Bonitas, Immenſitas, Æternitas, Sapientia, Amor, Miſericordia, Juſtitia, virtus rerum omnium procreatrix, generandi vis, facultas ſpirandi, cæteraque ejuſmodi plura: quæ omnia, cum à natura divina profluere noſtro more intelligamus, dubitare profecto non licet poſt graviſſimum Servatoris teſtimonium, quin eadem natura divina ſit vitis: palmites vero, præter intimos, ac ejuſdem generis divinos, tot ſunt, quot ab hujus virtute rerum ſpecies profluxerunt. Palmites, ab omni materia
D ſecretæ mentes. Palmites, animæ corporibus alligatæ, rationis compotes. Palmites, ſpheræ cæleſtes. Palmites denique res aliæ omnes ſenſu præditæ, motu affectæ, vita divites, mutæ, ac inanimes.

Verum inter alias omnes, magnitudine, pulchritudine, ſuavitate, atque alia omni virtute tantum eminet palmes ille eidem naturæ divinæ in perſona Verbi cohærens, quantum inter botros ille non præſtitit, quem duo robuſtiſſimi homines è promiſſionis terra vix poterant referre.

Cum igitur Theologiæ beneficio in vnum quaſi 31
poculum coaleſcat omnis ferè liquor eius doctrinæ,
E quæ Dei naturam, vim, poteſtatem, arbitrium, felicitatem, res geſtas, ſalutem hominibus allatam, virtutes, cæleſtis gratiæ ſigna, & munera vberrime complectitur; Babylonica meretrix, quæ veluti nova Circe dementas homines, ac in feras, & animantes brutas turpiſſime commutas, projice Hæreſis, projice iniquitatis poculum, ac rationibus Theologicis plane devicta, tandem quieſce.

Quieſcam ais? (mihi enim jam videor Hæreſim loquentem audire) quieſcere, neque, ſi vellem, poſſem, neque, ſi poſſem, vellem, neque, ſi vellem, & poſſem, deberem. A parentibus ir-
F requietis ſum procreata, irrequietæ nutricis magiſterio educata, ad quietem perturbandam nata, & facta, vis deinde quieſcam?

Quieſcet ante rerum inimicarum vis, & rabies omnis; antea frigus calori, caligo luci, peſtis valetudini, interitus ortui, amicum erit vitium virtuti, quam ut odia unquam deponam mea, & inviſæ veritati remis, veliſque non adverſer? quis enim illius ſenſus, quæ mens fuit, hæreſis monſtrum qui ſub imagine feracis Hydræ adverſus Theologiam multis capitibus inſurgentis expreſ-

pressit? Illud profectò voluit, illud egit, ut me
Lernæ crudeli monstro numerosius adhuc ma-
lum omnes intelligerent. Hydra enim, quam-
quam esset multorum ferax capitum, ut, uno
exciso, septem illico pullularent, tamen ferro,
& igne mori tandem edocta est. At me ferrum
32 alit, augent flammæ, pœnæ mihi pennæ sunt,
quibus subnixa terrarum orbem pererro, ac in
omnes regiones conceptum virus effundo. di-
strinxerunt in me calamos suos telis omnibus
acutiores, præter alios sex, quos Ecclesiæ Do-
ctores summos appellant, mei hostes acerrimi,
infensissimique perturbatores. Quæ *Augustinus*
meis à castris fugitivus miles, quæ perversorum
dogmatum capita suis, & dictis, & scriptis in
*Aphrica* non retudit? Nam *Arrianum* illud cor-
nu, quo non *Europam* modo, sed universum or-
bem fere infeceram, quis *Mediolani* recidit, nisi
ferro, igneque potentior *Ambrosii* lingua? Nam
ut tua te, *Hieronyme*, sapientia in me, ita *Gre-
gorium* Pontificis dignitas armavit. At vos tole-
randi saltem estis, qui licet adversus me stylo
pugnaveritis, veram in dimicando rationem reti-
nuistis. Hos vero quis ferat? *Bonaventuram* suo
vel nomine infelix omen mihi portendentem?
*Thomam Aquinatem*, in quem ut impegi tanquam
in aquarum profundam abyssum demersa, pœne
obruta sum? non enim eminus pugnant, sed co-
minus; non jaculis utuntur, sed acutissimis gla-
diis; premunt, ac insistunt, hærentque in hac

A pugna viro vir, pede pes. Si ulla mihi ars con-
traria, si ulla facultas inimica mihi unquam fuit,
hæc fuit profectò scholastica disputandi ratio,
quæ suis me argumentis in eas angustias deduxit,
ex quibus me eripere haud est mihi facile. Dum
orationem Theologia, quasi vestem latissime in
concionibus expanderet, quidquid multis verbo-
rum ambagibus objiciebatur, verborum multi-
tudine obruebam: at postquam *Aquinatis* potissi-
mum opera, & ministerio, scholasticæ metho-
dus, quasi nodo arctius collegit, eoque sacris
me quæstionibus traxit, ut vel concedam, vel
B negem, vel distinguam prorsus necesse sit, effu-
gium mihi pæne omne præclusit. supero nihilo-
minus, & ipsis excresco malis, itaque scholasti-
corum Theologorum fruor, quorum immortale
odium in meam laudem commuto. Quo enim 33
illi me sævius persequuntur, eo collectis in u-
num viribus adversus sacram Theologiam magis
invalesco.

Itane vero? perge Sacra, perge Theologia;
hanc inferorum superbientem Hydram funditus
demolire, congredere ipsa, & oppressam pedi-
bus protere tuis. Quid tam sævi monstri exci-
dium times?

C Premit, non opprimit, cum tamen Numinis
auxilio munita exscindere Hæresim pœnitus pos-
set, ne nobis desit probatio fidei, exercitatio vir-
tutis, gloriæ seges, ac laudis.

34 *Legis Canonicæ Elogium.*

Icon. Vid. Pag. 3. Tab. Pag 7.

. CANONVM PARENS, MATER REGVLARVM .

. QVAS ECCLESIASTICA SERVAT HYERARCHIA .

. CLAVE DVPLICI, DVPLICI GLADIO .

. MVNITA VIRGO, TRIPLICI TIARA .

. POTESTATEM REFERENS, AC MAIESTATEM .

. REGIAM, IMPERATORIAM, PONTIFICIAM, .

. REGNA CONCIDERENT, RVERENT IMPERIA.

. LABARET ECCLESIA, NI SVSTINERES .

35 *Iconis Symbolicæ Legis Canonicæ Explicatio.*

Sed vos, quæ nam estis, quibus aut venistis
ab oris, Pontificiam altera, altera Imperato-
riam Majestatem vultu, oculis, habitu, insigni-
bus, totius corporis incessu, & gestu præ se fe-
rens? Utrum ne imaginibus falsis oculos illuditis
meos, an estis Dominæ rerum, Arbitræ orbis,
Imperatrices terrarum Lex Canonica, & Civilis?
Animus incredibili gaudio nunc profectò meus cu-
mulatur. O leges humanarum actionum sapientis-
simæ moderatrices. Verasne legum formas intue-
or, an alienis umbris deceptus in fraudem impel-
lor? Estisne legum vera simulachra? Agnosco,
agnosco vel toto erumpentem ore vim, natu-
ram, rationem, potestatem, mentem, Numen,
quod veri Numinis, ac Æternæ mentis filias vos,
& in terris Vicarias probet.

Pace igitur (Lex Civilis) tua quamquam mino-
rem natu, ac ætate; tamen majorem dignitate,
ac præstantia Legem Canonicam ante compella-
bo.

Salve juris Divini Primogenita, Theologiæ
Soror, Ecclesiasticæ disciplinæ Mater, Sanctissi-

D mi Cultus veri Dei, ejusdemque piissimi Nutrix;
Pontificiæ auctoritatis Propugnatrix, acerrima:
expultrix Hæresum; vitiorum debellatrix, Or-
dinis forma, Regularum à Sanctissimis Patribus 36
relictarum norma in compendium missa, epitome
decretorum, Conciliorum administra, Dux ani-
morum, Christianarum actionum Lux, rerum
omnium, quæ ad salutem hominum, æternamque
Beatitudinem spectant, optima inventrix, gu-
bernatrixque prudentissima.

Nam Cælestis radius, qui te illustrat omnem,
intuentium oculos, animosque revocat ad eum
E fontem perfectissimæ rationis, ac Divinæ, à qua
vim, splendoremque omnem mutuata discretis
quidem temporum sæculis in omnium tamen &
locorum, & temporum, & hominum utilitatem,
ac commodum profluxisti. Est enim antiquissima,
eademque verissima opinio Sapientissimorum vi-
rorum, Leges omnes, quas unquam homines ex-
cogitarint, condiderint Principes, Magistratus
tulerint, Populi sciverint, omnia alia, quam Le-
ges esse, nisi ab ea manarint Principi Lege, &
ultima, quæ summa, ac æterna ratio est omnia
Imperantis, & vetantis Dei. Quod si lex nulla

vim ullam prorsus habitura unquam esset, quæ homines aut vocaret ad recte facta, aut à peccatis avocaret, nisi illam à Divina ratione opulentissima emendicaret: quanto minus tu omnium maxime sacra, aut ad sanctissimas actiones impelleres, aut à delictis arceres, nisi quæ Lex vera, atque omnium Legum origo, ac Princeps est, ad Imperandum aptissima, & ad vetandum ratio recta summi numinis vim hanc tibi concessisset. Errant enim, turpiterque allucinantur, qui tum ortam solum putant, cum te à Summis Pontificibus scriptam recordantur. Est enim id verum, quod pœne fidem excedit, cum mente Divina te simul natam esse. Quamquam non fueris in lucem
37 edita, nisi post multorum sæculorum memoriam; neque enim, quia nusquam erat scriptum, ne quidpiam detraheret de rei nummariæ summa, quam ex venditione agri contraxisset, qui pretium ad Apostolicos pedes afferret, idcirco minus contra Legem gessisse *Ananiam* illum pretii fraudatorem putabimus. Nec si Apostolicis temporibus nulla erat in Ecclesia tum scripta Lex, quæ rerum sacrarum emptionem, & venditionem prohiberet. Idcirco non contra Legem illam sempiternam Magus ille *Simon* hujus auctor Criminis, & nominis fecit. Æterna Canonicæ Legis mater est Mens Divina, cujus ducta, expressaque est ad similitudinem pœne in omnibus hæc filia.

At sibi quid vult Mitra tribus Corollis redimita, quid requirit sibi, quam sublimi capite præfers, summorum Pontificum Tiara? Tres illæ, ni fallor, Corollæ, Jus Divinum, Consuetudinem, Constitutionem exprimunt, à quibus tui te Alumni, & Candidati natam, acceptam, creatam profitentur. Pontificio autem insigni, ac Diademate Apostolicam dignitatem, & potestatem in sacris condendis Legibus adumbrari, hinc binæ Claves, quas dextera erigis, illinc duo Enses, quos læva geris, Clarissima rerum Argumenta, quæ ad Legis sanctionem necessariæ sunt, evidentissime demonstrant. Nam, etsi primus tibi auctor, ac Parens Deus sit; tamen, ut verum fatear, hi sunt etiam auctores, ac Parentes tui optimi, ac Summi Pontifices, Numinis Vicarii, Legum à Deo Latores in terris constituti, Proreges Christi, Summæ, ac Æternæ Rationis interpretes, humanarum, ac Divinarum rerum arbitri, quorum sententiis Cælum obsecundet, ut quoscumque super terram suis decretis illi alligaverint, vinctos retineat sententia Cælestis, quos-
38 cumque abire liberos jusserint, sui juris, ac Potestatis illos esse Cælum imperet. Sic enim ab heroicis usque nascentis Evangelii temporibus communem Ecclesiæ sensum, ac Doctrinam semper illam fuisse intelligimus, sacrarum Legum ferendarum Potestatem in Christi Vicario, tanquam in Reipublicæ visibilis visibili Capite, & Duce, ordinatione Divina residere, ut vel ipsa Sanctissimorum Conciliorum auctoritas labet, nisi Apostolica potestate fulciatur. Principum est, in Civili hominum societate Leges ferre; Romanorum Pontificum, in Christiana Republica, & Christi Regno Canones promulgare. Quod si rem hanc testimoniis corroborandam existimatis, dabo hujus rei gravissimos testes, & ne vos longius abducam, dabo sapientissimos Pontifices, *Clementem Quintum*, *Joannem* à *Vigesimo secundum*, *Gregorium Quartum*, & *Bonifacium Octavum*, qui quod condendis, ordinandisque Legibus Canonicis optime sint de illis meriti, prudenter huic Reginæ Comites adjungi solent. Dabo *Isidorum* superioribus proximum, non potestate scribendarum Legum, sed explicandarum sapientia. Dabo *Gratianum*, cui pro laborum magnitu-
A dine, quos in Canonicæ Legis gratiam sustinuit, debitas, & pares gratias, si è Cælo labantur, ipsæ non persolvant Charites, & Grates ipsæ.

Hi omnes duplicem à Christo Clavem scientiæ, & potestatis, duplicemque gladium cælestem, & temporarium *Petro*, ejusque successoribus tributum ideo asserunt, ut non solum Pontificias Leges auctoritate legitima sancirent; verum ut sancitis Legibus amor, ac honos accederet. Claves haberent præmiorum, quibus ad observationem allicerent, & gladios, quibus earundem neglectum ulciscerentur. Quis enim Legem 39
B mancam non arbitraretur, si destitueretur altero, aut præmio, aut supplicio? Quis enim foret illius vigor, quæ auctoritas, quod pondus, nisi haberet, & quo impelleret ad recte agendum, & quo à male factis avocaret? Quamobrem decuit Canonicæ Legis Majestatem decoratam gladiis, armatam clavibus semper esse, ut Ecclesiæ domicilium, cujus à Deo custos est relicta, sapienter, ac fideliter tueretur. An utilior, an admirabilior connexio poterat inveniri hac Clavis, & gladii? Sunt enim ambo potestatis insignia, argumenta Dominationis, monimenta Imperii. Illius in occulto vis, hujus in aperto. Illa domum amicis re-
C serat, hic aditum inimicis vetat. Claudit illa, & aperit pro arbitrio; ulciscitur hic, & parcit pro Imperio. Denique Urbs sine Clave domi intuta; Civitas sine gladio foris minime secura.

Eant nunc antiqui, & importune Portuno portarum falso Numini, seu Jano, à quo Januæ nomen manavit, imprudenter claves tribuant; gladiumque suorum Flaminum Pontifici in argumentum Potestatis adscribant. Quas mihi tu Claves Regias, quos Imperatorios gladios afferes, quorum acumen, & virtus cum his Clavibus, & gladiis in contentionem possit venire? Clavis *Davidis* validissima, quæ arcem *Sion* munitissimam,
D & inexpugnabilem reddidit: Celeberrimus ejusdem gladius, qui ab Hebraico nomine, inimicarum gentium furorem, & audaciam repressit. Attamen quam Clavis, tam gladius umbratilis fuit, & mysticus. Quæ duæ Claves nihil non possunt aperire, & claudere: hæ ambæ in manu Pontificis sitæ sunt, scientia, & Potestas. Bona Clavis scientia, quæ conscientias recludit: Melior Cla- 40
vis potestas, quæ reclusas absolvit; utriusque conjunctio certe optima, & in hoc animorum judicio plane necessaria. Cui enim bono delictorum cognitio, nisi cognitionem hanc literæ salutaris
E concedendæ potestas subsequeretur? Nam quî recte, ac prudenter tristis hæc litera, & salutaris ferri posset, nisi totius caussæ cognitio præcessisset? Quanta porro harum Clavium est virtus, quibus nihil tam abditum, quod non inveniant, nihil tam depressum, quod non extrahant; nihil tam obscurum, quod non illustrent; nihil tam altum, quo non perveniant; nihil tam profundum, quo non deveniant; nihil tam apertum, quod non claudant, nihil tam clausum, quod non aperiant; nihil tam arduum, quod non exsuperent? Quid uniuscujusque conscientia magis reconditum? Quid magis depressum occulto Cri-
F mine? Quid scelestissimi hominis mente obscurius? Quid altius Cælo? Quid profundius inferorum domicilio? Quid magis apertum libera voluntate? Quid magis clausum pervicaci, & obdurato pectore? Quid denique magis difficile, & arduum quam è vestigio aliquem è tenebris in lucem transvehere? Parum est. a delictis ad recte facta revocare? Adhuc etiam parum. à morte ad vitam transferre? Adhuc parum est. ex inferis in Cælos asportare, atque è teterrima vitiorum servitute in perfectam filiorum Dei libertatem vindicare? Hoc quidem magnum est. Quid dicam, ejus-

ejuſdem naturæ conſortem Divinæ illum eundem reddere, Deo ſimillimum efficere? Iſtud vero, quis eſt tandem, qui ſatis animo æſtimet?

Hæ Claves, quas videtis, illæ ſunt, quæ arcanas cogitationes animorum rimantur, delitescentes Criminum occultiſſimorum ſerpentes è latibu-
41 lis cordium educunt, divinis ſplendoribus cæcas mentes irradiant; Cæli valvas reſerant, inferorum portas obſtruunt, animos liberos vinciunt, vinctos ſolvunt, obfirmatum pectus emolliunt, repente hominem malis omnibus nudant, ditant bonis, felicem reddunt, beant.

Quid ſi harum clavium virtuti pervicaciter aliquis adverſaretur? An Lex Canonica iis eſt præſidiis deſtituta, quibus Lex Civilis abundat, & cum imperat, & dum coercet? Minime gentium.

Expectantibus vobis ut eadem Sanctiſſimæ ultionis adjumenta oſtendam, dicam id, quod Servatori quærenti à diſcipulis, dum morti lætus occurreret, an eſſent gladii, quidam reſpondit, ecce duo hic; totidem enim inſpicitis. Non ſufficere duos, aut alterum horum ſupervacaneum exiſtimatis, quod una manus unum commode tantum ſoleat enſem tractare? Refragatur Oraculum Cæleſtis ſapientiæ, quæ plures requiſivit, & duos ſatis eſſe gladios declaravit. gladiorum hic numerus earum partium numero, quæ ſunt in homine præſtantiores reſpondet. Nam in animos alter diſtringitur, quos rebelles, & pervicaces à Chriſtianorum grege tanquam oves morbidas ſejungit, ſejunctos jugulat, ac æternæ perditioni juſtiſſime devovet, aut tanquam membra putrida à myſtico Chriſti Corpore gladio reſecat excommunicationis.

Quod ſi hujus ſententiæ ictu, & vulnere non moventur, alterius poteſtatis gladio corpus adoritur: primum minis, & terroribus: deinde do-
A loribus ac pœnis; tum rei familiaris, & extimorum bonorum jactura, poſtremo, niſi iis omnibus rebus admoniti reſipiſcant, vario mortis genere illos plectit. Qui enim Clavibus ſalutis, & immortalitatis, ſubdi ſponte nolunt, illorum quid aliud meritis debetur, quam ut gladiis mor- 42
tis, ac perditionis inviti ſubdantur? Habet igitur Lex Canonica, & Claves Imperii, & gladios ultionis. quid antiquas ſecures, & faſces Imperatorios tibi ſublatos Roma conquereris, quando pro illis longe diviniores repoſiti ſunt qui corporum, & animorum habeant dominationem.

B Verum caſu factum putamus, ut Claves in dextera, & in læva gladii collocarentur? Mihi ne id quidem vacat Myſterio. Nam dextera facile utimur ad omnia miniſteria, ſiniſtram niſi prorſus coacti adhibemus. O dulcem numinis æquitatem, O Canonicæ Legis vim ſuavem. Clavium uſus, quibus oſtium ſalutis aperitur, dexter, facilis, opportunus, familiaris, gratiſſimus tibi eſt. Uſus vero gladiorum, quibus rebellium animorum pervicacia retunditur, ſiniſter, difficilis, invitus, pœne coactus, profecto tuæ dulcedini admodum contrarius.

C Sed quæ gemma illa eſt, quæ tuæ dignitatis inſigne pallium morſu aureo connectit, ac pectus omne, quaſi Sol ſuo complet lumine? Carbunculus veritatis, quam in omnibus ſemper aſſecuta es; an adamas fortitudinis, qua Regum, & Imperatorum, qui te vehementius expugnarunt, contrarios ictus validiſſime repuliſti? Annuit, ac Pontificia oculorum Majeſtate humanitatis pleniſſima, ut ejuſdem minimæ ſorori jam locum Legi Civili reliquam admonet. Pareo lubentiſſime; & quod æquum eſt, tantæ Imperatrici; & quod jucundum, tam humaniter Imperanti.

## *Legis Civilis Elogium.*

Icon. vid. Fig. 4. Tab. 1. pag. 9.

. LEX .

. AGENDARVM, ET FVGIENDARVM RERVM LVX, .

. MERITORVM LANX, ET PRÆMIORVM, .

. ERRORVM NEX, ET VITIORVM, .

. EXCITATRIX PRÆSTANTISSIMA VIRTVTVM .

. QVOD CIVIBVS PRÆSIT, AC PROSIT, CIVILIS; .

. QVOD A CÆSARIBVS LATA, CÆSAREA; .

. QVOD LEGENDO DELECTA, LEX DICTA; .

. QVOD AB IPSO IVRIS FONTE ACCEPTA .

. DIVINÆ MENTIS FILIA .

. QVICVNQVE LEGIS, INTELLIGIS SINE LEGE CIVILI .


. CIVES ESSE NON POSSE .

### 43 *Iconis Symbolicæ Legis Civilis Explicatio.*

SI Lex ob id potiſſimum Civilis eſt dicta, quod non modo civium commodis, & utilitatibus proſpiciat, ſed etiam, cum omnibus quemadmodum nos humaniter, & Civiliter geramus, præſcribat: inurbanus, & incivilis pror-
D ſus forem, ſi eidem legi, optimæ cum Urbium, tum Civium Matri, ſatis & legendo, & laudando non facerem. Quamquam enim homines nos plenos rationis, & conſilii, acutos, memores, ad inveniendum celeres, ad agendum expeditos natura procrearit, non tamen idcirco nos Cives effecit. Neque vero hanc ſibi vindicet laudem elo-

quentia. Ut enim tuba bellicum canere, evocare milites, atque ex umbra in Solem, è tabernaculis, in pulverem, eosdem adducere: non item dirigere manipulos, formare legiones, aciem instruere (quod est scientiæ militaris, ac disciplinæ) dici vere potest; ita facultas Oratoria pallantes, ac erraticos homines in unam vivendi societatem, & commercium invitare, adhortari, impellere, trahere suis verbis potuit: Civitatem, & Remp. mutuis actionibus, & officiis nixam, ac inter se connexam architectari, & fabricare non potuit. Quid enim est Civitas, nisi Civium
44 unitas? hominum autem ingens multitudo uniri qui potest, aut simul retineri, nisi vinculum intercedat arctius, quo mentes omnium adstrictæ in unum aliquem communiter propositum finem dirigantur? hunc vero finem, ad quem tendunt omnia, adspirantque Civium vota, quis est, qui non intelligat, publicam esse prosperitatem, & felicitatem? porro hæc publica vivendi prosperitas, sublata justitia, quæ suum cuique tribuit, esse nulla omnino potest: Justitiam vero ipsam Lex omnium prima excogitavit; Lex invexit Urbibus; Lex Cives docuit; Lex ab ejus violatione pœnis homines deterruit; Lex ad ejus custodiam præmiis excitavit; Lex denique ejus conservandæ, & retinendæ caussa, & ratio fuit. Quod si justitia vinculum est, quo simul vincti homines eandem vitæ securitatem prosequuntur; Lex autem justitiæ præscribendæ regula, edocendæ magistra, exercendæ administra, læsæ ultrix, inviolatæ compensatrix, retinendæ custos, ac præses semper fuit; illud profecto sequitur, ut Mater Urbium, Civium optima Parens Lex verissime dicatur. An hoc ipsius dignitas nominis non persuadet? sive enim à ligando, quod homines simul mutuis officiis liget, sive à legendo sit dicta, quod è plurimis meliora deligat, quæ facienda Civibus proponat; hæc tandem munera ambo materna sunt. Atque hæ sunt aliorum interpretationes. Mihi vero, dum oculos sustollens brachium inspecto cælesti splendore circumfusum, à quo hæc sceptrum accipit Cælo missum Regiæ, & Imperatoriæ potestatis argumentum, in eam trahor facile opinionem, ut Lex, quasi lux sit appellata: dum autem illos demitto & lances ipsas contemplor, quas Civilis hæc *Astræa* manu sustinet, rursus eò delabor, ut Lex, qua-
45 si lanx apud me jam sonet. Nisi forte illius, qui utrumque eidem tribuit, ea mens fuit, ut legem & lucem, & lancem esse putaremus. Ut id mihi facile persuadeam, efficiunt, quæ legem inter, & lucem, ac lancem splendescunt præclarissimæ similitudines. est enim lux Solis primogenita: Lex Numinis Princeps filia. Inter naturæ virtutes luci Principatus adscribitur: Inter mentis dotes, legi prima laus debetur. Nam lucem caloris matrem Philosophi vocant: Legem vero actionis Parentem Jurisperiti appellant. Illa oculorum illustratione totum corpus regit secure: hæc illuminatione animorum omnem Remp. feliciter administrat. Tolle ex Orbe lucem, quis viror, quæ pulchritudo, quod decus oculis conspiciendum relinquetur? Tolle ab Urbe legem, nulla honestas, suavitas nulla, nulla utilitas, quæ vera sit, mentibus amanda deferetur. Lux colorum: Lex actionum discrimina ostendit; Lux viarum tenendarum, ac evitandarum index; Lex rerum agendarum, & fugiendarum dictatrix; Lux vehiculum earum imaginum, & similitudinum, quibus corpora cernuntur; Lex speculum ipsarum virtutum, quæ nobis cognoscendæ, & amandæ proponuntur. An enim vero terræ floridum, & herbescentem amictum, cæruleum Maris habitum, tam varium, multiplex, & vagum

A genus earum rerum, quæ in Aere coguntur, ignis nitorem, Cælorum decus, Astrorumque formam, & pulchritudinem contemplaremur, nisi lux harum omnium rerum nos spectatores efficeret? illud videlicet dubium, nisi lex præfulsisset, mortales in summa totius vitæ ignoratione versaturos semper fuisse? quasi Lex non illa ipsa sit, quæ temporum gradus, quæ spatia
locorum; quæ scientiarum genera, quæ ordines 46
virtutum, quæ vitiorum species, quæ personarum discrimina, quæ rerum in vita civili appetendarum, & relinquendarum classes non distribuerit, patefecerit, ante oculos collocarit? Hæc
B enim est, quæ præscribit, quid singulis ætatibus consentaneum sit, quemadmodum filii in lucem suscepti à teneris formandi, atque educandi sint, quo disciplinæ, & institutionis genere ad omnem fortunarum habitum juventus sit erudienda; quid ætas virilis: quid senilis postulet. Ab hac nemo non edocetur, in Templis, in Curia, in Foro, in Via, Domi, in Agro, ruri, in Urbe, qui locus cuique relinquendus. Nam cujus alterius facultatis est providere in Civitate, ut sint Oratores ad bonorum laudem, terrorem improborum, ad recta consilia Magistratibus, ac Populo
C persuadenda, nefaria dissuadenda, ad reorum damnationem, salutem innocentium; ut sint Poetæ, ad oblectandos utiliter animos, & commovendos; ut sint, qui res præclare, ac fortiter gestas literis consignatas posteris transmittant: ut denique sint in omni linguarum, literarumque peritia homines versatissimi, qui Remp. his præsidiis, ac ornamentis juvent, augeant, conservent; nisi legis, quam philosophiæ dictator Architectonicam appellat? Nihil hoc loco dicam de virtutibus, quarum insigne magisterium Lex profitetur. Justitia profecto, cum in rerum permutatione, tum in distributione præmiorum
D aberraret, nisi lex, quasi lux eidem semper præiret. Prudentia vero quam cito acquiritur, cum legibus magistris edocetur? Nostræ enim ignorationi, ac inexpertæ ætati eorum, qui leges condidere, sapientia, & periclitatio satis abunde consulit. quis enim fortes illos arbitretur,
qui in laborum perpessione, & susceptione pe- 47
riculorum legis arbitrium non sequuntur? At quibus in tenebris jaceres temperantia, nisi hæc lux cælestis accederet, quæ modum in perturbationibus coercendis retinendum indicaret? Quod si Principibus obsequium subjectæ nationes,
E subditis populis defensionem Principes reddunt; si Parentes amorem filiis; si filii reverentiam parentibus persolvunt; si Magistri solertiam in docendo; si discipuli in perdiscendo industriam exhibent; si Domini servis imperant; si servis domini sæpius indulgent: si denique ulla inter homines dictorum, factorumque fides, & constantia est, veritati per os meum loquenti credite. Quot quot estis, id omne, quantum, quantum est, totum id Principes subditorum obsequium, subditi defensionem Principum; filii amorem Parentum, Parentes benevolentiam filiorum, magistri discipulorum industriam, disci-
F puli magistrorum solertiam, servi dominorum clementiam, Domini servorum ministerium, omnes denique homines aliorum constantiam, & fidem huic luci, huic legi debetis. Qui te igitur ò Lex, lucem esse non videt, is cæcus; qui te, cum videat, & asserat, nihilominus spernit, hic demum impius, & perfecte malus est. An es cupida periclitationis? exere lances, quas æquissimas habes, pende hunc hominem, nisi habere minus inveniatur, quam habuerint plurimi gentium, mendacissimus hominum haberi volo. Quid enim? hi omnes ratione tantum Duce, non



TAB. II.




Philosophia Naturalis.




Philosophia Moralis.




Medicina.




Chirurgia.



non modo legem lucem esse perspexerunt, sed in
Deum, tanquam lucis fontem sub variis licet fal-
sisque nominibus eandem retulerunt: *Zoroaster*
legum, quas *Persis*, & *Bactrianis* tradidit, con-
ditorem *Horomasim* asseruit, *Trismegistus Mercu-*
48 *rio* adscribit, quas ipse *Ægyptiis* scripsit; *Minos*
tanquam à Jove latas prædicat, quarum ipse la-
tor in *Creta* fuit. *Saturni* mutuatur auctoritatem,
& nomen *Charondas*, ut *Carthaginiensibus* illas fa-
cilius persuadeat. Quid *Lycurgo* apud *Spartiatas*
quantum ponderis adjecit existimatio illa, qua
putabant ab Apolline dictatas? Nam *Draco*, &
*Solon Minervæ*, quæ *Athenarum* Præses delecta
fuerat, suas lubentissime adjudicarunt. In *Æge-*
*riam Pompilius*, qui *Romanis* suas dedit: In *Ga-*
*brielem Mahometes*, qui *Arabes* decepit: In Ve-
stam *Xamolxis*, qui apud *Scythas* præfuit. *Plato*,
qui *Magnesiis*, & *Siculis* leges donavit, cum *Ar-*
*cadum*, & *Thebanorum* vota rejecisset, in *Apolli-*
*nem*, & *Jovem*, suas contulit. Unus ex omnibus
repertus est *Moyses*, qui sicut fidei veritate, ita
veri Numinis agnitione inter omnes veluti Sol
emicaret. Ab hoc enim non scripta, sed accepta;
non lata, sed delata; non condita, sed promul-
gata lex est veri, & Immortalis Dei. A quo si
Regna, si Imperia, si Dominationis jura, si scri-
bendarum Legum Civilium vim, & auctorita-
tem Principibus dari asseverem; quis est, a quo
me jure censeri, & reprehendi verear, quando
meam in defensionem, ratio, fides, auctoritas,
A periclitatio conspirent? Nam Imperatoria supel-
lex, qua Lex Civilis ornata est, Vestis, Sce-
ptrum, Diadema, cui non exprimit Principis
dignitatem, quæ ad leges ferendas necessaria est?
Enim vero decuit, ut quemadmodum in ipso
minori Orbe cæteris sensibus legem oculus sua
gubernatione constituit; toti vero homini ratio
præest, in familia senior, in oppido ditior, in
Urbe sapientior plurimum imperat, ita in Re-
publica, seu Regno is leges conderet, qui cum
sapientia, tum potestate supra alios emineret. At
Regiam Virginem congestis voluminibus læva 49
B innixam ne miremini. Jus enim omne quinque
comprehensum libris potissimum ab ipsius juris
hominibus peritissimis accepimus. Illud vero ad-
jiciunt duas lances eidem Virgini sapienter tribu-
tas, tum quia rerum certissimum pondus ab illa
diligentissime expendi; tum quia in omni actione
alterum respici ex ipso lancium numero intel-
ligeremus. Semper enim id est legitimum, quod
justum, justum porro id est, quod alteri æquum
est, æquum autem videtur, ut cæteræ Icones
explicentur. Ergo quemadmodum initio subdu-
bitabam, ne me quispiam incivilem arbitraretur,
si legi Civili pro facultate non responderem; ita
C verendum est, ne dum Civilem in Juris lau-
datione me haberi cupio, in cæteras scientias
injustus existimer, & sim. Stamen igitur expli-
cationis præcido, ut æquitatem, quam natura tan-
topere desiderat, civilitati adjungam.

50 *Philosophiæ Naturalis Elogium.*

. INTVERE LECTOR, ET ADMIRARE .

. PHILOSOPHIAM ADMIRATIONIS FILIAM .

. NEPTEM IGNORATIONIS, .

. COGNITIONIS PARENTEM, .

. AMORIS SPONSAM, COMITEM LABORIS, .

. MAXIMORVM INDAGATRICEM, .

. ET SPECTATRICEM ARCANORVM .

. INCORPOREA HAEC, PRIMA CORPORIS INVENIT PRINCIPIA .

. IMMOTA MOTVM, QVIETEM IRREQVIETA, .

. AGENDI CONSCIA, PATIENDI NON IGNARA, .

. PLENA VACVVM, VACVA LOCVM, .

. IN ARTE NATVRAM, IN NATVRA ARTEM, .

. NATVRAM SVPRA, ET ARTEM, .

. PRINCIPEM, A QVO IMMOTO MOVEANTVR OMNIA .

. CONSTITVIT MOTOREM .

51 *Iconis Symbolicæ Philosophiæ Naturalis Explicatio.*

DELABIMVR nunc; quemadmodum *Plato*
loquitur, in obscuram specum; ut *Demo-*
*critus* in profundum veritatis puteum; ut Poe-
tæ, ad inferos cum *Hercule* ad extrahendum tri-
plicis philosophiæ *Cerberum*. Quid delabimur?
potius cum *Diana* inter sylvas, & nemora, fe-
D ram omnium pulcherrimam inter difficultatum
vepres delitescentem venamur; potius Triptole-
mi curru subnixi orbem cum *Cerere* peragramus,
ut tria gerentem ora Virginem filiam à nobis sur-
reptam inveniamus: nisi malitis Aquilarum nos
pennis sustolli, non rapi, ut fixis oculis naturæ
oculum, ac rerum omnium sublunarium lucidis-
simum sapientiæ speculum intueamur.

Est enim Philosophia, si consideretur obscuri-

tas, ſpecus; ſi profunditas, puteus; ſi capitum multitudo, *Cerberus*; ſi latibulum, fera, ſi vultuum numerus, triformis Dea; ſi acumen, & oculorum perſpicacitas, Aquila.

Verum, ò præclaram Iconum ſymbolicarum vim? harum beneficio, nulla jam nobis re opus eſt, ut voti compotes fiamus, non lumine, ut illuſtretur ſpecus, non fune, ut hauriatur puteus, non vi, & Herculeo robore, ut extrahatur *Cer-*
52 *berus*; non canibus venaticis, ut capiatur fera; non curru *Triptolemi*, ut inveniatur *Proſerpina*; non denique laqueo, aut rete, ut comprehendatur Aquila.

Occurrit enim cærulea veſte, ac diſciſſa, ſparſis capillis, clauſum, ac novo quodam ſigilli genere, quod literis ſimul recte diſpoſitis ſolum aperitur, munitum volumen deferens ſub dextera, læva ſuſtinens duos cæli, ac terræ globos; & quaſi à venatione, & ſpeculatione redeuntem Aquila ſequitur, tanquam ejus in omnibus comes, & adminiſtra.

Ut enim ab ipſa volucrum exordiar Regina, quod aliud genus avium inveniri poterat, quod naturalis philoſophiæ in contemplando pernicitatem, in perſpiciendo acumen exprimeret melius Aquila, quæ altiſſima quæque, & profundiſſima imperatorio oculorum fulgore ſpeculatur, ac ipſis, quæ defert, fulminibus velocior omnes elementorum ſphæras, terræ immenſos tractus, ſinus maris, aeris regiones, pene flammarum victrix cælos ipſos ſublimi, & admirabili volatu pererrat?

Nego enim quidquam eſſe in ampliſſimo naturæ imperio, quod hæc naturalium prodigiorum acutiſſima ſpeculatrix ſua cognitione non fuerit citiſſime aſſecuta. Nego ullam naturalium rerum ſedem, ac locum reperiri, quem hæc eadem Philoſophia cogitationum ſuarum, quaſi alarum vi, ſenſili concuſſione non percurrerit. Nego ullum corporis, aut initium, aut cauſſam, aut virtutem, aut motum, aut portentum, aut miraculum, quorum peritiam omnium hæc ipſa præſtantiſſima facultas ſui non ſit ingenii magnitudine complexa.

Nam inventione, & diſciplina duabus quaſi alis ad ſpeculationis volatum inſtructa ſeſe è terra paulatim attollens, tranans maria, omnem aeris ſu-
53 perans ambitum, caput inter ſidera, & Planetas condit. Exinde tanquam cæleſti è ſpecula terrarum ſubjectum orbem rurſus deſpicit, ac immenſæ hujus Reip. cui natura dominatur, ſolertiorem cenſuram adoritur. Mundum itaque ipſum tanquam unam, & communem animantium, & mentium civitatem ſub unius imperio numinis conſtitutam in quinque regiones diſtribuit, ac ſingulis incolarum generibus attribuit domicilium. cognationibus quadrupedum, & reptilium, ſicuti hominum generi terram: aquas vero piſcium tribubus: interim ampliſſimos aeris campos volucrum curiis conceſſit; ignem, quod ſit impatiens conſortii, vacuum ſtatuit: cæleſtibus autem ſphæris mentium beatiſſimarum familias motrices, ac gubernatrices præfecit. Supra res omnes, & extra Numen conſtituit, cujus nutu cum omnia moveantur, ipſum quieſcat.

Diſtributo ſic orbe, tanquam urbe, civium nomina, familias, tribus, virtutem, ſcientiam, nobilitatem, reditus, admiranda, rerum denique ſeriem geſtarum hoc ipſo, quem præfert, naturalis imperii libello complectitur. Quod enim arcanum in tota hujus imperatricis dominatione, tam magnum, parvumque eſt, quod hoc libello philoſophia diligentiſſime explicatum non concluſerit? ſi metallorum, quæ in terræ viſceribus gignuntur, origo, & natura quæritur: libellus hic ærario Ditis opulentior eſt; ſi præter animantes, quos terra cives habet, herbarum, & plan-
A tarum cognitio expetitur: hic idem medica officina eſt. Nam gemmarum, & virtus piſcium, cujus in alterius diſciplinæ præter quam philoſophiæ naturalis libello perdiſcatur? Hic etiam ve-
rendum eſt, ne ornithologia, quæ de volucribus agit, hujus ſit libelli pars maxima? quid pluribus? nihil terreſtri globo, nihil cæleſti, quos ambos in philoſophiæ manu videtis, aut à Coſmographis, & Aſtrologis ineſſe dicitur, quod hoc libello excellentius, quam in *Archimedis* vitrea ſphæra non contineatur. 54

Quod ſi quiſpiam inſurgat, & dicat, nefas cre-
B di, tot, tantaque naturæ oſtenta libello contineri, huic ſatis breviter ſic facio. quo tandem in loco, aut apud quos arguis imperitiſſime mortalium? nempe in eo, in quo ſummorum philoſophorum illuſtres animæ eorum, qui à naturæ ſecretis fuere, ſuis non teſtimoniis, ſed eruditiſſimis operibus tuam imprudentiam refutent? quid enim *Linus*, ecquid *Muſæus* Græcorum Poetarum vetuſtiſſimi, qui naturæ opificium ſuis carminibus expreſſerunt, ut apud nos *Lucretius*, ſi conſulerentur, reſponderent, niſi quidquid ſcirent, id ſe naturalis philoſophiæ beneficio didiciſſe? *Thales* vero, & *Pythagoras*; alter quidem *Mileſianæ*, alter parens *Ita-*
C *licæ* philoſophiæ hac eadem ſe magiſtra, & duce in rerum omnium doctrina comparanda uſos fuiſſe ingenue faterentur. Nam quid *Xenophanes* ſenſerit, cum ejus perierint opera, quæ mentem auctoris indicent, haud ſcio: de te, tuaque opinione, *Ariſtoteles*, laboro, qui ſicut in rebus naturæ indagandis fueris ſolertiſſimus, & acutiſſimus ſpeculator, ita in conſcribendis, enarrandiſque obſcuriſſimus auctor. Itaque ſic mihi perſuadeo ſigillum illud literarum philoſophiæ naturalis libello tua oppoſitum opera, qui ſic ſcripſeris, ac ſi intelligi ab iis tantum volueris, qui literas plane ſcirent. conquerenti enim, ac expoſtulanti
D *Alexandro*; quod arcana philoſophiæ, quæ ſuis tantum auribus credi, committique volebat evul-
gatione communia, ac proinde vilia effeceris, illud audio à te reſponſum; ita vulgata, ut non tamen eſſent vulgaria. Sed incomptus, ac neglectus capillus quid ſibi in hac arcanorum peritia vult, à qua dicendi facultas aureos verborum cincinnos, & calamiſtos, ſententiarum pulcherrimos ſine pretio mercatur? quid veſtem præfert diſciſſam, & pœne laceram, quæ ſuis ornamentis alias diſciplinas illuſtrat? quid nudis pedibus incedit, quæ nuditatem aliarum artium ſua tegit liberalitate? Hoccine philoſophiæ decorum? hæc digni- 55
E tas? hiccine ſcientiarum principis eſt ſplendor? Hinc illa in philoſophos dicteria: nuda, & pœne obſoleta progrederis philoſophia. à quibus ne poetæ quidem abſtinuerunt.

*Dat Galenus opes, dat Juſtinianus honores:*
*Pauper Ariſtoteles cogitur ire pedes.*

Itane vero? prorſus aliud. Nam contra paupertas, illa, inquam, paupertas ſæva, quæ *Curios*, *Fabricios*, *Marios*, alioſque priſci, & integerrimi ſæculi duces, Romanorum Reip. utiliſſimos tulit, illa eadem homines philoſophiæ candida-
F tos, poſtmodum conſiliarios, & ſenatores effecit. Eſt enim philoſophia ſuis adeo divitiis contenta, ut alienas non modo, cum abſunt, non requirat, ſed cum adſunt, etiam aſpernetur. Teſtis *Crates Thebanus*, qui naturæ ſpeculationi operam daturus rem omnem familiarem penitus dereliquit: Teſtis *Diogenes*, qui, ut liberius philoſophari poſſet, vel quo ad aquæ hauſtus utebatur, manum ad id ſatis exiſtmans, poculum ab-
jecit. Teſtis denique, qui ne ab opibus in pela- 56
gus ignorationis mergeretur, illas ante in profundum

dum demersit. Ut autem paupertatem hanc, quam sibi comitem adscivit philosophia, virtutis, non necessitatis homines esse intelligerent, *Thales Milesius* sapientum princeps; tum optime consecutus est, cum omnes oleas, quæ in agro Milesio erant, antequam florere cæpissent, emendo declaravit, philosopho, cum voluerit, commodum, & facile esse, ingentem pecuniam comparare; cæterum abjici, quæ illum à veri contemplatio- A ne retardarent. multo enim philosophiæ supellectilem pluris æstimari, quam possessiones reliquorum. At mos gerendus est morali scientiæ, quæ, uti naturæ contemplator fuerim, ita me sui laudatorem desiderat. Assentior lubentissime, & quam citissime, facillimeque obsequor. A naturali enim philosophia proximus ad moralem scientiam est gradus.

Icon. vid. Fig. 2. Tab. 2. Pag. 26.

## *Philosophiæ Moralis Elogium.*

. QVOS RECTÆ RATIONI GENVIT, REGIT .

. EVOCATA CÆLO, DONATA SOLO .

. SEDATRIX PERTVRBATIONVM SALI .

. PHILOSOPHIA .

. BONORVM FINES, FINES MALORVM .

. ARBITRA MENTIVM .

. CENSVRA MORVM .

. MAGISTRA VIRTVTIS .

. ARCHITECTA FOELICITATIS .

. DETEXIT . DIXIT . DOCVIT . PRÆSCRIPSIT .

. Æ Q U A T .

. QVOS ÆQVI GVBERNATORES.

. GVBERNAT .

. QVOS IMPERII EQVITES .

. ÆQVITAS, ET POTESTAS CREANT .

. NON VIVIT, QVEM AD RECTAM VITÆ RATIONEM .

. PHILOSOPHIA MORALIS NON ERVDIVIT.

57 *Iconis Symbolicæ Philosophiæ Moralis Explicatio.*

CUM multa in hominum genus ab immortali Deo congesta beneficia sunt, tum ex omnibus nullum illustrius, excellentius nullum *Plato* judicat, quam quod è cælo moralem philosophiam in terras submisit, ut homines illius magisterio ac disciplina, suos, ac familiæ, totiusque civitatis mores cognoscendo, omnemque rectæ gubernationis rationem intelligendo, Remp. omnem sapienter administrarent. quod si post omnium disciplinarum inventum genus ab illarum sapientissimo capite, plenissimoque fonte ulla in nostri generis utilitatem, & commodum profluxit: hæc, quæ de moribus est philosophia, profecto tanta est, ut huic uni privata, & publica rerum omnium cura, Domorum, Familiarum, Civitatum, Regnorum, Imperiorum, totiusque hominum civilis vitæ administratio credita ab ipso Numine, commissaque videatur. Nobis igitur sic firmiter existimandum est, homines præsidio tantæ artis orbatos, veluti nudos, omnibus fortunæ telis expositos, neque illam adversam satis constanter perpeti, neque illa prospera satis recte uti; contra B vero eos, qui hac *Palladis* veluti *Ægide* armati fuissent, etiamsi fractus orbis desuper illabatur, adversum impavidos, & imperterritos stare. Nam, 58
si hæc totius vitæ dux, & arbitra perturbationes rationi contrarias, & inimicas, quas ratio sola non potest coercere, neque ipsa suis habenis poterit refrænare, aliæ nobis disciplinæ, aliæ artes, alii domandarum ægritudinum fræni nobis erunt requirendi. Sin autem hæc sua auctoritate, ac sapientia, quæcunque corporis sunt, ac animi non solum ipso in homine, sed domi, in urbe, in Ecclesia, in regno, toto denique in orbe sunt, valet feliciter regere, ac prudenter moderari: est C caussa nobis vel maxima, cur Iconum Symbolicarum ingeniosissimi auctoris consilium in hac divinioris philosophiæ efformanda imagine admiremur.

Cernimus enim non *Amazonum* reginam ferocem, & barbaram, sed virtutum Imperatricem, ac dominam, rationis simulacrum, domicilium modestiæ; vultus, os, habitus parem redolent humanitatem, & gravitatem. Regiæ potestatis insigne dextram ornat virga regia; frænum, & libella occupant sinistram. Ad pedes omnium emblemata dignitatum, Mitræ Pontificiæ, Impera-

toriæ

toriæ Tiaræ, Corollæ Regiæ, Sceptra Justitiæ, Dominationis Leges, ac normæ: porro ipsa, non secus ac Luna inter minora sidera, in consessu doctissimorum, eruditissimorumque hominum, qui eidem à consiliis fuere, pro rerum moderandarum velociori opportunitate stat.

Hæc ornamenta pacis, & belli præsidia quid ostendant, an quispiam intelligat melius iis ipsis, qui ejusdem arcana pœnitus introspexere? cogam igitur horum philosophorum senatum, ac sententiam rogabo, quid putent?

Atque is primus rogandus est, qui non solum
59 hujus ordinis princeps fuit, sed hanc morum scientiam è cælo primus evocasse creditur *Socrates*, atque inter mortales constituisse. Quid est Caussæ, ò Cælestis hujus magister facultatis, cur veluti Dea nostros ob oculos posita, constitutaque sit? quid ni, *Socrates* inquit, formam*, & speciem divinam illa referat, quæ cum Deo sit orta, philosophorum genus plane divinum effecit? sunt enim meo judicio philosophi, qui velut ab excelsa quadam specula mortalium vitam prospectant, Deo persimiles, qui è suæ felicitatis Throno rerum omnium caussas, & effecta contemplando moderatur. Quæ enim alia Dei vita, quam sui cognitio ipsius, ac omnium sapiens administratio? Nam etsi hoc unum prorsus sciam, me nihil scire, illud tamen etiam intelligo, rectam, & veram philosophiam esse numinis vitæ simillimam. Cognoscit Deus, perfecteque intuetur suam ipsius naturam, atque ex hac ipsa sui scientia rationes suorum operum sapientissimas instituit, potissimum gubernationis. Ita plane philosophus hominis ingenium, & mores prius speculatur, deinde levia quædam divinitatis vestigia subodorans ita pervestigat, donec ipsum reperiat totius sapientiæ, & moderationis auctorem, atque huic perfectissimo exemplari cognitionem, actionemque omnem conformans suam, divini omen, ac nomen promeretur.

Ego vero, subinfert *Plato*, sic existimavi semper, aut philosophos regnare, aut reges philosophari oportere, idcirco sceptrum, quo regia dignitas ostenditur, huic sapientissimæ facultati sapienter tributum. Sunt enim, quemadmodum leges magistratus muti, magistratus leges vivæ. An lex viva Princeps, cui abest philosophia, quæ est vivendi, ac imperandi ratio recta? quem
60 enim natura perspicacem, & memorem, quem magnificum, & gratiosum educatio, quem veritas amicum, familiarem justitia, fortitudo, ac temperantia comitem sibi, ac socium non reddiderunt, præter modum imperitus est, qui hunc clavo Reip. gubernando idoneum arbitratur? Nam ut hac ipsa, quæ ad rem est, utar similitudine. utrum vultis navis gubernatorem prudenter constitui hominem magnitudine, & robore corporis reliquos nautas excedentem, surdum tamen, caligantibus oculis, & mente gubernationis inscia? an vero eum, qui cum mole corporis, ac viribus minor sit, animi tamen præstat sagacitate, rationem habet anni, ac temporum, cælorum conversiones dignoscit, siderum, ac ventorum motus prævidet, omnemque possidet gubernatoriam facultatem? Nisi quis plane desipiat, & securitati naufragium præferat, non tam corporis molem, quam animi virtutem in optimo navis gubernatore deligendo spectandam judicabit. quod igitur ad prosperam navigationem necessarium omnes putant, id ego contendo in omni administratione fieri debere. nam si unum, idemque in pectus non coeant potentia civilis, & philosophia, haud fieri unquam poterit, ut vel administratio ulla recta procedat, aut Resp. omnium perfectissima, meis in libris expressa lumen unquam solis aspi-

A ciat. Itaque rem hanc ut adumbrarent *Ægyptiorum* sapientissimi, apud quos peregrinus fui, sceptrum, cujus in vertice micaret oculus, sua inter monumenta excitarunt.

At *Seneca* morum honorarius arbiter pedibus init eorum, qui dixerunt ante, sententiam. Neque dictis, aut præceptis solum, verum factis etiam testatum reliquit, quanti præ aliis omnibus hanc æstimaret facultatem, quam optimorum con- 61
siliorum matrem, genitricem virorum, non tam dicendi, quam vivendi doctrinam, adversus omnes fortunæ impetus murum inexpugnabilem
B nuncupavit, ut proinde in hujus sacrario condi jucundissimum arbitraretur.

Quam porro tibi, *Epictetum* compellans, frænum, tam mihi perpendiculum huic mentium humanarum moderatrici, ac gubernatrici concessum allubescit. Fræno equi reguntur, quo voluntas equitis cunque fertur, fræno impelluntur. perpendiculo parietes ædificiorum librantur, ac rectitudo columnarum perpendiculo exploratur.

An genus hominum non equis modo, sed etiam feris magis indomitum, vagum, solutum, liberum, plenum amentiæ, licentiæ amicissimum subjici unquam, domari, ad rectam vivendi normam traduci potuisset, nisi hæc *Bellona* fortior, & sa-
C pientior Virgo suos frænos in ejusdem ora prudentissime immisisset? quasi ullus non dicam amplissimi Imperii, florentissimæ Reip. maximæ Civitatis structura, sed illustris familiæ, sed clari hominis domus recta unquam surrexisset, aut honoris, & gloriæ columna erecta, posita unquam statua fuisset, nisi hæc erigendarum rerum Architecta suæ rationis perpendiculo direxisset?

Verum enim vero *Plutarchus* historiæ, ac philosophiæ geminum, & unicum lumen, ac decus ita excipit. maximi omnium, sapientissimique philosophorum non possum iis non assentiri,
D quæ in civilis disciplinæ laudem attulistis. Sunt enim vero veriora, minora tamen, quam ut ejusdem meritis, & præstantissimæ dignitati respondeant. egregia, & liberalis facies artem hanc *Socrati* divinam, mihi Deam probat. *Scipio* re- 62
gius reginam *Platoni*, eandem mihi largitricem Imperiorum, ac gubernatricem sapientissimam demonstrat. Nam ubi à libella morum Architectam *Seneca* intelligit; ego normam ipsam, & regulam. Ubi *Epictetus* ex fræno vim arguit perturbationum animi subjiciendarum; ego dominam mentium, ac reginam perspicio.

Quid? excellens, ac illustris supellex orna-
E mentorum, quæ ad hujus pedes jacent, num inanis, ac sine maximo consilio projecta existimabitur? haud certe. intellexit enim vir alta mente præditus, qui hanc Iconem Symbolicam expressit, nascenti philosophiæ non obstetricis, aut nutricis inani voto exoptatum, sed ab ipso ejusdem parente Deo dictum: quicquid calcaverit hæc, rosa fiat. Vix autem cælo sublapsa terris pedem huc intulit. cum rubescere pulcherrimis rosis ubique tellus cœpit. dominabantur antea pro virtutum floribus spinæ vitiorum, adeoque mundus erat malorum dumetis obsitus, ut non tam civitas hominum, quam brutarum ani-
F mantium, & ferarum sylva videretur. Sapientiam, amentia; juris cognitionem ignoratio recti, ac æqui; prudentiam, temeritas expulerat. pro Castimonia libido, pro labore otium, pro sedulitate torpor inoleverat. Fortitudo in audaciam, in avaritiam parsimonia, virtus omnis in vitium concesserat. Cruentabantur mortalium intimi pedes, qui sunt affectus animi, dum per vias hujusmodi spinis interseptas ad felicitatem gradiebantur. At hæc ubicunque, seu in hominis mente, seu domo, seu Urbe, seu regno pedem fixit,

fixit, pro spinis rosas invexit.

Postquam enim philosophia terras coluit, floruit virtus apud omnes nationes in omnibus pœne locis. omnes enim in omnibus adjuvit. qui 63
sunt bonorum fines, ac malorum, quos ipsa non ostenderit? qui fontes juris, *Nili* origine secretiores, quos eadem non detexerit? quod virtutum, aut disciplinarum genus, in quo illa hominum genus non execuerit? Ignorabant antea parentes, liberi quemadmodum educandi: hæc monuit. filii, quid parentibus deberent, vix sciebant, hæc docuit. ut præesse aliis domini; subesse qua ratione servi; doceri qua Methodo à magistris; à discipulis qua diligentia perdisci, fas esset. quibus vinculis mutuo tenerentur uxores, & mariti; quemadmodum omnis denique familia regeretur, obscurum erat, hæc enim vero patefecit. Philosophia hominum animos in unum publicæ felicitatis votum cogendo civitates condidit. philosophia urbes conditas non tam mœnibus, quam sapientissimis legibus vallavit. Philosophia principes bello, & pace suis præsidiis aptavit, magistratus æqui amantissimos reddidit, Equites in bellicæ laudis amorem pellexit, plebem artium necessariarum exercitationi addixit, non modo urbes, sed regna, & maximas nationes ad civilis, & militaris gloriæ verticem provexit. Nullum est tandem officii genus, quod quispiam Deo, aliis, sibi, ac suis debeat, cujus ratio a philosophia perfectissime tradita non sit: & quispiam deinde admiretur, si præstantissimarum artium inventrix inter artium instrumenta versetur? quin mihi persuadeo, quemadmodum ii, qui

A naufragio superstites evasere, *Neptuno* votivas tabulas in acceptæ salutis recordationem, & grati animi monimentum suspendunt: ita omnes, qui se, aliosque prudenter gubernarunt, Principes, Reges, Imperatores sua ipsorum insignia ad hujus pedes abjecisse, ac si tacite dicerent: nos quidem, si tuis in nos amplissimis collatis meritis 64
respondere posse satis existimemus, plane amentes simus. quæ tantæ beneficiorum magnitudini gratiarum actio par potest inveniri? tamen, ut omnes intelligant non voluntatem facultati defuisse, hic tuos ad pedes nostrarum emblemata dignitatum lubentissime ponimus, quorum inspe-
B ctu moneantur omnes, quicquid domi, & foris, bello & pace fortis, ac præclari gessimus, id omne nos tibi & debere, & acceptum profiteri.

Concludit Senatoriam laudationem, obsignatque præclarissimo sui nominis omine *Franciscus Petra*, literarum omnium Arca non immerito dictus, non Imperii modo Sæcularis, sed etiam Ecclesiastici regiminis formam, à philosophia mutuatam asseverans. Itaque sapienter eum fecisse, qui regum insignibus Thiaras Pontificias, & Galerum Cardinalitium adjecerit.

Mihi vero quid est reliquum, philosophia cum
C Senatores tui, quæ dici poterant, occuparint universa? nisi illud à te, ut rogem, quando nullum abest ei homini bonum, cui tu ades, ut prudentiam virga, libella æquitatem, frænum temperantiam istud me doceat, quo eam aliquando consequar felicitatem, ad quam te homines duce solent pervenire.

## *Medicinæ Elogium.*

Icon. vid. Fig. 3. Tab. II. pag. 26,

. MATER MEA ME NECESSITAS GENVIT; .

. QVOTIDIE VSVS ME PARIT; .

. VIRES HERBARVM, MEDENDI LEGES .

. PERICLITATIO IPSA ME DOCVIT; .

. AETERNAS VT IN CORPORIBVS RIXAS SEDAREM .

. PRAECELLENTI TEMPERAMENTO .

. INSANIT, QVISQVIS SANITATEM CVPIT .

. ET SERVATRICEM SANITATIS TEMNIT.

65 ### *Iconis Symbolicæ Medicinæ Explicatio.*

NEC, si me in tot dicendi miracula commutarem, in quot se formas, & species *Proteus* vertebat, Artis Medicæ assequar variam, multiplicemque Naturam. Quid enim in ea non varium, & multiplex, cujus & origo anceps, & inventio dubia, & Parentes incerti, & opinio, æstimatioque apud homines pro locorum, & temporum discrimine non solum diversa, sed etiam inconstans, & utilitas ambigua, & honos lubricus, & suavitas insida, & causæ admodum variæ, & effecta poene fortuita, & similitudines dissimiles, & contraria inter se multum adversantia, & exempla dirimentia litem non sine lite, & denique tota ratio agendi fallibilis conjectura? Nam cum fuerit ab hominibus reperta, inanium Deorum inventioni consecrata est. Dubitatum autem non parum ab iis, qui ejusdem inventores Cælo dicarunt, illam primusne omnium *Hercules* excogitarit, ut

D multi volunt: an, ut plures sentiunt, *Mercurius*, seu ut *Ægyptii* ferunt, *Osyris* eorumdem Rex sapientissimus; an, ut communior est fama, *Apollo*, & *Æsculapius* ejusdem filius in Orbem primi omnium invexerint. Utrum vero Natura suis tantum seminibus fæcunda illam ex se genuerit; an usus tanquam solertissimi Mariti opera ad hujus procreationem usa fuerit; quamquam vero est simile, Artem Medicam tanquam parente altero, altera tanquam Matre gaudere, quis tamen secu- 66
re dijudicet? Nam, ut cæteras omittam nationes, quæ sine Medicis vixere; quot, & quam
E discordes inter se, ac varias hac de arte opiniones Romani habuere? Etenim sexcentos per annos indignam arbitrati sunt, quam Civitate donarent. Ubi admisere, hominibus ingenuis minime dignam rati, per servos tantum, ac libertos ut exerceretur, imperarunt. Sed curando, agendo, sanando, suam cuique vitam venalem promittendo, ad eam magnitudinem paulatim obrepsit, ut Romanæ Urbis ritus perdiderit, victorem po-

pulum devicerit, & cum eſſet antea vilior, una artium Imperatoribus quoque ipſis imperarit. Atque iterum ex tanto poteſtatis culmine dejecta, rurſuſque in exilium miſſa, dein reſtituta, fugata ſæpius, denique recepta, ab eodemque ipſo, qui vehementius illam dilexerat, *Hadriano* Imperatore Hemiſtichio notata, Turba Medicorum Cæſarem perdidit, utiliſſima hominum generi, an eſſet potius noxia, in dubium apud omnes revocatum eſt. Qui enim honores magis in lubrico unquam verſati ſunt, quam qui ſunt Medicis habiti, quos modo veluti Deos mortales venerati ſunt; modo tanquam vulnerarios, & qui necarent homines impune, Carnifices publicos deteſtati. Quam porro ſuavitas illa eſt infida, quæ tantæ amaritudinis eſt filia? vix enim ullam hæc Ars oblectationem affert, quam dolorum ingens multitudo non præcedat. Nam de illius cauſarum diſcrimine, ac varietate quid dicam? quis iſtud non obſtupeſcat? Temperiem humorum in qua Corporis valetudo ſita eſt, propoſitam ſibi habent in omni curatione, qui præ omnibus intemperanter vivunt? remedia vero ipſa, quam ori-
67 ginem habuere? Ab ipſa voti ſolvendi cupiditate. Mos enim viguerat, ut qui liberati aliquo eſſent morbo, in *Æſculapii* templo ſcriberent, quid auxiliatum eſſet, ut ſimilitudo proficeret. Quod ſi ulla eſt Ars, in qua illud, quod proverbio fertur, veriſſimum inveniatur: Quot capita, tot ſententiæ, ea profecto Ars Medica eſt. Quot enim curationum formæ, quam diſſimiles, quam inter ſe contrariæ? His frigida placent medicamenta, illis calida, aliis tepentia. Nam male, an bene curarint, quotus quiſque eſt, qui certam ferat ſententiam, cum hujus errores artis Terra contegat, Sol vero progreſſiones meliores oſtendat? Atqui illæ ipſæ, quibus ducuntur conjecturæ, quam leves, quam mutationi obnoxiæ, quam ancipites? Color, Motus, Pulſus, Reſpiratio, cæteraque ejuſmodi ſigna extima ſunt: intimum corporis quis introſpiciat? quis partes in quibus morborum cauſæ deliteſcunt, oculis perſcrutetur? Hinc illæ circa ægros miſeræ ſententiarum concertationes: Hinc divinationes illæ, quibus vaticinantur potius, quam intelligant morbi genus: Hinc experimentum illud, ægrotis quidem, quorum agitur Vita, & Salus, difficile, Medicis vero facillimum, qui alieno periculo famam, & opulentiam aucupantur.

Duæ res nihilominus ſunt, quæ huic facultati maximum & honorem, & utilitatem conciliant, altera eſt humani Corporis ſtructura plane admirabilis; altera vero incredibilis Naturæ in earum ubertate rerum procreanda, quæ eidem ſervirent, providentia. Ingens profecto me ſemper invadit admiratio, quoties tanti fabricam operis contemplor; quantoque major eſt partium ejuſdem multitudo, varietas, diſcrimen, uſus, pulchritudo,
68 utilitas; tanto magis adorare æterni illius Architecti in molitione vim, in diſpoſitione ſapientiam lubet. Nec dubium quin Orbis ſit in compendium miſſus, quando cæleſtium ſphærarum virtus in capite præfulgeat, ipſa vero Elementa in ſubjectis humoribus exprimantur. Gravitat in atra bile tellus, ignis in flava ſplendeſcit, melancholiam regit unda, ipſe vero ſanguis ſuis ſpiritibus aerem æmulatur. Nam metalla quidem ſunt oſſa, herbæ capilli; flores cincinni, fruges actiones; totum corpus arbor inverſa; quæ cælo humorem trahat, non è Terris emendicet. Quis enim Jecur, in quo fabricatur ſanguis, & per venas in omne corpus diffunditur, Rubro Mari perſimile inficietur, à quo plures fluvii ad irrigationem terrarum egrediuntur? Jam Cor officina ſpirituum, quibus vita continetur in medio Anima-
A lis ſitum, Lunam Terris proximam omnium generationum ſublunarium parentem adumbrat? Cerebrum vero ipſum, quod ſublimius locatum eſt, atque idem eſt illorum ſpirituum fons, quibus adjuti ſenſus ſuis muneribus perfunguntur, cui Solem non indicet Oceanum lucis, à quo cæteri Planetæ, ac ſtellæ omnem fulgorem mutuantur? Senſus autem extimi, quique ſuum referunt præcellens aſtrum, Palatum quidem, & Guſtus ſaporum arbiter Mercurium eloquentiæ Præſidem, tactus vero per totum Corpus diffuſus ſtellam, quæ, cum Solem anteit, Lucifer;
B cum ſubſequitur, Heſperus nominetur; Oculi ſuo ardore imperatorio Martem; aures excipiendis omnium vocibus intentæ *Jovem* terris ſaluberrimum, nares denique quæ inter ſenſus extremum obtinent locum, & ſunt iræ, & mœſtitiæ indices, *Saturnum*. & quidem hujus parvi gubernatores Orbis ſunt Medici, quorum admini- 69
ſtrationi, & curæ ſubeſt hic univerſus, cujus partes omnes, quia ita eleganter, ac docte in primo de Natura Deorum non adumbratæ, ſed expreſſæ ſunt, ut cum Natura illarum procreatrice vis Tulliana in exprimendo contendat; idcirco huic ego ſuperſedens ad ejuſdem Naturæ
C magnificentiam contemplandam reliquum Orationis converto.

Creſcit hîc admiratio, & tanto creſcit magis, quanto majorem communis hujus rerum Parentis liberalitatem intueor. Certavit ipſa ſecum, & quamvis voluptatis gratia, multa, & magna genuerit, plura tamen, & majora utilitatis cauſa præſtitit. Neque enim contenta iis, quæ apud nos ſunt elementa, & quæ ex iis gignuntur omnia, ut corporum valetudini, aut conſervandæ, aut reparandæ aliquo eſſent modo utilia, Cælorum, Stellarumque omnium influxus, & Virtutes eidem proficuas maxime voluit. Quod eſt enim,
D aut radicis, aut herbarum, aut floris genus, quæ metalli ſpecies, quod Animantium (neque Hominem excipio) diſcrimen eſt, per quod Hominum ſanitati conſultum noluerit? Atqui nos quidem ignorabamus ſalubriora hæc Naturæ miracula, ſemperque in eadem verſati fuiſſemus ignoratione, niſi quæ dono illa dedit, nos eadem Natura docuiſſet. Ipſa enim eſt, quæ cunctis quidem rebus, præſertim vero Hominibus indidit, ut à noxiis ſalubria diſcernerent, illa vero fugerent, hæc enim ſequerentur.

Ipſa ſolertiſſimos Homines genuit, *Hyppocra-*
E *tem*, *Galenum*, *Avicennam*, aliosque plurimos, qui diverſis temporibus plurima huic Arti ſuo ingenio adjecerint, periclitatione comprobarint, uſu auxerint, ſcriptis illuſtrarint, curatione perfecerint. Ipſa animantes, in quibus dominatur, 70
impulit, ut nobis ſuis experimentis præirent, herbarum poteſtates, ex quibus præſtantiſſima medicamenta conficiuntur, oſtenderent. Quis enim Ibin docuit, ut ſuomet Roſtro ad ſui purgationem uteretur; Ciconiam ut origani folio, quemadmodum Columbam, ut ſibi ramo lauri mederetur? eadem profecto ſagax, & ſolers Natu-
F ra, quæ uti ad morbos pellendos Artem Medicam Hominibus conceſſit, ita ad curationem vulnerum Chirurgiam liberaliter elargita eſt.

Quicumque igitur hanc effigiem Symbolicam intueris, medendi Artem in hac recte pictam animadverte. Nam effuſa veſtis opulentiam, herbarum, & florum faſciculi peritiam medicamentorum, Librorum multitudo pedibus proxima, aſſiduum, & vehemens ſtudium admonet, quæ duo poſtrema niſi in Medico ſint, reliquum eſt, ut vel inopia contabeſcat, vel tanquam vulturius vir eſu Cadaverum pingueſcat.

*Chi-*

## *Chirurgiæ Elogium.*

Icon. vid. Fig. 4. Tab. II. pag. 26.

. CHIRONIS FILIA .
. ARTIS MEDICÆ SOROR .
. VALETVDINIS ALTERA PARENS; .
. INIMICA VVLNERVM; .
. AMICA CORPORVM; .
. SCRVTATRIX VENARVM; .
. CONCILIATRIX OSSIVM; .
. INSTRVMENTORVM SVPELLEX .
.. MIRVM QVAM TVO MVNERI VTILIS .
. ATTAMEN OMNIS .
. ARTIS FOELICITAS DEXTERÆ FACILITAS .

71 ### *Iconis Symbolicæ Chirurgiæ Explicatio.*

QVÆ duæ Artes humanorum corporum ſaluti unanimes, & pœne ſemper conjunctæ ſtudent: hæ ambæ in tabulis proxime merito collocatæ ſunt, Ars Medica, & Chirurgia. An enim ſymbolicarum imaginum excogitator divideret, quas ab artium communi parente neceſſitate mutuis officiis, ac muneribus connexas plane ſciret? ſiquidem hominis corpus quam eget medico ad rectam præſcribendam methodum ſumendarum potionum, quibus humores noxii expellantur, tam Chirurgi peritiam deſiderat ad ſolvendum, ad urendum, ad ſecandum, & ad omnium curationem vulnerum.

Quantum enim vel tibi *Mizranes* debemus, qui eam inveniſti, vel tibi *Apis*, qui multum auxiſti, vel, *Chiron* tibi, à quo ipſa nomen accepit, vel, *Machaon*, tuæ virtuti, ac diligentiæ, qua eandem non mediocriter illuſtraſti, vel vobis, *Celſe*, & *Allab*, quorum alter illam docuit, alter perfectiſſime inſtruxit? niſi enim eſſet hæc ars omnibus abſoluta numeris, quam perpetuis doloribus urgeri hominem oporteret? hæc, ſi venæ, & arteriæ à corde tractæ, & in omne corpus profectæ vel nimio redundant ſanguine, vel nimis ebulliunt, & ſuo fervore febrim incutiunt, protinus illas ſolvit, atque æmulata induſtriam,
72 & conſilium illorum, qui flumen exonerant varios in alveos, ne aquarum ubertate regurgitet, aperit, & in varias partes deducit: hæc, ne morbi vitium alatur, & tegendo creſcat, pie, ac humaniter crudelis urit, & ne longius ſerpat, igne compeſcit.

Hæc, ſi forte os aliquod corporis ſuo divulſum ſit loco reponit: ſi fractum, componit: ſi putridum, aliiſque exitiale, abſcindit: Denique, ut medicos hujus parvi Orbis gubernatores audivimus; ita Chirurgos ejuſdem corporis quaſi viventis horologii adminiſtros exiſtimare debemus.

Quis enim eſt, qui diligenter conſideret, otioſeque contempletur partium humani corporis multiplicem, & variam connexionem, ordinem, influxum, motum, ſigna, & reliqua ejuſmodi plura, qui non judicet idem corpus horologium eſſe non ab arte inventum, ſed à Natura exco-

A gitatum, & perfectum, non mutis agitatum ponderibus, ſed ardentioribus, & intimis ſpiritibus impulſum: non rotis ferreis, ſed carne, & oſſibus compactum, cujus venæ, & arteriæ micare non deſinunt quaſi quodam igneo motu, & indicia proferunt non temporis, ſed optimæ conſtitutionis, ac valetudinis? Porro illud experimur quam facili negocio, & quam levi temporis injuria à ſuo curſu retardentur, ac impediantur hæc ipſa metiendi temporis inſtrumenta. Ut Cælum ſit nimium indulgens, & ſudum, ut ventus ſpiret paulo vehementior; ut Auſter imbribus dominetur; ut minimum à tranquillitate aër mo-
B veatur, è veſtigio, aut hæret, aut claudicat, aut præceps fertur, aut omnino horologium conticeſcit. Itaque niſi hanc artem homines reperiſſent, qua rotas ungendo, pondera minuendo, addendo, tollendo, molem ipſam omnem in ſuas partes dividendo, & purgando, curſus impedimen- 73
ta removerent, nullo prorſus tempore certa indicia, & ſigna temporis haberemus.

Siquis enimvero eſt, qui de illo dubitet, quod eſt omnibus compertum, multo & pluribus & vehementioribus morbis horologium hoc carneum ſubjectum eſſe, quam impedimentis illud
C ferreum, huic ego homini Deum, aut valde propitium, aut valde iratum puto, cui nullum morbum, ægritudinem nullam paſſus ſit obvenire. Cæterum ſi è medio Chirurgiam tolleremus, quoties hujus horologii concentus, & ordo obmuteſceret? quoties hæc optima diſpoſitio, & conſtitutio membrorum interiret? quoties corpus ſuis ab actionibus quieſcere omnino præ dolore cogeretur?

Illud etiam accedit, quod etſi aptas, & multarum artium adminiſtras manus natura homini tribuerit; tamen hac ipſa, quæ ab ipſa manu no-
D men traxiſſe non immerito videri poteſt, una omnes veluti epilogo continentur. Etenim Chirurgus, dum contractione facili, facilique porrectione digitorum in corporis curatione velox eſt, ac ſalubris, omnes pœne alias, quæ manibus exercentur, artes cum oblectationis, tum neceſſitatis ſimul conjungit. Sculpit enim; oſſa ſi quando unquam leviter radit: fingit vero, cum eadem loco dimota componit: Pingit carne ſuperinducta, cum bonitatem coloris tuetur, & in-

ſtruit. Quod ſi terram agricolæ manibus ad frugum copiam exercent aſſidue : chirurgi corpus arant ſciſſionibus ad ſanitatem conſervandam. Manibus fabri tecta, & domos excitant: chirurgi domicilium animi ſæpe labans manibus ſuſtentant. Opificum induſtria conſequimur, ut tecti ut veſtiti ſimus : chirurgorum opera, ut ſani &
74 incolumes. E terræ cavernis plures ferrum eliciunt, rem ad colendos agros neceſſariam : è corporum viſceribus tela ſæpe extrahunt Chirurgi; quod niſi facerent, vitam innumerabiles amitterent. Metallorum venas pœnitus abditas cupidiſſimi mortalium inveniunt, & ad uſum aptas, & ad ornatum decoras : Corporum partes intimas amico ferro ſcrutantur hominum maxime ſalubres chirurgi, & ad eas ſanandas, & ad eaſdem in ipſa ſanitate retinendas.

Aquarum inductione terris fæcunditatem dant aliqui : Chirurgi emiſſione ſanguinis corporibus incolumitatem. Alii flumina pro arbitrio arcent, dirigunt, avertunt : Hi pro ſuæ artis imperio ſanguinis fluvios aperiunt, claudunt, obſignant. Quid plura ? non deſunt, qui agros incendant, ut per ignem omne agri vitium excoquatur; qui arborum ramos præcidant. ut pulchriores, & robuſtiores iterum pullulent: Jam ſupra innuimus, eandem ob cauſam chirurgos humano in corpore aduſtionem, & ſectionem neceſſario adhibere. Quod ſi manibus homines in rerum natura quaſi alteram naturam efficiunt, ut *Ciceroni* videtur, quæ tandem illa eſt ars, niſi hæc, qua de loqui-
A mur, Chirurgia ? Quæ ſcite admodum exhibetur intuentium oculis, veſte ſuccincta, manicis ad cubitum revinctis, læva ſuſtinens inſtrumentorum thecam, quorum aliqua jam educta pertractat dextra, ut jam ex ipſo intelligeremus habitu, & ſupellectile, quam expeditum, & facilem eſſe oporteat illum, qui hanc artem exercet. omnis enim hujus facultatis laus in dexteritate, & velocitate poſita eſt. Sed quid ? num ira efferbuit, & ampullas projecit ? video enim adeſſe ampullarum ciſtam : at intelligo ; in ciſta ſunt 75
collectæ, non ſparſæ. quare non iræ, ſed benevolentiæ ſigna ſunt. ſunt enim ad medendum, &
B pro varietate morborum, ipſæ quoque multiplices, & variæ. Tu vero, qui cum ſis piſcis, mugis nihilominus, unde vituli marini tibi nomen acquiſitum eſt, cum ſis pelagi civis, quid hic, quid aliena in regione verſaris ? at modo memini, quod haud decebat me oblviſci, præter omnes piſces diſciplinam accipis, &, ut ait Naturæ ſolertiſſimus indagator *Plinius*, voce pariter, & viſu populum ſalutas incondito fremitu, nomine vocatus confeſtim reſpondes : neque maris tantum, ſed etiam terrarum incola, per quam chirurgiam ſequeris, quæ tui exempli edocta ma-
C giſterio ſectionem venæ didicit ad omnes morbos relevandos aptiſſimam.

At ne vos, Auditores, ferreis inſtrumentis perterream, & ampullis faſtidiam, chirurgia, ſi lubet, quæ agendi facultas eſt, Rhetoricæ concedat, quæ eſt Ars bene dicendi.

## *Rhetoricæ Elogium.*

76 . SAPIENTIÆ, ET FILIA, ET SOROR .

. ELOQUENTIA .

. DOMINA CORDIVM, ANIMORVM REGINA .

. DOCENDI ARTIFEX, OPIFEX DICENDI .

. OTII COMES . AVCTRIX NEGOTII; .

. ALVMNA PACIS . BELLI ADMINISTRA .

. FLVMEN AMORIS; TERRORIS FVLMEN .

. LVMEN POLITICÆ . SVADÆ NVMEN .

### 77 *Iconis Symbolicæ Rhetoricæ Explicatio.*

Si quod eſt in inveniendo acumen, ſi quæ in diſponendo prudentia, ſi in exornando ubertas aliqua, ſi qua memoriæ felicitas, ſi qua vocis ſuavitas, & actionis concinnitas, ſi quod tandem judicii lumen, quæ omnia nemo eſt, quæ in te perfectiſſima eſſe non ſentiat, ò domina rerum eloquentia : horum omnium liberaliſſimum fieri munus a te mihi deberet, ut, quando in terris nulla oratio tuis virtutibus par poteſt excogitari, ingenio ſagacitas, diſpoſitioni ordo, ubertati copia, felicitati facilitas, concinnitati venuſtas, prudentiæ tuæ tua ſaltem pro dignitate ſapientia reſponderet. Eſt enim illud amicum rationi, cognatum fidei, veritati conſentaneum, ut quæ reliquas artes alias, ſcientiaſque omnes, quemadmodum ſol aſtra, tuo ſplendore nobilitas, liberalitatis tuæ fontes, quos illarum laudatoribus vis eſſe recluſos, illos tuarum laudum cupidiſſimo, amantiſſimoque ne claudas. Neque vero illud vehe-
D menter optem, aut rogem, ut flos eloquentiæ delibutus, aut medulla Suadæ ab omnibus exiſtimer, verum illud unum eſt ſimplex oratoris tui votum, egregia, & perfecta laus clariſſimæ artium Imperatricis. Aggrediar itaque tuos honores, qui tot, tantique ſunt, ut nullius lingua præterquam tua ſatis digne poſſint celebrari. Non enim dubito, quin inquirenti mihi, ac in locis 78
argumentorum, tamquam in ſylvis venanti rationes, quibus te laudem, altera veluti *Diana* ſagittis, & arcu munita benigniſſime non ſis occurſura: res inventas diſponenti, aureum ordinis filum, tamquam *Ariadna* non ſis liberaliter
E conceſſura : exornanti vero, ac pingenti, elegantior *Flora*, ſimul & magnificentior, è florentiſſimis verborum, & ſententiarum ordinibus, datura non ſis ipſa lumina : in memoriam vero revocanti, affutura, felicior, & fæcundior ipſa *Mnemoſyne*, quæ Muſarum extitiſſe mater perhibetur; agentem denique ac perorantem, non invita, ſed lubens, altera velut *Minerva*, ſacro Charitum, & Gratiarum comitatu ſtipata, ad ex-

TAB.III.




Rhetorica.




Poesis.




Astronomia.




Geographia.

excelſum uſque tuæ commendationis verticem non ſis feliciter provectura. Sed quoniam ipſa præcipis, ut qui alicujus viri, aut familiæ, aut etiam urbis nobilitatem ſunt demonſtraturi, ii primum antiquitatem originis repetant, deinde auctoris, poſt & urbis, ſeu familiæ Principis illuſtrem, & eximiam virtutem recenſeant, poſtremo, multitudinem, magnitudinemque virorum, quos literaria, bellicave gloria poſteris claros tranſmiſerit, diligentiſſime proſequantur: eundem ego in tuæ Iconis explicatione ordinem ſervabo: tuæ quemadmodum ſeriem generationis præmittam; deinde quam prudenter iis fueris inſignibus, ab eo, qui te vehementiſſime ſemper dilexit, coluit, in deliciis habuit, decorata, ſi modo aſſueris, non indecore oſtendam.

Quem igitur eloquentiæ parentem fuiſſe arbitramini? *Gorgiam Leontinum? Iſocratem? Ariſtotelem?* an vero *Tullium*? mihi enim vero diligentius contemplanti, non alius quam ſcientiarum omnium, & artium conditor, & elargitor Deus,
79 Germanus eloquentiæ parens ſemper viſus fuit, qui numeris illam omnibus abſolutam *Adamo* hominum Principi conceſſit, initia vero ejuſdem, & imperfecta ſemina univerſis, & ſingulis hominibus pro ingeniorum varietate diſtribuit.

At eloquentiæ matrem quis dubitet naturam fuiſſe? quæ inditæ à Deo virtutis acceptum ſemen in utero mentis fovit, ac Urſarum more imperfectum in lucem emiſit, ſed obſervatio paullo diligentior inepta relinquendo, apta ſeligendo, eandem, melioribus præceptis, quaſi coloribus, & lineamentis perpolivit.

Obſtetrix autem, quæ eloquentiam in vtero ingenii conceptam in auras eduxit, in paucis quibuſdam excellentioribus ingeniis fuit inventio propria, in omnibus communiter alieni magiſterii diligentia. Nam quidam, tanto acumine fuere à natura præditi, ut viderent ipſi, quæ ad fidem gignendam eſſent propria, quibus è locis petenda, quo diſponenda ordine, quibus verbis illuſtranda, qua ratione auribus, oculiſque hominum proponenda. Reliqui omnes aliena doctrina eguere, præter labores, & dolores, quos in pariendo eloquentiæ fœtu maximos ipſi ſunt experti. Itaque quemadmodum obſtetrices parientem fœminam non modo adjuvant, ſed partum etiam ſuſcipiunt, & à ſordibus abluunt; ita magiſtri diſcipulos non ſolum provehunt, ut orationis perfectæ fructum pariant, ſed orationem ipſam ab erroribus, & mendis expurgant.

Nutrix vero, quæ vix natam ſuaviſſimo lacte facundiam alit, communi oratorum ſuffragio dicendi eſt accurata exercitatio. Ut enim optimæ nutrices, maxime diligentes, & ſolicitæ ſunt de infantium ſalute, & progreſſu; ita exercitatio
80 ipſa, ut prognatam bene nutriat eloquentiam, infantili ea in ætate, nihil intentatum reliquit. Nutrix, ut bonum lac infanti præbeat, delectis veſcitur cibis: exercitatio, ut oratorium ſtylum bene firmet, elegantiſſimis delectatur auctoribus, & libris. nutrix variis oblectationum generibus puerum recreat, nunc canit, nunc lallat, modo in cunis dormientem alternis convertit, modo inter brachia ridentem varia per loca circumfert: exercitatio, ut eloquentiam perficiat, nunc ſcribit, nunc dicit, modo genus orationis immutat, modo variis eandem rem modis exornat.

Dux certior eloquentiæ, præter artem, præclariſſimorum auctorum imitatio. Infantibus Regum, præter nutrices, quæ illos alunt, comites etiam, & nutriciæ Matronæ addi ſolent, quæ per iter ſecure illos deducant: eodem plane more natura, hujus Reginæ mater, artem ipſam, & imitationem, tamquam duas be-
A ne dicendi prudentiſſimas magiſtras, tam excellentis filiæ ſecuritati præfecit. Quo munere dici non poteſt, quam concordes fungantur. Ars enim Theoricam, Imitatio Praxim demonſtrat orationis. Illa præſcribit limites, intra quos exordiri, proponere, partiri, narrare, confirmare, perorare orator debet. Hæc in ſummis auctoribus, excellentibus tamquam in tabulis expreſſa, non animis modo, ſed etiam oculis contemplanda perfectiſſima ſubjicit ad imitandum exemplaria.

Eloquentiæ germana ſoror Dialectica, uno,
B ac eodem partu ſimul in lucem edita, ut Phœbus olim, ac Diana. Quamquam enim omnes ſcientiæ, & artes, cum ab eodem parente Deo, & natura matre progenitæ, & mortalium ingeniis in matrimonium collocatæ ſint, ſorores invi- 81
cem dici recte omnes poſſunt; tamen præter alias omnes, has præcipue duas germanas arguit, quæ ambas inter diſſimilis effulget ſimilitudo. Reſpondent enim primum in materia ipſa, cum de rebus omnibus ambæ ſint. nulla eſt enim res omnino, de qua, tam orator, quam Dialecticus non poſſit ſermonem inſtituere. Deinde omnibus communiter hominibus inditæ ſunt. omnes enim
C natura duce accuſant, defendunt, arguunt, ſuadent, vituperant, laudant, licet certam horum omnium rationem ignorent. Differunt autem ratione dicendi, & fine propoſito. nam Dialectica preſſe, & anguſte, eloquentia vero late, ac diffuſe dicit. Dialectica cognitionem intendit quæſtionum communium: eloquentia ut plurimum fidem quæſtionum civilium. Accedit etiam inſtrumentorum, quibus utuntur, diſcrimen. Nam dialecticæ quidem inſtrumenta ſunt, ſyllogiſmus, & inductio. Enthymema, & exemplum, oratoriæ facultatis. Quare Dialecticam palmæ compreſſæ, eidem vero expreſſæ eloquentiam non
D imprudenter Zeno comparavit. Ego vero duas has ſorores non incongrue *Racheli*, & *Leæ* conferrem. ut enim *Lea Rachele* deformior, tamen generatione fœcundior: ita Dialectica, ſi nitorem verborum ſpectes, eloquentiæ pulchritudini concedit, ſin argumentorum, & rationum gravitatem, & multitudinem reſpicias, multo ipſa uberior. Contra vero *Rachel Lea* formoſior, niſi poſt ipſam nubetur, & poſt multos annos vix parit, ſed excellentiores, & nobiliores fœtus *Benjamum*, & *Joſephum*: non ſecus eloquentia Dialecticæ formam præripit, judice non ſolum *Alexandro Paride*, ſed omni mortalium genere;
E haberi tamen non poteſt in ſponſam, niſi poſt Dialecticam, à qua vim arguendi mutuatur 82
omnem, neque vero ſuas argumentationes tam facile concipit, verum diuturno labore, ſed ornatiſſimos deinde partus emittit. Teſtis *Iſocrates*, qui decennio Panegyricum elaboravit.

Duæ etiam *Servii* Romanorum Regis filiæ, mitis ingenii altera, altera maxime ſuperbi, duas has adumbrant ſorores, quarum Dialectica gravior, ambitioſior eloquentia. Sed ut is præcellens temperamentum invenit, ſuperbam miti, mitem ſuperbo viro in matrimonium collocans:
F hoc idem non abs re conſilium erit, ut eloquentia mitioribus ingeniis, Dialectica aſperioribus deſponſetur.

Eloquentiæ comites ſunt Poeſis, à qua numerum orationis accipit hiſtoria, quæ eidem tribuit exemplorum ubertatem, & immenſam plane ſupellectilem eruditionis.

Ancillæ ejuſdem Imperatricis artes reliquæ, quam mechanicæ, tam liberales, & ingenuæ. Grammatica omnium prima ante illam incedens barbarorum, & ſolæcorum agmina longe depellit. muſica, pictura, ſtatuaria, & aliæ omnes eidem

peroranti suppeditant innumeras similitudines. A

Reginæ, quæ cum eloquentia fœdus iniere, Naturalis, & moralis philosophia, Juris, & legum prudentia, sapientia ipsa, Mathematicæ disciplinæ, Theologia. est hæc Regnorum consuetudo, ut plurimorum sibi fidem, & amorem Principum concilient, ut mutuis auxiliis suos quisque fines facilius tueatur. An vero illud cuiquam est dubium, si eloquentia, & Philosophia, aliæque scientiæ per mutua invicem nitantur, quin nominis, ac muneris sui dignitatem utraque
83 facilius sustineat? illa quidem gravitate sententiarum suum nitorem non illustret, hæc autem verborum ornamentis suam majestatem non exornet? B

Ministri eloquentiæ præstantissimi omnium *Aristoteles*, & *Tullius*, quorum ille docendi, hic vero dicendi optimus magister extitit.

Denique hujus Reginæ sponsus, immortalis hominis animus. Dos, ornamentorum non muliebris, sed virilis mundus. Partus in subsidium & defensionem Reip. literariæ, orationes accusatoriæ, ac defensoriæ: in ornamentum domus, & præsidium, vituperationes, & laudes: in utilitatem civium suasoriæ, & dissuasoriæ.

Sed jam ejusdem insignia, & symbola, quam decora sint videamus. nisi forte Regii diadematis C species, ac dignitas eo cujuspiam animum petrahat, ut eloquentiam mentitam habitum, & imperatorium decorem subfuratam arbitretur. Nam, si neque duos Soles cælum; neque duos Reges capit Regnum, nec quidem hominis corpus duo sustinet capita; an scientiarum, & liberalium artium dominatio, quæ ordinatissima omnium esse debet, usque adeo divisa est, ut ex iis, non una solum aut altera, sed plures in hoc sublunari orbe dominentur?

Huic ergo homini satis hac ratione factum velim, aliam esse hominum, scientiarum aliam imperandi rationem. Harum enim in regnando concordia parvæ res admodum crescunt: illorum vero discordiis, quæ ex nimia alieni cupiditate oriuntur, dilabuntur vel maximæ. Homines in ejusdem Regni administratione simul ut versentur ea ratione videtur haud posse fieri, quod ab invidia,
84 ab odio, ab opinionum varietate, & dissensione ut plurimum non sint vacui; scientias vero, & artes ingenuas nullæ rerum harum transversas agunt. Quid quod imperiorum tot sunt in his facultatibus discrimina, quot sunt rerum pertractandarum amplissima genera, atque in iis pertractandis ratio plane discreta? imperat enim Theologia; imperat lex Civilis, & Canonica; imperat Moralis Philosophia; verum ita omnes imperant, ut imperium suum non abrogent eloquentiæ. Illæ enim jubendo; hæc dicendo: illæ intentando pœnas, hæc tantum minas: illæ decernendo præmia; hæc proponendo. cæterum eloquentiæ imperium, tam magnum, adeo vastum, tamque immensum est, ut non quemadmodum alia, rerum, aut naturalium, aut moralium, aut agendarum, aut fugiendarum, aut sacrarum, aut civilium, aut humanarum, aut divinarum, aut terrenarum, aut cælestium limitibus circumscribatur, sed res plane omnes complectitur, ut cum ipsa Dei virtute procreatrice omnium decertare videatur. Quis enim locus ejus ditioni non subjicitur? quæ locos omnes extimos, intimos, communes, proprios, humiles, excelsos suæ orationis cursu pervagatur. Nam, quæ res præteritas pro meritis judicandas statuit; quæ præsentes laudat, si à virtute sint profectæ, sin à vitio natæ, redarguit; quæ de futuris consulit, nullum profecto temporis discrimen ostendi posse declarat, cujus ipsa non sit arbitra, & perfectissime domina. An vero personarum ullum est genus, conditio, ætas, sexus, professio, dignitas, gradus, qui hujus non imperiis, sed verbis, non offensionibus, sed precibus, non comminationibus, sed commotionibus, & viribus non pareat, aut aliquando non paruerit? Hæc est enim, quæ hominum, tam varia genera, & ingenia, tam inter se contraria, quæ more pecudum vivebant, 85
prima in unum coegit, pro glandibus fruges invenit, sanctissimis legibus, optimis institutis inter se arctissime devinxit. Hujus vi adducta est *Iphygeniæ* mater, quæ illam nubilem pulcherrimam, unicam Regni Hæredem, suum omne delitium, & præsidium, non invita domi habebat, lubentissime *Ulyssi* pro Græcorum salute immolandam traderet. Huic *Athenis* minime obstitit Regis *Philippi Macedonis* cupiditas, ac vis, quo minus *Demonstene*, tamquam ejusdem nobilissimo præcone totius *Græciæ* publicus hostis renuntiaretur. Hanc *Tullio* agente, non *Verris* crudelissima rapacitas, non insolens *Vatinii* protervia, non *Pisonis* iners audacia, non *Catilinæ* amentia, & scelus, non denique *Antonii* evertendæ Reip. improbissima cupiditas tonantem, ac fulgurantem *Romæ* sustinuit. At hujus potestate flexamina, sæpius victa juvenilis licentia, edomita virilis superbia, avaritia senum extincta, superata vanitas fœminarum, levitas, & inconstantia popularis compressa, repressa nobilium insolentia, magistratuum injustitia correpta, emendata Principum libido sævissima.

Quidni omnibus plane hominibus imperet facultas illa, quæ, sicut à Dialecticis inventionem, dispositionem à philosophis, à legum peritis memoriam, ab Histrionibus actionem, à cæteris scientiis, & artibus materiam accipit: ita omnes, quæ sunt in homine virtutes. cum imperio movet, rationibus mentem, affectibus voluntatem, D voce aures, gestu totius corporis oculos, cæteros sensus propositione earum rerum, quibus illi delectantur.

Jam vero, si tum veritati maxime proximus 86
*Aristoteles* fuit, cum in judicando, affectu duci omnes pœne asseruit: Quænam est alia affectuum perturbandorum magistra, ac administra, nisi eadem eloquentia? eloquentia amoris incendium, fax odii, cupiditatis esca, fugæ dux, lætitiæ genitrix, mater tristitiæ, iracundiæ alimentum, timoris nutrix, excitatrix audaciæ, spei, ac ejusdem contrariæ pro temporum, & rerum varia opportunitate ardens corroboratrix. Quod tu mi- E hi nunc imperium objicias hoc eloquentiæ regno ulla in re majus? cujus antiquitati vetustissima dominationum illa *Assyriorum* à *Nino* primum fundata longe concedit; *Persarum* altera regionum amplitudine se multo minorem fatetur; Cujus gloriæ *Macedonum* virtus, immensitati Romana magnitudo sponte principem locum, & dignitatem relinquit. Atqui tanto imperio digna species. Pulcherrimum caput, cui gratiam cincinni, majestatem oris decor; catenulæ aureæ profluentes ex ore vim quandam dicendi incredibilem; viridem ætatem facies imberbis, vestis, & F pallium Gemma splendenti connexum, omni florum genere decorum florentissimum animum, læva exporrecta verborum liberalitatem; pacis ineundæ methodum Caduceus dextra prælatus; olla fervens, & aurea prope pedes calcaria, & fræni ardorem, & ad concitationem animorum vehementissimos adesse stimulos probant. Neque vero indignus virorum comitatus. Theoricæ quidem Principes antecedunt magistri, *Aristoteles* hinc, illinc *Quintilianus*. subsequuntur, qui *Græcæ*, *Italicæ*que linguæ disertissimi, iidemque sacri oratores fuere, *Chrysostomus* ab aureo eloquen-

quentiæ flumine nomen mutuatus, & *Panigaro-*
87 *la*, non minori forte titulo eandem ob causam illustrandus. Qui profanæ facundiæ clarissimi fontes olim audiere, *Athenis* alter, alter *Romæ* agmen claudunt.

Ut enim singula breviter complectamur, pulchram, gratam oculis, acceptam animis formam in oratore omnes desiderant. Gratior enim, suaviorque virtus esse illa consuevit, quæ à corporis eximia pulchritudine provenit. Cincinni enim non sic allubescunt oculis, quemadmodum novæ, & præclaræ cogitationes animis. Sed neque pulchritudo oris tanta, quanta esse solet orationis. Porro ex catenis aureis elegantissimam dispositionem, an vim potius mirificam, & singularem intelligam? siquidem nullius artificio ulla adhuc catena elaborata, perfectaque est, cujus annuli tam decore juncti, connexique essent, quemadmodum non modo partes præcipuæ, sed verba singula in oratione suis numeris copulantur. Jovis catena, qua res omnes sublunares conjunctas invicem *Homerus* fabulatur, commentitia est, ut illa etiam *Herculis Gallici*, qua vulgi aures devinctas post se allicere, & quo vellet trahere, falso creditus est. Ast eloquentiæ catenas cum optime dispositas, tum maxime validas, ejusdem ordo, & Chimeræ victoria testatur.

Utinam *Flora* meis laboris pedem impressisset. Rosas loquerer, aut etiam gemmas, potius etiam stellas, quibus oratio mea cum eloquentiæ pallio, ac veste florentissima decertaret. Ego enim sic existimo agros illos, qui Regiis manibus consiti antiquitus ad pompam, & magnificentiam narrantur, non esse cum eloquentia ullo genere decoris comparandos. non enim tot florum tam variæ, ac inter se tam diversæ familiæ, quot species sunt, genera-
88 que verborum. Florum alii simplices, plures simul mixti, nonnulli ex alienis regionibus translati, & peregrini, multi etiam in eo nati solo, in quo vigent, non pauci, tot coloribus, tot lineamentis distincti, ut in iis efformandis secum lusisse naturam existimes. Quid enim verborum origine, patria, magnitudine, sono, pulchritudine, translatione, collocatione admirabilius? illa quidem antiqua, hæc nova; illa in Latio nata, hæc vero; latinitate donata, grandiora illa, & magnificentiora, nitidiora hæc, & multo pulchriora: hæc propria, illa translata, hæc denique naturaliter vincta, illa ingeniosissimis figurarum ordinibus disposita, & valde illustrata. Aurora ipsa, medius fidius, quamquam amictu roseo, & omni florum genere vermiculato induta sese mortalibus formosissimam ostentet, floridum orationis genus ad certamen non provocet; sin in hanc pulchritudinis arenam cum illo descendat, non tam victrix, quam victa discedat.

An enim ex ore, ex manibus, toto hujus ex corpore non oriuntur æternum virentes violæ, cum omnium rosarum, & liliorum admixta nobilissima sobole?

Cui enim usui manus lata, exporrecta, nisi, ut apertissima, promptissimaque esse intelligatur ad verborum lectissimorum, quasi florum venustam sationem, an sparsionem? ne vero id præter decorum efficiat, monet prudentiæ illustris gemma, quæ pallium nectendo pectoris verticem non mediocriter illustrat. est enim eadem natura floribus, quæ sideribus; mediocribus intervallis dissita, elegantissimas animantium figuras intuentibus exhibent, & oculos incredibiliter delectant; cohærentia, & in acervum pœne deducta mu-
A niunt viam candidissimis veluti capillis stratam; 89
ipsa vero, ne cernuntur quidem. Habendus itaque florum delectus oratori, ne nimium illustrando cælum orationis inumbret.

Sed me jam dudum ad se revocat Caduceus non tam pacis, quam persuasionis oratoriæ argumentum nobile. fabulam narro, vos ex hujus notitia perpendite, ad rem utrum sapienter collocem.

*Mercurius* Deorum est habitus interpres, ac nuntius.

Huic pro stemmate legationis, qua fungi credebatur, virga tributa est aurea, & fatalis, qua B animas repente in inferos retrudere, atque iterum ex inferis posset revocare. Vidit is duos angues inter se crudeliter rixantes, dum pede celeri mandatum Jovis deferret. substitit, ut fit, paulisper, utriusque anguis in dimicando ardorem, & pertinaciam admiratus, virgam expedit, ac mediam ponit. Abjecta è vestigio ira (rem admirandam) illi in gratiam redeunt, mutuisque se nexibus circum virga concordes amplectuntur. sustulit orator cælestis prodigium, & alarum remigio, quas non solum pedibus, sed galero annexas habebat, iter in Cælum sollicitat, ac tanti novitate C spectaculi Deos ipsos in admirationem traduxit. Hinc illa manavit Græcorum consuetudo, qui pacem ab hostibus rogaturi Caduceum manibus præferebant.

Quid opus est fabulis? veritas loquatur ipsa. non dico homines è draconis dentibus, quos *Cadmus* sevit, progenitos: non è *Deucalionis*, & *Pyrræ* jactatis retro lapidibus eosdem procreatos assevero. Rixæ, seditiones, bella, discordiæ, quibus hominum genus perpetuum urgetur, certissima documenta dant, quemadmodum fraudulentis illius antiquissimi serpentis morsibus fuerimus 90
D appetiti, veneno infecti, & in omne discordiarum genus præcipites acti. nisi aurea, & fatalis eloquentiæ virga, quæ sua vi admirabili reis mortem, innocentibus vitam confert, virtuti laudem, vitio dedecus reddit, res utiles suadet, dissuadet perniciosas, hominum generi serpentum more inter se contendentium è cælo demissa fuisset, quæ media poneretur, quis controversiarum finis unquam foret? nam eadem virga duos inter angues posita naturam oratoriæ argumentationis demonstrat. Quæ duæ propositionis extremæ partes sunt, quarum connexio quæritur; hæc certe, cum dubium sit, amicæne sint, ac inter se E disjunctæ, quasi angues inter se rixantes videntur. Quæratur ergo, & media ponatur ratio aliqua, tum illico in eadem tertia tamquam projecta in virga sese invicem amplexabantur, suoque complexu fidem in auditorum mentibus generabunt.

Sed, ut hoc efficiat, ardeat orator primum necesse est. Quamobrem sapienter olla fervens apposita est. Ardere porro, & in dicendo excellere nunquam poterit, nisi, quæ ex omnibus eloquentiæ præmiis, amplissimum est, gloria, ejusdem pectori acutissima calcaria incunctanter admoveat. Atqui catenularum ex ore profluentium F illustris numerus monet iterum, ut tres dicendi colores, ac characteres, humilem, mediocrem, sublimem ne pœnitus relinquerem. sunt enim tria veluti licia, quibus non tam corpora, quam animos tribus modis devincimus. Verum Poesis interstrepit, & vel nolentem stylum in sui laudem trahit. Sequor, nam me quam pedestris, tam equestris orationis suavitas delectat.

## Poesis Elogium.

Icon. vid. Fig. 2. Tab. III. pag 39.

. CÆLI DONVM; NATVRÆ BLANDIMENTVM .
. DELICIVM GENII; OBLECTAMENTVM INGENII .
. EFFICTRIX RERVM OMNIVM .
. ÆMVLATRIX PERSONARVM .
. DOMITRIX FERARVM .
. MORA FLVMINVM .
. ANIMA LAPIDVM .
. ET PRODESSE POTES, ET DELECTARE .
. SOLEAS QVAMVIS NON FACERE, SED FINGERE .

### *Iconis Symbolicæ Poesis Explicatio.*

91 A Te viror omnis, & ardor. terrestris cælestem; Arbor lucis fontem, laurus alloquitur Solem, Poesis Apollinem. Etenim laurus, non doctæ modo, sed etiam Imperatoriæ frontis præcellens decus, cum beneficio Solis, cui amicissima est, virori fidem, & ardori perpetuam servet, eidem Soli gratissima, sua potius flagranti viriditate, quam voce ulla hoc idem semper repetit; à te viror omnis, & ardor. Quod enim, inquit, virescens ardeam, quod ob hanc admirabilem viroris, & ardoris connexionem omnibus allubescam; quod ornamentum Domorum, custos liminum, Cæsarum Janitrix, à foribus Pontificum, pacis nuntia, Romanorum fascium decor, honos triumphi, capitum adversus vim fulminis munimen, Poetis accepta, sacra eorundem Principi, *Æsculapio* ejusdem filio ad medendum non inepta existimer; hoc quantum, quantum est, id quemadmodum à tua liberalitate accepi, ita in eandem referendum omne, uti sentio, sic refero. A te viror omnis, & ardor.

An ullam fuisse aliam existimatis caussam, quæ homines sapientissimos impulerit, ut Lauream, qua hujus invictæ Virginis caput decorarunt, Sole ipso tanquam splendidissima omnium gemma illustrarint, nisi, ut, quæ Poesi cum Apolline inest, maximam necessitudinem declararent?
92 est enim Poesis lauro simillima, quemadmodum mens, & vis poetica solaris, & apollinea. Laurus multum viret; Poesis æternum viget. non abest ab illa ardor; adest huic autem furor. illa exornat domos, hæc animos. excubat illa ante Regum limina, vigilat hæc ante Musarum domicilia. lauro nuntiantur victoriæ, poesi evulgantur. ovationes sine lauro steriles, sine poesi arentes. si ruat æther in fulmina, non timet frons lauro præcincta; quid sævæ licere potest fortunæ in eam virtutem, quæ a Poesi commendata sit æternitati? verum est enim, quod optime de lyrica meritus cecinit Vates.

*Dignum laude virum Musa vetat mori*
*Cælo Musa beat.*

contra enimvero celata virtus, nec versibus illustrata, quantum sepultæ inertiæ tandem distat? Magna Poeticæ facultatis laus, incredibilis gloria, quæ illustrium virorum ab interitu vindicare possit virtutem, nec patiatur lividis oblivioni-

A bus sepeliri. qua in re non tam laurus, quæ à Sole virorem, & ardorem mutuetur, quam sol ipse, qui rebus cunctis splendorem, ac vitam impertiatur, merito videtur. Neque enim poetæ cælesti solum furore afflantur, quemadmodum vult *Plato*; neque tantum Deorum sunt filii, ut *Homerus* arbitratur; neque illis est solum cum Cælo commercium, ut *Ovidius* putat; neque tantum divinæ mentis habent quædam imperfecta semina, ut opinatur *Horatius*; potius animata quædam sunt domicilia Solis, & *Apollinis* vehicula, cujus agitatione calescunt, illustrantur aspectu, claritate sibi, aliis, orbi splendescunt. Emicant nunc in- 93
B geniis mortalium, tamquam astra, fortissimi Duces, bellicosissimique Imperatores: an emicarent, nisi Poesis tamquam Sol suo splendore eosdem accendisset? Quot enim domi utiles, foris invicti, ante *Agamemnonem* fuere, quos tamen ignotos, & illaudatos longa oblivionis nox urget, urgebitque semper, quod sacro vate ad suas ipsorum laudes celebrandas caruerint? Abierunt *Hercules*, *Jason*, *Achilles*, *Æneas*, *Alexander*, plurimique Heroës alii inter splendidiora bellicæ virtutis sidera; non abiissent, nisi poëtica facultas tanquam Solis currus in Cælum illorum laudes canendo sustulisset.

C Frontem itaque sibi Poesis decoret Laurea, decoret Solari gemma, cum eadem sit ipsa, quæ virendo ardet, ardendo viret, neque solum; verum alienæ virtutis orbem suis radiis ita complet, ut senectæ, & mortis nescia, quemadmodum ipsa, in dies semper adolescat. Nam adolescentem videtis. Adspectus, crinis, os, vestis, cæteraque oblectationis instrumenta sunt animi plane adolescentis signa. Non enim musæ senem amant, neque barbatis vatibus *Apollo* imberbis delectatur. Ætas senilis huic impar exercitationi, quæ ardentiores spiritus desiderat, quæ ingenium
D fervens, sagax, acutum, ebulliens, plenum acrimoniæ, pœne furens requirit.

Nisi quispiam aliter contendat juvenili habitu ideo pingi, tum quod illos, qui se ejus studio dedunt, hilaritati tradendo impediat, quominus cito senescant, tum quod præclare, & fortiter gesta summorum virorum posteritati transmittendo nova recordatione donet quasi æterna juventute.

Mihi certe quemadmodum Sol divinam Poesis originem: similitudinem Laurus, juvenilis facies 94
ejusdem immortalitatem exprimit; ita in ipso instrumentorum multiplici discrimine materiam; in ornatu vestimentorum, & capitis pulchritudinem ejusdem, & formam: in Cycno poesis finem

nem intelligo. Etenim, si qui artis præcepta conscripserunt, præ cæteris illud voluere, ut decorum in oratione servaretur; decorum autem in eo positum est, ut rerum, personarum, locorum, temporum naturæ, & conditioni oratio responderet: cum Poesi non unum personarum, & rerum genus, sed varium, & multiplex, neque uno, aut altero tempore, & loco, sed in omnibus temporibus, & locis dicendum, canendumve sit: an in iis celebrandis ullam decori rationem servaret, si unico gauderet instrumento? canendum sæpe ad oblectationem vulgi in triviis; ad pecorum solamen in sylvis; ad pastorum amores sub arboribus; habeat igitur Poesis tibiam, habeat fistulam, habeat stridentem stipulam, ut incompositis saltibus incompositum carmen, & sonus, incomposita respondeant æqua proportione cætera. Sunt etiam nobilium animi sono, & carmine recreandi, proponendi itaque ludi, certamina, olympiorum victoriæ, amores, curæ, risus, ac joci, qui ex vini libertate nascuntur. adjiciatur ergo Poesi Lyra; cui à musis concessum legimus, ut res ejusmodi summa cum audientium voluptate referret. imparibus modis tonanda sæpius bella, & versuum Heroica Majestate Imperatoriæ laudes ad cælum extollendæ. Dextera itaque tubam præferat, quæ Marti sacra, dum bellicum horribili sonitu canit, ob æs canorum procul auditur, & equos, ac milites in pugnam vehementius accendit.

Quid reliqua memorem? nunc, cum *Clio* red-
95 denda transactis tempora: aut cum *Melpomene* tragico boatu mœsta personanda; aut læta sermone comico exponenda cum *Thalia*; aut cum *Euterpe* dulciloquis flatibus calamos urgendos: aut movendos, imperandos, augendos affectus cythara cum *Terpsichore*; aut cum *Erato* gerendum Plectrum, pede, vultu, carmine saltitandum; aut cum *Urania* cæli motus, & conversiones perscrutandas, aut denique cum *Polymnia* voce, ac gestu signanda, explicandaque omnia?

Quamobrem congerantur, & ad manum poeticæ facultatis sint omnia earundem Musarum instrumenta. Decet enim, ut ars illa, quæ omnium est imitatrix tam perfecta, ut ab imitatione nomen traxerit, omnium habeat instrumenta pœne rerum, ut earundem, quantum fieri potest, naturam imitando assequatur.


Est enim poesis, quemadmodum pictura Naturæ studiosissima æmulatrix, usque adeo, ut qui harum peritissimi artium habentur, virtutem illarum, ac laudem in hac perfecta imitatione repositam arbitrentur. certant itaque sorores ambæ, atque hoc incensæ studio in arenam quodammodo, ut olim *Zeusis*, & *Parrhasius* celeberrimi pictores fecisse memorantur, de imitationis palma sollicitæ descendunt. Imitatur utraque naturam, & rerum, & artium communem parentem, coloribus pictura, sententiis ars poetica: lineamentis illa, hæc argumentis: illa figuris, hæc dicendi formis; umbris illa, hæc verbis: illa victricem se putat, quod oculis res subjiciat, ac eosdem sæpius fallat, hæc sese ostentat, quod animis res exprimat, ac illos in fraudem sæpissime impellat. Pictura corporum effictrix tantum: poesis non modo corporum, sed imitatrix etiam animorum.
96 audax pictura; audacior tamen poetica. quoties illa equinam cervicem humano junxit capiti? quoties mulier ore pulcherrima, ut in piscem turpiter desineret, effecit? quoties aprum Mari, delphinum sylvis appinxit? quod enim vero portentum, quæ chimera, quod monstrum est tam ex diversis, & inter se pugnantibus naturis, quod sua cogitatione libera Poesis non conflarit, compactum in cætus hominum non invexerit, inlatum plausibile non reddiderit? sed meum non est litem

A hanc inter sorores componere. Illud quidem non abs re mea existimo, ab illa, quæ ambas inter reperitur, similitudine probare, poesim esse picturam loquentem, picturam vero tacitam poesim. Ut enim in pictura multa sunt quæ si eminus contempleris, capiunt magis, & placent; quædam alia, si cominus, & longius; ita procul dubio, plura sunt in poesi, quæ condi volunt, alia, quæ bono lumine constituta magis delectant.

Jam si, ut olim *Æneas*, & socius beneficio *Veneris* nube circumsepti, invectique *Carthaginem*
B Iliacas pugnas in *Didonis* aula elegantissime dispositas otiose contemplati sunt: ita aureo sublatos curru in suum nos Domicilium *Apollo* transferret, in quo imagines summorum Poetarum artificio elaboratas, & industria perfectas servat, temperare sibi, ac frænos capere admiratio non posset, quin exclamaret.

*Quis locus in terris vatum non plenus honoris?*
en *Orpheus* sacer merito, ac Deorum interpres habitus; sunt hic etiam suæ poesi vires: ad plectri sonum leniuntur tigres, quercus loco moventur, frænant aquæ cursus, lapides animantur, homi- 97
nes vago scelere prohibentur. videtis etiam, ut *Amphion* nullo alio, quam testudinis labore *The-*
C *banam* arcem moliatur. *Musæus* hic, & *Linus* naturæ diligentissimi venatores, quos *Lucretius* insequitur. Parte alia *Thespis* tragicum, & comicum genus plaustro *Athenas* invehit, excipiunt *Sophocles*, *Euripides*, aliique Drammatici plures. Interea *Homerus* duo nobis ob oculos ponit nitidissima specula, militaris alterum, alterum vitæ civilis, Iliadem, & Odysseam. Subsequitur eidem *Homero* proximus, & pœne par, dicam etiam major *Virgilius*. Quas hic nobis sylvas? quos fructus ruris? quod armorum decus, & laudem? *Pindarus* inter hos, ac *Horatius*, auditis, quam suaviter lyra canant? *Lucanum* etiam his permix-
D tum intuemini bellorum civilium æs canorum; cæteros quam *Græcos*, tam Latinos tacita cogitatione vos ipsi percurrite. Nam *Dantes*, & *Tassus Itali* Vates antiquissimis Poetis, nobilissimisque operum præstantia audent concurrere.

At dum Imagines hujusmodi stupetis, & in ipso hæretis obtutu poeticam ipsam horum architectam operum considerate, quam florido orationis, tanquam vestis genere exornata incedat. non tot amicitur herbis, ac floribus terra, cum veris auræ spirant, & Zephyris Favonii decertant; neque tot, opinor, gemmis ditescit Oceanus, cum humidam plebem invisit; neque Sole obverso colo-
E res tam multiplices, & pulchros Iris concipit; neque tanta est flammarum varietas, & pulchritudo: Cælum ipsum à sapientissimo artifice ingeniosissime cælatum, non tot ornamentis splendescit; quemadmodum poetica facultas verborum granditate, lenitate, suavitate, compositione, junctura, peregrinitate, translatione; 98
figurarum vero, ac sententiarum multitudine, magnitudine, varietate, pulchritudine delectatur.



Neque vero id imprudenter, aut indecore. cum enim quemadmodum Oratori fides; Histo-
F riarum conditori veritas; scientia Philosopho; ita Poetæ aut sola delectatio, aut si utilitas, non nisi summa cum delectatione conjuncta proposita sit: vitio non tam artis, quam Auditoris effectum est, ut ipsa nunquam suæ mentis compos fieret, si flores, aut aliquod lenocinii genus in canendo respueret.

Sed neque terra decoratur floribus, neque Cycni suavius modulantur, nisi Favonius longiori afflatu illius spiramenta laxet, horum vero corpora fovendo ad cantum provocet. quid? decora poetarum ingenia florere, aut excellenter canere

ulla ratione poſſe exiſtimatis, niſi alicujus Mæcenatis aura liberalior adſpiret ? Te ſine nil altum mens inchoat, *Virgilius* ad *Mæcenatem*, quem decus ſuum, & ſuæ famæ partem maximam veriſſime appellat, à quo ſibi patenti pelago vela da-

A ri exorat. A te principium, tibi deſinet : Nam ab Jove principium Muſæ ; ab Sole viror omnis, & ardor : à *Mæcenate* genii omnis & vena ingenii.

Icon. vid. Fig. 3. Tab. III. pag 39.

## *Aſtronomiæ Elogium.*

**. ASTRORVM SPECVLATRIX .**

**. SERVATRIX CÆLORVM .**

**. MOTVVM SOLIS, AC LVNAE CONTEMPLATRIX; .**

**. DIERVM, MENSIVM, ANNORVM DISTRIBVTRIX; .**

**. QVANTVM MORTALIBVS ASTROLOGIA OBEST .**

**. TANTVM MORTALIBVS ASTRONOMIA PRODEST .**

**. NAM QVANTVM ASTROLOGIA MENTITVR .;**

**. TANTVM ASTRONOMIA VERE METITVR .**

### *Iconis Symbolicæ Aſtronomiæ Explicatio.*

99 NEC adhuc *Pallas* me, ut olim *Bellorophontem* Pegaſo, qui equus fuiſſe alatus ſcribitur, donavit ; neque ingenio *Dædali* humeris pennas aptavi, ut per iter hominibus inſuetum ad contemplationem ſublimium, humo relicta, me tam repente alarum remigio ſuſtollam. cælorum, ac ſiderum converſiones, & motus ſpectandos, obſervandoſque illis relinquo, qui, ſicut cum *Icaro*, & *Prometheo* cælum audaces petunt, ita in pelagus errorum decidendo, aut ſub dio in montium, ſeu tectorum culminibus pernoctando, ſolicitudine nimia, quaſi voraci Aquila corroſi, temeritatis ſuæ non diſſimiles luunt pœnas. Ipſe rerum omnium uſque adeo ignarus, ut, quæ ante pedes, oculoſve ſunt, vix agnoſcam, non demens prorſus audiam, ſi ea, quæ remotiſſima ſunt, perfecte intelligere poſſe me putem ? quis tamen ardor *Atlantem* ſapientiſſimum Regem impulit, ut cælorum rationem inveſtigare, & imperterritus quodammodo caput mundo ſubdere primus ſit auſus ? animis indita ſciendi generoſiſſima cupiditas, victrix omnium difficultatum, novarumque rerum inveniendarum opifex ingenioſiſſima.

Quod ſi me, ut *Maro* non incaſſum optavit, dulces Muſæ ſuis alis impoſitum accipiant, ut pullos Aquilæ ſolent, ac per incognitas cæli vias
100 deferant, monſtrent ſidera, Solis defectus, ac varios Lunæ laborantis errores doceant, unde terræ naſcantur motus, quemadmodum maria intumeſcant, ac deinde in ſe ipſa rurſus reſidant ; noctium, dierumque viciſſitudo quam originem habeat, ſignificent ; novum forte *Icarum Dædalo* ingenioſiorem, & ſapientiorem, *Phaetontem* callidiorem *Prometheo*, hodierna die rectius volare, ac cæleſtem currum regere prudentius forte fortuna exiſtimabitis.

Duæ ſunt eorum, qui cælum ſpeculantur, nationes, quæ licet inter ſe diſcretæ, & longe admodum diverſæ ſint, illas nihilominus miſcet, confunditque vulgi opinio inſana. nam Aſtronomia tantum abeſt, ut eadem ſit cum ea, quam plures communiter Aſtrologiam, conjecturalem alii, multi judiciariam appellant, ut veriſſimum illud reperiatur, quod apud *Gellium Phavorinus* Philoſophus tanquam aliquid incredibile dicere

B putabatur, quantum metiuntur Aſtronomi, tantum Aſtrologos mentiri.

Aſtronomia enim metiendorum ſiderum lex, & norma : Aſtrologia vero errantium judiciorum cæca prolatrix, & arbitra. ſpeculatrix illa, hæc ſermocinatrix ; illa, quod certiſſimis rebus, & fundamentis nititur, quæ à natura ſunt poſita, vix umquam fallitur : hæc, quod cerebrum hominis cælo magis erraticum ſequatur, aut errat ſemper, aut ſicut, qui talis ludunt, ſignum *Veneris* aliquando ſortiuntur, ita caſu veritatis ſcopum attingit.

Nobis itaque, qui divini eſſe cupimus, non
C haberi, quanto magis eſt cordi Aſtronomia, tanto minus de judiciaria judicium habemus.

Quid enim cæli, & aſtrorum cognitione aut ad honeſtatem illuſtrius, aut ad voluptatem elegantius, aut ad utilitatem uberius ? quod ſi præ- 101
clarum, honeſtumque arbitramur cum iis, qui terrarum ſitus pingunt, in earumdem notitiam animum intendere : nec a virtute diſcedere illos putamus, qui ſuæ cogitationis velut navi maris luſtrant immenſas plagas ; iidem nos ſic opinamur eos, qui eas, quæ in aere fiunt, mutationes contemplantur, nobiliſſimæ exercitationi addictos eſ-
D ſe : dubitare poſſumus, quin, quo cæli ſidera magis exuperant pulchritudine, ac forma terræ flores, fruges multitudine, varietate maris gemmas, piſces curſus celeritate, motu aeris volucres ; eo nobilior, ac præſtantior non ſit cælorum, licet imperfecta cognitio, quam ſublunarium perfectiſſima notitia elementorum ? ſuavitatem porro, quæ ex hujus ſpeculationis fonte profluit, dimanatque in animos eorum, qui iidem operam dicarunt ſuam, quæ facundia, niſi cæleſtis ſatis umquam exprimat ? videlicet ſub Jove
E frigido pernoctarent Aſtronomi, uri ſe à frigore paterentur, vigilias ſomno præponerent, niſi ſpectandorum ſiderum incredibilis quædam voluptas illos alliceret. nam ſtellas potius enumerem, quam utilitates, quæ ex hac exercitatione in hominum genus uberrime proficiſcuntur. utilis enim culturæ agrorum eſt Aſtronomia, quæ opportuna tempora præſcribit, quibus ſeri frumenta, arbores inſeri, curari paſcua, flores, & hortos inſtrui, meſſes colligi, annonam omnem parari decet. utilis nauticæ arti, cum procellas, tempeſtateſque imminentes præſentiat, prædicatque, ut hæ non minus poſſint evitari, quam venti, & auræ ob-

obſecundantes captari. utilis muſicæ, quæ ex
aſtrorum ordinatiſſimis motibus ſuos concentus
orditur. utilis Imperatoriæ arti, & militari ſcien-
102 tiæ, quibus non modo temporum eſt conditio
pernoſcenda, ſed cæleſtium prodigiorum tenen-
da ratio, ne, ſicut *Nicias Athenienſium* Dux,
dum Solis verentur defectum, deficiant ipſi ſuo
oneri, dum Lunæ timent laboranti, laborent ipſi
non tam obſcuritate, quam ignoratione. utilis tan-
dem, & omnino Reipublicæ neceſſaria, ſi *Pla-
tonem* in conſilio adhibemus, ut dierum, ſacrifi-
ciorum, rerum omnium ſuis temporibus agenda-
rum certa methodus conſtituatur.

Atque ob hanc ipſam voluit cauſam, ut ocu-
los in cælum erigeret, qui naturam hujus Icone
exprimendam curavit, ut illuc obtutum dirigeret,
ubi munus ſuum clariſſimum, idemque ſuavita-
tis, ac utilitatis pleniſſimum exerceret. ſunt enim
oculi indices animi, & quæ amamus, illorum ad-
ſpectu maxime delectamur. maxime vero naturæ
debemus, quæ nobis dedit oculos tam celeres,
acutos, perſpicaces, ut è veſtigio cælorum ſub-
limitatem aſſequantur, immenſitatem luſtrent,
res omnes notatu dignas obſervent, & in terras
aſportent. quas, poſtquam diuturna periclitatione
comprobarunt, evulgant, ut de cæleſtibus pro-
inde homines ea certitudine diſſerant, ac ſi de
humanis, & terreſtribus agerent. ſed non omnium
eſt cælum adire; verum excellentiorum tantum-
modo ingeniorum, quibus pennæ aliis negatæ
ſingulari privilegio ſunt conceſſæ. quamobrem
merito alæ non ſolum pedibus, ſed humeris, ſed
capiti etiam ſapienter affixæ. ſic pedes, ſic hu-
meros, ſic ipſum caput alis inſtructum habeat,
neceſſe eſt, qui vult cæleſtia diligenter ſpeculari.
pedes quidem, ut in omnia pœne convolet lo-
ca, ex quibus varios cæli aſpectus contempletur:
humeros autem, ut laborioſiſſimam hanc ſpecu-
103 landi rationem ea facilitate ſuſtineat, qua aves vo-
lant: caput vero, ut ſuæ ſpeculationis volatu ve-
ritatem certiſſime pertingat. nam perpendiculum,
& quod ab aſtrorum menſura inſtrumentum jam
apud omnes Aſtrolabium nominatur; quis eſt,
qui non intelligat ea eſſe, quibus in ſiderum
contemplatione oculos dirigit Aſtronomia? ſi
quis vero ſecum tacitus perpendat, qua demum
arte effectum ſit, ut in tabula ſphærica cæleſtium
ſphærarum numerus, ordo, motus, converſio,
adſpectus, oppoſitio, domus, ſigna, cæteraque
omnia tamquam in compendium mitterentur;
profecto non vereor, quin humani ſolertiam in-
genii admiratus cum Jove apud Claudianum non
exclamet.

## EPIGRAMMA CLAUDIANI.

*Juppiter in parvo cum cerneret æthera vitro,*
*Riſit, & ad ſuperos talia dicta dedit.*
*Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?*
*En meus in fragili luditur orbe labor.*
*Jura poli, rerumque fidem, legesque Deorum*
*Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.*
*Quid dantem pœnas tonitru Salmonea miror?*
*Æmula naturæ parva reperta manus.*

Quid enim admirabilius cogitari poteſt, quam
optimi, & maximi Numinis opus maximum, &
pulcherrimum hominis induſtria non ſolum in ta-
bulis æneis deſcribi, ſed vitreis etiam, & chri-
ſtallinis ſphæris includi, tanto cum ordine, ac
104 diſpoſitione, ut quæ omnia in cælis fieri procul
intuemur, ea ſingula in iiſdem adamuſſim expri-
mi prope videamus.

Nam præter *Archimedis* ſphæram, quam ma-
jori, & multo meliori ratione inter orbis miracu-
la numerandam exiſtimo, quam omnia alia: *Ma-
driti*, quod eſt *Hiſpaniarum* cor, & centrum,
Rex earumdem, cui novos orbes pietas detexit,
ſphæram habere dicitur pretioſiſſima, ſed mate-
riam opus exſuperat. nam uſque adeo affabrem
facta eſt, cum ſua magnitudine hominem intror-
ſus admittat, tum communem, qui à primo mo-
bili fit, in occaſum ab ortu velociſſimum mo-
tum oſtendat, tum contrarios ſingularum ſphæ-
rarum proprios motus, & converſiones oculis
ſubjiciat. in ea enim conſpicitur aperte, ut ter-
ram Lunæ curſus proxime ambiat; quemadmo-
dum Lucifer, & Mercurii ſtella curſum habeant
B Solis celeritati parem, ſed vim quamdam contra-
riam; ut alios alii vincant, viciſſimque ab aliis
vincantur. obliquus ſignorum ordo, per quem
Sol decurrens, pro animantium diſcrimine, qui-
bus eadem cæli faſcia decoratur, in terras rege-
rat ſuos influxus, atque pro deſcenſus, ſtatus,
aſcenſus varia ratione breviores nunc dies, nunc
longiores, modo ſolſtitia mortalibus elargiatur.
cerneres denique rotas illas, non aureas, aut a-
damantinas, ſed multo ſolidiores, & illuſtriores
rapi tanta celeritate, ut ipſam pœne ſuperent co-
gitationis pernicitatem, cum interim duo illi,
C quibus innituntur poli, fixi, & immobiles eo-
dem in loco æternum perſiſtant.

Sed ut, unde ſumus digreſſi, eo revertamur,
hæc veſtis, qua Aſtronomiam ornatam video,
num cælo, tanquam velo aliquo compacta eſt,
quod cæli ſigna, & imagines refert? admirabile 105
quidem illud ponderis tegumentum ad ſacros uſus
Pontificum Hebræorum, in quo deſcriptum
omnem terrarum orbem ferunt ſacræ litteræ: ſed
admirabilius multo indumentum hoc Aſtrono-
miæ, in quo cæli ornamenta omnia brevi quaſi
compendio in unum collecta ſunt. quamobrem
ſapientiſſimi poetæ ſuis fabulis prodiderunt eos,
D quos nunc in pavonis cauda oculos ſuſpicimus,
*Argo* pecorum cuſtodi a Junone tributos, cum-
que is à *Mercurio* per dolum interfectus fuiſſet,
in hanc volucrem translatos. quid? animantes
ſanctæ, quæ Dei currum trahunt, qua oculo-
rum multitudine narrantur effulſiſſe? oculatiſſi-
ma proinde, ac omnibus inſignibus decora, fas
eſt, ſit facultas illa, quæ altiſſimum omnium,
pulcherrimumque corporum ſpeculatur.

Atque iis me jamdudum vocibus è cælo revo-
cat Geographia. non te, inquit, natura talem
procreavit, ut cælorum eſſes habitator, ſed gra-
ve pondus corporis animo adjecit, ac fore pro-
E miſit, ut terram ipſam, donec temporis curſus
perficeretur, incoleres, ac tuo labore, & indu-
ſtria eamdem colendo, quæ ad vitam neceſſaria
ſunt, uberrime parares. ſi te nulla mearum divi-
tiarum, ac frugum cupiditas accendit, nec ſuper
ejus laude curam ullam moliris, quæ, cum ge-
nuit, mater extitit; cum fovet, nutrix; cum ſu-
ſtinet, conſervatrix eſt; cum recipiet iterum, ma-
ter iterum fiet, ſuam te recipiens in alvum, ut
aliquando immortalem reddat. cæleſtibus ne ani-
mis vir mortalis invides beatas arces, & ſedes?
quid agis? aut qua ſpe fructus in cæleſti regione
F contemplanda diutius immoraris? nec me Reipu-
blicæ viventis ærarium, & Solis menſam appa-
ratiſſimam reſpicis? deſcende cælo, quam pri- 106
mum terras pete.

Incunctanter optimæ parenti obtemperarem,
delaberer more fluminis, ni me ſcypho plane ad-
mirabili *Neſtor* prudentiæ, ac eloquentiæ ſacer-
dos revocaret. ori tantum appono, & vix primo-
ribus labris deguſto, dein ſatis matri confeſtim
facio.

Qui ſcyphus hic eſt? meus, inquit *Neſtor*. ar-
genteusne? argenteus. claviculi ex auro? ita. an-

ſæ quatuor, quibus innixæ totidem ſedent columbæ? recte. quot umbilicos habet? duos? ſic opinor. vas undequaque perfectum, admirabile poculum quid tibi potius gratuler, haud ſcio. artificis ne ſapientiſſimi peritiam, an finis, ad quem inſtitutum es, præſtantiam? materiæ pretium, an formæ decorum, an vero emblematum cohortem elegantiſſimam? ſed enim arcana, quæ præclariſſima deliteſcunt, quis referet? vaticiner nihilominus. cælum argenteo ſcypho perſimile

A color arguit. aurei claviculi aurea produnt ſidera, quibus vas illud cæleſte fixum, ſolidatumque eſt. an vos pleiades columbæ? an major, & minor urſa fundos exprimitis geminos? Arridens *Neſtor* rem acu tetigiſti, inquit. Bibe jam cæleſtem liquorem, quo hauſto planetæ omnes in ſalutem, & fœcunditatem terrarum, multoque magis immortalium animorum ſaluberrimi conſpirant. accepi, bibi, deſcendi.

## *Geographiæ Elogium.*

Icon. vid. Fig. 4. Tab. III. pag. 39.

. CVI ORBIS EST PATRIA, .

. IN ORBE ES PEREGRINA? .

. PEREGRINOR DOMI .

. NE FORIS PEREGRINENTVR ALII .

. NAM NISI PEREGRINARER TERRAS METIENDO .

. PEREGRINARENTVR HOMINES IGNORANDO; .

. QVICVNQVE IGITVR SECVRE CVPIS ORBEM PERAGRARE .

. TVAE ME PEREGRINATIONIS SOCIAM ADHIBE .

107 ### *Iconis Symbolicæ Geographiæ Explicatio.*

QUÆ veſtis iſta uſque adeo ſuccincta, ut vix lambat genua? quid tam expedita præfers brachia manicis ad cubitum revinctis, quid arundinem dextra, læva circinum habes? ſpatiis metiendis alteram, alterum vero circulis efformandis opportunum? quid quod alati ſunt pedes? humeros tegit amictus brevis coriaceus, qualis ſolet peregrinos? nam oculis in globum terræ converſis ita ex animo incedis, ut peregrinari videaris. Peregrina eſſe potes Geographia, ſi terra omnis patria tua eſt?

Atqui hoc eſt veriſſimum, Domina terrarum. nam homines terrarum habitatores ſua in regione, quæ terra eſt, peregrinantes, erranteſque, tanquam hoſpites, tua induſtria, ac cognitio, quaſi in patriam deduxit, ut poſſent te Magiſtra, ac duce res totius Orbis, tanquam unius Urbis plane cognoſcere. Tu Orbem omnem duos in globos ſecuiſti, cæleſtem reliquiſti Aſtronomis; tibi vero terreſtrem luſtrandum, deſcribendumque vindicaſti.

Tu primum terræ ſitum, conditionem, firmitatem, ſubjectionem ad cælum, naturam denique omnem explicuiſti, tu Zonas totidem, quæ cæleſtibus reſponderent, in terris demonſtraſti; tu, ut Aſtronomi Cælum in quatuor cardines, Ortum, Occaſum, Meridiem, Aquilonem partiuntur,
108 ita omnem terræ ambitum in *Europam*, *Aphricam*, *Aſiam*, *Americam* ſapientiſſime diſtribuiſti: tu regionum, & provinciarum deſcriptiones: tu Regum, & populorum nomina: tu locorum omnium figuram, & intervalla: tu montium altitudinem: tu latitudinem vallium: tu fluminum ortus, ac progreſſus: tu magnitudinem lacuum: tu Maris, & Oceani immenſitatem, innumeraque ejus brachia, quibus omnes terras variis ſub nominibus alluit. Tu Imperia, Provincias, Regna, Urbes, Oppida, Portus, Inſulas, oras, littoraque. Tu venas metallicas, aquarum, & terræ miracula, mores Urbium, & gentium leges: Tu denique omnia vel cognitu digniſſima, vel

B ad vitæ inſtitutionem appoſita, vel ad oblectandos animos præclara luculenter aperuiſti. Tu, inquam, dum globos efformaſti, dum effinxiſti tabulas, dum libros ſatis uberes, & amplos ea de re conſcripſiſti, plurimum attuliſti luminis rebus, & locis omnibus, ita, ut clareſcant obſcura, incognita noſcantur, adeantur impervia, quæ abſunt longiſſime, nobis prope ante oculos adeſſe videantur.

*Philippum Macedonem*, non illum magni *Alexandri*, ſed ætate, ac animo longe inferiorem, *Demetrii*, ac *Perſei* parentem narrant, qui res ejus geſtas literis proſequuntur, cupiditate videndi totius *Illyrici*, & *Italiæ*, *Hemum* ſubiiſſe montem,
C ex quo audierat *Europam* fere omnem facile ſubjectam conſpici; compos, an voti expers redierit, fama ſubdubitat. Neque tamen eſt quiſquam, qui illud audeat inficiari, Geographiæ inventa duo illa ſingularia prorſus eſſe, atque divina: Geographicarum tabularum, & terreſtium globorum, quorum inſpectione, non *Illyricum* modo, non ſolum *Italiam*, non *Europam* tantum, ſed aquarum, terrarumque immenſam molem clare, di- 109
ſtincte, facillime contempleris. quod ſi ætatem omnem in perpetua peregrinatione, ut partem aliquam inviſerent, Philoſophi nobiliſſimi conſumpſerunt, *Xenocrates*, *Crantor*, *Arceſilas*, *Lacides*, *Ariſtoteles*, *Theophraſtus*, *Zeno*, *Cleantes*, *Chryſippus*, *Antipater*, *Carneades*, *Panætius*, *Clitomachus*, *Philo*, *Antiochus*, *Poſſidonius*, innumerabileſque alii, qui ſemel egreſſi, nunquam domum revertere: quod hujus facultatis in hominum genus beneficium eſt, ut domi ſuæ ſtans, aut etiam ſedens, unuſquiſque orbem univerſum diſpiciat, neque ſolum, ſed æmulator beatiſſimarum mentium, quæ cœleſtes ſphæras movent, pro arbitrio eundem circumvolvat, ſiſtatque ubi, & quotieſcunque voluerit? Quid de ipſis tabulis dicam? in quibus imaginem Orbis in compendium
E miſſam tam perfecte videas, ut ſuis ſtent locis urbes, montes attollantur, deprimantur valles, aquarum aliæ tacitæ, aliæ non ſine gravi murmure dilabantur. Humus ipſa vario emblemate diſtincta herbeſcit, atque hoc in loco eſt ferax, in alio aret ſterilis, & omnino infœcunda; Nam mare



TAB. IV.




Mathematica.




Architectura.




Historia.




Eruditio.

mare terris immixtum hic ventis agitatum intumescit, illic sub placidioris sideris adspectu magna tranquillitate perfruitur.

Quod si neque, quæ ex globo, neque, quæ ex tabulis habetur, cognitioni quis acquiescit, sunt adhuc eruditissimi Auctores, *Ptolomæus*, *Strabo*, *Pomponius Mela*, *Solinus*, aliique plures tum recentiorum, tum veterum, qui præclarissimis voluminibus satis illius cupiditati facient. Quorum lectione tanquam è specula mercatum hunc magnum, & rerum naturalium, & hominum ipsorum cum *Pythagora* intuebitur, cum *Democrito* ipsas inspiciet atomos, ac veluti cum aliquo cælestium omnia contemplabitur.

110 Merito igitur peregrina nostris oculis videris Geographia. nam præterquam quod diuturnæ peregrinationis es filia, tua simul peregrinatione effecisti, ne homines in Orbe semper essent hospites, ac peregrini. Peregrinaretur enim semper in mari nauta, nisi tu mediis in undis locum, in quo tum est, quasi digito monstrares, & quo tendit, eo illum secure dirigeres. Peregrinaretur

A Imperator in arte militari, nisi tuæ magisterio disciplinæ didicisset opportunitates locorum, in quibus latendum, expectandum, subsistendum, castrametandum, dimicandum est; peregrinaretur in omni negotiatione mercator, nisi tu dux viarum adfuisses, quæ loca ostenderes commoda, per quæ importari, & exportari omnia non difficulter possent. Peregrinatæ fuissent à multis terrarum regionibus scientiæ, ac virtutes ipsæ, nisi à te edoctæ advenarum, & peregrinorum adventu simul invectæ fuissent.

B Quamobrem sapientissime *Plato* Geographiam tertio demum loco à civibus suæ Reipublicæ maturius perdisci volebat, ne putaremus quemquam facile posse, aut Oratorum, aut Poetarum, aut Philosophorum scripta intelligere, nisi difficilium locorum explanatrix Geographia præcessisset, quæ sicut Mathematicam tanquam parentem veneratur; ita è medio recedit, ut illa tandem ad dicendum ingrediatur, & quoniam circinum, perpendiculum, aliaque instrumenta dono ab illa accepit, idcirco eidem illa explicanda derelinquit.

## *Mathematicæ Elogium.*

. QVANTARVM MATER DISCIPLINARVM, .

. QVANTITAS CVI OMNIS NOTA, .

. DISCRETA, CONTINVA; .

. QVÆ AB IPSA NOMEN INVENIT DISCIPLINA? .

. HVIVS PARENTIS FILIÆ .

. MAGISTRÆ HVIVS DISCIPVLÆ SVNT .

. MODERATRIX VOCVM .

. EXCITATRIX MACHINARVM .

. PRÆSES NVMERORVM .

. OCVLORVM DVX CERTIOR .

. MENSVRATRIX TERRARVM .

. SPECVLATRIX CÆLORVM .

. QVANTARVM MATER DISCIPLINARVM .

### *Iconis Symbolicæ Mathematicæ Explicatio.*

111 CREDO neminem esse, qui hanc Iconem symbolicam intueatur, in qua Mathematica nobis disciplina proponitur tanquam mulier laboriosissima, quin secum admiretur maxime, atque hujuscemodi incensus admiratione horum rationem omnium non cupiat intelligere. Quid enim primum illa sibi vult capillorum liberalis effusio? Quid oculi, alter quidem in Cælum sublatus, alter vero in terras depressus? Quid circinus, triangulus, cylindrus, instrumentorum theca, quæ omnia manibus præfert? curta, simplex, pressa, numeris, brevibus circinis, figuris tamquam ornamentis illustrata vestis, quid sibi requirit? Quid illa crurum nuditas, atque machinarum supellex, quæ ad ipsos jacet pedes, tam multiplex, & varia?

Quoniam Mathematica una est ex illarum numero facultatum, quibus *Manilii* sententia, versu expressa, mire congruit.

C *Ornari res ipsa negat, contenta doceri.*

Docebo primum, quis harum omnium figurarum sit sensus, ac mens, paucis modo attentos animos præbeatis: dein conabor illam etiam disciplinam exornare, quæ cum omnibus in locis, ac temporibus summis viris fuerit maximo præsidio; 112
iisdem etiam in omnibus rebus eximio, ac singulari prorsus fuit ornamento.

D Magna hujus, sive artis, sive scientiæ dignitas, quæ à doctrina, sive disciplina illustre nomen invenit, nam quanta in docendo laus est, tanta in perdiscendo nobilitas. Itaque nobilium semper, ac Principum hujus fuit exercitatio virtutis. Quia vero longe, lateque suo Imperio dominatur, nec terras modo, sed Cælos ipsos sui ingenii magnitudine dimetitur: Idcirco longior, ac sine lege coma relinquitur, quemadmodum eandem ob causam, ut solent Columbæ, cælum altero, altero autem oculorum terras intuetur.

 Nam

Nam ingeniosissimæ, laboriosissimæque arti quod aliud indumenti genus decorum videbatur, ut ad suas figuras efformandas expeditior ubique inveniretur? porro figuræ ipsæ, ac numeri in ipsa veste descripti finem ostendunt, ad quem tot Instrumentorum genera inventa, institutaque sunt. qua enim ratione insanæ moles æquarentur, nisi adesset cylindrus? quî perficeretur unquam circulus, nisi semper ad manum esset circinus? quo fierent modo cætera, nisi tot instrumentorum foret tam dives theca? jam vero aquæ ponderibus sursum libratæ, molendina circum ventis agitata, variæ, admirabilesque machinæ ab hac eadem arte inventæ, & perfectæ nullum esse ingenii acumen declarant ad res trahendas, impellendas, attollendas, deprimendas, collidendas, summo artificio elaborandas, quod huic multarum artium, & disciplinarum uberrimæ parenti non adsit.

Est enim Mathematicarum fœcundissima propago, à qua plures originem trahunt præstantissimæ facultates, quam pullulent surculi ullius ex
113 arboris luxuriosissima radice. Cum enim Mathesis non substantiam ipsam, sed illius additamenta contempletur, quæ artes student quantitati continuæ, seu discretæ, terrenæ, seu cælesti, infinitæ, seu terminatæ: illæ omnes hujus esse filiæ ipsa professione arguuntur.

Matris hujus primogenita Geometria est, quæ, cum speculetur quantitatem continuam, & terminatam, non potest simul non speculari lineam, superficiem, corpus, & illius quidem longitudinem, latitudinem vero hujus, extremi denique profunditatem demonstrare.

Proxima huic soror Arithmetica, cui abstracta numerorum cognitio cordi est.

Tertium sibi vindicat locum perspectiva, quæ non modo rectam videndi rationem, ac luminis naturam scrutatur omnem, sed etiam refractam, & quam perspectivi specularium appellant.

Excipit, quæ de machinis agit, de libra, de vecte, de trochlea, de axe, in Peritrochio, de cuneo, de cochlea egregia, nec iis contenta simul adjicit magnitudinem virium, quibus pondera pro loci, ac temporis conditione moveri possint.

Subingreditur Musica, numero carmen addens sonorum, ut perficiat concentum animis, auribusque gratissimum.

Concludit ætate quidem reliquarum postrema, dignitate vero nobilissima omnium Astronomia, speculatrix illorum corporum, quibus nihil cerni, aut fingi etiam illustrius potest. sed illud operæ pretium est, ut omnes intelligant hos ingenii partus geminos semper fuisse, neque unam tantum filiam, quæ specularetur in lucem editam, at simul adjectam sororem, quæ agendo perficeret, quod illa docuisset.

114 Quamobrem Geometriam duplicem esse, quod idem de aliis omnibus velim existimari, alteram, quæ cognoscat ipsa: alteram vero, quæ re ipsa perficiat.

A Itaque nobis verendum non est, si de honestate loquimur, quin Mathematicæ disciplinæ sint animis ingenuis dignissimæ, cum illas Principes, Reges, Imperatores maximi semper fecerint; si de suavitate, quin sint jucundissimæ, cum illud sit veritati proximum, quod *Plato* asseveravit, oculum animi, qui ab aliis studiis obcœcatur, defoditurque, à mathematicis solis recreari, ac reviviscere: si tandem de utilitate, quin ad omnem prorsus philosophiam, scientias omnes, & artes summopere sint necessariæ.

Nam disserendi ratio ab his certitudinem trahit, ac evidentiam. Ethica virtutum æqualitatem, ac consensum perdiscit. Politica docetur morum, ac actionum ordinatos motus, ac æquales. Quæ naturæ arcana venatur diligenter scientia, commensurationem eorum, quæ natura constant, proportionem, & ordinem ab his intelligit. Sacræ vero, ac cælestis Theologiæ adita eædem patefaciunt, & ad illam facillima exercitatione perducunt.

Mathematica denique præter omnes alias facultates, prodigiorum inventrix, auctrix spectaculorum, miraculorum effectrix. quod enim majus prodigium, quam à Civitatis obsidione, numerosissimam, instructissimamque classem bellicis machinis summovere? summovit *Archimedes* inter Mathematicos ingeniosissimus Auctor illam *Marcelli Syracusas* obsidentis, quam parum abfuit, quin ingentibus lapidibus, quos impetu emittebat, totam in undis submergeret. Quod spectaculum exoptari magis novum potest, quam, ut quis unico pede immensam hanc terræ molem, 115
suo dimoveret loco? pollicitus est hoc etiam se daturum mortalibus idem *Archimedes*, modo sibi concederetur tantum spatii, in quo pes ejus intra terram secure figeretur, dum terram moveret.

Quod illustrius artis miraculum cogitari, quam inimicas Naves æreis speculis Soli expositis incendi, ut in aquis ipsis rei novitatem stupentibus perirent non naufragio, sed incendio? atqui hoc *Procli* opera *Bizantii* factum legimus, cum eam Urbem Navium ingenti multitudine Thracum Imperator vehementius urgeret.

Jam quemadmodum oculos, animosque omnium in se converteret, si præter expectationem, opinionemque hominum Columba arte perfecta, suis ponderibus librata per aerem volitaret? *Archytæ Tarentini* jussu sæpius id fieri magna populorum admiratione visum est.

E Quid memorem caput ingenio elaboratum, donatumque si minus disserendi, eloquendi saltem potestate? Quid organa hydraulica, quæ aquis mota concentum suavissimum modulabantur? Quid fontium ascensus, descensusque admirabiles? Quid erectas insanas substructiones? Sed quoniam horum curam operum Architecturæ Mathematica reliquit, relinquamus, & nos ingeniosæ parentis Mathematicæ contemplationem, ut Architecturæ ingeniosioris filiæ laudem auspicemur.



## *Architecturæ Elogium.*

Icon. vid. Fig. 2. Tab. IV. pag. 57.

. MAGNORVM EXCITATRIX OPERVM ,

. INGENTIVM OPIFEX MIRACVLORVM .

. ÆTERNITATIS CANDIDATA .

. DIVINITATIS ÆMVLA .

. VRBES MÆNIA .

. ARCES PROPVGNACVLA .

. MORTALES TECTA .

. REGES PALATIA .

. QVI NVLLI DEBET, DEVS IPSE TIBI DEBET TEMPLA .

117 *Iconis Symbolicæ Architecturæ Explicatio.*

SI quantum ingenii vim in domibus ædificandis ad commodam mortalium habitationem Architectura ostendit , tantum mihi artis natura fuisset elargita in fabricanda oratione ad ejusdem commendationem : auderem profecto illud mihi, aliisque polliceri, quemadmodum illa ædificando munificentissime de hominum genere semper merita est , ita me pares eidem gratias laudando relaturum. Etenim si rerum dicendarum tanquam materies foret conquirenda ; hæc, quæ ad suorum operum elegantem structuram, vel ipsos montes laceravit , totius esset dux inquisitionis. si res inventæ in ordinem disponendæ : hæc , quæ ad usum accommodat ædificandi descriptionem, dispositionis ad persuadendum appositæ exemplar præberet. si verborum , & sententiarum ornamentis illustrandæ : hæc eadem , quæ pulchritudinis , ac elegantiæ amicissima est , in ipso usu ornamentorum quis modus retinendus esset, doceret. Nam, dum solidissima ædificiorum jacit fundamenta , quam prima dicendi initia, quam principia narrationis solida esse debeant, suis exemplis magnificenter ostendit. Porro ipsæ parietum arctiores commissuræ quotusquisque est , qui non videat , quam affabre confirmandi rationem omnem præscribant? quod si perorationis fastigium laudationi impo-
118 nendum est : hæc Architectura eadem , ut incipiendæ, sic perficiendæ orationis tacita foret, locuplesque magistra.

Quamobrem si mihi pro dignitate majestas, ac sanctimonia Architecturæ foret exponenda , templum ; si celsitudo , turris ; si defensio , propugnaculum ; si habitatio , domicilium ; si dignitas regia, palatium ; si voluptas , theatrum ; si magnificentia, columnæ , pyramides, obelisci ; si utilitas, civitas amplissima , rebusque instructissima omnibus ante oculos vobis esset proponenda. Quamquam verbo abusus sum. non enim opus est , ut hæc quispiam proponat , cum eadem in veste non adumbrata, sed expressa diligenter hæc omnia præ se ferat. Nam mensuræ, & instrumenta plurima, quibus utitur illa crebro , ut perspicacem maxime , ita eandem supra cæteras artificiosam intuentibus declarant. quibus enim non utitur in suorum operum constructione , quæ utitur amussi, regula, torno, circino, filo, perpendiculo, instrumento quoque ad dirigenda ligna idoneo ? merito itaque Tiaram , ac triplex diadema capiti suo imponat, quæ jus divinæ cunctorum ef-

A fectricis, quæ sapientiæ , quæ divinæ bonitatis æmulatrix, ut illa amanter voluit, valide condidit, prudentissime disposuit hunc orbem, sic ipa urbes & domos decreto, cognitione, & imperio fabricatur.

Mentiuntur enim Architecturæ non ætatem modo , sed etiam genus , qui juniorem asserunt, & ab hyrundinum imitatione originem illius trahunt, cum non alio parente gaudeat, quam Deo, qui principem nostri generis illam docuit , atque cum ipso orbe nata sit.

Quis enim primum Architectos docuit, ut eam partem, cui domus innititur, firmiorem vellent,
B nisi opifex ille divinus, qui terram , quam magni 119
hujus domicilii fundamentum statuit, fixam, immobilem, suis ponderibus libratam in imo collocavit? quid eosdem impulit , ut præ omnibus partibus , ipsarum domorum laquearia potissimum auro, ebore, argento, gemmis, coloribus exornarent, nisi exemplar ejusdem artificis, qui illud cæli lacunar tot præclarissimis luminibus illustravit? Nam quadrata , & circularis figura , quæ duæ sunt omnium perfectissimæ , & fabricandis ædibus opportunæ, altera quidem in cæli rotunditate, altera quatuor in ipsius orbis partibus excellenter delineata est. parietes, qui orbem divi-
C derent, non excitavit opifex sapientissimus, quod eundem, veluti unam urbem Deo , hominibus, & cæteris animantibus communem esse voluit. fenestrarum, à quibus domicilia lumen acciperent, rationem , ac usum præmonstravit idem , qui Lunam , ac Solem , illam, ut noctu , hunc vero', ut die splendesceret , in cælo accendit.

Quod si vetustissimæ , nationes lateritias casas, & potius mapalia fabricatæ narrantur , quam illustria domicilia , hoc non tam in Architecturæ ignorationem, quam in illorum temporum modestiam, & consuetudinem referri cupiam. præ-
D sertim cum ab orbis infantia primogenitus eorum omnium, qui nati sunt urbi à se ædificatæ à filio suo nomen *Enochiam* imposuit. Quid hic duas illas antiquissimas columnas in memoriam revocem , lateritiam alteram adversus vim ignis , alteram vero marmoream adversus aquarum impetum, & vastitatem? quid superbiæ turrim , cujus pœna in magistros rediit, qui dum nominis celebritatem admirabiliori opere affectarunt , ignominiam pro gloria retulerunt. Itaque cum alterius orationem alter non intelligeret discedentibus illis in varias regiones , machina , quam cælo æquare destinaverant, & omne opus interruptum pependit. 120
Hinc tot, & tam varia profluxere linguarum genera. Hinc illæ poetarum fabulæ , quibus montes mon-

montibus impositos ad cæli expugnationem prodiderunt. quid vero attexam, aut Ægyptias Pyramides, aut labyrinthos Thebanum, Creticum, Levinium, Italicum, aut urbes vetustissimæ originis ante diluvium excitatas?

Nobilissima proinde Architectura est, quæ cum Deo auctore sit inventa, est etiam antiquissima, neque solum, sed abundat multitudine virorum illustrium. quid virorum? maximorum Principum, qui ab illa nominis immortalitatem quæsierunt. De tribus enim, quæ cum dicendi, tum intelligendi optimus magister *Aristoteles* ad nobilitatem alicujus hominis, familiæ artis, seu urbis hoc est extremum.

Omnium enim, quæ sunt in homine cupiditatum vehementissima est gloriæ cupiditas non adventitia, sed ab ortu indita, ad quam non docti, sed imbuti sumus, quam non a majoribus audivimus, non in libris legimus, non à parentibus accepimus, sed ab ipsa natura arripuimus, à ratione hausimus, ab ingenio expressimus, ut, si nostrum ab interitu vindicare nomen possimus, illud quacunque ratione expediamus. Contenderunt multi armis, plures litteris dimicarunt, ædificiis vero pœne innumeri studuerunt, ut quando brevem ipsi vitæ cursum haberent, aliquod saltem æternitati movimentum suæ virtutis, ac munificentiæ perpetuo duraturum relinquerent. Ex primo genere scimus fuisse bellicosissimos Reges, *Ninum*, *Cirum*, *Alexandrum*, *Pyrrhum*, *Themistoclem*, *Romulum*, *Marium*, *Scipiones*, *Anibalem*, *Pompejum*, *Cæsarem*, aliosque innumera-
121 biles, quos militaris gloria in omnem posteritatem memorandos transmisit. Nam viri literis pulcherrimis eruditi suis operibus id suntassecuti, ut in ipsa vivant morte, postque mortem humo se tollant, ac temporis victores, æternitatis candidati per omnium hominum ora vivant, volitentque.

Sed quam Imperatorum potissimorum, tam literatorum hominum opera, licet insignia, nunquam tamen ad miraculum excrevere, ut gentium, nationumque omnium consensus, pœnes quem nominum imponendorum potestas est, ex iis ullum orbis miraculum appellarit. deinde res fortiter gestæ à summis ducibus in tenebris sepultæ delitescerent, nisi literarum splendor illustrandis accederet. porro ipsæ literæ tantum leguntur, seu, ut verius loquar, tantum intelliguntur ab iis, qui literas sciunt. hi vero, si cum imperita multitudine conferantur, quis est, qui non videat, quam paucissimos esse?

At quæ ab ædificandi peritia, & magnificentia dimanavit, magnitudo famæ tanta est, ut Architectura miraculorum parens jure dici possit. cujus enim artis tu mihi miraculum ostendas præter illa septem, quæ Architecturæ ingeniosi partus extitere? Admiramur *Semiramidem* inter fœminas munificentissimam; non admiraremur, nisi *Babyloniæ* muros, tam ingentes fabricandos curasset. *Asiam* terris omnibus antecellere, non tam ubertas annonæ, magnitudo pastionis, copia rerum, cum earum, quæ importantur, tum illarum, quæ exportantur, demonstrat, quam *Dianæ Ephesinæ* templum à regibus opulentissimis per tot annos maximis impensis extructum, perfectumque. Nam *Rhodon* clarissimam toto Orbe reddidit Solis *Colossus*, non ut arbitran-
122 tur plures, quotidianus ejusdem adspectus. Etenim ut Ægyptias Pyramides omittam, an *Mausolum* nosceremus, an *Cyrum*, nisi illum quidem sepulchri ab amore *Artemisiæ* ædificati superbia, hunc vero magnificentia domus pretiosissimis lapidibus auro illigatis à *Memnone* extructæ posteris evulgassent? quid enim? extulisset caput *Roma* supra nationes omnes hac etiam fabricandi vir-

A tute, nisi Capitolium templorum omnium pulcherrimum, & amplissimum excitasset? mihi ne *Salomon* quidem ulla re tantum sibi decus videtur comparasse, quantum celeberrimi ipsius templi fabrica, quod sive auctoris opulentissimam sapientiam; sive operis castissimum, eundemque plenissimum religionis, & sanctimoniæ finem; sive lapidum, & rerum omnium, ex quibus compactum, dignitatem, & pretium; sive auri, argentique talenta in ejus ornamentum erogata; sive dispositionem, & formam consideres, minime vereor, quin cum eruditissimis, sanctissimisque viris miraculum miraculorum ejus generis appelles.

B Hic me templum *Alexandrinum* admonet, ut in rerum admirandarum enumeratione se non prætercam. Quamquam enim multis templis collatum, cum gigantibus conferri Pygmæus videatur, tamen se miraculum existimat, non ob magnitudinem, sed ob illam, qua Deus illud provexit, admirabilem rationem.

An non miraculum istud est templum, quod à religiosis pœne egenis, in tanta loci celebritate, ubi domorum emptarum caritas incredibilis, in his vero temporum angustiis, in quibus ratio ipsa victus difficillima, tanta magnitudine, structura, columnarum, & marmoris varietate, sine alio
C præsidio, quam divinæ liberalitatis, & hominum 123
piorum spe cæptum, evectum, jam pœne perfectum est?

Est igitur *Mediolani* regio in ipso pœne vobis medio sita, à *Zebedeo* judice olim hujus regionis *Zebediam* etiam nunc appellant. in hac sub *Alexandri Thebanæ* legionis Signiferi, & Martyris invictissimi nomine spei suæ vexillum Clerici Regulares S. *Pauli* erexere. Itaque à partu Virginis anno supra millesimum sexcentesimo secundo à *Federico* Cardinali *Borromeo*, *Mediolanensi* Archiepiscopo impetrarunt, ut in fundamentum templi
D primus lapidem mitteret. fecit pro sua benevolentia humanissimus Præsul, ac celebri die illustrium virorum stipatus corona fabricæ initium dedit.

Cernas nunc solidissimis innixum fundamentis templum exsurgere, parietibus compactum satis, & latis, & firmis. materies enim pœne omnis delecta est. forma templi quadra prorsus foret, ni versus chorum se paullo longius extenderet. Qui enim hujus descriptionem architectatus est, maluit, ut pedum expers potius, quam acephalon esset. Itaque majus altare tanquam caput templi constitit, proximum spatium, velut ejusdem collum, Hemisphærium in medio tanquam um-
E bilicum, & ventrem: hinc inde duas humiliores partes veluti brachia, quibus magnum hoc corpus ad excipiendos, emittendosque homines commode uteretur.

Aræ novem, non tam Musis sacer numerus, quam beatissimarum mentium ordinibus. ex iis nunc quidem sacellum, quod in fronte lævam occupat, Marliani liberalitate constructum, & ornatum est. Alterum, quod huic oppositum dextram sibi arripuit, Augustissimæ Eucharistiæ Societati ornandum servatur. Nam huic vicinum gloriatur se par fratrum invenisse, cui par simi- 124
le, aut etiam secundum haud potest inveniri,
F quorum pietatis, & beneficentiæ æternum sit posteritati monimentum. Extremum hujus dextræ partis sacellum in Auctorem incidit ejusdem cognominis, cujus metallo frondenti marmoreum splendescit. tanta est Saccorum in nos liberalitas. medium & amplum, quemadmodum majus, & ab altera extremum parte, suspensa cupiditate expectant, ut hominum piissimorum beneficentia decorentur. Etenim quæ duo proxima supersunt, quod angustius est, civiles ac munificos in se Cittadinæ familiæ viros expertum est. Grandius vero

ro Marchionissæ *Cusanæ* pietatem, & munificentiam singularem. Nihil hic de ornamentis singulorum. nam unumquodque suum caput expoſceret. Marmor varium, elegans, copiosum. Sed cum materia ars decertat. secuit, intexuit, expolivit, ut in ea varietate admirabili lusisse secum natura videatur. columnæ variis maculis nobiles, ubi tantum binæ, ubi etiam quatuor fastigium sustinent ex lapidibus decorum. Simulachra ex marmore, excellentesque tabulæ cumulant ornatum. Hemisphæricam brevis amphitheatri formam habet. Majestatem, & pulchritudinem octo augent ingentes columnæ in numerum dispositæ, teretes ad unguem expolitæ, quibus totidem supra respondent luminis janitrices fenestræ, Bases infra ornamentis ditissimæ. fornicem magnis arcubus innixum, cæptum videmus, nondum perfectum, quemadmodum interrupta pendet facies templi, tribus portis ingredientibus ne dum aperte patens cum aditum occupantes domus à fundamentis excisæ fuerint, tunc platea nobilis, & ingens esto.

Sed quoniam nunc catenus datur exire, nostra, 125
si lubet, ab hoc templo jam egrediatur oratio, reversura aliquando, & idem laudatura, cum perfectum absolutumque fuerit.

Interim Architectura scientias, & artes hac Bibliotheca conclusas alloquitur. quæ vos, inquit, sorores premit cura? quæ loci & cordis angustiæ circumquaque vos urgent? quis ut olim *Herodotus* Musas, ita vos brevi cubiculo inclusit? non isthæc vestra est aula, sed caula, hospitium, non domicilium, non patria, sed regio externa. erit, erit, cum ego ejus viri imperio, qui vos huc adduxit, templum ponam, in quo pro majestate habitetis.

126 Icon. vid. Fig. 3. Tab. IV. Pag. 57.

## *Historiæ Elogium.*

. ENARRATRIX RERVM GESTARVM FIDA .

. OMNIVM EXPLORATRIX TEMPORVM .

. CONTEMPLATRIX LABENTIS .

. PRÆTERITI NVNTIA .

. FVTVRI PROVIDA .

. MAGISTRA VITÆ .

. VITA MEMORIÆ .

. SPECVLVM ETICÆ .

. OECONOMICÆ PERSPICILLVM .

. THEATRVM POLITICÆ .

. QVISQVIS ALIENIS CASIBVS ERVDIRI VITAM OPTAT .

. VERITATIS SYBILLAM HANC LEGENDO CONSVLAT .

127

## *Iconis Symbolicæ Historiæ Explicatio.*

CUM vero verius hoc sit, veritatem esse Historiæ vitam, & animam: quid est, quod is, qui ejusdem Iconem Symbolicam excogitavit, non tam veram, quam fictitiam, & chymericam illius speciem legentium, intuentiumque oculis subjecit? video enim virginem tria præ se ferentem ora, tres altera manu claves gerentem, altera vero mensuram, & regulam; prementem dextro pede sphæram orbis; ipsius autem habitum omnem neque nimis comptum, neque tamen inornatum, sed aurea quadam mediocritate decorum. *Latonæ* filiam accepimus è fabulis triformem à poetis habitam, dictamque, cum in cælo splendesceret, Lunam; cum arcu, & sagittis instructa venaretur in Sylvis, *Dianam*; cum vero sub terras ageret, serperetque per inferos, *Proserpinam* appellatam fuisse. & hæc poetarum mentiendi facultas libera. sed alias in historia servandas leges, alias in poemate homines eruditissimi semper judicarunt. in illa enim ad veritatem omnia referuntur, in hoc pleraque ad delectationem. quamquam, nisi *Tullium* in re clara mentiri existimemus, & apud *Herodotum* patrem historiæ, & apud *Theopompum* sunt innumerabiles fabulæ. nam res gestas, quæ arcanum in se aliquod continerent, fabulas à *Platone* ob allegoriam nuncupatas doctissimus ejusdem interpres *Marsilius Ficinus* aper- 128
tissime docuit. quamobrem sic statuo historiarum conditorem in rebus exponendis integerrimum veritatis sacerdotem esse debere: eum porro, qui naturam historiæ tamquam in imagine exprimendam suscepit, non modo liberum esse, verum etiam, si poetica Icone id efficiat, recte facere. non enim est rei gestæ, sed potius expositio naturæ, quæ aliquando tam dives solet esse, ut quemadmodum neque una cogitatione intelligi, neque uno verbo potest explicari, ita neque uno vultu satis valeat Symbolice spectatoribus ostendi. quod si Janum veteres bifrontem existimarunt, seu quod pacis, bellique præses esset; seu quod duo tempora, inter se diversa maxime, & ante, & post aquarum diluvium vidisset; seu quod nationes suæ dominationi subjectas prudentissime regeret: quid causæ afferri potest, cur tres historiæ vultus concedi non possint, ac debeant, quæ res præteritas ita narrat, ut præsentes doceat, & consulat, prospiciatque rebus futuris? quæ est lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ: quæ, cum per intimas serpit hominum cogitationes, & occulta eorumdem consilia inquirit, *Proserpina*; cum ex conjecturis, & signis tamquam e vestigiis

subodoratur, & persequitur facta, donec cognitione assequatur, *Diana*; cum eadem ex ignorationis caligine tamquam nocte obscurissima suo splendore vindicat, atque omni hominum generi suo in theatro spectanda proponit, Luna e cælo splendens dici potest.

Claves autem inferorum Numini olim tributas scimus, quod existimaretur immensi illius ærarii, quod in ipsis terræ visceribus natura abdidit, distributor, ac custos esse. sed ut illud fictum, ita
129 hoc factum, ut historia, & temporum, & locorum, & rerum omnium claves haberet. quod enim aliud est munus clavium, quam ut pro varia rerum opportunitate claudant, recludantve? optima igitur clavis, quæ dierum, annorum, temporum seriem tam clare, & distincte explicat, ut omnem antiquitatem videatur reserare, Chronologia est. optima clavis, quæ locorum situs, intervalla, adspectus ita explanat, ut ad ea contemplanda non tam animum, quam oculos admittat, Geographia est. optima clavis, quæ res gestas stylo ita recludit, ut personam, causam, locum, tempus, modum, instrumentum sua in narratione includat, & communi nomine appellatur, Historia est.

Sed quid Chronologiam, Geographiam, & Historiam tres esse claves autumo, cum hæc postrema tres præ se ferat sola? etenim, quæ primum res à privatis hominibus gestas: deinde Regum, & Rerum publicarum exempla: postremo res sacras, & divinas mortalibus recludit, huic quispiam adesse neget tres claves, quibus hi tres ordines rerum explicentur? ego, tantum abest, ut has abesse illi putem, ut aureas, & in aperiendo singulares existimem. vivendi rationem à sanctissimis, sapientissimisque viris à nostræ ætatis memoria remotissime servatam inspeximus: caruissemus tam utili magisterio, nisi prima nos clavis admisisset in hanc primam, & ingentem hujus Reginæ porticum, in qua tamquam pulcherrimæ tabulæ optimo lumine constitutæ illustrium hominum res gestæ conspiciuntur. Rerumpublicarum, & Imperiorum ætates singulas, ortum, progressum, ardorem, robustam maturitatem, senectam, occasum nemo jam pœne ignorat: quis est tandem, qui sciret, nisi alteram porticum
130 altera clavis mortalium generi patefaceret, ostenderetque quemadmodum dominandi libido, & vis in *Assyriorum* Regis *Nini* corde primum exorta, creverit apud *Medos*, in *Perside* adoleverit, viguerit apud *Macedones* & *Græcos*, inde ad *Romanos* iter flexerit, convalueritque apud illos validius, quam apud ullam unquam nationem, postremo ibi etiam decoxerit; ac sub variis Principibus diversarum gentium lacertos moverit, nunc in *Gallia*, modo in *Germania*, & proximis retro lapsis temporibus apud *Hispanos* quodammodo deposita senectute refloruerit. perfacile enim, & jucundum est maxime, hac in porticu una pœne oculorum conversione præteritas ætates, simulque res in illis gestas intueri. nam hic *Ninum* cernas magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmantem. illic videas *Arbactum* post occisum *Sardanapalum* Imperium ad *Medos* transferentem. verte te ad hanc partem. occurrit *Cyrus*, primum vitis *Asiam* obumbrantis augurio ad regnum evectus, dein feris expositus, & à cane fæmina mirabiliter servatus, tum victor avitæ dominationis, ac *Persicæ* fundator, postremo à *Tomyri Scytharum* Regina, quibus ejus filium occiderat, appetitus insidiis, captus interfectusque. verte te nunc ad alteram. intuere belli fulmen *Alexandrum* incredibili celeritate, *Græcia* perdomita Orientem subjugare. perge modo lector, perge, Romanorum, aliarumque Rerumpublicarum exordia his in tabulis diligenter expressa contemplare. nam me in altiorem, dividioremque porticum, in qua res à Deo conditæ, ac perfectæ cernuntur, tertia demum clavi intromittit historia. scilicet illud nobis acumen ingenii, & sagacitas est, ut quo neque suis votis adspirare licuit ingeniosissimis philosophis, eo nos summa contenderemus facilitate, pari felicitate perveniremus. *Plato*, *Aristoteles*, excellentesque 131
alii viri divinorum operum seriem prorsus ignorarunt; nos enimvero pro nostrorum ingeniorum præstantia molitionem, & initium orbis, dispositionem, & formam ejusdem, salutem illi divinitus allatam, cæteraque reparationis nostræ arcana repente novissemus? ò Janitrix cælestis, ò narratrix rerum divinarum neque recludere, neque has fores adamantinas effringere suo ingenio quispiam potuisset, nisi tu clavem divinam *Moysi* concessisses, quibus & illas sibi, & universo hominum generi liberaliter aperiret.

Intelligo multiplicem, fœcundamque esse harum clavium significationem. quamobrem Historia, cum privati hominis vitam erudiat, non tam præceptis, quam exemplis, Clavis Ethica; cum patrem familias ad rectam domus administrationem informet, Clavis Oeconomica; cum Principem ad imperium, consulem ad Reipublicæ clavum regendum instituat, Clavis Politica haud incongrue potest nominari.

Nisi forte tres animi virtutes, quæ Historiarum lectione aperiuntur; harum numero clavium adumbrari quispiam vehementius contendat. recluditur enim memoria, dum antiquarum rerum narratio legitur, & in omnem vetustatem ultro extenditur. recluditur intelligendi vis, dum factorum, dictorumque aliorum notitia comparatur; recluditur voluntas, & in amorem boni excitatur, cum in omni ævo recte agendi vivas leges sibi propositas intuetur.

Jam vero temporis triplex discrimen, etsi triplici vultu expressum diximus, quid tamen impedit, ut sub triplici clave intelligamus? etenim quod tanquam incredibili dici videtur, hoc in 132
historia verissimum invenitur, facultatem hanc, quæ unicum tempus respiceret, aliorum etiam perfectissimam notitiam adferre. ipsa enim rerum gestarum explicatio, quasi æmula æternitatis, quæ cum una sit, minimeque divisa, omnibus simul temporibus præsens existit; ita præteriti temporis res demonstrat, ut res præsentis, quæ aguntur, statum recludat, aperiatque rationem earum, quas imposterum agi, & omitti debere vero est proximum.

Eant modo equites imperatorii, glorientur, ut iisdem lubet, clavi aurea se à Cæsare donatos. nobiliores enim, ac longe ad omnem ingressum utiliores sunt, quas historia claves elargitur, quibus non aula unius Imperatoris, sed totus orbis recluditur.

Verum clavibus adjicitur metiendi regula, variis spatiis interpuncta; primum ut qui historias scribunt, intelligant veritati omnia commensuranda esse. ne vestigiis insistant *Xenophontis*, qui in sua *Cyropedia* non tam *Cyri* vitam absolvit, quam optimi Principis imaginem effinxit. res ita scribantur, quemadmodum re vera gestæ sunt. non enim historicus, aut probabilibus conjecturis duci, ut oratores consuevere, aut veri debet similitudinem sequi, ut solent poetæ, verum simplicem, nudamque in omnibus veritatem. consentiat locus, modus congruat, non dissentiat tempus, actio minime repugnet, operi persona respondeat, non excedat finis, cum rebus aliis servent auxilia concordiam. quapropter maxime decet, ut qui res alienas literis prosequuntur, ab omni

omni sint odio, & ab amore vacui. siquidem hæ
duæ pestes sunt, quæ regulam veritatis obliquant,
133 ut narratio quidem illustris, ac ornata, non tamen
vere appellari possit historia. ita enim res
minuunt, amplificantque pro arbitrio, ut fictæ
ab ipsis, non ab aliis factæ videantur.

Adjungitur deinde clavibus illam ob causam regula, ne putarent, qui historiam legunt, in sola lectione totius summam eruditionis sitam esse; sed illam tamquam actionum suarum mensuram semper adhiberent. cum enim è causarum similitudine effectuum similitudo nascatur, idcirco res præteritas, & à nostra memoria remotas legimus, ut ex illarum cognitione metiri nostras, & quas nunc agimus, & quas imposterum agendas prævidemus, alienis exemplis eruditi perdiscamus. hoc enim practicum est vitæ magisterium, quod historia profitetur.

Quæ mediocri ornatu vestium contenta negligentiam quamdam diligentem, & diligentiam quamdam negligentem ostendit, qua se à suis pa-
A rentibus ornari cupit. paris enim videtur peniculi, si aut nimio verborum, & sententiarum ornatu fuces; aut aspera, inculta, horrida, salebrosa oratione à rebus cognoscendis lectorem deterreas. qui enim res gestas literis mandat, ita ut nulla suavitate ad legendum alliciat, & otio abutitur intemperanter, & literis: qui vero easdem ita exornat, ut historia procax fœmina, non gravis matrona videatur, hic præterquam lascivientis ingenii quod sibi notam acquirit, à legibus etiam honestissimis exornandæ veritatis discedit.

Quamobrem prima historiæ virtus, est veritas:
B altera, expositio: postrema, judicium. veritas
ut narretur res, quemadmodum gesta est, poscit:
expositio desiderat, ut rerum naturæ genus
orationis inserviat: judicii munus est, ut ex 134
omnibus deligatur argumentum dignum memoria, dignum luce, dignum vita.

Illud autem hujusmodi esse, nemo est qui dubitet, quod cum in se sit grave, cum legentium utilitate delectationem admiscet.

## *Eruditionis Elogium.*

Icon. vid. Fig. 4. Tab. IV. pag. 57.

. ANTIQVITATIS INGENIOSISSIMA SCRVTATRIX .

. RERVM SAGAX VENATRIX ABDITARVM .

. MARMORVM FAX VETVSTISSIMORVM .

. LEGENDI AMICA, CVPIDIOR SCRIBENDI .

. COS INGENII, ET LIMA .

. OBSTETRIX ARTIS .

. NVTRIX IMITATIONIS .

. EXERCITATIONIS CORROBORATRIX .

. EXACVTRIX STYLI .

. INTERPRES AVCTORVM .

. LVMEN VOLVMINVM .

ÆRARII LITERARII PRÆSES ERVDITIO .

. NI LIBERALIBVS DISCIPLINIS .

. SVA PRÆIRET LVCERNA .

. EXCÆCATO CYCLOPE CÆCIOR .

. IPSA FORET ENCYCLOPÆDIA .

135 *Iconis Symbolicæ Eruditionis Explicatio.*

EXTREMVM hunc etiam mihi laborem scribendi concede, Musarum, quæ in hac Bibliotheca *Alexandrina* resident, *Apollo* Præses, ut pauca eruditioni scribam, eruditioni, quæ sua licet modestia extremam hujus loci sedem occuparit, nulli tamen scientiarum, & artium aut suavitate, aut utilitate, aut etiam honestate secunda est. Quis enim est, qui nisi sit ita rudis, ut marmoreus, atque è saxo semisculptus, aut duro dolatus è robore, ac male complanatus videatur, suum eruditioni tributum laudis persolvendum neget? cum hæc ipsa sit, quæ legendi, scribendi, elucubrandi assiduo usu ad notitiam
C linguarum literarumque omnium non obscuram, sed illustrem; reconditam in Musarum adytis, non è trivio petitam; non vulgarem, sed potius excellentem homines erudiat. Quod si vim ipsam verbi spectemus, quid est aliud erudire, quam è rudibus, læves; politos, ex impolitis animos efficere? qua in re marmorariæ, & metallicæ arti simillima eruditio est. quemadmodum enim hæ
duæ artes ingeniosissimæ sunt ad venas lapidum, 136
& metallorum indagandas; ubi detexerint, laboriosissimæ ad easdem fodiendas, & extrahendas; cum ad manus illæ pervenerint, solertissimæ ad
D illas purgandas, ac expoliendas: ita profecto dici non potest, quantum ingenii adhibeat eruditio in rerum pulcherrimarum investigatione; in explicatione quantum laboris; quantum in earun-

dem laude, & ornamento solertiæ.

Utrum enim vultis in tanta librorum varietate, & copia, eruditionem ingeniosam esse, an stupidam? laboriosam, dum calamo armatam exerit manum, an otiosam? solertem, lucernæ & elucubrationum amicissimam, an vero pigram & desidem? Si stupidam, si otiosam, si pigram. ò eruditionis umbratilis splendor, decus vanum, inutilis gloria; ò *Justi Lipsii* eruditorum hominum facile Principis injuste lapsos labores. O *Angeli Politiani* aliorumque Criticorum inane studium. nullum enim legendo, scribendo nullum, nullum pervigilando fructum retulistis alium, quam ut in albo stupidorum, desidum, & otiosorum hominum scriberemini.

Sin vobis immensa quidem librorum multitudo, & discrimen, ingenium; calamus vero laborem; diligentiam autem in eruditione lucerna significet. O scientiarum ingeniosissima eruditio, quæ non ut aliæ unam, aut alteram auctorum classem pervolutas; sed omnes voluminum classes, & ordines præ manibus semper habes. ò laboriosissima facultatum, quæ nunquam à scribendo manum removes. ò liberalium artium solertissima, quam non minus juvat nocturnis chartis impallescere, quam pudeat antelucanis vigiliis a fabris aliquando superari.

Et quidem qui ex omnibus instrumentorum ordinibus, quæ ad literarios labores necessaria sunt, præstantissima delegit, is plane naturam eruditionis introspexit. intellexit enim vir eruditissimus, & alta quadam mente præditus ab eo solum sperari, & haberi posse hujus dignitatem nominis, cui multa, & accurata lectio
137 esset amica; assidua scriptio familiaris; nocturna
elucubratio domestica. Sunt enim ei homini, qui vere cupiat erudiri non multi libri, sed pæne omnes legendi, ut ex omnibus deligat, quod opportunius suis temporibus, & rebus existimat. Ut autem hoc sibi facilius omnes persuadeant, hac potissimum ratione contendo. Sic enim statuo eum locum inter nobilissimas artes eruditioni concedendum, quem inter sensus corporis philosophi tribuunt illi sensui, quem appellant communem. Ergo pascuntur oculi rerum pulcherrimarum adspectu, concentus, & harmonia incredibiliter aures delectant, palatum trahitur voluptate ciborum, suavitate odorum nares alliciuntur, tangendi vis, quam asperitatem refugit, tam sequitur corporum lenitatem. ex iis tamen nullus est, qui alienum in regnum, ac dominationem irrumpat. sensus tantum communis, tanquam honorarius arbiter, & Judex à natura constitutus, quæ singuli noscunt sensus, ea unus omnia perfectissime cognoscit, ac inter se discernit. Quid? sacrarum literarum oracula cælo demissa cupis intelligere? expositores illarum sanctissimi, doctissimique interpretes legendi. Excellere in illa severiori Theologia unum; & simplex votum est? Vacandum lectioni gravissimorum Thelogorum. Legum perdiscendarum cupiditas invasit? Nunquam è manu Jurisperitorum libri, nunquam codices deponendi. Amores in te suos philosophia vehementissimos excitavit? Audiendus *Plato*, & *Aristoteli* præbendæ aures, cum omni philosophorum schola nocte pariter, ac die colloquendum. Denique singularum artium professores suos singuli habent auctores, & libros, quos volutent, ac sequantur. Eruditio, quæ secreta ignoratione omni rerum omnium cumulatam notitiam ample-
138 ctitur, nullum auctorum, ac librorum genus ad
sui perfectionem non desiderat.

Verum lectio, nisi scriptio accedat, si non omnino inutilis, certe non ita, quemadmodum sociata eruditionem amanti salutaris. An exemplis hominum eruditissimorum præsertim vero *Plinii Secundi*, quem ego a natura fabricatum puto ad suas ipsius divitias ostentandas, non possumus demonstrare? Hunc accepimus studiosum adeo legendi fuisse, ut diceret nullum esse librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodesset. Temporis vero ita parcum, ne dicam avarum, ut fere semper, aut legeret, aut legentem audiret. cum semel *Cajum Plinium* nepotem ambulantem invenisset, sic eum allocutus fertur, poteras has horas non perdere? perire enim omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur. quod majus argumentum hujus laudabilis avaritiæ? lectorem quidam ex amicis coegerat, ut jam lecta repeteret. Persensit vir sagacissimus, non idcirco retardatum lectorem, quia non intellexisset, atque hac illum objurgatione increpuit, intellexeras, inquit, cur ergo revocabas? Decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. Audi nihilominus, diligenterque perpende, quid nepos ejus de illo scriptum reliquerit; liber legebatur, adnotabat, excerpebatque. Nihil enim unquam legit, quod non excerperet.

O exemplum imitatione dignissimum. Sunt enim libri velut agri, in quibus vernant verborum pulcherrimi flores, sententiarum optimæ fruges. Qui legunt, nihil autem excerpunt, ii Musarum hortos lustrant, nihil inde, aut parum exportant.

Quod si cum legendi exercitatione usum scribendi conferas, hunc multo utiliorem illa, & ad consequendam eruditionem longe securiorem reperias. lectione res ipsas tanquam feras in volu- 139
minum latibulis delitescentes persequimur, assequimur scriptione. lectio spectatores alienarum cogitationum: scriptio possessores, & dominos efficit. inquirit lectio, scriptio acquirit. parat illa, hæc tuetur. illa metit, hæc colligit. illa ærarium memoriæ complet, hæc suorum characterum vinculis illigatas res inventas tenet. vagatur illa: hæc sedet. exploratrix, & inventrix lectio, scriptio victrix & conservatrix. Denique sic opinor cum *Pytagora* Mundum hunc mercatum esse, in quo Dii suas artes singuli vendendas exposuere. Oratoriam *Mercurius*, *Apollo* vim Poeticam, Mars artem militarem, *Pallas* liberales disciplinas, *Juppiter* regna. Ingreditur mercatum hunc Eruditio, & optime conscia non auro, sed labore comparari hæc omnia, laboriosissimas secum ducit ancillas, lectionem, & scriptionem, quarum illa experitur, & probat merces, num bonæ sint, hæc vero emptas ab omni temporis injuria diutissime servat. Atque ut latine jam loquar, non oratoriè; idem ego sic existimo in omnibus eruditissimis hominibus probari verum id, quod *Cajetanus* illustrissimi ordinis clarissimum lumen de se ipso dictitabat, *Calamus* me fecit. calamus enim ingenium acuit, stylum fingit, judicium perficit. calamo memoria fovetur, illustratur dispositio, actio omnis decoratur. quod equiti præsidium affert equus, quod gladius militi, quod pictori penicillus, id erudito homini præstat in arena literaria calamus.

Sed antelucanum tempus musis gratissimum esse, & studiis maxime opportunum audio ab omnibus prædicari. *Plato* enim, ubi primum lucere ceperit, juventutem ad vigilias, & ad omnem vitæ, ac officii rationem erudiri præcepit. suffragatur naturæ Genius, *Aristoteles*, qui matutinæ 140
vigiliæ curam ingenii viribus, tum acuendis, tum excitandis valde profuturam in suis Occonomicis scriptum reliquit. Quid enim *Demosthenes* tam serio doluisset, si quando antelucana opificum industria vinceretur, nisi tempus illud ex omnibus ad eruditionem accommodatissimum intel-

tellexiſſet? Videlicet *Cleanthis*, & *Ariſtophanis* lucernæ toto celebres orbe nominarentur: ſcilicet illa etiam *Epicteti* lucerna tanti æſtimata, & vendita fuiſſet, ſi illud in cauſa non erat, ut cum ab hujuſmodi hominibus plus olei quam vini conſumptum ſtudioſi recordarentur, excitarentur ad elucubrationem, ut hanc ſuis operibus laudem acquirerent ſapiunt lucernam.

A Sed vos Iconum Symbolicarum expoſitiones, neque Solem, neque lucernam ſapitis; mirer deinde, ſi non eſtis eruditis Lectoribus grati ſaporis, Auctoris jejuni jejunia jejunæ refertis. Neſcio enim quo pacto in hac quadrageſima prodiiſtis è cerebro hominis multis, & variis ſtudiorum generibus diſtenti. Si ſapitis, in ejus ſinum confugite, qui eaſdem Icones fabricavit. Tanto vindice nec Momum timete.

F I N I S.

---

# INDEX RERUM,

## Quæ in hoc libello explicantur.



Me-


FINIS.











ANTIQ
ITALIÆ

T. V. IX.